Digitized by Google

HISTORIA
POLEMICA
DE
GRÆCORUM
SCHISMATE.
TOMUS QUARTUS,

PARS VI.

I. 146

Digitized by Google

HISTORIA
POLEMICA
DE
GRÆCORUM
SCHISMATE

Ex Eccleſiaſticis Monumentis concinnata

LABORE ET STUDIO

P. LAURENTII COZZA A' S. LAURENTIO

Ordinis Minor. Regularis Obſervantiæ, Provinciæ Romanæ Lectoris Jubilati, ex Guardiani Sac. Montis Sion, ac totius Terræ Sanctæ ex Cuſtodis, Sacræ Congregat. Indicis Conſultoris, Supr. Rom. ac Univerſ. Inquiſit. Qualificatoris, & in Ciſmontana Obſerv. Familia Vice-Commiſſarii Generalis,

TOMUS IV.

In quo præter Hiſtoriam exactè digeſtam, omnes, & ſingulæ controverſiæ ab Anno IV. Pontificatus Gregorii XI. uſq; ad abſolutam Florentinam Generalem Synodum, & ultimam Græcorum ſeceſſionem exortæ, ſummâ cum diligentia diſcutiuntur;

OBLATUS

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino

D.NO FABRITIO PAULUTIO

S.R.E. Cardinali Ampliſſ., Epiſcopo Albanenſi, Majori Pœnitentiario, ac SS.D.N. Clementis Papæ XI. Secretario Status.

PARS VI.

In Antiquis eſt Sapientia, & in multo tempore eſt Prudentia. Job. cap. 12. v. 12.

ROMÆ, Typis Georgii Plachi, propè S. Marcum, MDCCXX.

SUPERIORUM LICENTIA.

Expenſis D. Laurentii Licca U. J. D.

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCEPS.

CUm *Polemicæ de Græcorum Schiſmate Hiſtoriæ* tribus hactenus Voluminibus, juri à me publico demandatæ, finem aliquando, hoc quarto Volumine conſtituerim; illud, ut toti huic Operi meo religiosè proſpicerem, Nomini tuo adjudicandum, PRINCEPS EMINENTISSIME, cenſui. Et ſanè, cùm iſtud, qualecumque Opus ſit, pios Apoſtolicæ Sedis conatus, eoſque crebros, & ingentes pro reducendis ad Fidei unitatem ſchiſmaticis Græcis, hoc eſt, materiam toti Chriſtianæ Reipublicæ apprimè utilem, hiſtoricæ complectatur, cuinam, niſi Tibi de Apoſtolica Sede ob egregios labores, zelum illuſtrem, inſignem pietatem optimè meritò inſcribere poteram, aut debebam. Neque verò adeundi gratiâ patrocinium tuum, eas res quæſitas volui, queis mihi aditus ad Te faciliori greſſu pateret, privatæ ſcilicet, conſuetudinis offi-

Digitized by Google

cia, familiare obſequium, domeſticum obſervantiæ ſtudium. Etſi enim hujuſcemodi res facultatem mihi ad Te accedendi non tribuant, ſatiùs tamen conſilio meo eſſe duxi, Te unum diſciplinas omnes, & Eccleſiaſticas maxime, contueri, Tibi ſeſe dedere, ad Te veluti ad ſuum Mecœnatem ſua ſponte confugere, ut mihi poteſtas fieret, haſce meas lucubrationes tuis ſub auſpiciis inaugurandi. Hinc etiam ab iis laudibus temperavi, quibus moris eſt librorum ornare Patronos, ut de gloria Majorum conciliatâ eis gratiâ virtutis, fęliciori ſint nuncupatis rebus augurio. Ab his enim prçconiis eò decentius abſtinere libuit, quò Tu ornatius à propriis ſtudiis laudaris. Enimverò cùm tam clarâ Familiâ ſis, ut ſi etiam moribus obſcurus eſſes, magnos tamen inter homines eluceres; id tua virtute perficis, ut ſi etiam humile genus haberes, unumquemque tamen nobiliſſimum antecelleres. Ecquid enim vetuſtiſſima PaulucIæ Familiæ Nobilitas, totâ pene Italiâ multa ante tempora celebris, quam ab Othone III. Cæſare ſummis privilegiis, ac Comitatus titulo, tunc ævi honorificentiſſimo donaretur: Quid præclara hujuſce Domus facinora, vel publicis præcipuarum Italiæ Civitatum curis, vel bellicis ſtudiis, vel bonis artibus occupatę: quid inquam omnia hæc, aliaque id genus multa generoſæ ſtirpis inſignia Tibi decoris addiſſent, PRINCEPS EMINENTISSIME, niſi Tu Te ortum probares ex hoc inclyto genere, quod tantùm abs Te virtute tua commendatur, quantùm Tu ab illo ſuo ſplendore illuſtraris? Nec verò, ſi etiam honeſta ratione dici poſſit, illud dixerim, quod ad iſtam ampliſſimam Apoſtolici Senatus dignitatem, quæ tuis meritis Tibi parta, tuis virtutibus venuſtatur, viam ſpacioſam muniere maximis honoribus Majores tui, Franciscus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, inſignis prudentiæ, ac doctrinæ Vir, Antonius

Sa-

Sacræ Rotæ Auditor, omni eruditionis genere ornatiſſimus, & FERDINANDUS demùm, ut alios miſſos faciam, Frater tuus natu major, cum habitu corporis, tum animi amplitudine graviſſimus, & elegantiſſimus Præſul, qui poſt exactos in Urbe illuſtres labores, poſt data prudentiæ, probatiſque clariſſima documenta, maximæ Bonorum expectationi ereptus, dignam, quæ in omne tempus per hominum mentes obverſetur, ſui memoriam reliquit: probè quippe intelligo, Te ad ſummos honores obeundos ſine domeſtico exemplo Tibiipſi ſatis ſuperque ſuffeciſſe, qui quantùm inter cæteros emines mentis pręſtantia, animique nobilitate, tantùm glorioſius tuæ Tibi magnitudo dignitatis cohæret. At verò inter tot virtutes Domi tuæ natas illa mihi prætermittenda non eſſet (quoniam in rem meam nimis accomodatè cadit) animi fortitudo in Fide Chriſti tuenda, quâ præclaram in Orbe Chriſtiano adepti ſunt gloriam Majores tui, & præſertim PAULUCII duo, quorum alter in Veneta contra Turcas expeditione An. MDLXXIII. feliciter pugnando oſtento verius fuit, quàm ſtrenuitatis exemplo; alter verò in Ungarico bello contra eoſdem Chriſtiani nominis hoſtes Ann. MDVIC. ſub Franciſco Aldobrandino Pontificii Exercitus Duce, obſidionem Strigonienſis arcis infatigabili animi ardore ſuſcipiens, ad extremum uſque ſpiritum inimicos ad deditionem urgendo, zelum in Catholicam Fidem glorioſa morte teſtatus eſt; hæc inquam, tuorum ſpecioſa, itemq;admirabilis fortitudo mihi prętereunda non eſſet, quippe admodum fauſtè ominatur huic Operi meo, quod inſtar armamentarii cujuſdam extructum volui inſtituendis, armandiſque novis Militibus, Franciſcanis, ſcilicet, Miſſionariis ad Orientales plagas expediendis contra refractarios Græcos Catholicæ communionis hoſtes pugnatum; niſi tuorum exempla Majorum, à tuis

ipſis flagrantiſſimi ſtudii in Catholicam Religionem exemplis vincerentur, oculoſque omnium in ſe converterent conatus tui, & novam in dies admirationis materiam ſuppeditarent. Sed jam vereor, nè auribus tuis moleſtiam creare videar minus fortè grata virtutum tuarum narratione. Itaque, ut morem geram modeſtiæ tuæ, ea omnia ſilentio mandabo, quæ vel me dicente, ſciri ſatis non poſſunt, vel me tacente, penitùs ignorari. Neminem ego unum tam imperitum rerum humanarum eſſe arbitror, ut neſciat tuam in rebus agendis dexteritatem, quam duabus potiſſimum pro Apoſtolica Sede Legationibus oſtendiſti, Colonienſi, ac Polonienſi; ſedulitatem, atque ſolicitudinem Paſtoris Vigilantiſſimi, quarum duabus inſignioribus Eccleſiis, Maceratenſi primum, Ferrarienſi deinde egregia, & nunquam interitura monimenta dediſti; Indolem ad res maximas natam, ingenium in arduis rebus expeditiſſimum, propter quæ dignus inventus es, cui à Supremo, fęliciterq; Regnante Pontifice Eccleſiaſtici Status ſumma rerum concrederetur. Hæc autem, quoniam nimis in aperto ſunt, nec tacere inofficioſum eſt, nec effari icundum. Illud autem obteſtor, PRINCEPS EMINENTISSIME, nè ita velis, me tuæ moderationi conſulere, ut voti mei penitùs obliviſcar. Patere igitur, ut, quod in votis habui, paucis abſolvam. Ego enim, cùm Opus iſtud Nomini tuo addicere ſtatui, optavi propoſitum meum ab omnibus probatum iri, quod non aliter evenire poſſe reor, quàm omnes, quantùm per me fieri fas eſt, ad tui cognitionem excitando. Enimverò qui ſcient, Te publicis, ingentibusque curis diſtentum, nihil de Teipſo detrahere privatis cujcuſcumque negotiis, ſed ſemper, & ubique omnibus copiam Tui facere; Qui ſcient Te variis, graviſſimiſque muneribus applicatum, ſive hæc pertineant ad regimen Eccleſiaſtici Prin-

Principatus, ſive ad univerſæ diſciplinam Eccleſiæ, ſive ad fidem, tùm propagandam, tùm vindicandam, ſive ad morum reformationem, ſive ad quodcumque aliud communis utilitatis, ita unicuique horum præſto eſſe, ac ſi nulli alteri Teipſum deberes, ita omnibus totum animum adhibere, ac ſi unum tantummodo ex his Tibi oneris eſſet; Qui demùm ſcient, Te immenſis ſumptibus magnificas ædes divino cultui erexiſſe, Religioſos homines bonis, fortunisque foviſſe, & omne inque Deum, inque homines juſtum feriò proſecutum eſſe, facilè intelligent, me non potuiſſe meliorem cogitare Virum, qui humaniter mea ſcripta ſuſcipiat, veluti ea, quæ in alienam utilitatem ſunt inſtituta, à quo ſyncerè meus ſcribendi finis probetur, veluti eum, qui ſalutem reſpicit animarum, cujus denique auctoritate laceſſiri non ſinat indiſcreta quorundam ſucceſſendi libidine. Hæc, ſi de Te mihi pollicitus ſum, nõ ego ſanè incuſandus, qui ſum in tantam ſpem erectus ob tuaim facilitatem, PRINCEPS EMINENTISSIME, Ego enim, quod æquum eſt, de me ſentio. Scio Opus Tibi à me deditum, non eſſe Te dignum eâ parte, quâ meum eſt, ſeù meum fecerunt verborum ſtylus, rerumque ordinatio; digniſſimum tamen reputo, qua Patrum doctrinam, quave Eccleſiæ continet geſta. Hac ſub ratione tuum illud facio, quâ Tibi placere poteſt, quave votum Tibi meum reddere poteſt acceptum.

EMINENTIÆ TUÆ

Ex Conventu Aracœlitano de Urbe, die 23. Junii 1720.

Humill. Devotiſſ. & Obſequentiſſ. Servus
Fr. Laurentius à S. Laurentio.

LE-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

QUam tribus prioribus Tomis fuſiùs perſecutus ſum POLEMICAM DE GRÆCORUM SCHISMATE HISTORIAM, hoc quarto, & ultimo Volumine ad finem uſque deductam, juris publici, ac tui, Lector humaniſſime, facio. Complectitur autem hic ultimus Tomus ea omnia, quæ pro utriuſque partis ſtudio geſta fuere hujus Schiſmatis occaſione toto temporis intervallo, quod à Pontificatu Gregorii XI. interiicitur ad illud uſque Nicolai V. ſub quo Græci inita cum Latinis in Florentina Synodo Unione, noviter temerato fœdere receſsère. Eam verò, quam in aliis mihi præſcripſi, etiam in hoc poſtremo Volumine methodum duxi ſervandam, facta, ſcilicet, hiſtoricè narrando, adhibitis ad id, ubi opus erat, indubitatæ fidei actis; & dogmata, prout occaſio ferebat, ſuadebatque loci opportunitas, polemicè tractando, doctrinis depromptis ex Divina Scriptura, Sanctiſque Patribus, atque Sedis Apoſtolicæ deciſionibus. Interim autem velim illud de me judicium feras, quod æquitati tuæ, & meo propoſito conſulat magis, congruatque; nempe, ut tibi perſuaſum ſit, me ingenio meo non tantùm indulgere, ut nova credam molitum me eſſe, vel in hac, vel in aliis hujuſce mei Operis partibus. Non enim me latet quæ à me dicta ſunt, ea in monumentis antiquitatis jacère, & multa etiam ab aliis comptiori fortaſsè ſtylo, ac fœliciori eruditione narrari. Neque verò ignorare potui, quod tritum apud Arnobium eſt: *Novi*, ſcilicet, *fieri nihil, ſed eſſe omnia vetera, & nulla antiquitati inaudita*. Verumtamen *Lib.1.* lubet mihi jure quodam meo vendicare, quicquid in hac ingenti factorum varietate diſpoſitionis, ordinis, methodique compereris. Enimverò tantarum rerum materiem in immodica hujus Schiſmatis diuturnitate, plurium hominum ætati minimè ſufficienti, à nullo adhùc in totum digeſtam, à nullo integrè hominum memoriæ mandatam, ſed hinc inde ſparſam, in Conciliorum actis, Scriptorumque fragmentis, quibuſdam veluti ruderibus inſidentem, in molem ordinatam ſtruere, & in Hiſtoriam continuatam formare mei ſtudii fuit, ac laboris. Id autem mihi in hoc Opere texendo conſilii fuit, ut iis rebus expoſitis, quæ anteactis temporibus ex tam longo Eccleſiæ, inopinatò emersère, paradigmata quædam ob oculos ponerem, quæ regulæ ad inſtar futuris ætatibus inſervirent, ſi fortè evenirent ea, quæ præteritis ſæculis contigère, quod (ut ſunt humanæ res temporum viciſſitudini obnoxiæ) contingere poſſe nemo ibit inficias: *Rebus enim cunctis* (ut Tacitus *Lib 3. Ann.* ait) *ineſt quidam velut Orbis, ut quemadmodùm temporum vices, ita morum vertantur*. Non itaque ſcribendi libidine, ſed deſiderio juvandi, ſi per me fieri poſſet, hanc Provinciam ſuſcepi. Quod ſi mihi ex ſententia ſucceſſerit, proſperè ceſſurum laborem meum non immeritò arbitror. Sed verò, nè te pigeat quorundam, quæ in hac ultima Patte non neceſſarium locum obtinere videntur; ſcias oportet, quod in diſputationibus enarrandis, quæ circa controverſas materias Latinos inter & Græcos in Florentina Synodo exortæ ſunt, eadem Græcorum dogmata referre iterum, iterumque confutare non inutile cenſui, quæ ſatis abundè in aliis prioribus partibus à me relata, atque iiſdem prorsùs doctrinis, quibus Florentini Patres uſi ſunt, oppugnata accepiſti. Id autem eo animo feci, quo fidem augerem doctrinæ in ſuperioribus Tomis pro Latinorum parte recitatæ, cùm eandem ab univerſali Synodo receptam, probatamque monſtrarem. Neque tibi moleſtum ſit, quod in dogmatibus explicandis eandem frequentiùs doctrinam inculcarim, quæ luculenter tum ab aliis Scriptoribus tradita eſt, tum ab ipſo Florentino Concilio. Hanc enim repetitionem ſuis ſedibus aptatam propria non carère utilitate pro comperto habui, cùm in illud Auguſtini offendiſſem: *Utile eſt plura à pluribus fieri diverſa ſtylo*, *Lib. 1 de* *non diverſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem*. Interea verò nollem Te nimiùm ope- *Trinit.* rum meorum exactum ſcrutatorem, ut ea diligentia ad legendum accedas, qua potius minus cautè dicta deprehendas, exagites, atque caſtiges, quàm pro tua humanitate properanti calamo ignoſcas. Ego enim, ſi quidquam virium in me fuit (quod ſentio, quam ſit exiguum) in eo totum impendi, ut veritatem ſimpli-

ci

ci narratione aperirem, cæteris ea forma deductis, quá comitati tuæ locus adeſſet aliquid meæ tenuitati donandi. Propterea, *ſi aliquid* (ut cum Auguſtino loquar) *vel incautius, vel indoctius à me poſitum eſt, quod non ſolùm ab aliis, qui videre id poſſunt, meritò reprebendatur, ſed etiam à meipſo, nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum, ac gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum.* Neque tamen Te cenſorem metuam, aut tibi expunctori ſuccenſebo, ſi mea ſcripta corrigas, non, ut tuo ſenſui, vel opinioni obtemperes, ſed ut veritati obſequaris, ſi quid in eis à me erratum eſſe cognoveris. *Noli itaque* (fas mihi ſit verba Auguſtini uſurpare) *meas literas ex tua opinione, vel contentione corrigere. Si quid in eis veri comprebenderis, exiſtendo non eſt meum, at intelligendo, & amando & tuum ſit, & meum: Si quid autem falſi conviceris, errando fuerit meum, ſed jam cavendo, nec tuum ſit, nec meum.* Vale,

Epiſt. 8. ad Marcelli 143. nov. edit.

In Proœmio ad lib 3. de Trinit.

Tu

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſt.

H. Cervinus Epiſc. Eraclea Viceſgerens.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

H*Iſtoriæ Polemicæ de Græcorum Schiſmate, Tomus IV. à Reverendiſs. P. Laurentio Cozza Sacræ Congregationis Indicis Conſultore, Sac. Romanæ Univerſ. Inquiſitionis Qualificatore, ac Vice-Commiſſario Generali &c.* compoſitus, eandem planè notam, & ſpeciem eximiæ doctrinæ, ac luculenter eruditionis, meo quidem judicio præfert, ac tria priora Volumina, quæ Auctor idem clariſſimus tanto jam Eruditorum plauſu in lucem emiſit. Nihil in eo reperi, quod ab orthodoxa Fide, morum regula, aut ſaniore doctrina ſit alienum: Quare Prelo dignum cenſeo Opus apprimè neceſſarium, quod quiſque evolvens fatebitur, habere noſtram quoque ætatem pergrandes Viros, quorum ſingulari doctrina, ac monumentis innumeris glorietur. In quorum fidem me ſubſcripſi. Ex Collegio Sancti Franciſci de Paula ad Montes Urbis, hac die 21. Junii, 1719.

Franciſcus Zavarroni Ordinis Minimorum, Lector Jubilatus, Studiorum Regens, nuper Aſſiſtens Generalis, Sacræ Congregationis Indicis Conſultor, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Theologiæ Scholaſticæ Lector.

Franciſcus Bencini Sac. Theologiæ Doctor, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Theologiæ Polemicæ Lector, affirmo ut ſupra.

Im-

Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſt. Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

Hujus Sextæ Partis.

CAP. I. *De continuato Gregorii XI. ſtudio pro Græcorum ineunda Unione*, pag. 1

CAP. II. *De Gregorii XI. obitu, Urbani VI. electione, ſubſecuto inde ſchismate, atque intermiſſa ſacra expeditione*, 14

CAP. III. *De Urbani VI. obitu, Bonifacii IX. electione, ejuſque ſtudio pro ſubveniendis Græcis à Turcarum tyrannide preſſis*, 30

CAP. IV. *De continuatis Bajazetis in Græcos excurſionibus; Emmanuelis profectione ad Chriſtianos Principes; Tamerlani invaſionibus; ac Bonifacii ſtudio pro Chriſtianorum ſubventione*, 42

CAP. V. *De Bonifacii IX. obitu; Innocentii VII. electione; Turcarum excurſionibus; Emmanuelis ad Pontificem Legatione; ac ejuſdem Pontificis ſtudio pro ferendo Græcis ſubſidio*, 48

CAP. VI. *De Innocentii VII. abitu; Gregorii XII. electione; Decreta à Sigiſmundo Ungariæ Rege expeditione in Turcbas; Piſano Concilio pro abolendo ſchiſmate; ac Alexandri V. in eo Concilio electione*, 59

CAP. VII. *De Alexandri V. obitu; electione Joannis XXIII. ac Conſtantienſi Synodo*, 82

CAP. VIII. *De Martini V. ſtudio pro abolendo Græcorum ſchiſmate; ac ea de re tractatu habita in Synodo Senenſi*, 123

CAP. IX. *De Martini V. obitu; Eugenii IV. electione; ac de Concilio æcumenico Baſileenſi, & tractatu in eo habito pro Græcorum Unione*, 131

CAP. X. *De aliis Baſileenſium, & Eugenii Papæ geſtis; translatione Concilii Baſileenſis ad Civitatem Ferrarienſem; ac cæteris actitatis uſque ad adventum Græcorum*, 171

CAP. XI. *De Græcorum adventu, & inchoato cum eis Concilio Ferrarienſi*, 193

CAP. XII. *De Baſileenſium geſtis poſt inchoatum Concilium Ferrarienſe*, 200

CAP. XIII. *De publicis ſeſſionibus cum Græcis Ferrariæ habitis; & Concilii translatione ad Civitatem Florentiæ*, 202

CAP. XIV. *De iis, quæ geſta ſunt Florentiæ, continuata ibidem Generali Synodo pro Græcorum Unione*, 224

CAP. XV. *De aliis geſtis Concilii Florentini in cauſa Græcorum*, 238

CAP. XVI. *De inita Græcorum Unione*, 271

CAP. XVII. *De nonnullis Baſileenſium geſtis pendente Concilio Florentino*, 278

CAP. VXIII. *De Armenorum Unione inita in Concilio Florentino poſt receſſum Græcorum*, 292

CAP. XIX *De Jacobinorum inita in Synodo Florentina Unione*, 303

CAP. XX. *De aliorum Orientalium nationum incœpta Synodo Florentina; Unione inita inde in Concilio Lateranenſi ſub eodem Eugenio Papa IV.* 314

CAP. XXI. *De publicatione Decretorum Unionis in partibus Orientis, & illorum Contradictoribus*, 328

Digitized by Google

HISTORIA POLEMICA
DE GRÆCORUM SCHISMATE.

PARS SEXTA.

Sextæ, ac ultimæ hujus Operis Partis initium damus ab Anno III. ſive IV. Pontificatus Gregorii XI. in qua non minùs ejuſdem Pontificis continuata, quàm aliorum ſubſequentium Romanorum Pontificum pro Græcorum unione ſtudia, & labores, uſque ad Generalem Synodum Florentinam, & ad ultimam exinde, atque eorundem extremam defectionem exhibemus; inſerentes, juxta temporum ſeriem, procuratas per eoſdem Romanos Pontifices ad frænandam Turcorum potentiam, Imperiumvè Orientale fovendum, novas Latinorum Principum & iteratas expeditiones; Legationes quoque pro concordia ineunda inter diſſidentes Principes, & Catholica Fide in diverſis Mundi partibus dilatanda: Inſuper & geſta in cauſa exorti Schiſmatis in Eccleſia Latina poſt antedicti Gregorii XI. obitum; necnon, licèt ſummariè, & nonnullarum iiſdem temporibus celebratarum Synodorum, tùm pro eorundem Græcorum reductione ad Sanctæ Romanæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ gremium, tùm pro aliis excitatis in eadem Eccleſia controverſiis, Acta, eodem, quo in anterioribus partibus, ſive in texenda Hiſtoria, ſive in examine controverſorum Dogmatum, ſervato ſtylo.

CAPUT I.

De continuato Gregorii XI. ſtudio pro Grecorum ineunda unione.

PRudentum ſanè, ac piorū hominum conſtans erat opinio, Græcos à Turcis attritos in damnati ſchiſmatis pœna, ulciſcente Numine, nec de eis unquam victoriam reportaturos, niſi per præfati funeſti ſchiſmatis abjurationem, Eccleſiæ, & Deo reconciliarentur. Id quod Cyprio Regi, ac illius Proceribus, tanquàm ſibi divinitùs revelatum paulò ante dùm Hieroſolymis verſaretur, retulit Beata Birgitta, ut habetur lib. 7. Revelat. cap. 19. cui Dominum ſic locutum aſſeruit: „ Sciant „ Græci, quòd eorum Imperium, & Regna, „ ſive Dominia nunquam ſtabunt ſecura, ne„ que in pace tranquilla, ſed inimicis ſuis „ ſemper ſubjecti erunt, à quibus ſemper ſu„ ſtinebunt graviſſima damna, & miſerias „ diuturnas, donec ipſi cum vera humiliate „ & charitate Eccleſiæ, & Fidei Romanæ ſe „ devotè ſubjecerint ejuſdem Eccleſiæ ſacris „ Conſtitutionibus & Ritibus ſe totalitee „ conformando. *Hactenus Revelatio.* Hoc porrò animadvertens Gregorius, indefeſsà ſolicitudine illorum procuravit reconciliationem, ut ſic Eccleſiæ Catholicæ uniti, Dominum Deum Exercituum habentes auxiliatorem, Fidei hoſtium caſtra non timerent: proinde ſui Pontificatus Anno IV. ex Minorum & Prædicatorum Ordinibus ſelectos Apoſtolicos Nuncios, nimirum Fratrem Thomam de Bozolaſco Priorem Provincialem præſati Ordinis Prędicatorum in Lombardia, & Fratrem Bartholomæum Cherracii, aliàs Charracii antedicti Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Magiſtrum, adjunctis duobus Sociis Præceptoribus Ordinis Sancti Joannis Hieroſolymitani, ad Palæologum pro ſuorum Græcorum tractanda reconciliatione deſtinavit; datis eidem Imperatori infraſcriptis li-

Digitized by Google

teris, à Wadingo ad An. Dñi MCCCLXXIV. ſub num. 2. exhibitis.

Chariſſimo in Chriſto filio Joanni Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri, ſalutem &c.

2 „ Circa tuam, & populorum tuo Im-
„ perio ſubjectorum ſpiritualem & tempora-
„ lem ſalutem, auctore Domino, proventu-
„ ram, & ad obſiſtendum impietati ſæviſſi-
„ morum Turcharum, hoſtium ſacri nominis
„ Chriſtiani, meditatione paterna ſæpiùs co-
„ gitantes, ſuper unione ipſorum populo-
„ rum cum Sancta Eccleſia Romana Matre &
„ Magiſtra cunctorum Chriſtifidelium, ſi for-
„ tè ejuſdem unionis dies advenerit, dante
„ Domino, facienda; & ſuper præſtando tuo
„ Culmini, & eiſdem populis potenti auxi-
„ lio contra dictos Turchas, per eandem
„ Eccleſiam, & Latinos; & quibuſdam aliis,
„ quæ hujuſmodi ſalutem proſpiciunt, tibi
„ pleniùs exponendis vivæ vocis oraculo, di-
„ lectos filios Thomam de Bozolaſco Provin-
„ cialem Lombardiæ ſuperioris, & Bartho-
„ lomæum Cherracii Prædicatorum & Mi-
„ norum Ordinis Profeſſores in Sacra Theo-
„ logia Magiſtros, necnon Bertrandum Fro-
„ ce, & Heſſonem Slegillez Neapolitanæ &
„ Friburg. Præceptoriarum Præceptores Hoſ-
„ pitalis Sancti Joannis Jeroſolymitani Apo-
„ ſtolicæ Sedis Nuncios, harum latores, de
„ noſtra intentione plenè informatos, ad tuæ
„ Celſitudinis præſentiam deſtinamus, qui-
„ bus ſuper his, quæ Imperiali Serenitati ex
„ parte noſtra narraverint, velis fidem ple-
„ nariam exhibere. *Datum* VIII. *Kal. Auguſti, Anno IV.* Raynaldus ad eundem Annum ſub n. 1. ſimiles literas exhibet eodem die, datas univerſis Prælatis, Rectoribus, & Perſonis Conſtantinopolitanis, incipientes: *Circa ſalutem Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Imperatoris Græcorum Illuſtris, ac veſtram, & populorum dicto Imperatori ſubjectorum ſpiritualem, & temporarem (auctore Domino) proventuram*, in reliquis eundem ſenſum, & eadem proraùs verba continentes, ac ſuperiùs relatæ. Quæ verò in commiſſis præfatis dedit Gregorius Nunciis, continentur in literis ſeis datis, indicatis ab antedicto Raynaldo, ſed à præfato Wadingo loco citato ſub num. 3. recitatis, ad hunc videlicet modum ſe habentibus.

Dilecto filio Thomæ de Bozolaſco Priori Provinciali Lombardiæ Superioris, & Bartholomæo Cherracii Ordinis Prædicatorum, & Minorum Sacræ Theologiæ Magiſtris Apoſtolicæ Sedis Nunciis &c.

3 „ Ad propagationem catholicæ Fidei,
„ ſuper cujus cuſtodia ſumus, licèt inſuffi-
„ cientibus meritis, à Domino deputati, &
„ quorumlibet gloriantium nomine Chriſtia-
„ no, ſed deviantium à gremio Sacroſanctæ
„ Romanæ ac catholicæ & Apoſtolicæ Ec-
„ cleſiæ, Matris & Magiſtræ cunctorum
„ Chriſtifidelium, cui, auctore ipſo Domi-
„ no, præſidemus, reductionem, ac obedien-
„ tiam, & reverentiam ipſius Eccleſiæ Pa-
„ ſtorali ſolicitudine intendentes, viam &
„ formam hujuſmodi deviis tenemur oſten-
„ dere, per quas ſalubriter ad dictum gre-
„ mium poſſint accedere, in eoque perpetuò
„ permanere.

4 „ Sanè cùm vos viros utique fideles, &
„ prudentes, habentes zelum catholicæ Fi-
„ dei, & in lege Domini eruditos, pro cer-
„ tis arduis etiam dictæ Fidei negotiis tra-
„ ctandis, &, auctore Domino, promoven-
„ dis, ad Civitatem Conſtantinopolitanam
„ intendamus de proximo deſtinare; Nos at-
„ tendentes, quòd tam in ipſa Civitate, quàm
„ in aliis partibua ultramarinis, per quas
„ tranſire habebitis, nonnullæ ſunt perſonæ
„ utriuſque ſexus, Eccleſiaſticæ & Regula-
„ res, ac Sæculares, quæ ab unitate Sanctæ,
„ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſunt
„ præciſæ, ac ſperantea in ſpiritu, qui ubi
„ vult, ſpirat, quòd per ipſius gratiam & ve-
„ ſtram induſtriam, ac ſanctam prædicatio-
„ nem, nonnullæ ex perſonia eiſdem ad di-
„ ctam venerint unitatem, ac obedientiam,
„ & reverentiam debitam, & devotam dictæ
„ Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus, vobis,
„ & utrique veſtrum inſolidum per vos, vel
„ alium, ſeu alios, auctoritate noſtra perſo-
„ nas eaſdem cujuſcumque ſexus, ſtatus,
„ ordinis, dignitatia, vel conditionis exi-
„ ſtant, etiam ſi Pontificali, Imperiali, Rega-
„ li, vel alia qualibet dignitate, ſeù præemi-
„ nentia fulgeant, ad dictam unitatem reci-
„ piendi, & corpori ipſius Eccleſiæ uniendi
„ ſecundùm ſubſcriptam formam in talibus
„ per dictam Eccleſiam conſuetam ſervari,
„ quæ talis eſt: *Ego talis &c. profiteor, & cre-*
„ *do Sanctam Trinitatem, Patrem & Filium*
„ *& Spiritum Sanctum.* (Et reliqua ſicut in
„ profeſſione fidei Clementis IV.)

5 „ Et inſuper cùm eiſdem perſonis Ec-
„ cleſiaſticis, quæ dum erat in hujuſmodi
„ ſchiſmate, etiam ſcienter, quoſcumque
„ Ordines, etiam Sacerdotalem, ab Epiſco-
„ pis ſchiſmaticis, ſeu hæreticis, etiam eis in
con-

„ contemptum fidei adhærendo receperunt, „ auctoritate noſtra per manus impoſitionem „ abſolvendi, & reconciliandi, etiam ad cautelam ſi dubitaretur, an aliàs fuerint abſoluti, & reconciliati, ac diſpenſandi ſuper ipſis ordinibus, ſeù eorum executione, „ ipſosque ad eoſdem Ordines habilitandi, „ & habiles reddendi, etiamſi ante diſpenſationem, poſt converſionem tamen eorum, „ in ipſis ordinibus miniſtrarunt. Et inſuper „ quibuslibet Antiſtitibus gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habentibus „ perſonis eiſdem hujuſmodi Ordines etiam „ omnes, ſi de ipſorum collatione dubitetur, „ unâ & eadem die ad hoc per dictam Eccleſiam conſuetâ, etiam Dominica de novo, „ aliàs tamen juxta formam ejuſdem Eccleſiæ „ conferendi, & ipſis perſonis hujuſmodi ordines recipiendi, licentiam tribuendi.

6 „ Et tam nobis etiam inſolidum, „ quàm ipſis Antiſtitibus hujuſmodi perſonis poſt ſuſceptionem dictorum ordinum, „ ad quæcumque dignitates, perſonatus, „ Officia, & Beneficia cum Cura, vel ſine „ Cura obtenta per eos à Catholicis, vel „ ſchiſmaticis collata eiſdem, etiamſi dignitates ipſæ majores poſt Pontificales in „ Cathedralibus, & Principales in Collegiatis Eccleſiæ exiſtant, retinere licitè valeant, „ perinde ac ſi ante collationes eis factas de „ ipſis ſuper prædictis omnibus plenè diſpenſatû fuiſſet, diſpenſandi, fructuſq; per eos ex „ beneficiis ipſis perceptis remittendi eiſdem, „ & ad alia ſimilia in poſterum obtinenda, ſi „ eis canonicè conferantur etiam habilitandi, & alia circa hæc agendi, quæ veſtræ „ circumſpectioni expedientia videbuntur, „ quibuſcumque Apoſtolicis, & aliis Conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiarum hujuſmodi contrariis, „ juramento, confirmatione Apoſtolica, vel „ quacumque firmitate aliàs roboratis nequaquam obſtantibus, plenam & liberam „ concedimus tenore præſentium facultatem. „ *Datum Novis Avenionenſis Diœceſis, nonis Auguſti, Anno IV.* Cæterùm proficiſcentibus præfatis Nunciis, ſcripſit Pontifex Magiſtro Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, in ipſorum commendationem ſequentes literas.

Dilectis filiis Magiſtro, & Conventui Domus Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani ſeu ejuſdem Magiſtri Locumtenenti.

7 „ Cùm dilectos filios Thomam de Bozolaſco Priorem Provincialem Lombardiæ „ Superioris, & Bartholomæum Cherrarii „ Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinum Profeſſores in Sacra Theologia Magiſtros, necnon Bertrandum Froce & Heſſonem Slegillez Neapolit. & Friburg. Præceptoriarum Præceptores Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani Apoſtolicæ „ Sedis Nuncios, latores præſentium, ad „ Civitatem Conſtantinopolitanam pro certis arduis negotiis deſtinemus, diſcretioni „ tuæ, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub „ pœna excommunicationis, quam ſingulares perſonas veſtras, ſi hujuſmodi noſtro „ mandato contempſeritis, ſeu neglexeritis „ obedire, incurrere volumus, eo ipſo diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus „ præfatis Nunciis, ſeu illis ex eis, qui ad „ dictam Civitatem proficiſcerentur, de Galea benè armata, in qua tutè & commodè „ ſtare poſſint, à Romana Curia uſque ad dictam Civitatem, & ab inde uſque ſaltem „ ad Terras Regni Siciliæ citrà Farum veſtris expenſis providere curetis, in hoc vos „ taliter habituri, quòd dignè commendari „ de promptâ obedientiâ valeatis. *Datum apud Villamnovam, Avenionenſis Diœceſis,* „ VIII. *Kalendas Octobris, Anno V.* Revocatis inde Præceptoribus Præceptoriarũ Sancti Joannis Hieroſolymitani; quibus in aliis negotiis, utì decreverat, univerſis Chriſtifidelibus ſequentes fecit literas, ab eodem, qui ſupra, Wadingo exhibitas.

Univerſis & ſingulis, ad quos præſentes pervenerint.

8 „ Nuper pro certis Fidei Catholicæ „ & Apoſtolicæ Sedis negotiis dilectos filios „ Thomam de Bozolaſco Priorem Provincialem Lombardiæ ſuperioris, & Bartholomæum Cherracii Prædicatorum, & Minorum Ordinum Profeſſores in Sacra Theologia Magiſtros, necnon Bertrandum Froce, & Heſſonem Slegillez Neapolit. & „ Friburg. Preceptoriarum Preceptores Sancti Joannis Hieroſolymitani, Apoſtolicæ „ Sedis Nuncio, per noſtras literas ad Civitatem Conſtantinopolitanam diſpoſuimus „ deſtinandos; & nonnullis Principibus, aliiſque Perſonis ſcripſimus per noſtras literas „ Apoſtolicas, quòd ipſis quatuor Nunciis „ ſuper iis, quæ eis dicerent ex parte noſtra, „ fidem plenariam adhiberent, prout in ipſis „ literis pleniùs continetur. Cùm autem poſtmodùm ex certis cauſis Bertrandum, & „ Heſſonem præfatos revocaverimus pro preſenti à Nunciatione præfata, & intendamus, quòd dicti Thomas, & Bartholomæus conſummationem negotiationis hujuſmodi proſequantur, omnes & ſingulos, „ quibus, ut præfertur, ſcripſimus, rogamus „ attentè, quatenus dictis Thomæ, & Bartholomæo, vel eorum alteri; non obſtante „ abſentia præfatorum Bertrandi, & Heſſonis fidem velint indubiam adhibere. *Dat. apud Villamnovam Avenion. Diœceſis* VIII. „ *Kal. Octobris, Anno IV.*

9 Dùm hæc agebat Pontifex, conſternatus Palæologus Turcarum potentiâ, cernens ſuis viribus, nec prævalere, nec obſiſtere poſſe, fœdus, ſanxit cum Amurathe indignum planè adeò, ut filius tanquàm ſtipendiarius in bellicis adversùs Chriſtianos expeditionibus barbarum Principem ſequeretur, prout refert Chalcocondylas lib. I. de Reb. Turcicis paulò ante finem, ubi relatis geſtis ab Emmanuele Palæologi filio in comparanda pecunia pro ſolvendis contractibus cum Venetis Cenſibus, ait: „ Rex Græcorum eâ pe„ cuniâ, quam Emmanuel advexerat, Cre„ ditoribus Venetis ſatisfecit. Reverſuſque „ Byzantium, miſit Legationem ad Regem „ Amurathem: prætereà filium ſuũ in janua „ Regis ſtipendia facere juſſit. Amurathes „ imperavit Joanni, ut ſe quàm maxima fide „ coleret; nec ſuam militiam quocumque „ bellum verteret, detrectaret. Joannes di„ ligenter animum intendit, nè deinceps quid „ delinqueret, quò incurreret in offenſam „ Regis. *Hæc ille*. Hoc ergò inito fœdere, „ Palæologus, miſſo Philippo Cicandili ad „ Pontificem, ſuas expoſuit excuſationes. „ At ille benignè recepto Legato, atque audito, reſcripſit, ut infra.

Chariſſimo in Chriſto filio Joanni Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri.

10 „ Dilectum filium nobilem Virum „ Philippum Cicandili militem Conſtanti„ nopolitanum Nuncium tuum, latorem præ„ ſentium deſtinatum, benignè recepimus, „ atque audivimus in omnibus, quæ pro tua „ parte nobis voluit enarrare. Super quibus, „ cùm ſolas excuſationes de motivis tuæ „ mentis in duobus tuis actibus, de quibus „ humanum judicium nequit eſſe, conti„ neat, nos aliter reſpondère non expedit, „ niſi quòd tibi in utroque facto compati„ mur, & etiam condolemus. Credimus, „ quód cùm impii Turci fide careant, ſemper „ tecum, & cum aliis Chriſtianis infideliter „ agant; & cùm circa tuum Imperium ſuum „ dilataverint potentatum, tua Serenitas „ quaſi in pugno concluſa, eis tandem reſi„ ſtere non valebit: Ideoque tuam, tuique „ populi ſalutem & præſervationem à dicto„ rum Turchorum tyrannide aliter non vi„ dentes, niſi per ſinceram & firmam unio„ nem Latinorum & Græcorum (auctore „ Domino) faciendam, pro ipſa unione tra„ ctanda nuper certos noſtros Nuncios ad „ Imperialis ſublimitatis præſentiam duxi„ mus tranſmittendos, quos digneris beni„ gnè tractare, ac fideliter expedire. *Datum* „ *Avenione ſecundo Idus Decembris, Anno IV*. Eodem tempore Emmanuel Deſpota, Joannis Cantacuzeni filius, viſus eſt erga Fidem Catholicam egregiè affectus, ac de pio, quo tenebatur, traducendæ Græciæ ad Eccleſiæ Romanæ obſequium, deſiderio, certiorem fecit Pontificem, miſſo quodam Nobili Viro ad præfatum Pontificem, qui omnia exponeret, mentemque pateſaceret ſuam. Id quod gratanter accepit Gregorius, eique ad hunc modum reſcripſit.

Nobili Viro Emmanueli Cantacuzeno Deſpotæ Romaniæ, gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

11 „ Sacroſancta Catholica, & Apoſto„ lica Eccleſia, Mater omnium fidelium & „ Magiſtra, extra cujus gremium non eſt ſa„ lus, de ſuorum filiorum, quos regeneravit „ per ſacri Baptiſmatis Sacramentum, ſepa„ ratione à ſua obedientia, quæ ab univerſis „ Chriſtianis debetur eidem, dolet ab inti„ mis, & deviantibus cum filio prodigo ſin„ cerâ compatimur charitate; ſic in ipſorum „ ſalubri reditu & filiali obedientia jucun„ datur, & cùm cernit ad id materiam quo„ modolibet fore, divinâ miſeratione diſpo„ ſitam, illos (nè pereant) ad gremium ſa„ lutis invitat, maternæ pietatis uberibus „ confovendos.

12 „ Eapropter à dilecto filio Nobili „ Viro Caſſiano Domicello Conſtantinopo„ litano, ſe tuum aſſerentem devotum, læ„ tanter audito, quòd tua Nobilitas deſide„ rio magno deſiderat, univerſos Græcos à „ dicta obedientia deviantes, ad eam efficaci„ ter reduci, & perſeveranter perſiſtere in ea„ dem, & quòd tu & genitor tuus, utpotè „ potentes opere & ſermone in hac parte po„ teſtis poſt Imperialem Celſitudinem præ„ ceteris efficaciùs operari; nos de hujuſmo„ di tua diſpoſitione, quam non ambigimus „ tibi divinitùs eſſe datam, lætificari quam„ plurimùm, eidem Nobilitati præſentibus „ referamus, eos nuper Nuncios noſtros ſu„ per tractanda unitate Latinorum & Græ„ corum Conſtantinopolim deſtinaſſe.

13 „ Quare te hortamur in Dño & rogamus „ attentiùs, quatenus per te, & eundē genito„ rem tuum & alios (prout poteris) opere„ ris, quòd hoc tuum deſiderium impleatur; „ ſciturus, quòd hujuſmodi tractatus, fa„ vente Deo, ex eo commodiùs poterit fieri, „ & citiùs conſumari, quo nos in fine Æſta„ tis proximè ſecuturæ intendimus, Deo „ prævio, ad ſacram Urbem cum Romana „ Curia nos transferre. Cæterùm cùm dicaris, „ propè Civitatem Patracenſem, aliosque „ Catholicos tuam habere potentiam, Pa„ tracenſem, & alias Catholicas Eccleſias, „ eorumque Prælatos & populos tuæ Nobi„ litati, ex quo audimus te habere ſupradi„ ctum propoſitum, cum multa fiducia com„ mendamus; ſperantes, quòd præfatis fa„ vendo Catholicis, id, quod latet in tuo

cor-

„ corde, per effectum efficacis operis demon-
„ ſtrabis. *Datum Avenione Idibus Decem-
„ bris, Anno IV.*

14 Interea, complures ex inclyto Prædicatorum Ordine operarii Apoſtolici in Superiorem Armeniam ad excolendam vineam Domini miſſi, cùm Conſtantinopolim appulisset, zelo propagandæ Fidei ſuccenſi, ſuper unionis negotio cum Græcis, & maximè de Clero, tractatum inſtituerunt: Quare ad diſputationes Theologicas eodem Clero provocato, illuſtribus argumentis adeo detecti ſunt Græcorum errores, ut victi, complures ex Calogeris ad obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſponte devenerint, Joannes inſuper Cantacuzenus ex Imperatore Monachus Baſilianus factus, vir aliundè doctrinæ famâ apud ſuos celeberrimus, argumentis Nunciorum Apoſtolicorum victus, coactus fuit afferere ſe certiſſimè credere, Romanum Pontificem eſſe Petri Succeſſorem, ac Supremum à Chriſto in Univerſas Orbis Eccleſias Imperium accepiſſe: adiiciens, pro hoc dogmate ſe paratiſſimū ſanguinem fundere: Quod cum ex relatu Taurisienſis, Marraghaenſis, & Nachoanenſis Epiſcopis, qui ad Sedem Apoſtolicam acceſſerant, accepiſſet Gregorius, ſummè gratulatus, morâ non interpoſitâ, ſcripſit præfato Joanni Cantacuzeno, admonens, ut damnaret ſchiſma, & univerſis Græcis, apud quos in ſumma erat exiſtimatione, exemplo præluceret: ac ſi Romam vellet accedere, amantiſſimè à Sede Apoſtolica cultum & exceptum iri: tùm unà cum ipſo de Orientali Eccleſia ad gremium Romanæ adducenda, conſilia ſe agitaturum. Literas exhibet Raynaldus ad Annum Dñi MCCCLV. ſub num. 2. quæ ad hunc modum ſe habent.

Joanni dicto Cantacuzeno Ordinis Sancti Baſilii profeſſori, gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futura.

15 Inter deſideria cordis noſtri illud noſ-
„ citur eſſe præcipuum, ut in commiſſo no-
„ bis Apoſtolatus officio id agamus ſolertiùs,
„ & agi per alios noſtræ ſolicitudinis ſtudio
„ procuremus, quòd Salvatori noſtro Domi-
„ no Jeſu Chriſto, cujus, licèt indigni vices
„ exercemus in terris, æſtimamus acceptiùs,
„ pluribus animabus ſalubriùs, Fidei catho-
„ licæ defenſioni validiùs, & expeditiùs
„ tutelæ populi Chriſtiani. Et cum tantorum
„ bonorum aſſecutionem indagine diligenti
„ perquirimus, ea in unione Latinorum &
„ Græcorum, quos una fide conjungit, ſed
„ ſchiſma damnabile ſeparat, confidimus in-
„ venire: propptereaque cùm ſentimus aliqua-
„ lem diſpoſitionem unionis hujuſmodi, læ-
„ tantes in Domino optatam viā tutiores in-
„ gredimur, cujus patentiorem aditum inve-
„ nimus, ſperantes in illo, qui dixit: *Quæ-*
„ *rite & invenietis; pulſate, & aperietur vobis;*
„ quod fructum noſtræ charitativè inquiſi-
„ tionis cum ejus gratia fortiemur.

16 „ Sanè, quia Venerabilis Frater no-
„ ſter Joannes Epiſcopus Taurisienſis, lator
„ præſentium nobis expoſuit, quòd in qua-
„ dam diſputatione, quam nuper tu & qui-
„ dam alii Græci, tàm Prælati, quàm alii cum
„ quibusdam Fratribus Ordinis Prædicato-
„ rum (quos ad partes Armeniæ majoris ad
„ conſervationem fideliū, & converſionem in-
„ fidelium dictarum partiū mittebamus) ſuper
„ his, in quibus Græci à Latinis diſcordare
„ noſcuntur, in Civitate Conſtantinopolitana
„ habuiſtis, non immemor verbi Salvatoris
„ noſtri, qui dixit Beato Petro, cujus ſumus
„ Divina permiſſione ſucceſſor, *Tu es Cephas*,
„ ſpontè confeſſus es, te credere & tenere
„ Sanctam Romanam Eccleſiam, quæ Mater
„ eſt omnium fidelium & Magiſtra, ſuper
„ omnes Orbis Eccleſias obtinere primatum;
„ & quòd ad hoc defendendum, ſi expediret,
„ morti exponeres corpus tuum: cujus qui-
„ dem Epiſcopi, utì fide digni, relationi hu-
„ juſmodi nos fidem indubiam adhibentes,
„ quamplurimùm ſumus de dicta confeſſione
„ læti, agentes Deo gratias, qui cordi tuo
„ eſt dignatus infundere, ut verbum tam bo-
„ num, tamque ſalutiferum eructaret.

17 „ Cùm enim hujuſmodi primatus ne-
„ gati olim præſumpta per Græcos eoſdem,
„ diſſidii Latinorum & ipſorum Græcorum
„ fuerit cauſativa & conſervativa ſchiſmatis
„ ſubſecuti, tu quæ, prout fama publica præ-
„ dicat, ſis vir magnæ prudentiæ, morum
„ gravitate conſpicuus, dono ſcientiæ redi-
„ mitus, ac ex his, & Imperiali Celſitudine,
„ qua claruiſti conſtitutus in ſæculo, omni-
„ bus populis eorundem Græcorum vene-
„ randus imitabiliſque exiſtas: ſperamus in
„ Deo, qui tibi tàm ſalubris confeſſionis tan-
„ quam laudandi primordii largitus eſt gra-
„ tiam, quòd effectu obedientiæ, & concor-
„ dandi cum dictis Eccleſia & Latinis in
„ aliis, in quibus hactenus diſcordaſti, do-
„ num pretioſiùs largietur; nec, ſi voles, ſo-
„ lus accedes ad arcam Domini, ſed innume-
„ rabiles manipulos præſentabis eidem.

18 „ Ideoque prudentiam tuam inſtanter
„ requirimus, & rogamus attentiùs, quate-
„ nùs cùm poſſis eſſe promptor præcipuus
„ unionis præfatæ, pro ea (ut ſit unum ovile
„ & unus Paſtor, & inconſutilis tunica Do-
„ mini non ſcindatur ulteriùs, & non pereant
„ animæ in ſchiſmate conſtitutæ, glorioſus
„ ſtatus Græcorum præfatorum, qui poſt
„ ſchiſma jàm dictum miſerabiliter corruit,
„ Dei & prædictorum Eccleſiæ & Latinorū
„ opitulatione reſurgat, exaltetur Fides ca-
„ tholica, & infidelium perfidia confundatur)
„ velis totis tuis niſibus laborare, ac ob re-
„ verentiam Dei, ac Apoſtolicæ Sedis & no-
„ ſtram, tam Latinos ſpecialiter Religioſos,
quàm

„ quàm Græcos habitantes in Civitate præ-
„ fata, & dictæ Sedis Magiſterio intenden-
„ tes, nè lædantur in perſonis, vel bonis, ſicut
„ jam læſi dicuntur, tuis præſidiis conſovere.
„ Cæterùm ſi ſuper tractanda unione præfata
„ ad præſentiam noſtram in Urbe Romana,
„ ad quam, Deo prævio, ire diſpoſuimus in
„ Autumno proximè ſecuturo, accederes;
„ id multùm haberemus acceptum, teque ju-
„ cundis obtutibus videremus, ſperaremus-
„ que tecum in unione præmiſſa utilem ordi-
„ nem adhibere. *Datum Avenione v. Kal.*
„ *Februarii, Anno V.*

19 Verùm qui pertinaciter ſchiſmati adhærebant, unitos Calogeros, alioſq; ex Græcis, ut ſupra fati ſumus, variis modis exagitabant, deſpoliantes ſuis honoribus, bonis, ſtatibus, ac dignitatibus: quod cùm accepiſſet Gregorius, ægrè tulit, & admiratus tantæ perfidiæ eo præcipuè tempore, quo Catholicorum petebant adversùs Turchas auxilium, occaſione quòd à Palæologo literas per Epiſcopum Tauriſienſem acceperat, reſcribere eidem debuerat, conqueſtus eſt de hujuſmodi Græcorum exceſſibus, admonuitque ſui muneris eſſe his ſubvenire, ac debita adhibere remedia, ſi cuperet Dei & Pontificiam habere gratiam, & auxilium prædictæ Eccleſiæ ac favorem: Quæ quidem literæ, licèt non integræ, habentur apud Raynaldum ad præcitatū Annum, ſub num.4. Integras verò exhibet Wadingus ad eundem Annum, ſub num.2. ad hunc modum ſe habentes.

Chariſſimo in Chriſto filio Joanni Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri.

20 „ Imperiales literas de rubeo colore,
„ & ut videbatur, tua manu in litera Græca
„ ſcriptas, per manus Venerabilis Fratris
„ noſtri Joannis Epiſcopi Tauriſienſis lato-
„ ris præſentium, recepimus benignitate
„ paterna, ipſarumque tenorem in literam
„ Latinam translatum pleno ſuſcepimus in-
„ tellectu, & benignè audivimus ea, quæ
„ pro tuæ Celſitudinis parte nobis expoſuit
„ Epiſcopus prælibatus, ad illaque ſingula
„ reſpondimus, prout idem Epiſcopus tibi
„ dicet. Nuncii etiam noſtri, quos ad præ-
„ ſentiam tuæ Majeſtatis, jam ſunt tres men-
„ ſes, tranſmiſimus, aliqua ſuper hujuſmodi
„ expoſitis nobis per dictum Epiſcopum, ei-
„ dem Celſitudini enarrabunt.

21 „ Cæterùm, quia ſenſimus, quòd
„ nonnulli Græci tàm Clerici & Religioſi,
„ quàm Laici Civitatis Conſtantinopoli-
„ tanæ, qui relicto damnato ſchiſmate, ſunt
„ effecti Catholici, & Magiſterio Sanctæ
„ Romanæ Eccleſiæ volunt intendere, ſuis
„ bonis, & dignitatibus, ac ſtatibus privan-
„ tur; multæque moleſtiæ per alios Græcos
„ in dicto ſchiſmate remanentes, inferuntur
„ eiſdem, de iis meritò perturbamur, & per
„ ea datur nobis materia præfatæ Civitati
„ contra impios Turcos inſidiatores, & op-
„ preſſores ipſius, & tuos minimè ſuccur-
„ rendi.

22 „ Ideoque Imperialem Sublimitatem
„ tuam tanquam Catholicam requirimus,
„ & rogamus attentiùs, quatenus ſi cupis
„ habere gratiam Dei, ac noſtram, & præ-
„ dictæ Eccleſiæ auxilium & favorem, con-
„ tra eoſdem Catholicos talia fieri de cætero
„ non permittas. Cæterùm, quia intellexi-
„ mus, quòd iidem Turcæ poſt factam pet
„ te tregnam cum ipſis, præfatam Civita-
„ tem in non parva multitudine intrare, in
„ illaque nonnulla enormia patrare præſu-
„ munt, timemus nè tuam Serenitatem deci-
„ pientes, eandem occupent Civitatem.
„ Ideoque tibi paternè conſulimus, quòd ſu-
„ per hoc cautè ſtudeas obviare. *Datum Avenione v. Kalendas Februar. Anno V.* Eodem tempore Emmanueli filio Joannis Palæologi, ac Imperii Conſorti, ſcripſit pariter, ut infrà.

Magnifico Viro Emmanueli Imperatori Græcorum Illuſtri, Gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

23 „ Per ea, quæ nuper per dilectos
„ filios certos Nuncios noſtros, quod ad
„ Illuſtrem Genitorem tuum tranſmiſimus,
„ eidem Genitori ſignificavimus, poteris
„ cognoſcere evidenter, quòd erga præfa-
„ tum Genitorem, ac te, alioſque natos
„ eius, & totum Græcorum Imperium,
„ pietas & compaſſio Sanctæ Romanæ Ec-
„ cleſiæ diffunditur viſceroſè, unionemque
„ ipſorum Græcorum cum ipſa Eccleſia,
„ cæteriſque Latinis materna ſolicitat chari-
„ tate, ac deviantibus filiis conſtitutis in
„ magno diſcrimine, offert ſuæ propitiatio-
„ nis auxilium, ſi ad ejus gremium volue-
„ rint remeare, propterea cum dictam unio-
„ nem eidem Imperio non ſolùm ſpiritualiter,
„ ſed etiam temporaliter in unum opportu-
„ nam idem Genitor, ac tua ſublimitas,
„ aliique nati ejus, & totum ipſum Impe-
„ rium ardentibus deſideriis debeant affe-
„ ctare; & effectum eorumdem operum ex-
„ hibitione monſtrare, ut dicta pietas
„ ſemper maneat, manens creſcat, creſcens
„ fructificet; tuque ac idem Genitor, ac
„ Fratres tui, cæterique Græci fructum ac-
„ cipiatis hujuſmodi animarum & corporum
„ refectivum; indecens eſt, & Deo diſpli-
„ citum, ſi ex parte juvandorum præbeatur
„ rependium ingratitudinis, ſi pro bono ma-
„ lum, pro beneficio ſupplicium, pro cha-
„ ritate crudelitas, & pro dilectione odium,
„ iniqua retributione reddatur.

24 „ Audivimus ſiquidem cùm multa
„ diſplicentia cordis noſtri, quòd cùm non-
nul-

„ nullæ perſonæ Eccleſiaſticæ, & Sæculares
„ Civitatis Conſtantinopolitanæ, Divino
„ lumine illuſtratæ, relicto ſchiſmate, in
„ quo damnabiliter hactenus perſtiterunt, ad
„ gremium ejuſdem Eccleſiæ ſalubri ſint con-
„ verſione reductæ, propter hoc ab aliis in
„ ſchiſmate remanentibus prælibato, ſunt
„ ſuis dignitatibus, beneficiis, locis, &
„ bonis aliis ſpoliatæ, proſcriptæ, & pœnis
„ multiplicis perſecutionis afflictæ, in gra-
„ vem offenſam Dei, ac injuriam noſtram,
„ & Eccleſiæ memoratæ. Quare Serenitatem
„ tuam requirimus, quatenus ſi cupis Ec-
„ cleſiæ præfatæ amorem, unionem & favo-
„ rem, eiſdem perſonis reſtitui facias omnia,
„ quibus ſunt propter converſionem hujuſ-
„ modi ſpoliatæ, ipſaſque impoſterùm ob
„ reverentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram
„ defendas Imperialis brachio poteſtatis. Ce-
„ terùm, quia intelleximus, quòd Turci poſt
„ factam treguam cum ipſis, præfatam Civi-
„ tatem in non parva multitudine intrare,
„ in illaque nonnulla enormia patrare præ-
„ ſumunt, timemus nè tuam Serenitatem
„ decipientes, eandem occupent Civitatem.
„ Ideoque tibi paternè conſulimus, quòd
„ ſuper hoc cautè ſtudeas obviare. *Datum*
„ *Avenione* v. *Kal. Februarii, Anno V.*

25 „ Admiranda ſanè, quis non videt, Græcorum obcæcata malitia, immò obſtinata perfidia, qui dum obſecrantur, petunt inſtanter, rogant, & impatienter Latinorum flagitant auxilia, ad extremum deſolationis ferè Turcharum potentia redacti, in ſuæ nationis perſonas, hac una tantùm de cauſa, quòd damnato execrabili ſchiſmate, cum præfatis Latinis in fide Sanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ conſentiant, crudeliter inſurgunt, honoribus ſpoliant, dignitatibus privant, bonis exuunt, & aliorum generum pœnis immaniter afficiunt, quaſi piaculum eſſet & intolerabile flagitium cum Romanis in Religione & Fide partem habere. *Quis audivit unquam tale?* Sed juſto Dei judicio, qui ſuavi jugo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuperbè colla ſubmittere renuunt, duriſſimam ſub Turcharum tyrannide ſervitutem coguntur ſubire: nam & ipſe Græcorum Imperator, ea tempeſtate, & poſt factam cum Amurathe treguam, ipſo jubente tyranno, infuſo in oculis filii Andronici ferventi aceto, luminibus privavit; nec diù poſt ipſi Emmanueli ab eodem tyranno ademptum eſt Theſſalonicenſe in Macedonia Imperium, prout Chalcocondylas lib. 1. de rebus Turcicis, ſcribit, ubi & de Amurathis Imperio, & ſubactis populis, & nationibus verba proſequens, ait;
„ Amurathes quocumq; moviſſet exercitus,
„ ſtatim metus Adverſariis oboriebatur.
„ Hincque accuratè loca ſua muniebant.
„ Viſus eſt opera Charatinis, Viri optimi,
„ qui in omnibus quæcumque Rex facere
„ aggrediebatur, operam ſuam locavit inde-
„ feſſam, Regique maxima neceſſitudine
„ devinctus fuit. Adjutus ab iſto virò, non
„ modica fecit, quæ tendebant ad ſubjugan-
„ dum ſibi Europæ Imperium. Tot ſibi ſube-
„ git Gentes, tot in Europa Duces ſtipen-
„ dium pendentes: præterea Græcorum gen-
„ tes, quæ cogebantur, quocumque terra-
„ rum duxiſſet, Amutathem militantem ſub-
„ ſequi. Emmanuele præ omnibus Græcis
„ plurimùm delectabatur. In Amurathis pote-
„ ſtatem devenit Rex Myſiorum Drageſes,
„ Zarci filius; necnon Pogdanus, qui Rho-
„ dopen. Imperium tenebat. Acceſſere etiam
„ in ditionem & alii Europæi Duces, Tri-
„ ballorum videlicet, Græcorum, & Alba-
„ norum. His omnibus imperio ſuo admo-
„ tis, etiam Aſianis Ducibus ſtipatus, de-
„ inceps quoslibet bello laceſſere ſtatuit.
„ *Hæc ille*.

26 Ad hanc ergo potentiam evecto Amurathe, ac illius ſervituti addictis Græcis, Gregorius paterna charitate, compatiens eis, & commiſerans infœlicem ipſorum ſtatum, quaſi omnium injuriarum, quibus filios Sanctæ Romanæ Eccleſiæ affecerant, & in eis ipſe quoque pertulerat, oblitus, nihil de ejus ſtudio, pro liberandis ab ea ſervitute remiſit, ſola indutus charitate, quæ operit multitudinem peccatorum: Quare detrectante Ludovico Ungariæ Rege bellum inſerre Turcis, ac valida, ut promiſerat, auxilia Græcorum Imperatori mittere, graviſſimis literis eum ſolicitavit, ut promiſſorum memor, Græcorum auxilio cum exercitu accurreret, hoc maximè inſtanter poſtulante præfato Græcorum Imperatore. Scripſit namque ad hunc modum.

Chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ Illuſtri.

27 „ Significavit nobis nuper Chariſ-
„ ſimus in Chriſto filius noſter Joannes Im-
„ perator Græcorum Illuſtris, quòd licèt
„ olim, dum ipſe tecum fuit in tuo Regno,
„ à te contra impios Turcos tuæ potentiæ
„ auxilium poſtulaverit, tuaque devota
„ magnificentia ſibi ob reverentiam Dei,
„ & Catholicæ fidei benignè reſponderit,
„ quòd ſi ipſe ad obedientiam Romanæ
„ rediret Eccleſiæ, ſibi hujuſmodi auxi-
„ lium exhiberet, & poſt hæc idem Impera-
„ tor ad Urbem perſonaliter acceſſerit, &
„ ibidem obedientiam præfatam ſolemniter
„ etiam cum proprio juramento, ſecundùm
„ quòd fœlicis recordationis Urbanus Pa-
„ pa V. voluit & mandavit, promiſerit, &
„ ex tunc à te inſtanter petierit auxilium
„ prælibatum; illud tamen adhùc obtinere
„ nequivit: quare cùm, ſicut præfata ſigni-
„ ficatio ſubjungebat, licèt idem Imperator
„ & Civitas Conſtantinopolitana treguam
„ habeant cum Turcis eiſdem, tamen in ma-

gno

„ gno ſunt periculo conſtituti; ſupplicaveritque nobis inſtanter Imperator præfatus, ut pro dicto auxilio per modum utilem, inter te & ipſum tractandum, ſibi præbendo partes noſtras apud Serenitatem eandē interponere dignaremur; Nos de certitudine dicti periculi, non ſolùm pro parte præfati Imperatoris, ſed ab aliis informati, & illud accidere in maximum detrimentum Chriſtianitatis, & ſpecialiter regnorum tuorum, & etiam Regni Siciliæ meritò formidantes, eandem magnificentiam excitamus, & rogamus attentiùs, quatenus periculum præfatum piè conſiderans, etiamſi nulla oblatio regia præceſſerit, aut facta aliàs impleri non debeat, tamen ob reverentiam Dei & dictæ Chriſtianitatis tutelam brachium tuæ potentiæ, qua uti debes in ſervitium Regis Regum, qui illam tibi tribuit, contra eoſdem Turchos pro defenſione præfatorum Imperatoris, & Civitatis extendas, ut per hoc ciſdem Imperatori, & Civitati ſubveniās, & ipſos Turchos longè præpeditos, ad tuos fines accedere non permittas.

28 „ Speramus ſiquidem, fili Chariſſime, quòd Clerus, & Cives jam dictæ Civitatis humanitatem tuam pro ipſorum liberatione monſtratam certiùs comprobantes, relicto ipſorum damnato ſchiſmate, ad gremium ejuſdem Eccleſiæ promptiùs revertentur: ſuper quo nuper ad eos quatuor noſtros Nuncios duximus deſtinandos, & credimus ex gratia Dei materiam ad hoc eſſe diſpoſitam. Nam, ut fide digno relatu percepimus, in quadam diſputatione per quoſdam Fratres Ordinis Prædicatorum, quos ad converſionem infidelium Orientis tranſmiſimus, cum Prælatis, Doctoribus, & Calogeris Græcorum in menſe Octobris proximè præterito facta in Civitate prædicta, per eoſdem Fratres, obtentâ victoriâ veritatis nonnulli ex eiſdem Prælatis, Doctoribus, & Calogeris, ad rectam fidem ſunt Divina miſeratione converſi, & ad dictum gremium redierunt, nobiſque ſuper conſervando ſtatu eorum in dicto gremio humiles literas deſtinarunt. *Datum Avenione* v. *Kal. Februarii*, *Anno V*.

29 Sed his non contentus Pontifex, qui ut ſuppetias mitteret Græcorum Imperatori, & militem, qui occurrere poſſet Turcharum tyrannidi, Terramque Sanctam ſacris Fidei myſteriis & Catholicæ Religionis origine venerandam, à Barbarorum liberare ſervitute, omnes Chriſtianos Principes ad fœdus & bellum ſacrum excitare decrevit, multis rationibus, quorundam ex ultramarinis partibus advenientium relatione perſuadens, tempus fore maximè opportunum hujuſmodi expeditioni: ſparſi namque erant inter Sarracenos Syros & Afros rumores multi, Mahumeticam ſuperſtitionem à Chriſtianis exciſum iri, ſic enim apud eos in quibuſdam ſuis vaticiniis reperiri, fama erat: propterea pavidi, timidi, & conſternati videbantur, atque facilè à Chriſtianis ſuperaturi: Id quòd multi ex partibus veniētes ultramarinis Pontifici detulerunt, Nicolaus ſcilicet Malavena, Corſeletus de Hamcuria, Joannes Pelizon, & præcipuè Frater Martinus de Catalonia Minorita, & Conventus Bethlehem Guardianus, cui maximè Pontifex aſſenſum præbuiſſe viſum eſt, nam licèt vaticiniis infidelium leviter fidem adhibendam non putaret; quia tamen Divino miraculo interdùm impiis hominibus vaticinari datum eſt, ſpernenda hæc omninò non putavit: proindèque primùm diſſentientes Europæ Principes, in concordiam revocare ſtuduit, quâ initâ, faciliùs ad arma in Turchos movenda excitare poſſet; ac ideo primùm Regi Galliæ cum Anglo bellum gerenti, quod maximi impedimenti ſacræ expeditioni erat, ad hunc ſcripſit modum.

Gregorius &c. Carolo Regi Franciæ Illuſtri.

30 „ Conſidera, quòd ultra mala, quæ in tuis hoſtium tuorum patrantur dominiis ex dicto diſſidio, vicina ſunt Regna colliſa, & tota ferè Chriſtianitatis prægrande patitur detrimentum: quòdque Romana Eccleſia Mater tua & cunctorum fidelium, quæ per tuos inclytos prædeceſſores à ſuis ſolebat urgentibus oppreſſionibus liberare, tuo & eorum deſtituta præſidio paſſa eſt hactenus ex perſecutione tyrannica gravia damna, opprobria graviora, moleſtias importabiles, & atroces injurias in verecundiam Catholicorum Principum, & totius populi Chriſtiani; & quòd adhùc, ut ſecura conſiſtat, aliter non adjuta pro ſui liberatione ac tutela à perſecutione præfata propriis conatibus importabiliter cogitur laborare. Hoſtes quoque Chriſtianæ Fidei ſentientes ejus pugiles invicem diſſidere, & bello Dominico vacare non poſſe, ſua contra Chriſticolas ſæpiùs ſolitò cornua erexerunt, obtinuerunt victorias, occuparunt terras ampliſſimas, profanarunt Eccleſias, & renatos fonte baptiſmatis, magnos & parvos aut trucidarunt gladio, aut ſubmiſerunt jugo miſerabiliſſimæ ſervitutis; & hæc patrare crudeliùs aſſiduis niſibus non deſiſtunt, eorumque præſumptuoſa rabies adeò invaleſcit, quòd ſi celeriter non reſiſtatur eiſdem, non ſolùm ſpes recuperationis Terræ Sanctæ, pro qua Chriſtianiſſimi prædeceſſores tui præ ceteris Mundi Principibus laborarunt, ſubtrahitur, ſed timetur probabiliter de perditione omnium terrarum fidelium partiū Orientis.

31

31 „ Quare devotam ſublimitatem tuã, quæ libenter operibus pietatis intendit, obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, quatenus providè attendens, quòd ſubjectorũ amor eſt inexpugnabile munimentum, cùm populi pacem deſiderent, ut ipſi te, tuosque natos ampliùs diligant, ſi eam concedas eiſdem, & ab eis & aliis dignè vocaris valeas Princeps pacis; ob Dei reverentiam & miſerationem tui populi, ex aſſiduis guerrarum turbinibus agitati, ac compaſſione pereuntium partium ultramarinarum (ad quarum ſuccurſum, ut ſæpiùs à fidedignis audivimus, nonnullæ gentes armigeræ dictas guerras ſectãtos, & pugnare pro Chriſto ſaniori conſilio cupientes, in caſu ejuſdem pacis ſe libenter pro ſuorum commiſſorũ ſatisfactione transferrent) de modicis mundanis, nè impediant tantum bonum, regia liberalitate non curans, & eis Cœleſtia præferens, quam fœliciori commercio conſequaris, ut tantorum malorum ſis profugator mirificus; auctorque bonorum, tractator dictæ pacis (dante Domino) perpetua ſtabilitate manſuræ; quantùm in te fuerit perficere non omittas; nos enim Nunciis noſtris, exiſtentibus cum tractatoribus prælibatis, ſcripta noſtra dirigimus, ut ipſos ad hoc pro parte noſtra inſtantiùs exhortemur. *Datum Avenione v. Idus Februarii, Anno V.* Sed non diù poſt eidem Regi, ac etiam Eduardo Angliæ Regi, ad tenorem ſupradictorum, miſſo antefato Fratre Martino de Catalonia, ſcripſit ſequentes literas.

Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Franciæ Illuſtri.

32 Iis diebus cùm homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes, de Caſtello Ambianenſis Diœceſis, ut teſtimonium perhiberet de lumine, quòd in tenebris erat ortum, cum gratiſſimis novis de partibus Sarracenorum adveniens, noſtrſm præſentiam adiiſſet, ipſum ad tuam devotam ſublimitatem, talia nova, ut firmiter credimus geſtientem audire, cum noſtris literis celeriter duximus deſtinandum; & inter alia ſcripſimus, quòd dilectum filium Martinum de Catalonia, Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, tunc de dictis partibus venientem, de iis pleniùs informatum expectabamus de proximo, quem per nos plenè auditum, ad te celeriter mitteremus, ea quæ nobis expoſuiſſet, tuæ Celſitudini relaturus.

33 „ Nunc autem illo proſequente, qui tantæ ſuæ rei dedit initium, dictum Martinum, quem ex bono teſtimonio, nobis lato de ipſo reputamus veracem, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed ex mera puritate locutum, per nos miroſè, delectabiliterque auditum, expoſita per dictũ Joannem, licèt eum, ut aſſerit, & credimus, ultra mare non noſceret, comprobantem, & eum eo dilectum filium Nicolaum Malavenam Civem Vigintimilienſem, qui, ut retulit, captus olim à Sarracenis, & venundatus in ſervum, Chriſto Salvatore noſtro, & ejus fide dsmnabiliſſimè abnegatis, multis annis inter Sſrrſcenos permanſit, eorumque linguam, potentiam, ſtatum, & terras plenè ſe noſſe aſſerit, & in narratis per dictum Joannem & Martinum etiã concordantem, ad tuam præſentiam deſtinamus.

34 „ Dilecti quoque filii Nobiles Viri Corſeletus de Hamcuria miles, & Joannes Pelizon Domicellus Rhotomagenſis & Turonenſis Diœceſis, de Peregrinatione dictæ Terræ Sanctæ & aliarum ultramarinarum partium noviſſimè redeuntes, & aſſerentes ſe partes peragraſſe præfatas, & ſatis de præmiſſis ſentire, ea omnia concordi aſſertione confirmant, à quibus hæc poteris indagare. Ii ſiquidem, & etiam quidam alii in hoc uno concordsnt, quòd Sarraceni quamplurimi Terræ Sanctæ & Ægypti, neſcimus qua revelatione, ſeu cujus timoris incuſſione attoniti, aſſerunt legem execrabilem Mahometi de proximo defecturam, paſſagiumque fidelium, quos Francos appellant, nimia timiditate formidant; itaque timor ipſorum incubuit ſuper eos, quorum alii ad defenſionem, alii ad fugam, alii verò ad profeſſionem catholicæ Fidei ſe diſponunt; & illud, quod in dicta Terra Sancta Raab peccatrix dixit Joſue, tunc Duci Jsraelitici populi prælibati, videlicet: *Novi, quòd Dominus tradidit vobis Terram*, nnnc per ora multorum Sarracenorum ergà Chriſticolas aſſeritur ſæpiùs renovari.

35 „ De partibus quoque Africæ, in quibus adoratur idem impius Mahometus, quidam Chriſtianus diſcretus, videlicet, dilectus filius Nobilis Vir Aymarus Alphonſi miles Iſpalenſis, advenit pro certis ſpiritualibus gratiis Apoſtolicæ Sedis pro ſe, & nonnullis Chriſtianis commorantibus in eiſdem partibus obtinendis, & refert ſimilem timorem, & credulitatem proximę defectionis dictę execrabilis legis exiſtere in dictis partibus Africanis, & hoc ex antiquis Prophètiis, ſeu Aſtrologorum judiciis, aſſerunt ſe habere. Et licèt talibus non innitatur Apoſtolica gravitas, tamen non ſunt omnimodè reſpuenda, ſed notanda per fèrvidos Chriſtianos. Legitur enim in Scriptura Divina, quòd Madianitæ ſomnii revelatione perculſi, inferendum eis à Gedeone excidium præſenſerunt. Legimus etiam de Paſſagio glorioſiſſimo, & fœliciſſimo fidelium, cui præfuit quondam Gotfridus de Bulione, quòd quidam Petrus

„ Eremita dictæ Diœceſis Ambianenſis, qui
„ in ejuſdem Terræ Sanctæ partibus fuerat
„ ex devotione moratus, & Agarenorum con-
„ ditiones, & ſtatus noverat, licèt ſecundùm
„ ſæculum puſillus exiſteret, ſua prædicatio-
„ ne, & proſecutione promovit, & vidit fœ-
„ liciter conſumari. Sentimus quoque non-
„ nullas perſonas Deo devotas, & Divina,
„ ut piè credendum eſt, revelatione ad hu-
„ juſmodi paſſagium affici & anhelare, & ad
„ id noſtri Pontificatus officium facere exci-
„ tari.

36 „ Non eſt igitur negligendum, quòd
„ tantis bonis indiciis præſignatur, cùm non
„ ſit abbreviata manus Domini Dei Sabaoth,
„ quin poſſit etiam inſperata mirabilia ope-
„ rari. Et ſi quiſquam dicat, quòd propter
„ talium relatus non ſit paſſagium inchoan-
„ dum, tamen negare non debet, quin ſit
„ excitatione Apoſtolica ſuadendum: Sicut
„ enim de virgula tenui arbor prodit excelſa,
„ ſic ex parvis principiis ſæpè grandia ſub-
„ ſequuntur. Devoti quoque Principes chri-
„ ſtiani iis auditis, ſi Deus eis inſpiraverit
„ hactenùs, vel inſpiret, ad præſens velle &
„ poſſe conceſſerit ad paſſagium ultramari-
„ num in tempore opportuno intendere poſ-
„ ſunt & debent ab aliis iſta ſcientibus in-
„ quirere veritatem. Et ſicut Moyſes Dux
„ Iſraelitici populi ſpiritu Dei doctus & du-
„ ctus ex promiſſione divina ad eandem Ter-
„ ram poſſidendam cum dicto populo profi-
„ ciſcens, Joſue & Caleph ad ipſam Terram
„ & Statum ejus inquirendos occultè cauta
„ proviſione præmiſit, ſic poſſunt ſuos fidos
„ exquiſitores præmittere, & veritatem præ-
„ miſſorum ſubtiliter indagare, ut ſi repe-
„ riant ita eſſe, poſſint conſultiùs in hujuſ-
„ modi negotio dirigere actus ſuos.

37 „ Hæc igitur non ponenda ſub veſtræ
„ taciturnitatis modio, ſed ſuper Candela-
„ brum, ut ſaltem devotiſſimis Principibus,
„ ſuiſque ſecretis & prudentibus Proceribus
„ luceant, ingenti tuæ devotioni dignè provi-
„ dimus referanda, ut tuus ex iis inardeſcat
„ affectus, ad hujuſmodi opus Domini per
„ te, vel alium exequendum, ut bellorum
„ tuorum, quæ habes cum Chriſtianis præ-
„ pedia ſtudio ſubmoveas promptiori, & ut
„ examine liberatiori diſcutias ad quid ſit
„ potiùs intendendum, & quia ſit honor ce-
„ lebrior, quæ utilitas potior, & quia labor
„ glorioſior debeat regia deliberatione præ-
„ ferri, & an dimitti mundana modica pro-
„ pter Deum, ut ad ejus obſequium & ani-
„ marum ſalutem, non ad cupiditatem terre-
„ nam Regna in terris ampliſſima, & demùm
„ Cœleſtia acquirantur: Magnificentiam tuã
„ per aſperſionem Sanguinis Domini noſtri
„ Salvatoris cordialiùs obſecrantes; quate-
„ nus propter hujuſmodi ſanctiſſimi negotii
„ diſpoſitionem tam bonam, per eundem
„ Joannem, ut credimus, jam relatam, & per
„ præfatos Martinum & Nicolaum pleniùs
„ referendam, ad pacem, quæ inter te, &
„ Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum
„ Eduardum Regem Angliæ Illuſtrem tra-
„ ctatur, clementiùs & ferventiùs inducatis.
„ Et ſi pax ipſa ſequatur, de dicto negotio
„ Terræ Sanctæ, invocatâ Spiritus Sancti
„ gratiâ, incipias cogitare, prout idem ſpi-
„ ritus præcordiis tuæ devotionis infundet,
„ nobiſque referare digneris tuum propoſi-
„ tum, quod ſi ad hoc per te, vel alium exe-
„ quendum, Deo inſpirante, firmetur, nos
„ proſequemur conſiliis fidelibus, & favori-
„ bus opportunis; maximè cum ſentiamus
„ multos ſtatuum diverſorum ad præfatum
„ negotium aſpirare; eſt ſiquidem admira-
„ tione non vacuum, & ſpei erectivum non
„ modicæ, quòd tot diverſi viri fideles de
„ climatibus profecti diverſis, tempore tra-
„ ctatus dictæ pacis concurrant ad hujuſmo-
„ di paſſagium ſuadendum; & tu, & idem
„ Rex, & utriuſque veſtrum Proceres intel-
„ ligatis in dicta pace voluntatem Regis Re-
„ gum advenire clementer, & ipſam faciatis
„ libentiùs, liberaliùs, & celeriùs propter
„ ipſum; & bellum ejus aggrediendo avidiùs,
„ præmio, quod debetur pacificis, & corona,
„ quæ promiſſa eſt legitimè certantibus,
„ gaudeatis. Multi quoque, qui multa patra-
„ verunt execrabilia, in hoc bello Domini,
„ ut ſperandum eſt, per ipſius miſericordiam
„ purgarentur. *Datum apud Villamnovam*
„ *Avenionenſis Diœceſis* xv. *Kalendas Junii*,
„ *Anno V.* Ejuſdem tenoris ſunt datæ ad
„ Eduardum Angliæ Regem.

38 Cæterùm non tantùm hiſce literis curavit Pontifex præfatos in concordiam revocare Reges, ut revocati, faciliùs ſacra meditata expeditio executioni demandaretur, verùm & pacis Nuncios, Legatoſque ad eoſdem deſtinavit Pileum Archiepiſcopum Ravennatem, & Guillelmum Epiſcopum Carpentoratenſem, datis etiam literis ad Philippum Burgundiæ Ducem, pacis arbitrum; ſcribens inſuper pro fœdere ineundo contra Turcas Joanni Duci Lancaſtriæ Bituricenſi, Eduardo Aquitaniæ & Walliæ Principi, Eduardi Regis Angliæ Primogenito, Edmundo Comiti Cantabrigiæ, Thomæ Comiti Herefordiæ, Bertrando de Cliquino Comitiſtabulo Franciæ, Philippo de Mazeriis Cancellario Regni Cypri, aliiſque compluribus Principibus & Nobilibus. At, dùm huic expeditioni totus incumbit Gregorius, reverſi Nuncii, quos ſuperiori anno miſerat Conſtantinopolim Frater Thomas Bozolaſcus, & Frater Bartholomæus Cherrarii Ordinis Prædicatorum, & Minorum Profeſſores, retulerunt ea eveniſſe, quæ Gregorius in literis datis ad Imperatorem Græcorũ indicaverat, nimirum ex diſſenſione & ſchiſmate Græcorum, creviſſe Turcharum potentiam, & Urbem ipſam Conſtantinopolitanam factam eſſe

ſub

ſub tributo: Quibus auditis Pontifex mutato conſilio, cogitavit non tam agendum de recuperatione Terræ Sanctæ, quàm de cohibendo impetu Turchorum, nè Principatum Achajæ invaderent, aut Romaniam tranſirent vel Bulgariam. Quare dum Claſſem & militem mittere proponit, ſcripſit ad diverſos Principes, ut ſibi auxilio eſſent, inter quos etiam ad Joannam Reginam Siciliæ, miſſo Nuncio eodem Fratre Bartholomæo Cherracii, fecit tenoris ſequentis literas.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Joannæ Reginæ Siciliæ Illuſtri.

39 „ Placido auditu accepimus, quòd tua fervens devotio ad Chriſti ſervitia inardeſcens, multùm deſiderat ad Terram Sanctam paſſagium fieri generale, in quo ob reverentiam noſtri Salvatoris, qui in ea operatus eſt ſalutem humani generis, expones vires tuas, de quo devotionem eandem dignis in Domino laudibus commendamus. Verùm, chariſſima filia, cùm ſtatus Chriſtianitatis adeò in maligno ſit poſitus, quòd non videmus ad hoc præſenti tempore poſſe intendi, niſi operante illo, qui eſt omnipotens, & qui dixit, & facta ſunt, & ſæpiùs inſperata concedit, facitque mirabilia magna ſolus, appareret illa diſpoſitio, quæ non videtur ad præſens, & impii Turchi ſævi hoſtes nominis chriſtiani, non ceſſent Chriſtianos diverſarum partium aſſiduè impetere, ac ſubjicere ſuæ crudeliſſimæ ditioni, chriſtiana Fide, ſine qua non eſt ſalus, ſæpiùs abnegatâ; & Civitas Conſtantinopolirana dictis Turcis jam tributaria eſt, prout à pluribus fide dignis, etiam noſtris Nunciis, quos dudùm ad eam, & ejus Imperium direximus, & noviter reverſi ſunt, in magno periculo conſtituti, qua perdita, reputarentur omnes aliæ partes fidelium Orientis, & ipſi Turchi appropinguarent nimiùm Principatui Achajæ, & etiam Regno tuo; cùm de ſuccurrendo illis partibus non ſit ulteriùs habenda dilatio ad impediendum tranſitum Turcharum de Turchia in Romania & Bulgariam, nonnullas gentes armigeras de Fratribus Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, & de aliis fidelibus in bono numero, & quamplures Galeas, ſi tuum, & aliorum fidelium, ut ſperamus, tribuantur auxilia, intendimus deſtinare, iique omnes cum gratia Dei, & cum aliquali potentia dicti Imperatoris, aliorumque fidelium ultramarinorum, & citramarinorum, & cum beneficio indulgentiæ Crucis, ſecundùm opiniones dicti Imperatoris, aliorumque Peritorum in talibus ſperantur ſucceſſus proſperos adepturi; & quòd ita proſperetur iſtud Dei negotium, quod parabitur via ad dictum paſſagium generale, & quòd majus eſſet, per hunc ſuccurſum impendendum Græcis, ſperatur indubiè ipſorum converſio ad Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ unitatem, & aliter ipſa converſio obtineri non poteſt, quia plura Imperia, & Regna ſchiſmaticorum, ut membra caput veriſimiliter ſequerentur.

40 „ Quare pietatem tuam eximiam, ex parte Dei, cujus res agitur, & noſtra requirimus, & rogamus attentius, quatenus providè conſiderans, quod obviando dictis Turchis non ſolum opus præfatæ Fidei agitur, ſed dictorum Principatus, & Regni tranquillitati conſultius providetur, & quod facilius & expedientius eſt juvare periclitantes nè pereant, quàm tentare nunc recuperationẽ Terræ Sanctæ præfatæ, quæ longis temporibus eſt detenta; quodque ſi Turci in præfato Principatu, & terris ei vicinis, ac Inſulis ultramarinis prævalerent (quod abſit) omnis ſpes recuperationis dictæ Terræ Sanctæ procoldubio tolleretur, præfatam tuam devotionem ad hujuſmodi, & ſuccurſum velis, prout debes convertere, & de Galeis & aliis gentibus & navigiis & victualibus reginalis liberalitatis dexteram, prout de tua devotione confidimus, ad noſtram & aliorum ſolationem, & ſperamus, magnificè aperire; reſcribendo citò nobis, quid intendis facere in hac parte, ut iſtud ſanctum negotium certiùs & fœlicius, dante Domino) diſponatur.

41 „ Cæterum tuæ Serenitati volumus eſſe notum, quòd Claræ memoriæ Philippus Imperator Conſtantinopolitanus, cujus Principatus & Terras gubernas, dudum dum viveret, pro dicto negotio obtulit unam Galeam, & unum Signum bene Armata per eum tenenda, quamdiù dicta unio perduraret. Super quibus & aliis dependentibus ab eis, Celſitudini Regali latius exponendis; dilecto filio Bartholomæo Cherracii Ordinis fratrum Minorum profeſſori, in Sacra Theologia Magiſtro, Regenti in Conventu Avenionenſi, Apoſtolicæ Sedis Nuncio, latori præſentium, uni ex eiſdem Nunciis de iis pleniùs informato, velis fidem plenam adhibere. *Datum Avenione* VI. *Kal. Novembris*, *Anno* V.

Scripſit ſimul Archiepiſcopo Neapolitano, & Priori Conventus Ordinis Cartuſienſis, quatenus agerent cum præfata Regina, quòd Pontificiis poſtulationibus, cum facti executione præberet aſſenſum.

Venerabili Fratri Bernardo Archiepiſcopo Neapolitano, ac dilecto filio Joanni Priori domus Neapolitanæ Ordinis Cartuſienſis,

42 „ In favorem Catholicæ Fidei, cujus profeſſores de Ultramarinis partibus ab impiis Turcis nimium opprimuntur, & pro ſalutæ animæ, ac honore chariſſimæ in Chiſto filiæ noſtræ Joannæ Reginæ Siciliæ Illuſtris, ac tutela ſui Regni, tibi deſcribendo per eam decenti præſidio, ac ſubſidio contra eoſdem Turchas ſentimus ſecundum formam præſentibus incluſam, Veſtram igitur diſcretionem, quàm ad dictum negotium ardentèr affici credimus, exhortamur, mandantes, quatenùs præfatam Reginam & Magnates ſui Regni ſuper contentis in hujuſmodi literis noſtris, & aliis exponendis eidem Reginæ, & vobis, per dictum filium Bartholomæum Cherracii Ordinis fratrum Minorum Profeſſorem, in Sacra Theologia Magiſtrum, Apoſtolicæ Sedis Nunciũ, harum latorem, quantum poteris inducatis, dictoque Nuncio aſſiſtatis, conſiliis, & favoribus opportunis. *Datum Avenione VI. kal. Novembris Anno V.*

43 Eodem inſuper modo ſcripſit Gregorius per eundem fratrem Bartholomæum ferendas literas Nobilibus Viris Jacobo de Capro Comiti Camerario Regni Siciliæ, Ligorio Zurulo Logothetæ ac Protonotario, Angelo de Carolis magno Seneſcallo, Hugoni de Sancto Severino Domicello, ac Domino Sapenconiæ, Americo de Cavalcantibus, & Thomæ de Sancto Severino militibus Neapolitanis. Sed excitavit aliis quoque literis Ludovicum Ungariç Regem ad redintegrandam intermiſſam in auxilium Regis, ſeu Imperatoris Græcorum expeditionem, miſſis quoque ad eum Nunciis fratre Bonaventurura de Padua Ordinis Eremitarũ S. Auguſtini Magiſtro in Theologia, & Heſſone de Friburg. Præceptore Hoſpitalis ejuſdem loci: quæ quidem literæ ſic ſe habent.

Chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ Illuſtri.

44 „ Meminimus, fili chariſſime, quòd dudum devota Magnificentia tua defenſioni, & ampliationi Catholicæ Fidei, & impugnationi ſuorum hoſtium anhelanter aſpirans, & ſpecialiter adverſus Turchas Sævos hoſtes nominis Chriſtiani magnifice intendens procedere, literas ſuper prædicatione Crucis facienda in tuis Regnis à nobis per ſuos Nuncios impetravit. Sed audivimus, quòd adhuc (neſcimus ex quibus cauſis) dicta prædicatio nen eſt facta, nec contra Turcos eoſdem tuum Regalem Exercitum direxiſti: Credimus tamen, quòd non ſine magna cauſa hoc bonum diſtuleris, & quòd ad id efficiendum pro tempore tua devotio perſeveret.

45 „ Et propterea notificamus Magnitudini tuæ, quod dudum à pluribus fide dignis audito, quod iidem Turchi adverſus Chriſtianos, licèt Schiſmaticos nimiùm prævalebant, & quod Imperator Græcorum nimis oppreſſus à Turcis eiſdem, omnique auxilio deſtituto, factus erat eis Tributarius, & cum ipſis certam concordiam & colligationem inierat, quæ admodum periculoſa Chriſticolis reddebatur; Nos conſiderantes, qnòd de infidelium concordia confidendum non erat, & quòd Civitas Conſtantinopolitana aſſerebatur, prout erat, nihilominus in magno perditionis periculo conſtituta, qua perdita (quod Deus avertat] omnes aliæ Terræ fidelium ultramarinorum perditæ reputabantur, prout reputantur; ad inquirendum de eis veritatem, & ad confortandum Imperatorem præfatum ſuoſque ſubditos, & ad offerendum ei ſubſidium gentis armigeræ & galearum, per certos fideles oblatorum pro iſto negotio; ac inſuper, & principaliter ad exquirendum ab eis, ſi ad obedientiam & unitatem Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ redire volebant (quod tanquam maximum bonum plenis deſideriis affectamus) quatuor providos Nuncios anno præterito duximus deſtinandos.

46 „ Qui nuper reverſi ſunt, & periculum dictæ Civitatis & debilitatem potentiæ Imperatoris præfati, aliaque Chriſtianitatis pericula exinde proventura indubiè, nobis certius retulerunt: propter quæ nonnullas gentes armigeras de fratribus Hoſpitalis S. Joanni Hieroſolymitani, & de aliis fidelibus in bono numero, & quamplures galeas (ut præmittitur) Nobis oblatas, & alias per noſtram Cameram ſtipendiandas, ſi tuum & aliorum fidelium (ut ſperamus) tribuantur auxilia, quam citò fieri poterit intendimus deſtinare, & ſuper obedientia & reconciliatione Græcorum tale habemus reſponſum, quod ſi eis competens mittatur ſuccurſus, contentamur exinde.

47 „ Quare piatatem & magnificentiam regiam ex parte Dei, cujus Fidei negotium agitur in hac parte, inſtanter requirimus & cordialiſſime deprecamur, quatenus ad conterendos ſeu expellendos Turcos, qui ſunt in Romania, vel aliis partibus citra mare, utique tuo Regno ſatis vicinis, ut dicitur, illum Regalem exercitum, quem olim contra dictos Turcos deliberaveras mittere, vel ſaltem minorem ad beneplacitum tuum, quam citò poteris deſtinare digneris, Speramus enim in brachio virtutia Dei, qui iidem Turci (ut nobis aſ-

ſe-

„ ſcritur ab informatis de talibus) ſic inter
„ tuum & alterum aliorũ fidelium, qui erunt
„ ex parte maris exercitus conſtringentur,
„ quod ſperata victoria habebitur de eiſdem:
„ Super quibus & aliis dependentibus, tuo
„ culmini latius exponendis, dilectis filiis
„ Bonaventuræ de Padua Ordinis Eremita-
„ rum S. Auguſtini Magiſtro in Theologia,
„ & Heſſoni Præceptori de Friburg. Hoſpi-
„ talis ejuſdem Apoſtolicæ Sedis Nunciis la-
„ toribus præſentium, de his pleniùs infor-
„ matis velis fidem plenariam adhibere, *Da-
tum Avinione* IV. *kal. Novembris Anno V.*

47 Porrò conſtituit Gregorius, ut quingenti Equites Hoſpitalarii S. Joannis Jeroſolymitani ſuccinti totidem ſcutatis militibus, armiſque egregie inſtructi in Græciam trajicerent ad Græcos contra Turcicos impetus tutandos: qua de re encyclicis literis ad Hoſpitalarios Boemiæ Galliæ, Navarræ, Caſtellæ, Aquitaniæ, Angliæ, & Luſitaniæ datis, expoſuit pariter miſerandum Orientalium rerum ſtatum, Inſulas Ægei Maris ſubactas, everſum penè Græcorum Imperium, Turcarum vectigalem Conſtantinopolim factam Bulgariam, & Serviam quati, Armeniam Sarracenis, Turciſque cintam; hinc ad reſtituendam collabentem Religionem illos inſtruere arma juſſit, ut appetente anni hujus Seculi ſeptnageſimi ſeptimi vere, Mare trajicerent. Veneti præterea & pariter Genuenſes excitati ſunt, ut Claſſes ornarent in Turchas, data in hanc rem incumbendi commiſſione fratri Thomæ Patriarchæ Gradenſi, & Andreæ Archiepiſcopo Genuenſi: & quoniam viginti quinque Equites Hoſpitalarii cum totidem ſcutatis militibus è Caſtella, & aliis Regnis ſubmittendi erant, ideo & Henricum Regem, & alios Reges & Principes hortatus eſt Pontifex, ut bellico apparatui inſtruendo operam darent. Sed quæ ad præfatos Equites, Hoſpitalarios datæ ſunt literæ, quarum in prærecitatis literis fit mentio, ad hunc modum ſe habent.

Gregorius Epiſcopus &c. Hoſpitalariis Regni Boemiæ &c.

48 „ Ingentiſſima damna aliaque mala
„ animarum & corporum, non abſque flebi-
„ li memoratu fidelium recitanda, quę eve-
„ nerunt propter Chriſtianorum negligen-
„ tiam in graviſſimum diſpendium Fidei
„ Chriſtianę commiſſam, piget & pudet re-
„ colere; Sed id cogit urgens neceſſitas, ut
„ oſtenſis negligentiæ culpis, & infeliciſſi-
„ mis eventibus ſubſecutis, ex eis ipſæ cul-
„ pæ horreantur deteſtabilius, & promptio-
„ ribus animis poſſibilis emendatio præbea-
„ tur. Eſt ſiquidem notiſſimum, quod olim
„ etiam de multorum memoria, impii Tur-
„ chi perſecutores nominis Chriſtiani, non
„ inventa reſiſtentia ſufficienti Fidelium,
„ poſt diſſipationem multarum Inſularum,
„ quæ fertiles erant, & inhabitatæ per po-
„ pulos Chriſtianos, invaſerunt, occupa-
„ runt, & detruxerunt fere totum glorioſum
„ Imperium Romaniæ, & ſibi tributarium
„ effecerunt, abductis abinde in ſervitutem
„ miſerrimam infinitis perſonis utriuſque ſe-
„ xus, quas ad terras ſuas abducere volue-
„ runt: nuncque Imperium Bulgariæ, & Re-
„ gnum Serviæ, aliaſque partes dictorum
„ Chriſtianorũ crudeliter impetere aſſerunt.
„ Civitas quoque glorioſa Conſtantinopoli-
„ tana, & ejus Imperator Illuſtris adeò ſunt
„ arctati à Turcis eiſdem, quod non ſolum
„ eis tributarii facti ſunt, ſed fere in eorum
„ manibus conſiſtunt, niſi ipſi per auxilium
„ Fidelium Occidentalium celeriter ſuccur-
„ tur: Regnumque Armeniæ minoris, uti-
„ que Chriſtianum, poſitum inter Sarrace-
„ nos & Turcos eoſdem, jam longis tempo-
„ ribus auxilium Fidelium Occidentalium
„ etiam minimum non præſenſit: propter
„ quod paulatim, & quaſi totaliter in manus
„ decidit Imperium.

49 „ Præmiſſis igitur & nonnullis aliis
„ utilibus, & neceſſariis cauſis circa iſtam
„ materiam, quæ conſultius præſentibus
„ ſubticemus, matura deliberatione dige-
„ ſtis, ad laudem Dei, defenſionem, & di-
„ latationem dictæ Fidei, gloriam & hono-
„ rem Romanæ Eccleſiæ, animarum veſtra-
„ rum ſalutem, & Religionis veſtræ refor-
„ mationem, ac augmentum in ſpirituali-
„ bus & temporalibus, dante Domino pro-
„ venturum auctoritate Apoſtolica duximus
„ Ordinandum, ut quinginti fratres milites
„ dicti Hoſpitalis & totidem eorum ſcutiferi
„ tempore veris anni Nativitatis Domini
„ milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi
„ ad partes Romaniæ præſatas debeant tranſ-
„ fretare, in eiſdem partibus ad dictæ Sedis
„ beneplacitum permanſuri, & geſturi bel-
„ lum contra Turcos, prout per dilectos fi-
„ lios Magiſtrum & Conventum Rhodi dicti
„ Hoſpitalis, & alios Præſidentes & Conſilia-
„ rios ad hoc deputandos pro tempore provi-
„ de diſponetur &c. *Datum Avenione* VI. *Idus
Decembris, Anno* V.

50 Poſt hæc verò à Genuenſibus ſuſcepta eſt Sacra adverſus Turcos expeditio, quoniam Imperio Conſtantinopolitano in diſcrimen adducto, etiam Peræ Genuenſium Coloniæ exitium de proximo minitabatur: Unde Gregorius hoc illorum ſtudium multis laudibus extulit, & Archiepiſcopo Genuenſi curam commiſit, quatenus pro præſata expeditione facienda ſedulò incumberet, quem per literas, ut refert Raynaldus ad annum Domini MCCCLXXVI. Sub num. 23. ſic eſt allocutus: „ Pro parte ipſorum Ducis & Com-
„ munis nuper fuit nobis reverenter expoſi-
„ tum, quòd ipſi dictæ Fidei fervore ſucceſ-
„ ni, vexationibus & labenti conditioni Cõ-
ſtau-

Digitized by Google

„ ſtantinopolitanæ, & aliarum terrarum, & „ partium Orientalium, quæ eſt per aliquos „ non ſanè de Fide ſentientes, nominis ta- „ men Domini noſtri Jeſu Chriſti veneratores „ obtinetur, pio compatientes affectu, ad „ eorum partium & terrarum, quas (proh do- „ lor!) vehemens immanium Chriſtiani no- „ minis blaſphemorum Turcorum & Pagano- „ rum illos exterminare, & ſuæ infamiæ ſub- „ jicere fatagentium furor invaſit, auxilium „ & ſuccurſum nonnulla Navigia & Galeas, „ Viris pugnatibus armata, & aliis neceſſa- „ riis communita, cum Dei (cui res agitur) „ auxilio, proponunt adveniente opportuni- „ tate temporum de proximo deſtinare, & „ inibi retinere: quare nobis pro parte dicto- „ rum Ducis & Communis fuit humiliter „ ſupplicatum, ut eos in hujuſmodi laudabi- „ li & pio propoſito eorum, cum expedienti „ ſuffragio adjuvare de liberalitate Apoſtoli- „ ca dignaremur. Nos igitur hujuſmodi præ- „ fatorum Ducis & Communis Catholicum „ & Viris fidelibus dignum propoſitum mul- „ tipliciter in Domino commendantes, & il- „ lud (prout ardua temporis conditio pati- „ tur) opportunis favoribus confoventes, „ eorum in hac parte ſupplicationibus incli- „ nati, Fraternitati tuæ, de qua in his & „ aliis plenam in Domino fiduciam obtinen- „ tes, per Apoſtolica ſcripta committimus „ & mandamus &c. *Hæc Gregorius*, mandans inſuper eidem Archiepiſcopo, ut quæ malè parta fuerint, de quorum Dominis non conſtaret, uſque ad vigintiquinque aureorum millium ſummam, in Claſſis apparatum contra Infideles inſtruendæ, derivare poſſit. Datæ ſunt literæ Avinione VI. Idus Martii, Anno VI. Verùm Pontificis obitus, ac ſubſecutum in Sancta Romana Eccleſia Sævum Schiſma, rebus Orientalibus maximi detrimenti fuit, ut infra.

CAPUT II.

Pro Gregorii XI. obitu, Urbani VI. Electione, ſubſecuto inde Schiſmate, atque intermiſſa Sacra expeditione.

51 ANno Domini MCCCLXXVI. Caroli IV. Imperatoris Occidentis, Anno XXXI. Joannis Palæologi Imperatoris Orientis Anno XXXVI. Gregorii XI. Pontificatus Anno VI. Indictione XIV. deficientibus ab obedientia Romanæ Eccleſiæ, atque ab ejus ſe ſubducentibus juriſdictione compluribus Civitatibus, Locis, & Terris Eccleſiaſticæ ditionis, à Florentinis rebellibus, ſub ſpe libertatis excitatis, idem Gregorius hortatu præcipuè Sanctæ Catharinæ Senenſis, Romam petere, atque eidem Urbi Pontificiam Sedem reſtituere, decrevit, ut ſua præſentia diſſidia componerentur univerſa, & deficientes populi ad debitam revocarentur obedientiam; Quare paratis ad tale iter conficiendum neceſſariis, die XIII. menſis Septembris prælibati Anni iter ſuum arripuit, venitque Maſſiliam, ubi repertis Galeis & Navigiis ſufficientibus, ingreſſus cum ſuis, in Italiam ſolvit: „ In die decimatertia menſis Septemb. Anni MCCCLXXVI. „ (ait Auctor Vitæ ejus apud Boſquetum) „ de Avenione receſſit, iter ſuum arripiendo „ versùs partes memoratas cum Dominis „ Cardinalibus, ſex dumtaxat exceptis, qui „ Avenione remanſerunt; intravitque Mare „ in Maſſilia, ubi invenit Galeas & Navigia „ ad ſufficientiam pro ſe, & concomitanti- „ bus eum; & ab inde progreſſus eſt, dictum „ iiium iter proſequendo, in quo multas tur- „ bationes habuit, ac pericula plurima in- „ currit propter Mare, & temporis indiſpoſi- „ tionem, quæ quaſi continuè duravit, do- „ nec applicuit in Corneto, ubi tenuit fe- „ ſtum Nativitatis Domini & ſubſequentia „ feſta. *Hæc ille*.

52 „ Conſentit S. Antoninus 3. part. tit. 22. cap. 1. §. 5. ubi hæc ſcribit: „ Anno „ autem Domini MCCCLXXVI. Grego- „ rius XI. Pontifex Romanus in Italiam re- „ dire conſtituit, putans multùm profutu- „ rum, ſi ipſe præſens auctoritate ſua rebus „ gerendis adeſſet. Habere ſe Copias ſatis „ arbitrabatur Anglorum, Brittonumque, „ quæ famoſiores habebantur in tota Chri- „ ſtianitate, Amicoſque Eccleſiæ per Italiam „ ſupereſſe, quas omnes augere, excitareque „ ſuo adventu cupiebat. Hac igitur ratione „ ductus, & indignatione faucius, per Au- „ tumni tempus, ex Gallia movens, multis „ navibus Italiam petere contendit. Ejus na- „ vigatio difficilis fuit, ſæpiùſque diſſipata „ Claſſis, itaut Januæ, Liburni, & circa ea „ loca diutiùs detineretur. *Hæc Antoninus*, qui enarrato univerſo itinere, ſubjungit, applicuiſſe Cornetum, ex quo ſe movens, Romam perveniſſe die XVII. Januarii, ineuntis Anni MCCCLXXVII. ubi exacto Anno in morbum incidit, videnſque ſe morti propinquus, de ſucceſſoris electione ſolicitus, nonniſi inſpirante Numine, ſequentem edidit Conſtitutionem.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

53 „ Periculis & detrimentis graviſſimis, „ quæ Eccleſiæ Sanctæ Dei ex longa vaca- „ tione propter guerras ingruentes, & ea- „ rum occaſione, & alias quamplures cauſas „ poſſent accidere, ſalubri remedio obviare „ cupientes, auctoritate Apoſtolica tenore „ præſentium Irrefragabiliter ſtatuimus, & „ etiam ordinamus, quòd ſi hinc ad Kalen- das

Digitized by Google

„ das Septembris proximè futuras, contin-
„ gat nos decedere, Sanctæ Eccleſiæ Cardi-
„ nales tunc in Romana Curia præſentes, ſeu
„ major pars, abſentibus non vocatis, nec
„ aliquatenùs expectatis, poſſint licitè quem-
„ cumque locum aliàs honeſtum voluerint,
„ eligere ſive intra, vel extra Urbem, etiam
„ minoris partis præſentium, contradictio-
„ ne non obſtante, pro electione futuri Sum-
„ mi Pontificis immediatè ſucceſſoris noſtri
„ hac vice facienda, recipere & habere, &
„ tempus Cardinalibus præfixum ad expe-
„ ctandum Cardinales abſentes, antequàm
„ ad electionem Summi Pontificis proce-
„ dant, & Conclave pro eligendo ingredian-
„ tur, abbreviare, vel prolungare, vel in to-
„ tum tollere, prout ipſis, vel majori parti
„ ipſorum videbitur expedire, locumq; præ-
„ dictum electum & receptum ſemel, vel plu-
„ riès mutare, aliumque de novo recipere,
„ & ſin eò quòd aliquod Conclave ingre-
„ diantur, liberè eligere, prout ipſis, vel
„ majori parti ipſorum videbitur opportu-
„ num, minori parte non conſentiente, ſeù
„ etiam contradicente; dantes & conceden-
„ tes auctoritate Apoſtolica, & de plenitu-
„ dine poteſtatis, prædictis Cardinalibus
„ præſentibus, ſeù majori parte ipſorum,
„ omnem poteſtatem & auctoritatem eligen-
„ di Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Sum-
„ mum Pontificem nobis immediatum ſuc-
„ ceſſorem; ſtatuentes ac decernentes aucto-
„ ritate Apoſtolica, & de plenitudine pote-
„ ſtatis, ut ille, qui à prædictis Cardinali-
„ bus in Romana Curia præſentibus, vel ma-
„ jori parte, numero ipſorum minori parte
„ etiam non conſentiente vel contradicente,
„ in Papam, & Romanum Pontificem electus
„ fuerit, Sanctæ Romanæ & univerſalis Ec-
„ cleſiæ Summus Pontifex & Paſtor abſque
„ ulla exceptione ſit, & habeatur r prædicto-
„ rum Cardinalium conſcientias de eligendo
„ bono Paſtore onerantes, & ipſos obſecran-
„ tes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri,
„ ipſiſq; nihilominùs injungentes diſtrictiùs,
„ & ſub pœnis juris, quòd in præmiſſis purè,
„ ſimpliciter, abſque omni fraude, ac celeri-
„ ter quantùm poterunt, ſecundùm Deum,
„ & eorum conſcientias procedere non poſt-
„ ponant; Conſtitutionibus prædeceſſorum
„ noſtrorum Romanorum Pontificum, con-
„ trariis non obſtantibus quibuſcumque, quas
„ in quantùm præmiſſis obviant, vel alicui
„ præmiſſorum, volumus pro iſta vice pro
„ infectis haberi. Ipſas tamen, & ipſarum
„ modificationes alias volumus in ſuo robo-
„ re permanere. Nulli ergò hominum li-
„ ceat &c. *Datum Romæ apud Sanctum Pe-*
„ *trum* XIV. *Kalendas Aprilis*, *Pontificatus*
„ *noſtri Anno VIII.*

54 Meditaverat Gregorius proximo Autumno Avenionem repetere, ac proinde hanc limitavit conſtitutionem, ſivè valituram voluit in caſu, quòd ipſe deceſſiſſet ante Kalendas Septembris proximè futuras. Hinc paulò poſt editam, decedente Pontifice ſparſi ſunt in Urbe rumores, ejus mortem divinitùs acceleratam, ut ita in Urbe Apoſtolica Sedes fixa hæreret; licèt effectu probante per ejus mortem & Eccleſia, & Fides paſſæ fuerint graviſſima diſcrimina, tum propter ſubſecutum ſchiſma, cùm propter Wicleffi hæreſiarchæ ſparſa impia dogmata, quæ nonniſi in Concilio Conſtantienſi extirpari, comprimi, & damnari potuerint. Cæterùm paucis poſt diebus ab hac ædita conſtitutione deceſſit Gregorius XI. nimirum Kalendas Aprilis, videlicet die XXVII. menſis Martii, de cujus obitu ſupra fatus ejus vitæ Scriptor, ait:
„ Memoratus Gregorius Papa à diù ante ſa-
„ tis debilis & valetudinarius, ac gravi in-
„ firmitate detentus, devotè receptis Eccle-
„ ſiaſticis Sacramẽtis cùm magna cordis con-
„ tritione, prout Domino placuit, die XXVII.
„ menſis Martii, Anni prædicti LXXVIII. in
„ pace quievit: fuitque primò Corpus ejus
„ delatum ad Eccleſiam Beati Petri: & ibi
„ pro eo ſolemnibus exequiis celebratis, in
„ craſtinum translatum & ſepultum in Ec-
„ cleſia Beatæ Mariæ Novæ, in qua priùs
„ Cardinalis exiſtens fuerat intitulatus. *Hæc ille*; ſubnectens præfati Gregorii obitum in cauſa fuiſſe, nè tractatus de componenda inter Pontificem pace & Florentinos Eccleſiæ rebelles, perfectionem habuerit, id quòd viam multis malis aperuit & ſcandalis, quæ poſtea ſubſecuta ſunt.

55 De Gregorii porrò moribus idem auctor tractans compendioſè, hæc ſcribit: „ Ipſe
„ multùm dilexit ſuos, præſertim Patrem,
„ Fratres, & Nepotes, & alios de domo &
„ genere ſuo prodeuntes, quos, licèt denuò
„ non exaltaverit, cùm priùs per Patruum
„ ſuum Clementem Papam VI. ſublimati
„ fuiſſent, tamen ipſos in ſuo ſtatu hujuſmo-
„ di conſervavit, ſecumque tenuit, ac eo-
„ rum conſilio, & iuſtigatione multa fecit,
„ præſertim in promotionibus nonnullorum,
„ quibus ſufficientiores in moribus, & ſcien-
„ tia forſitan reperiri potuiſſent. Fuit tamen
„ aliàs multùm virtuoſus, Deo & Beatæ
„ Mariæ Virgini ſingulariter devotus, qui-
„ bus preces aſſiduas omni die cum magnis
„ fervore & intentione effundebat. Fuit in-
„ ſuper pauperum, & afflictorum pius ſuſten-
„ tator, conſolator, & largifluè benefactor.
„ Dilexit etiàm ſingulariter viros literatos,
„ multoſque ex ipſis ſuo tempore promovit,
„ & exaltavit quandiù Eccleſiæ præfuit.
„ Quaſi continuè mentales anxietates ha-
„ buit propter turbationes, quæ eidem Ec-
„ cleſiæ ſuo tempore contigerunt, quibus
„ quantùm potuit cum omni diligentia ob-
„ viavit: Sed plenè non valens occurrere,
„ etiam non minùs afflictus eſt in perſona,
„ quàm gravella adeò gravavit, quod dies

ſuos

Digitized by Google

„ ſuos in magna parte minoravit. *Hactenus*
„ *ille*. Vixit ergo Gregorius in Pontificatu,
Annis VII. menſibus III. uno & altero diebus
demptis: quoniam creatum diximus
die xxx. Decembris, Anni MCCCLXX.
cùm verò deceſſerit die xxvII. Martii Anni
MCCCLXXVIII. ſequitur ſediſſe Ann. VII.
& menſibus tribus nondùm plenè abſolutis.

56 Notat idem Scriptor, Gregorium,
quando, obiit nondùm attigiſſe ſexageſimum
ſeptimum ſuæ ætatis annum, in quo longè
aberrare videtur, niſi error ſit librariorum in
numero: quoniam veriùs non complevit Gregorius
annum ſuæ ætatis quadrageſimum
octavum, ſicut enim idem Auctor in Clementis
VI. vita ſcribit, præfatus Gregorius ab
eodem Clemente avunculo ſuo abſcriptus
fuit in Cardinalium numero, Anno Domini
MCCCLVIII. cùm nondum annum octo decimum
ſuæ ætatis complevitſſet: „ Anno
„ prædicto quadrageſimo octavo, *inquit*,
„ menſe Maii extra quatuor tempora dictus
„ Papa aſſumpſit in Diaconum Cardinalem
„ Petrum nepotem ſuũ ex fratre, Sedis Apo-
„ ſtolicæ tunc Notarium, qui tunc erat
„ valdè juvenis, & teneræ etatis, cùm judi-
„ cio communi nondùm annum octodeci-
„ mum complevitſſet. *Hæc ille*. Cùm verò
Anno Domini MCCCLXX. electus fuiſſet
in Ponticem Romanum, deceſſiſſe verò Anno
MCCCLXXVIII. ſequitur nondum exacto
Anno XLVIII. ſuæ ætatis ex hac vita
migraſſe. Et hic præſtat obiter notare quàm
brevis ſit Romanotum Pontificum vita, cùm
poſt Sanctum Petrum, qui per quinque circiter
annorum luſtra præſedit, nemo poſtmodùm
Romanorum Pontificum hoc ſpatium
Præſulatus æquaverit. Cauſam hujus rei ſciſcitanti
Alexandro Secundo Romano Pontifici,
conſignavit Beatus Petrus Damianus
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Epiſcopus
Oſtienſis in Opuſculo 23. eidem Pontifici
oblato, ſub titulo, *de Brevitate vitæ
Romanorũ Pontificum, & Divina Providentia*,
ubi cap. I. hanc tractat materiam, quod nos
ex eo exſcriptum hic ſubiicimus.

*Cur Romanorum Pontificum
vita brevis ſit.*

57 „ Aliquandò certè, ſi ritè teneo,
„ *inquit*, à me ſolicitè requiſiſtis, quæ mihi
„ cauſa videretur, cur Apoſtolicæ Sedis
„ Antiſtes nunquam diutiùs vivat, ſed intrà
„ breve temporis ſpatium diem claudat ex-
„ tremum, adeòut poſt Beatum Petrum
„ Apoſtolum, qui per quinque circiter an-
„ norum luſtra præſedit, nemo poſtmodùm
„ Romanorum Pontificum hoc ſpatium Præ-
„ ſulatus æquaverit: modernis immò tem-
„ poribus vix quiſpiam in prædictæ Sedis
„ culmen evehitur, qui metam quatuor,
„ vel ut multùm, quinque traſcendat anno-
„ rum. Quod conſiderantibus prodigialis,
„ ut ità loquar, ſtupor oboritur, quoniam
„ hæc breviter vivendi neceſſitas, quantùm
„ ad noſtram notitiam, in nulla alia totius
„ orbis Eccleſia reperitur.

58 „ Sed in quantùm mortalibus, Di-
„ vinæ diſpenſationis revelatur Arcanum,
„ videtur nobis, quià idcircò hoc judicii
„ Cœleſtis Ordo diſponit, ut humano generi
„ metum mortis incutiat; & quàm deſpi-
„ cienda ſit temporalis vitæ gloria, in ipſo
„ gloriæ Principatu evidenter oſtendat;
„ quatenus dum præcipuus hominum tam
„ anguſti temporis compendio moritur,
„ tremefactus quiſque ad præſtolandi ſui obi-
„ tus cuſtodiam provocetur, & arbor hu-
„ mani generis, dum cacumen, ac verticem
„ ſuum tàm facilè corruiſſe conſiderat, flatu
„ concuſſa formidinis, in ſuis undique ra-
„ muſculis contremiſcat.

59 „ Sed quiſpiam fortaſſis obiiciat, cur
„ & Regibus hæc eadem vivendi brevitas
„ non occurrit? Nam & Octavianus Augu-
„ ſtus, quo imperante, Salvator Mundi de
„ Virgine naſci, & David Rex, de cujus
„ ſtirpe dignatus eſt propagari; alter quin-
„ quaginta ſex, alter quadraginta annorum
„ curricula in regali faſtigio floruerunt: poſt
„ quos & alii videlicet utriuſque Regni Prin-
„ cipes, & ſi miraculosè, non tamen ad in-
„ ſtar Romanorum Pontificum breviſſimâ re-
„ gnaverunt temporum quantitate.

60 „ Ad quod facilè reſpondetur: quià
„ cùm unùs omni Mundo Papa præſideat,
„ Reges autem plurimos in orbe terrarum
„ ſua cujuſque regni meta concludat, quià
„ quilibet Imperator ad Papæ veſtigia cor-
„ ruit, tanquam Rex Regum & Princeps
„ Imperatorum, cunctos in carne viventes
„ honore, ac dignitate præcellit. Unde quo-
„ libet Rege defuncto, adminiſtratione ejus
„ Regnum tantummodo, cui præerat; de-
„ ſtituitur. Cùm verò Sedis Apoſtolicæ Pon-
„ tifex moritur, univerſus, tanquam com-
„ muni Patre Mundus orbatur. Quid enim
„ Africa de Regibus Aſię, aut quid Æthyo-
„ pia de Principibus ſentit Heſperiæ? Nam,
„ ſivè moriantur, ſivè vivant, quia procùl
„ à ſe remoti ſunt, utrumque indifferenter
„ ignorant.

61 „ Eſt aliud, cùm mors cujuslibet
„ Regis non magnoperè ſit terrori, quoniam
„ ſæculares Principes, qui turbis populari-
„ bus præſunt, ſæpè gladiis perimuntur.
„ Nam ut de multis paucos adhibeam, Cajus,
„ Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitel-
„ lius, omnes iſti Imperatores per conti-
„ nuam ſunt ſeriem unus poſt alter princi-
„ pari, & excepto Claudio, cuncti ſunt,
„ vel ſuis, vel hoſtilibus gladiis interempti.
„ Poſtmodùm quoque, ſicut Romana tradit
„ Hiſtoria, Macrinus, Antoninus, Alexan-
„ der, Maximus, Gordianus, Gallus, Vo-
luſia-

„ luſianus, omnes hi ſeriatim ſibimet per „ continuum ordinem ſuccedentes, gladio „ trucidante, proſtrati ſunt. Sæculares ergo „ Principes, quia diverſæ mortis caſibus ex- „ ponuntur, cor audientium exitu non atteri- „ tur. Papæ verò vita, quia ſola naturalis „ obitus lege concluditur, ejus ex hac vi- „ ta tranſitu, ſine gravi formidine non „ auditur.

62 „ Porrò quia terreni Principes regni „ ſui quiſque, ut dictum eſt, limitibus in- „ cluduntur, cauſa non eſt, cur per alienas „ Mundi Provincias eorum obitus diffunda- „ tur. Papa verò, quia ſolus eſt omnium Ec- „ cleſiarum univerſalis Epiſcopus, cùm luce „ privatur, mors ejus per ampla terrarum „ Regna diffunditur. Et ſicut Sol, quia ſo- „ lus lucet, ſi Eclypſim fortè ſuſtineat, præ- „ ſtò neceſſe eſt, ut tenebras totus ubique „ Mundus incurrat; Sic Papa cùm ex hac vi- „ ta recedit, illicò, quia unus in Mundo eſt „ longinqua Regnorum ſpatia mortis ejus „ fama percurrit: Et conſequens eſt, ut quos „ tam ſublimis, ſingulariſque perſonæ caſus „ obturbat, propriæ quoque vocationis exi- „ tum tremefactis viſceribus expaveſcant. „ Ubi notandum, quàm velit omnipotens „ Deus Romani Pontificis vitam hominibus „ in ædificatione prodeſſe, cujus etiam mor- „ tem decrevit ſaluti gentium miniſtrare. „ Quanto ſtudio debet lucris animarum, „ dùm advivit inſiſtere, cujus etiam mors „ pervidetur ad Creatorem ſuum animas ho- „ minum revocare, ut dùm ſe Patrem Orbis „ eſſe conſiderat, ab inculcanda tot filiis hæ- „ reditate non tepeſcat. *Hactenus Petrus* „ *Damianus*.

63 Cæterùm ad Gregorium revertentes, hic Ordinem Fratrum Minorum ſummè dilexit, quem in diverſis ab eo editis conſtitutionibus plurimùm laudibus extollit, ac præcipuè in ea, quam pro reformatione auctoritatis Domini Cardinalis Protectoris, ſive moderatione edidit, ſub datis apud Pontem Sergiæ Avenionenſis Diœceſis VI. Kal. Julii, Anno III. ubi hæc præmittit: „ Cunctos Chri- „ ſtifideles, ſuper quibus curam, ex debito „ officii Summi Pontificatus gerere obliga- „ mur, per Præſidentes eiſdem ſic charitati- „ vè, ſicque providè, ac juſtè cupimus gu- „ bernari, quòd illi in viam mandatorum „ Domini dirigantur, & ii ex merito præſi- „ dialis ſolicitudinis uberiùs ſupernæ remu- „ nerationis præmium nanciſcantur, ſed hoc „ nimirum in illis deſideramus ardentiùs, & „ affectuoſiori ſtudio procuramus, quorum „ alii à mundanis abſtracti, & gravibus pœ- „ nitentiis dediti, Cœleſtibus inhiant, & „ ad illas per contemplationis pennas ſua- „ viùs & altiùs elevantur, ut Aquilæ, & cum „ Maria parte optima perfruuntur. Alii ve- „ rò ſanctam ſolicitudinem Marthæ ſectan- „ tes celebrationi Divinorum vacant ſoler- „ tiùs. Alii diſcunt & docent Dei ſcientiam, „ & alii plebem inſtruunt in eadem, aliique „ ferventioris ſpiritus ardore ſucceńſi, non „ timentes, ſed amantes barbaras nationes, „ ad illarum converſionem pergunt intrepidi, „ ut valeant ad Dominicam aream multos aſ- „ ferre manipulos, & de talentis eis creditis „ Domino bonam reddere rationē. Hi profe- „ ctò ſunt Fratres Ordinis Minorum in Dei „ Eccleſia multiplicibus ſplendoribus radian- „ tes; quorum ſonus prædicationis, & ſan- „ ctitatis opera præ ceteris Religionum pro- „ feſſoribus uſque ad extremum terræ noſci- „ tur exiviſſe. Hi ſunt, quos Deus numero „ multiplicavit, & meritis, quibuſque ſicut „ & aliis benè currentibus in ſtadio militan- „ tis Eccleſiæ, æternum bravium, quod cer- „ taturi apprehendere ſatagunt, elargitur: „ & propterea nos de ipſis dignè curam vigi- „ lem gerimus, ut eos in iis ſanctis operibus „ nil impediat, nil perturbet, ſed ipſi oppor- „ tunè quietis dulcedine potiantur. *Hæc Gregorius*, à quo Seraphicus Minorum Ordo plura indulta obtinuit & Privilegia, ut videre eſt apud Wadingum in Regeſto Pontificio ad calcem tom. 4. Nonnulla quoque privilegia conceſſit Religioſis Terræ Sanctæ, inſtante Fratre Martino de Aragonia, cujus in ſuperioribus meminimus, & primùm conceſſit, ut lapſi in fide, ſive per hæreſim, ſive per illius abnegationem, & falſis ſectis adhæſione, ſi verè pœnitentes exiſterent, poſſent abjuratis erroribus abſolvi, & Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio coadunari. Extat Bulla in Archivio Sacri Montis Sion, incipiens: *Sicut de damnabili devio*. Data Avenione VII. Kal. Decembris Anno V. quam recitare omitto, cùm ex Regeſto Vaticano ſit exhibita à Wadingo ad Annum Domini MCCCLXXV. num. 28. Sicut & aliam ſimilem, incipien. *Inter ſolicitudines*, data pariter Avenione IV. Kal. Januarii Anno V. quam ſub num. 37. recitat. Dabo tamen duas Bullas ex eodem Sacri Montis Sion Archivio, à Wadingo omiſſas, quarum una concedit Miniſtro Terræ Sanctæ, & Guardiano Sacri Montis Sion facultatem retinendi ad tempus, vel in perpetuum Peregrinos cum Apoſtolica auctoritate venientes devotionis gratiâ in Terram Sanctam: In altera verò licentiam impartitur, ædificandi Eccleſiam, & Domum apud Bethlehem propè Cappellam Sancti Nicolai: Prima ergo ad hunc modum ſe habet.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Miniſtro & Cuſtodi Terræ Sanctæ ac .... Guardiano loci de Monte Sion Hieroſolymitano ; necnon Martino de Aragonia, & Gerardo de Lineyo Ordrnis Fratrum Minorum Profeſſoribus, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem .

64 „ De Religioſa diſcretione veſtra ge-
„ rentes in Domino fiduciam ſpecialem , vo-
„ bis , cuilibet veſtrum præſentium auctori-
„ tate concedimus , quòd devotis perſonis
„ utriuſque ſexus , cujuſcumque ſtatus , Or-
„ dinis , vel conditionis exiſtant, ad Terram
„ Sanctam cũ licentia Apoſtolicæ Sedis jam
„ profectis , & pro tempore declinantibus ,
„ ac affectantibus causà devotionis in ea re-
„ manere in perpetuum , vel ad tempus , de
„ quo diſcretioni veſtræ videbitur , habita
„ tamen priùs idonea informatione de con-
„ ſtantia fidei , honeſtate vitæ , & converſa-
„ tione ipſorum laudabili, liberam licentiam
„ concedendi . Non obſtantibus Apoſtolicæ
„ Sedis , vel aliis prohibitionibus quibus-
„ cumque , plenam concedimus tenore præ-
„ ſentium facultatem . Volumus tamen, ut ſi
„ hujuſmodi perſonæ Religioſæ fuerint , ſuo-
„ rum Prælatorum ad hoc accedat licentia &
„ aſſenſus. *Datum Avenione ſeptimo Kalendas*
„ *Decembris, Pontificatus noſtri Anno V*. Altera verò eſt .

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei , dilecto filio Martino de Aragonia Ordinis Fratrum Minorum Profeſſori , ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem .

65 „ Inter cunctos Ordines in Domo
„ Domini militantes , illud de benedictione
„ Cœleſti, Ordini Fratrum Minorum, & ipſis
„ Frattibus ad laudes ſpeciales adſcribitur ,
„ & Magiſtra Rerum experientia manifeſtat ,
„ quòd ipſi Fratres ubique locorum , in qui-
„ bus degunt , fideles populos ad ſalutis gra-
„ tiam ſuis prædicationibus & exhortatio-
„ nibus evocant , & infideles invitant , ſibi
„ ipſis profitentes per vitæ meritum , & aliis
„ per exemplum .
66 „ Sanè exhibita nobis pro parte tua
„ petitio continebat , quod ex devotione ,
„ quam habes ad augmentum fidei & dictum
„ Ordinem , ac fervorem ſeminis verbi Dei
„ fidelibus & infidelibus prædicandi , unum
„ locum pro uſu & habitatione Fratrum tui
„ Ordinis propè Cappellam Sancti Nicolai
„ juxta Bethlehem , cum Apoſtolicæ Sedis
„ licentia , fundare , conſtruere , & ædificare
„ proponis . Quare fuit humiliter ſupplica-
„ tum , ut tibi in hac parte opportunam dare
„ licentiam de benignitate Apoſtolica digna-
„ remur .

67 „ Nos itaque hujuſmodi ſupplicatio-
„ nibus inclinati , tibi recipiendi Cappellam
„ prædictam pro Eccleſia dicti loci , & con-
„ ſtruendi , fundandi , & ædificandi locum
„ prædictum cum Cœmeterio , Campanili ,
„ Campana , domibus , & neceſſariis Offici-
„ nis, ac tibi & eiſdem Fratribus commoran-
„ di ibidem , jure tamen Parochialis Eccle-
„ ſiæ , & cujuſcumque alterius in omnibus
„ ſemper ſalvo , conſtitutione fœlicis recor-
„ dationis Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſo-
„ ris noſtri prohibente , nè Religioſi Ordinis
„ Mendicantium loca de novo recipiant abſ-
„ que ſpeciali licentia Sedis ejuſdem facien-
„ te plenam & expreſſam de prohibitione hu-
„ juſmodi mentionem ; & quibuslibet aliis
„ conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis, ne-
„ quaquam obſtantibus, devotioni tuæ teno-
„ re præſentium plenam , & liberam aucto-
„ ritate Apoſtolica licentiam elargimur . Et
„ inſuper Guardiano , & Fratribus dicti Or-
„ dinis, qui in prædicto loco, ut præmittitur,
„ conſtituendo , pro tempore morabuntur ,
„ quòd omnibus , & ſingulis gratiis , privile-
„ giis & exemptionibus, libertatibus , & im-
„ munitatibus , quibus in aliis locis ejuſdem
„ Ordinis , Fratres ipſius Ordinis ſoliti ſunt
„ gaudere , liberè utantur , & gaudeant , de-
„ votioni tuæ de ampliori dono, gratiæ con-
„ cedimus poteſtatem . *Datum Avenione ſe-*
„ *ptimo Kal: Decembris , Pontificatus noſtri Anno V*. Confirmaſſe inſuper ampla illa privilegia cõceſſa à Clemente IV. Clemente VI. Joanne XXII. & aliis Romanis Pontificibus Minoritis proficiſcentibus in terras Sarracenorum , Paganorum , Bulgarorum , Cumanorum , Iberorum , Alanorum , aliorumque plurimorum infidelium, refert Wadingus ad Annum Domini MCCCLXXVIII. ſub num. I. Sed ſatis de Gregorii geſtis .

68 Deveniendo modò ad ſucceſſoris electionem , ex qua funeſtum ſchiſma ſubſecutum eſt, ſupponendum eſt, Romanam plebem, defuncto Gregorio, petiiſſe Papam Romanum, vel Italicum , nè electo Gallo, iterùm in Galliam Sedem traduceret , ſubſequenter autem ingreſſis Dominis Cardinalibus Conclave , nomine Romanæ Plebis à Regionis Capite petitum fuiſſe Romanum : Hoc reſcripſit Abbas Siſtrenſis Regi Aragonum , apud Raynaldum, qui inter alia ait : „ Quidem ex Capiti-
„ bus Regionum ivit ad feneſtram Concla-
„ vis , & Dominos Cardinales alloquitur in
„ hunc modum: Reverendiſſimi Patres & Do-
„ mini noſtri, veritas eſt , quòd multotiès per
„ Officiales Urbis ſupplicatum extitit, ut ta-
„ lem eligeretis , qui Deo & Mundo eſſet ac-
„ ceptus , & vos reſpondiſtis , quòd quia erat
„ iſte actus Divinus , non poteratis eis ali-
„ quid certitudinariè reſpondere : ſed procu-
„ raretis hominem juſtum , & Deo charum
„ eligere , per cujus induſtriam benè Dei Ec-
„ cleſia regeretur . Scitis enim Domini mei ,
quòd

„ quòd in introitu Conclavis multi clamave-
„ runt rogantes vos, quòd eis daretis Itali-
„ cum, vel Romanum: nunc autem pro parte
„ totius populi ſum miſſus ad Paternitates ve-
„ ſtras, & vobis pro eorum parte notifico,
„ quòd ſolùm volunt eis dari Romanum, nec
„ eſſent contenti de Italico: timent enim, nè
„ ſub aliqua conventione ſecretò inter vos &
„ aliquem Italicum non Romanum inita, ipſe
„ poſt electionem reduceret Curiam Avenio-
„ nem. Unum pro Deo placeat vobis con-
„ tentare populum, & eis ſolùm dare Roma-
„ num, aliàs timeo, nè ſcandalum oriatur,
„ quod vobis & nobis poterit veriſimiliter
„ diſplicère.

69 Cui propoſitioni reſpondiſſe tradit Reverendiſſimū Dominum Cardinalem Glandacenſem, in hac forma: „ Multùm mira-
„ mur, Domini mei, & ego, qualiter nos ſic
„ infeſtatis, quia tibi & populo Romano ſa-
„ tisfacere debent reſponſiones noſtræ, vobis
„ plurièṡ factæ ſuper iſto negotio. Recedatis
„ igitur, quia ſic ſemper diximus, ſicut dici-
„ mus nunc, nec à nobis aliam reſponſionem
„ poteritis obtinere. *Quo audito, recedente il-*
„ *lo, ſic dixiſſe, ſubjungit:* Placeat Deo, quòd
„ detis nobis Romanum; aliàs pro certo aliud
„ quàm verba proculdubiò ſentietis.

„ 70 Proſequitur inde idem Scriptor: „ Fa-
„ cta relatione aliis Dominis Cardinalibus
„ per eundem Dominum Glandacenſem de
„ verbis iſtius Capitis Regionis, Dominus
„ Cardinalis Lemovicenſis in hæc verba pro-
„ rupit: Domini mei, vos videtis, quòd iſti
„ Romani primò petierunt unum, qui debe-
„ ret eſſe acceptus Deo & Mundo, nec exci-
„ piebant patrias, vel perſonas: demùm in-
„ troitu Conclavis generaliſſimam propoſi-
„ tionem reſtrinxerunt ad unam nationem
„ ſcilicet Italicam; nunc autem nec hac con-
„ tenti, ad ſpecialiſſimam reſtringunt, ſcilicet
„ Romanam: quod etiam ſi non feciſſent, ſed
„ ſtarent etiam ſub iſta ultima ſpeciali, non
„ video, quòd de Romano fieri poſſet ele-
„ ctio, quia Deo & Mundo diceretur veraci-
„ ter impreſſiva. Præterea, ſi eligeremus Ro-
„ manum, aut eſſet de Collegio, aut extra
„ Collegium: ſi de Collegio, non habemus
„ niſi duos, quorum unus eſt decrepitus &
„ infirmus, ſcilicet Dominus Sancti Petri,
„ alius autem nimis juvenis & inexpers,
„ ſcilicet Dominus de Urſinis. De extra
„ Collegium neminem ſcio aptum ad Papa-
„ tum; unde nec primo capite, nec ſecun-
„ do apparet mihi, quòd Romanum eligere
„ debeamus.

71 His de cauſis excluſo Romano, eundem Dominum Cardinalem, mentem ſuam aperuiſſe his verbis, ſubnectit idem Abbas Siſtrenſis: „ Sed faciamus ſic, quòd provi-
„ deamus Eccleſiæ Dei, & talem eligamus,
„ quòd huic populo debeat meritò compla-
„ cère, & nobis omnibus ſe veriſimiliter de-
„ beat reddere gratioſum: Circa quæ ſunt
„ meo videre ſex præcipuè attendenda. Pri-
„ mò, quòd ſit ætatis maturæ; item quòd ſit
„ vitæ honeſtæ; tertium, quòd ſit ſcientiæ
„ magnæ; quartum, quòd ſit doctus in ſtylo;
„ quintum, quòd ſit familiaris & amicus no-
„ bis; ſextum, quòd ſit ſaltem Italicus na-
„ tione, ut per eum Patrimonium Eccleſiæ
„ recuperetur, quòd per extraneum fieri poſſe
„ non credo. Quæ quidem ſex Domini no-
„ ſtri in nullo alio video contineri, niſi in
„ uno, ſcilicet Domino Archiepiſcopo Ba-
„ renſi: iſte namque quinquagenarius eſt, &
„ ultra, & eſt adeo honeſtus, quòd à qua-
„ tuordecim annis citra, quibus converſatus
„ eſt in Curia Romana, nunquam auditum
„ eſt de eo aliquid ſiniſtri renibus, vel manu,
„ ore, vel opere. Quantùm autem ad ſcien-
„ tiam, de hoc non eſt dubitandum; nam ma-
„ gnus Canonum Doctor, ſicut in ſuis colla-
„ tionibus notum eſt. De ſtylo nemo hæſi-
„ tat: nam gubernavit à multis temporibus
„ citra Cancellariam adeo, quòd ipſe ſolus
„ habet in ſtylo Curiæ documenta. Præterea
„ nobis omnibus familiariſſimus: nam crea-
„ tura omnium noſtrum eſt maximè Lemo-
„ vicenſium, utpote quia à ſanctæ memoriæ
„ Domino Gregorio eſt in Barenſem Archie-
„ piſcopum ordinatus: natione Italicus, qui
„ Neapolitanus & ſubditus generi Francorū,
„ ex quo Rex Franciæ & Fratres ſui debe-
„ bunt meritò contentari.

72 His dictis, ad electionem ejus devenit, ſubjungens, eodem referente Scriptore:
„ Quibus omnibus ponderatis, Ego in no-
„ mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,
„ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Do-
„ minum Archiepiſcopum Barenſem eligo in
„ Sanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ,
„ Summmum Pontificem, mea ſponte, & li-
„ berè, omni modo, viâ, & formâ, quibus
„ meliùs poſſum tam de jure, quàm etiam de
„ facto.

73 Suffragante in hac forma in præfatum Archiepiſcopum Barenſem antefato Domino Cardinali Lemovicenſi, cæteri Domini Cardinales de ſubſequenti, nullâ interpoſitâ morâ, in eundem ſuffragia ſua contulerunt, prout ſæpefatus Abbas Siſtrenſis ſubjungit, inquiens: „ Facta electione dicti Domini Ar-
“ chiepiſcopi per præfatum Dominum Præne-
„ ſtinum, ſubitò elegit eum Dominus de
„ Agriſolio, cui acceſſit Dominus Pictavien-
„ ſis: ſed quartus in ordine elegit Dominus
„ Glandicenſis, qui ante introitum Conclavi
„ per tres dies miſit eidem Domino Archi-
„ epiſcopo unam Cedulam propria manu ſcri-
„ ptam: quæ ſic dicebat: *Reverende Pater.*
„ *Hinc ad paucos dies eritis mihi Dominus &*
„ *Magiſter; quapropter ex nunc, ut ex tunc me*
„ *vobis ſpecialiùs commendo.* Quintus fuit
„ Dominus Vivarienſis: & ſibi acceſſit Domi-
„ nus de Brittania; Majoris Monaſterii Do-

„ minus fuit ſextus; ſeptimus de Vernio; octavus Dominus Sancti Angeli; & de Sancto Euſtachio fuit nonus; Decimus autem fuit de Luna; & fuit undecimus Gebenenſis; quatuor autem Italici ultimi in electione fuère, quorum tres fortè ſperabant eligi ad Papatum; ſed videntes omnes ultramontanos concordes & unanimes in electione prȩfati de ipſis quodammodò deſperatia, elegerunt dictum Archiepiſcopum hoc modo & ordine: nam Dominus Sancti Petri fuit primus, ſecundus de Mediolano, tertius Portuenſis; Dominus autem de Urſinis nunquam elegit, ſed his verbis uſus eſt: Illum in Papam eligo, in quem major pars conſenſerit. Hæc autem electio ſtatim poſt receſſum illius Capitis Regionis ſic communiter & concorditer facta eſt, nullo medio tempore, niſi quanto Dominus Lemovicenſis verba protulit ſupradicta: quæ quidem electionis hora fuit ante veſperas de directo ante omnem rumorem populi per ſex horas. *Hactenus Abbas Siſtrenſis, de Urbani VI. electione.*

74 Deinde quæ acta ſunt poſt electionem, & ſubſecuta, his verbis enunciat: „ Mane facto præfati Domini Cardinales, videntes ſe habere verum Papam, & per conſequens non poſſe, nec debere alium eligere, ut vitarent ſcandalum populi, qui docendus eſt, non ſequendus, immò etiam aliquandò decipiendus in bono, talem cautelam & practicam invenerunt, direxeruntque Domino Sancti Petri: vos videtis, quòd iſti volunt Romanum, aliàs minantur nobis mortem; ſed quia Romanum non poſſumus eis dare, obſtante electione per nos facta de alio, oportet ut redimatis ſanguinem noſtrum, hoc eſt, ut fingamus, nos elegiſſe vos, qui eſtis Romanus, & vobis imponamus indumenta Papalia, & dum populus hoc credet, nos recedamus illȩſi. Eſt & aliud de neceſſitate factum ante exitum noſtrum, ut videlicet præſentetur electio electo, utrùm velit conſentire, vel non: ſed quia, ſi mitteretur pro eo ſolo, fortè populus ſuſpicaretur, quod eſt in re, mittamus pro ſex ſub colore conſilii petendi. Quæ quidem cautelæ bonæ omnibus viſæ ſunt: unde in ortu Solis, dum populus clamaret: *Romano lo volemo*; induerunt Dominum Sancti Petri, & pulſatâ Campanâ Conſiſtorii, cantantes *Te Deum laudamus*, eum poſuerunt in Sede Papali, nunciaveruntque toti populo, quòd Dominus Cardinalis Sancti Petri ſit Papa verus electus; propter quòd univerſus Populus laudans Deum, fregit feneſtras, & oſtia Conclavis, ut ſibi oſcularetur pedes & manus.

75 „ Dum populus univerſus ad reverentiam conflueret exhibendam, vocati ſunt pro parte Dominorum Cardinalium ſex Prælati, Domini Epiſcopi Ulixbonenſis, Tudertinus, Lemovicenſis in Cypro. Abbates Montis Caſſini, Sancti Pauli de Urbe, & Sancti Sabæ, & ſeptimus Archiepiſcopus Barenſis: quibus in præſentia Dominorum conſtitutis, traxerunt ad partem Dominum Barenſem, præſentantes ei electionem, eumque rogantes, quòd electioni prædictæ concordi, & canonicæ conſentiret. Ille autem renuens, ac removens, dixit in fine: *Quare dicitis me elegiſſe, & video quòd elegiſtis Dominum Sancti Petri?* Ob quæ Domini Cardinales totam illam fictionem ſibi manifeſtantes, juraverunt in Deum & Cœlum, electum nullum alium præter eum. Ipſe autem videns & audiens omnia ſupradicta, cum humilitate maxima & lacrymis undantibus acceptavit: quo facto, fecerunt eum abſcondi in ſecretiſſimis Palatii Apoſtolici, timentes, & benè, nè ſcita veritate, populus eum interficeret, & eoſdem.

76 „ His peractis, populus rudis, plenus tamen devotione oſculando manus & pedes Domini Sancti Petri, adeo trahebat ſibi manus podagra tumentes, quòd ipſe non potens tantum dolorem ampliùs ſuſtinere, ut eum dimitterent, coactus eſt dicere, ſe non eſſe Papam, ſed alium; propter quòd tota Civitas cucurrit ad arma, & circumeuntes Palatium ab omni parte, minabantur interficere Cardinales: Quorum audita minis & vocibus fugientes mortem, aliqui de ipſis Dominis fregerunt ſolarium Conclavis, & per porticum credentes aufugere, finaliter à populo capti ſunt, & cum magnis preſſuris & opprobriis reducti fuerunt in Conclave territi per populum, quòd niſi eligerent Romanum, erant mortem nullatenus evaſuri, nomina autem prædictorum qui fugiebant ſunt hæc: Dominus Gebennenſis, Dominus de Agrifolio, Dominus Pictavienſis, Dominus Vivarienſis, Dominus de Vernio.

77 „ Reductis & iteratò incluſis in Conclave omnibus Cardinalibus, oportebat eos approbare quod factum fuerat tam ſecretò, & fecerunt vocare Dominum Agapitum de Columna, Dominum Cadonem de Sancto Euſtachio, & Cancellarium Urbis, & Abbatem Montis Caſſini, cujus Domus fuit derupata, quia convicinia ſua credebant eum Papam, quando fuit miſſum pro eo: Et iſtis quatuor manifeſtarunt Dñi Cardinales electionem Archiepiſcopi Barenſis, dicentes eis, quòd populus poſſet eos benè interficere omnes, ſed non habere Romanum pro Papa iſta vice. *Hæc omnia Abbas Siſtrenſis.*

78 Cæterùm, de excitatis turbis, & populari ſeditione poſt habitam noticiam de Archiepiſcopi Barenſis electione, Epiſcopus Tudertinus oculatus teſtis ſimilia ſcribens, ait: „ Prælati de Palatio jam receſſerant pro-

pter

Digitized by Google

,, pter timorem populi, qui clamabat: Non
,, habemus Romanum? *Mòrano*, *mòrano*,
,, ſtantibua iſtis ſic, & videntibus Romanis,
,, quòd Dominus Sancti Petri non erat Papa,
,, & jam dicebatur de Domino Barenſi in po-
,, pulo, & communiter clamabant: *Non lo*
,, *volemo*: iverunt aliqui Romani & frege-
,, runt oſtia Campanilis Sancti Petri, & pul-
,, ſaverunt Campanas ad ſtornium, ut omnes
,, traherent, & viderent, quòd non babe-
,, bant Romanum, & tunc quatuor Cardi-
,, nales, videlicet Lemovicenſis, Pictavien-
,, ſis, Vivarienſis, & de Alvernio projecerunt
,, ſe per unam Cameram de Palatio in aliam
,, inferiorem, & ſuerunt inventi per aliquos
,, Romanos, & per aliquos officiales cum ver-
,, bis, & fortè cum verberibus fuerunt in Pa-
,, latium reducti.

79 Quæſitum porrò à turba fuiſſe Barenſem, ut cogeretur Papstui cedere, ſcribit Epiſcopus Recinetonſis, & Ipſe teſtis de viſu, inquiens: ,, Vidi Dominum Sancti Petri ſe-
,, dentem in Cathedra, & dum fieret ſibi re-
,, verentia, clamabat & deponebat mitram &
,, dicebat: Ego non ſum Papa, ſed Domi-
,, nus Barenſis: & vidi tunc multos Roma-
,, nos, & maximè illos, qui antea clamave-
,, rant: *Romano lo volemo*: circumeuntes per
,, Palatium, quærebant eum, ut interfice-
,, rent; alii, ut compellerent eum ad renun-
,, tiandum: quod dictum fuit aliquibus ami-
,, cis & ſervitoribus Domini Sancti Petri,
,, quòd erat Papa. Et vidi aliquos quaſi fu-
,, ribundos euntes per Conclave clamantes:
,, Heu nos fuimus proditi, & decepti, ubi
,, poſſumus iſtum Barenſem reperire? Et ego
,, multos ex ipſis refrenavi.

80 Conſonant ea quæ, anteſatns Epiſcopus Tudertinus prodit, dum ait: ,, Tùm au-
,, divi à Lelo, quòd aliqui Romani fecerunt
,, conſilium, dicentes: vadamus & caplamus
,, eum, & ſi non renunciat, occidamus eum;
,, & ſi renunciat faciamus, quòd Dominus
,, Sancti Petri faciat eum Cardinalem. Ro-
,, manis ſic ſtupefactis, & pro majori parte
,, recedentibus, quotquot Gallicos, & ultra-
,, montanos inveniebant, disrupabant, &
,, volebant eos occidere, dicentes: *Cba traditi*
,, *ſimo*; *Cba non avemo Romano*. Poſt verò
,, Dominus Sancti Petri ſuit extractus de
,, Cappella, & portatus ad Cameram, ubi
,, nunc jacet Dominus noſter Papa: & ego
,, ivi & obviam ei, quando portabatur. Et
,, tunc ille dixit mihi: Domine Tudertine,
,, ego non ſum Papa, ſed alter eſt, & Domi-
,, ni mei Cardinales conſuderunt me, & deri-
,, ſerunt, & vituperaverunt. Tunc dixi: Do-
,, mine mi, pro Deo non dicatis: immò ipſi
,, hodiè impoſuerunt coronam capiti veſtro,
,, quòd per totum Mundum prædicabitur,
,, quòd Dominus Sancti Petri hodiè liberavit
,, fratres ſuos à tali occiſione; hodie liberavit
,, populum ſuum ab innoxio ſanguine.

81 Interea recedentibus turbis, ac aliquantulùm ſedato tumultu, Domini Cardinales exeuntes, partim in Molem Hadriani, partim in proprias ædes, & partim in finitima, & munita loca ſe receperunt: Verùm qui in Molem Hadrianam ſe receperant, rogantibus aliis, & planè ſedato populo, in proprias ſe receperunt domos, & ex eis unà cum aliis reverſi ſunt in Palatium Pontificium, completuri quæ in electione deſuerunt. Erant omnes numero duodecim, qui in Urbe remanſerant, & iſti concorditer cætera omiſſa ſuppleverunt: Rem deſcribit Robertus Straton, tunc Cauſarum Sacri Palatii Auditor, licèt ſtylo compendioſo.

82 ,, In Conclavi, *inquit*, die videlicet
,, VIII. menſis Aprilis ipſum elegerunt, &
,, eum per ipſos mandatum in Palatio inclu-
,, ſerunt: Cardinalis autem Sancti Petri
,, propter ſalvationem electi præfati fuit pa-
,, paliter mantellatus. Die autem ſequenti,
,, videlicet IX. dicti menſis duodecim ex Car-
,, dinalibus, qui de Palatio receſſerunt, poſt
,, prandium ad Palatium, in quo elegerunt,
,, redierunt, videlicet Domini Florentinus,
,, & Prænestinus Epiſcopi: Item Domini de
,, Agrifolio, Sancti Petri, Mediolanenſis,
,, de Brittania, Glandacenſis, Pictavienſis,
,, Vivarienſis, & majoris Monaſterii Presby-
,, teri: Item de Vernejo, & Luna Diaconi
,, Cardinales, & Cappellam privatam Pala-
,, tii omnes intraverunt; ad quos tunc ſu-
,, pervenit præſatus Dominus noſter San-
,, ctiſſimus Electus, cui in aſſurgendo ma-
,, ximam reverentiam fecerunt, & ipſum,
,, me vidente, in capite inter eos ſedère fe-
,, cerunt, & electionem de ipſo factam ſibi
,, nuntiarunt, humiliter & devotè ſupplican-
,, tes, ut hujuſmodi electioni conſentiret.
,, qui poſt multas preces & rogamina finali-
,, ter conſenſit, genuflectendo ſe versùs Al-
,, tare in dicta Cappella, ac ſurgens, ad illud
,, aſcendit in Sede ſe ponendo; qui depoſitis
,, veſtibus, quibus induebatur, extitit pa-
,, paliter inthronizatus: cujus electionem
,, Dominus de Vernejo populo congregato
,, ſolemniter publicavit, ipſum Dominum
,, Urbanum Papam VI. publicè nominando;
,, cui præſato Domino Urbano prædicti duo-
,, decim genuflectendo, reverentiam fecerunt,
,, quos & populum tunc inſiſtentem ad oſcu-
,, la, ut moris eſt, recepit, priùs *Te Deum*
,, *laudamus* ſolemniter cantando. *Hactenus*
ille. Quæ omnia facta horâ quaſi nonâ, nullo vociferante, aut aliquid dicente, & cum ſumma pace, notant Epiſcopi Recinetenſis, & Maceratenſis.

83 Coronatum porrò die Paſchatis magna cum pompa, indeque triumphali plauſu ductum per Civitatem ad Lateranenſem Eccleſiam, ad capiendam ex more poſſeſſionem, nemine contradicente, nullo recalcitrante, aut in contrarium vim faciente, vel tumultuan-

cuante, ſcribit Theodoricus Niemius lib. 1.
cap.3. inquiens: „ In ipſa ſacra Paſchali Do-
„ mini die manè valdè ſolemniter per ipſos
„ Dominos Cardinales, ut moris eſt, ipſe
„ Urbanus ſuæ coronationis inſignia recepit
„ ante portam dictæ Baſilicæ: Sicque coro-
„ natum dicti Cardinales, ac Prælati, & Of-
„ ficiales, ac etiam multi Nobiles & Curia-
„ les, ac penè univerſus Populus Urbis ip-
„ ſum ad Eccleſiam Lateranenſem per ean-
„ dem Urbem cum Papali honore, ſeù pom-
„ pa tranſeuntem aſſociarunt. Fuerunt enim
„ tunc in ipſa Urbe valdè multi Barones, &
„ alii Magnates per plures dies præſentes,
„ qui univerſaliter, ſinguli videlicet eorum,
„ eidem Urbano, ut vero Summo Pontifici,
„ publicè, ac privatè, honorem & reveren-
„ tiam exhibuerunt. *Hactenus Theodoricus*.
De hac inde electione Domini Cardinales
collegialiter ſcripſerunt ſex illis Cardinali-
bus, qui Avenioni remanſerant, in hac
forma,

Reverendiſſimi Patres & Domini.

84 „ Quia plerùmque, immò & pluri-
„ mùm, præſertim in rebus arduis, famæ
„ loquacitas, veritatem quibuſdam colori-
„ bus adulterinis obnubilat, ideò quòd his
„ diebus in Romana Eccleſia, cujus hono-
„ rabilia membra, & ſublimes columnæ pari-
„ ter nobiſcum exiſtitis, geſtum ſit, vobis pre-
„ ſenti ſcriptione veridice curavimus inti-
„ mare, ut & ii, qui vobis rem aliter nar-
„ raverunt, ſeù ſcripſerunt, non credatis, &
„ mentes veſtræ hac noſtra inſinuatione cla-
„ rificatæ, in tranquillo & ſereno veritatis
„ littore conquieſcant.

85 „ Veſtris igitur Paternitatibus inno-
„ teſcat, quòd ſanctæ, fœlicisque recorda-
„ tionis Domino & Patre noſtro Dño Gre-
„ gorio Papa XI. die XXVII. menſis Martii
„ nuper elapſi, viam univerſæ carnis ingreſ-
„ ſo, & ſicut largiſſima Dei pietate confidi-
„ mus, poſt labores ad præmia evocato, ſicut
„ vobis ſcripſimus; tantique Patris, prout
„ juris & moris, cum debitis honore &
„ reverentia exequiis celebratis die VI. præ-
„ ſentis menſis Aprilis Conclave Palatii Apo-
„ ſtolici, in quo præfatus Dominus noſter
„ abierat, nè dicamus obierat, juxtà San-
„ ctiones Canonicas decrevimus intrare, ſed
„ certis ex cauſis, ad id noſtrum inducenti-
„ bus animum, hujuſmodi noſtrum introitum
„ ad immediatè ſequentem duximus differen-
„ dum, qua quidem die, videlicet VII. hu-
„ jus menſis; primitus gratia Sancti Spiritus
„ invocata, Conclave præfatum intravimus
„ de electione & ſubſtitutione futuri Ponti-
„ ficis tractaturi, ſequentique die, Luciferi
„ neſcientia occaſum, ut piè credimus, ra-
„ diis illuſtrati, circa illam diei horam, qua
„ Spiritus ille Paraclytus, in SS. Diſcipulo-
„ rum corda deſcendit; ad perſonam Reve-
„ rendi in Chriſto Patris, Domini Bartholo-
„ mæi Archiepiſcopi Barenſis, Viri utique
„ Magnorum meritorum claritate conſpicui,
„ & multiplicium virtutum lampade reful-
„ gentis, liberè & unanimiter direximus vo-
„ ta noſtra, eum ad Celſitudinis Apoſtolicæ
„ ſpeculam concorditer evocantes; & hanc
„ noſtram evocationem, ſeu electionem in
„ conſpectu maximæ Chriſtianæ plebis mul-
„ titudinis nunciantes.

86 „ Cæterùm die IX. hujus menſis, idē
„ Dominus electus, coram turba fidelium
„ copioſa ſuper Thronum dignitatis Apoſto-
„ licæ ſublimatus, ſibi Urbani nomen aſſum-
„ pſit, ac die, qua Chriſtus Jeſus Summus
„ Pontifex vitam noſtram reſurgendo repa-
„ ravit, ſicut in Romana Eccleſia conſuetu-
„ dinis eſt, in Baſilica Principis Apoſtolorum
„ de Urbe cum ingenti tripudio, & lætitia
„ innumerabilis populi Chriſtiani Pontificali
„ Regno magnifice & ſolemniter extitit co-
„ ronatus.

87 „ Quæ quidem ideo vobis renuncia-
„ mus, ut ſicut obitus memorati Domini
„ Gregorii nobis amaritudinis & triſtitiæ ca-
„ licem propinavit, ſic in præſentis Patris
„ conceſſione cælitus nobis, & vobis facta,
„ gaudii & exultationis ſpiritum aſſumatis;
„ in illo enim, cujus vices idem Dominus
„ noſter gerit in terris firmam ſpem, fidu-
„ ciamque tenemus, quod ſub ejus fœlici re-
„ gimine, ſtatus Romanæ & univerſalis Ec-
„ cleſiæ reflorebit, & orthodoxa Fides fœlix,
„ optatumque ſuſcipiet incrementum. Sal-
„ vator noſter Jeſus Chriſtus diù & fœliciter
„ in ſuo ſervitio vos perſeverare faciat, juxtà
„ vota. *Datum Romæ die* XIX. *dicti menſis*
„ *ſub ſigillis noſtris P. Portuenſis Epiſcopi,*
„ *G. Sancti Stephani in Cælio Monte Presby-*
„ *teri, & Jacobus S. Georgii ad Velum Aureum,*
„ *Diaconi Cardinalium hic prioritatis locum*
„ *obtinentium in Ordinibus antedictis.*

Petrus Portuenſis, & S. Rufinæ.
Joannes Prænestinus, Epiſcopi.
Guillelmus tituli S. Stephani in Cælio Monte.
Franciſcus tituli S. Sabinæ.
Bernardus tituli S. Cæciliæ.
Robertus tituli Baſilicæ XII. Apoſtolorum.
Simon tituli Sanctorum Joannis, & Pauli.
Ugo tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum.
Guido tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem.
Petrus tituli Sancti Laurentii in Lucina.
Gerardus tituli S. Clementis, Presbyteri.
Jacobi Sancti Georgii ad Velum Aureum.

Pe-

Digitized by Google

Petrus Sancti Euſtachii.
Guillelmus Sancti Angeli.
Petrus S.Mariæ in Vialata.
Petrus S.Mariæ in Coſmedin, Diaconi S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

Hæc ergo quantùm ad Urbani Papæ VI. electionem, pro aliquali notitia; qui verò plura ſcire optat, revolvat Annales Raynaldi tomum XVII. ubi copiosè materia pertractatur.

88 Hic ergò Pontifex fuit genere Prignano, patriâ Neapolitanus, patre Piſano, & matre Neapolitana genitus, vir humilis, & devotus, zelator caſtitatis, & juſtitiæ, atque Pontificii juris Doctor egregius, qui Avenione in contubernio Petri Cardinalis Pampilonenſis, Vice-Cancellarii, Apoſtolicum iſtud tribunal rexit, & Roma eodem abſente, hoc munus prudenter exercuit; à Gregorio XI. ob maximas virtutes, quibus elucebat, ab Archiepiſcopatu Acheruntino ad Barenſem translatus fuit: Cujus mores dum in minoribus adhùc exiſteret deſcribens Theodoricus Niemius ſupramemoratus lib. I. cap. I. ait: „ Hic ante ipſius Papatum per „ multos annos, me exiſtente cùm ipſo in ſingulis noctibus, poſtquàm ad cubile ſuum „ causâ quieſcendi aſcenderat, coràm ſe in „ Bibliis, quouſque dormiret, legi faciebat. „ Et raró, vel nunquam tempus aliquod „ vigilando otiosè conſumpſit: ſed aut ſtudebat, ut prædixi, ſeù commiſſa ſibi exercebat officia, vel orabat, & niſi attractus „ quodammodò per plateas nullatenus incedebat, & incedendo duabus beſtiis contentus „ erat, una mula ſcilicet ſuper qua ipſe, & „ uno equo, ſuper quo ejus familiaris ipſum „ aſſocians, equitabant: Etiam induebatur „ cilicio diurno tempore & nocturno, in quo „ dormiens, indutus fuit deſuper tunicâ albâ „ talari de mediocri panno laneo. Ac multùm erat patiens tunc temporis in adverſis, compatiens etiam Jejunia per Eccleſiam indicta tunc ſanctiſſimè obſervabat; „ necnon per Adventum Domini, & per „ ſexageſimam annis ſingulis jejunabat, & „ jejunantes ſimiliter, necnō bonos Religioſos ſatis amabat. *Hactenus Theodoricus.*

89 Hoc vivendi genere aſſuetus Urbanus, in ſui Pontificatus initio, quorundam Prælatorum, etiam Cardinalium mores debito pietatis zelo reprehendere exorſus eſt, id quòd ei ceſſit in invidiam: Etenim primùm paulò poſt ejus coronationem increpare cœpit nonnullos Epiſcopos exiſtentes in Curia, quòd contra juramentum Diœceſi relictâ in eadem Curia verſarentur: ſic Theodoricus lib. I. cap. 4. inquiens: „ Die Lunæ infra „ feſta Paſchalia dictis Veſperis in ejus præſentia, in eodem Palatio in Cappella maiori, „ me præſente, ipſe Urbanus publicè incœpit increpare Epiſcopos, qui illùc venerant, „ dicendo quòd omnes eſſent perjuri, quia „ Eccleſias ſuas deſererent, in eadem Curia „ reſidendo: ſed omnibus tacentibus ipſis Prælatis, quondam Dominus Martinus Epiſcopus Pampilonenſis ejuſdem Urbani Referendarius, natione Catalanus, qui fuit „ Doctor egregius, in jure Canonico, & „ diù Avenione in eodem jure legit ordinariè, ſolus Papæ reſpondit ſatis acerbè, dicendo quòd ipſe non eſſet perjurus, quòdque dictam Curiam non propter ejus privatam, ſed potius propter publicam utilitatem ſequeretur, & paratus eſſet de illa „ recedere, necnon ad ejus Eccleſiam accedere, arguendo ſubtiliter ex hoc dictum „ Urbanum, quòd egit minus cautè ſic generaliter objurgando prædictos Prælatos „ præſentes tunc in Curia memorata.

90 Deinde in primo ab eo habito Conſiſtorio, Cardinalium mores, aliorumque Prælatorum increpare minus cautè ſermocinando cœpit, ut idem Theodoricus capite 5. ſubnectit, inquiens: „ Subſequenter autem die Lunæ immediatè poſt ſecundam Dominicam poſt Paſcha Ipſe Dominus „ Urbanus tenendo publicum Conſiſtorium, „ & confluentibus illùc dictis Dominis Cardinalibus, necnon Prælatis, & Officialibus, & Curialibus in magno numero, „ ut eſt moris, incœpit ſermonem facere in „ præſentia eorundem, cujus thema fuit: „ *Ego ſum Paſtor bonus &c.* quem minus „ cautè, necnon etiam minus ornatè fecit, „ in quo etiam mores dictorum Dominorum Cardinalium, & Prælatorum incœpit arguere; quòd ipſi ægrè tulerunt. *Hæc ille.* Id quòd occaſionem præbuit præfatis Cardinalibus deficiendi ab Urbano, & ſpecie impreſſionis factæ à Populo in ejus electione, conflandi ſchiſma; unde ſubnectit idem Theodoricus: „ Paulò poſt ſuſcitata „ nimis periculoſa diſcordia inter ipſos, & „ dictos Cardinales, prædictum ſchiſma, „ magis propterea ex rancore mutuo partium, quàm allegata impreſſione in electione dicti Urbani, ut in præcedentibus „ tangitur, habuit ortum.

91 Ad hæc verò acceſſerunt quædam Urbani Sanctiones, quibus nimiam Cardinalium licentiam, coercere ſtuduit, quæ quidèm magnum fomentum diſſentiendi cum Pontifice præbuerunt, prout teſtatur Thomas electus Epiſcopus Lucerinus, inquiens: „ Dixit diligenter interrogatus, quòd propter aliquas ſuas Conſtitutiones, quas „ fecerat dictus Dominus noſter Papa, quæ „ ligabant ipſos Cardinales, conceperunt „ odium contra dictum Dominum noſtrum „ Papam, unde cautè & aſtutè ſciverunt licentiam habere à dicto Domino noſtro Papa, & ſe de Urbe ad Anagniam tranſtulere. *Hæc ille.* At Walſingamus in Riccardo, cap. XI. alias defectionis Dominorum Cardinalium cauſas recenſet, inquiens: „ Ex

poſt

Digitized by Google

„ poſt, eùm ipſe Cardinalis (*ſcilicet Gebennenſis*) & cæteri de Collegio, quibus Ec-
„ cleſiæ perturbatio complacebat, viderent
„ Urbanum Papam, ut Summum Pontificem
„ per omnia condecenter agere, contra
„ avaritiam ipſorum diſputare, aduersùs in-
„ juſtitias diſceptare, & in omnes ſimonia-
„ cos intrepidè terribiliter fulminare, pœni-
„ tuit eos feciſſe hominem. Augebat inſu-
„ per furorem eorum quòd proteſtatus fue-
„ rit, ſe juſtitiam facturum inter virum &
„ virum, & maximè inter Reges Francorum
„ & Anglorum, per quorum penè diſcor-
„ dias tota Chriſtianitas detrimentum ac-
„ cepit. Favebant nimirum Regi Franco-
„ rum ejus illecti muneribus, unde & me-
„ tuebant, nè aliquid ſalubriter ſtatueret
„ contra eum, propter quòd, vel eorum
„ minueretur commodum, vel opinio penès
„ Regem. His itaque, & iis ſimilibus cau-
„ ſis, deſciverunt quaſi vir unum, ad inſtar
„ Baal, quòd interpretatur vanitas, erigen-
„ tes, ſtatuerunt ſimulacrum ſuum, & am-
„ bulaverunt poſt vanitatem, & vani facti
„ ſunt, & procidentes curvaverunt genua ſua
„ ante Baal. *Hactenus Walſinganius*.

92 Alia inſuper hujus defectionis cauſa fuit, ut teſtatur Thomas Petra Canonicus Patracenſis, quam ipſe ab ipſomet ſciſcitavit Pontifice: quia videlicet Domini Cardinales Galli urgebant Urbanum, ut Curiam transferret Avenionem, quibus nequaquâ aſſenſum præberè voluit: „ Tem-
„ pore diſcordiæ Dominorum Electorum,
„ *inquit Thomas*, cum Domino noſtro Ur-
„ bano, acceſſi ad ipſum humiliter, ut pro
„ Deo diceret mihi, quare veniebat diſcor-
„ dia. Qui reſpondit dicens: Verè Thoma
„ fili, non culpa noſtra: Requiſierunt enim
„ nos, ut transferremus Curiam Avenionem,
„ & nos excuſavimus nos, quòd non pote-
„ ramus, nec debebamus, cùm Urbanus V.
„ & Gregorius prædeceſſor noſter veniſſent
„ hùc permiſſione Divina ad reſtaurandum
„ Sanctuaria Divina Urbis in parietibus &
„ devotione collapſis, & reducendum populos
„ ad devotionem Eccleſiæ, & pacificandam
„ Italiam, quòd nondùm erat factum; &
„ quòd ſi etiam vellemus, non poſſemus ha-
„ bere galeas & alia opportuna. Et tunc ipſi
„ reſponderunt ad hoc, dicentes: Italia nun-
„ quam pontificabitur per Apoſtolicam Se-
„ dem, & quòd non debebamus de iis cura-
„ re: & ad finem dixerunt, quòd vendere-
„ mus totum quidquid habebat Ordo San-
„ cti Joannis Hieroſolymitani in univerſo
„ Orbe, & tunc ſatis haberemus. Quibus au-
„ ditis, infremuimus ſpiritu, & reſpondimus
„ eis, quòd citiùs pateremur mille mortes,
„ quàm ſic deſtrueremus brachium Fidei
„ Chriſtianæ: Et hæc reſponſio fuit eia tur-
„ bationis cauſa.

93 Denique Urbanus curavit quantùm potuit ſibi arctiùs Romanos devincere, quòd etiam Cardinalibus Gallis plurimùm diſplicuit, cauſaque etiam maioris odii fuit, ut Theodoricus lib. 1. cap. 7. ſcribit, inquiens:
„ Romanis autem Civibus pro poſſe com-
„ placere ſtuduit idem Urbanus, in quo
„ etiam ipſis Cardinalibus vehementiùs diſ-
„ plicebat. Unde ſingillatim dicti Cardina-
„ les ab ipſo exiſtente adhùc in eadem Urbe
„ circa medium menſis Maii poſt ejus coro-
„ nationem receſſerunt, necnon ad Ana-
„ gniam Civitatem Campaniæ Romanenſem
„ declinarunt recreationis causâ pro illo æſti-
„ vali tempore, ut dicebant, quia tunc,
„ ut communiter incipit calor in eadem Urbe
„ vigere. *Hactenus Theodoricus*.

94 Proceſſerunt itaque poſt hæc Domini Cardinales Anagniam, de Pontificis licentia, ubi & ipſe profecturus erat eadem æſtate: Ait namque Epiſcopus Tudertinus: „ Au-
„ divi & vidi Cardinales omnes petentes
„ licentiam ab iſto Domino noſtro eundi
„ Anagniam, ubi erat per Dominum Gre-
„ gorium ſanctæ memoriæ ordinatum face-
„ re reſidentiam in æſtivo, & tam per ipſum,
„ quàm per Cardinales erat facta proviſio
„ eadem, & Dominus noſter etiam ordina-
„ vit ire ibidem in æſtivo, & propter hoc
„ remanſit ſolus, pro eo, quòd omnes Car-
„ dinales, excepto Domino Sancti Petri,
„ ac etiam Camerarius Domini Papæ cum
„ tota rahuba, acceſſerunt ibidem.

95 Verùm Urbanus conſcius inde machinationis præfatorum Cardinalium volentium ipſum deponere, aliumque natione Gallum ſubſtituere, mutato propoſito, adivit Tybur, prout idem Epiſcopus Tudertinus teſtatur, inquiens: „ Et dum Papa erat in
„ diſpoſitione eundi Anagniam, ſupervene-
„ runt nova, prout audivi, quòd ſi contin-
„ geret eum ire, ibi eſſet captus ab eis, & à
„ Comite Fundorum, & tunc iſtis auditis,
„ prout audivi; deliberavit ire Tybur, &
„ non Anaginam, & ivit Tybur ſolus ſine
„ aliquo Cardinali, quia Dominus Sancti
„ Petri, qui remanſerat in Urbe, non poterat
„ equitare. *Hæc ille*. Id quod etiam Thomas de Acerro deſignatus Epiſcopus Lucerinus ſupramemoratus adnotat, inquiens: „ Pœ-
„ nituit ipſos Cardinales elegiſſe Papam
„ Italicum, & fuit datum intelligi dicto Do-
„ mino noſtro, quòd ſi iviſſet Anagniam,
„ Cardinales ſibi procuraſſent mortem, &
„ elegiſſent unum Ultramontanum: undè
„ Dominus noſter præfatus non ivit Ana-
„ gniam, ſed Tybur, nec dicti Cardinales
„ voluerunt venire Tybur, & ſic paulatim
„ incœpit divortium animorum & obedien-
„ tiæ, & natum eſt odium, quod odium in-
„ tumuit intantum, quòd facti ſunt rebelles.
„ *Hæc ille*.

96

96 Exiſtente Urbsno in præfata Tyburis Civitate, unà cum Cardinslibus Florentino, Mediolanenſi, *S.* Petri, & de Urſinis, qui poſtea ſecuti fuersnt Pontificem, filium Imperatoris confirmavit, diverſas inſuper ſupplicstiones aliquorum Cardinalium Anagniæ degentium prò gratiis conſequendis eidem exhibitas expedivit, ut publica Acts teſtsntur. Sed non obſtantibus, illins depoſitionem meditabsntur. Et quoniam deluſi trahere ipſum Anagniam minimè potuerunt, in apertam devenientes rebellionem, ad novam Pontificis electionem devenire decreverunt, citatis priùs per literas incipientes, *Cum nuper*, datas die 20. menſis Julii, præfati Anni MCCCLXXVIII. quatuos Itslicis Cardinalibus, qui Urbano adhærebant. Quo audito, Dominus Cardinalis Sancti Petri, coram teſtibus acto publico inſtrumento, quod incipit: *Noverint univerſi*, ſub die 22. Auguſti ejuſdem anni, pronuncisvit, declsravit, & proteſtatus eſt, electionem Urbani VI. fuiſſe veram, legitimam, & Canonicam: Id quod pariter fecerunt tres alii Itsli Cardinalcs. Urbanus verò ad vitandum ſcandalum, quantùm potuit, miſit Dominos Cardinales Florentinum, Mediolanenſem, & de Urſinis, Ansgnism ad tractsndam cum Cardinalibus Gallis concordiā: ſed re infecta, Tybur reverſi ſunt. Poſtea prædicti Cardinales rebelles ſuadère fecerunt Pontifici, ut Papatui ad vitandum ſchiſma ſsltem cederet. At rennit Urbanus, ſusdenti verò reſpondit: *In veritate Dei de dimittendo Papatu modicum curarem: ſed non dimittam, nè dem locum Diabolo, & cornu peccatoribus. Sed ſtabo & debellabo eos in nomine Domini Dei noſtri.*

97 In hoc rerum ſtatu, prædicti rebelles, nè quid temerè sttentsre viderentur, requiſiverunt plurium Doctorum conſilia, factum tamen electionis Urbani adulterantes, & ſub falſo themate præfata exquirentes conſilia, undè de fscili multi decepti, in illorum sbierunt ſententiam. Papa verò ut conſultiùs ageret, de convocando Concilio Oecumenico propoſitionem fecit, in quo cauſa cognoſceretur, ac definiretur. Verùm Cardinales præfati, dignoſcentes ſe non habere bonam cauſsm, contempſerunt propoſitionem, & quibuſdam argutiis & futilibus rationibus non eſſe in caſu congregandum Concilium, conati ſunt demonſtrare: ſed quoniam hoc Pontificis propoſitum msximum timorem in eos incuſſerat, formidantes nè prædictum Concilium à Pontifice convocaretur; omne ſtudium adhibuerunt trahendi in ſuam partem Carolum Franciæ Regem, ac Joannam Reginam Neapolitansm, nec eis difficile fuit: Unde illorum favoribus ſuffulti, menſe Auguſti, die nona ejuſdem menſis literas confecerunt, datas univerſis Chriſtifidelibus, incipientes, *Exigit Sancta ac Catholicæ Fidei puritas*, quibus univerſum Orbem in errorem trahere moliti ſunt.

98 Tantam inſolentiam non ſuſtinentes pii viri contra Cardinales perduelles ſcripto, & voce plura evulgarunt. Hinc Angli, pluribus & ſolidiſſimis rationibus, excerptis ex ipſis ſchiſmaticorum aſſertionibus, eos refutare aggreſſi ſunt: Collutius Pierius Florentinus, & Reipublicæ Florentiæ Scrinii Præfectus, præfatorum Cardinalium impoſturas longo ſcripto detegere curavit, licèt dum ſcriberet, præfati Cardinales in electionem Antipspæ proceſſerint: *Dum hæc ſcriberemus*, inquit, *deteſtabilis fama, immò infamia, deinde Nuntius certius advolavit, vos unum ex vobis, Dominum videlicet Gebennenſem in Papam, immò in Antipapam & Antichriſtum elegiſſe.*

99 Anagniæ, prout præfati ſumus, dum conſiſterent, talia moliti ſunt, protegente eos Honorato Cajetano Comite Fundano, ut ipſimet teſtantur in antedictis literis datis univerſis Chiſtifidelibus, ad qusrum calcem dicunt: *Datum Anagniæ Rectoratus Provinciarum Campaniæ & Maritimæ, quem locum propter probitatem ac fidelitatem conſtantiſſimam magnifici viri Honorati Cajetani Comitis Fundorum, ac dictarum Provinciarum Rectoris ſingularem devotionem, quam ad Romanam Eccleſiam & Fidem Catholicam, ac ad nos gerere comprobatur, tanquam magis ſecurum & idoneum, nobis ad præmiſſa omnia peragenda duximus eligendum.* Inde tsmen mutato conſilio, profecti ſunt in Civitatem Fundorum, exiſtimantes locum pro tanto ſcelere patrando tutiorem, utpotè ſub pleno dominio præſati Comitis Honorati Cajetani, in ipſo Neapolitano Regno ſitum, favente eis Joanna prædicti Regni Regina: ubi cùm eſſent, ut etiam Cardinales illùc traherent Italos, arte & fraude uſi ſunt, quam Theodoricus Niemius lib. 1. cap. 9. refert his verbis, nimirum.

100 „ Cardinales Ultramontani tunc in
„ Civitate Fundana in ipſa Csmpania ſub
„ defenſione dicti Comitis congregati, ad
„ ipſos tres Italicos Cardinales, ſcilicet
„ Petrum, Jacobum, & Simonem, qui tunc
„ erant ſimul in quodam Caſtro dicti Domi
„ ni Cardinalis Jacobi, deſtinarunt Oratores
„ ſuos, ſcribentes cuilibet ſeorſum literas,
„ in quibus quemlibet ipſorum intelligere
„ fecerunt, quòd ſi veniret ad ipſos, Sum-
„ mus Pontifex crearetur; ſed quòd illud
„ ſecretè quilibet eorum teneret, etism di-
„ ctæ literæ innuerunt, ſcientes dictos Ita-
„ licos ambitionis vitio laborare, ſimùlque
„ ipſos ſic de levi attrahere poſſe. Unde præ-
„ dicti tres Cardinales Italici ad dictā Civi-
„ tatem Fundanam, ſublato moræ diſpendio
„ venientes ad confratres ſuos tunc ad fs-
„ ciendum ſchiſma in univerſali Eccleſia rea-
„ liter, necnon ad eligendum alium Ponti-

„ ſicem congregatos inſimul acceſſerunt, &
„ prædictum Rupertum dicti Cardinales Ul-
„ tramontani eiſdem Cardinalibus Italicis
„ tunc præſentibus elegerunt, prout in hoc
„ priùs in eorundem Cardinalium Italico-
„ rum abſentia mutuò concordarunt, ſcien-
„ tes eum eſſe ambitioſum, & pluribus indi-
„ gentem, ac ſumptuoſum, largæ conſcien-
„ tiæ, ſed genere nobilem, multis etiam
„ Conſanguineis, & affinibus nobilibus &
„ potentibus conſtipatum: unde poteſt elici,
„ quòd illa electio à Spiritu Sancto & puris
„ conſcientiis non proceſſit. Videntes autem
„ dicti Cardinales Italici ſe taliter deluſos,
„ indignanter à dicta Civitate receſſerunt
„ ad ipſum Caſtrum, undè illic venerant re-
„ deuntes, in quo tamdiù ex tunc ſimul ſte-
„ terunt, donec ipſe Jacobus Cardinalis in
„ eodem Caſtro poſtea infra pauca tempora
„ decederet. *Hæc ille*.

101 Creatus itaque eſt in Antipapam, ſivè Antichriſtum perditionis filium, à Cardinalibus ſchiſmaticis Rupertus è Gebenna, antea Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis, die xx. menſis Septembris, ejuſdem ſcilicet Anni MCCCLXXVIII. Cùm eſſet Annorum XXXVI. ſibi indito nomine Clementis VII. Et ut auctor vitæ ejus, licèt ſchiſmaticus, apud Boſquetum ſcribit, duabus de cauſis: „ Primò, quia erat admodùm benè
„ paratus, totuſque agilis & diſpoſitus ad
„ laborandum: & ſic tenebant eum eſſe cor-
„ datum, & animoſum, & voluntarium ad
„ exponendum etiam propriam perſonam,
„ ubi neceſſe exiſteret pro liberatione & ere-
„ ptione Romanæ Eccleſiæ à manibus dicti
„ Barenſis intruſi. Secundò, quia erat valdè
„ generoſus in gradu conſanguinitatis vel
„ affinitatis, ſed magis & minus attingeret
„ ferè omnes majores Principes Chriſtianos,
„ propter quòd ſperaverunt, quòd tàm conſi-
„ deratione Eccleſiæ, quàm contemplatione
„ ſuæ perſonæ ſibi vellent obedire, ac virili-
„ ter aſſiſtere, & fovere *Hæc ſchiſmaticus Scriptor*.

102 Cæterùm, confirmato ſchiſmate, univerſus diviſus eſt Orbis, aliis Antipapæ adhærentibus, aliis ſub Urbani obedientia conſiſtentibus, & quidem major pars, ut etiam præfatus ſchiſmaticus vitæ Clementis Scriptor, non ſine dolore affirmat, qui, ubi expoſuit ſperaſſe Cardinales, Regum, ac Principum, qui Rupertum Gebennenſem affinitate contingebant opera, populos ab Urbani veneratione revocatum iri ſubnectit: *Sed Domino permittente, non ſic ſe res habuit*. Et paulò poſtea ait: *Totus namque Mundus diviſus fuit: ſed proh dolor! multò major pars obedivit, & adhæſit Bartholomæo, immò pro tunc quaſi totus*. Utique Deo non ſolùm permittente, ſed juſtam cauſam protegente: nam Beata Catharina Senenſis, quæ tunc vivebat, quaſi divinitùs accepiſſe in literis ad Urbanum datis ſub die v. Octobris prælibati anni, inter plura ſcripſit: *Accepi Dæmones carne indutos non elegiſſe Chriſtum in terris, ſed excitaſſe Antichriſtum adversùm te Chriſtum in terris, quem ego profiteor, & non nego te Chriſti Vicarium eſſe, qui tenes claves cellarii Eccleſiæ Sanctæ, in qua ſervatur ſanguis immaculati agni, cujus miniſter es, fremant licèt, & rumpantur Adverſarii*. Angli quoque inter alias rationes pro Urbano allegatas, fatentur in ratione decima tertia, id revelatum divinitùs cuidam Eremitæ: *Præterea, inquiunt, revelatum eſt cuidam Sancto Eremitæ de Anglia, qui manet in loco, ubi incæpit Ordo Fratrum Eremitarum de Sancto Auguſtino, quod Bartholomæus Barenſis debet recipi pro Papa*.

103 Qui autem Urbano adhærebant, contempto Antipapa, fuère in primis Carolus Imperator Romanorum, & Ludovicus Ungariæ Rex, qui per Oratores hortati ſunt Dominos Cardinales ſchiſmaticos, ut conflatum in Eccleſiæ Sanctæ perniciem ſchiſma diſſolverent: ſed illi contemptis, ac malè habitis præfatis Oratoribus in ſua ſententia perſtiterunt, cujus rei cauſa indignati præfati Principes, magis Urbano ſe addixerunt: unde ſcribit Theodoricus Niemius, lib. 1. cap. 15. *Cum prædictus Imperator, & Ludovicus Rex audiviſſent, de hoc nimirum perturbati, decreverunt, quòd partem dicti Urbani: quod ejus tenerentur juſtitiam, donec quid juris eſſet de ipſa ſecunda electione, vellent omninò tenere*: Præter hos verò, Tuſcia, Lombardia, major pars Alemanniæ, Boemia, Ungaria, Polonia, Anglia, Dacia, Svetia, Norvergia, Pruſſia, Phriſia, & aliæ plures Nationes partem Urbani tuebantur, ut præfatus Theodoricus ſubnectit, inquiens: *Habuit ſecum quaſi totam Tuſciam, necnon Lombardiam, & pro majori parte Alemanniam, Boemiam, Hungariam, Angliam, Poloniam, Daciam, Svetiam, Norvegiam, Pruſſiam, Phriſiam, & multas alias nationes Alemanniæ contiguas, quarum Principes, & Eccleſiaſtici Prælati, necnon incolæ dicto Urbano, ejuſque ſucceſſoribus in ipſa ſua obedientia tanto tempore firmiter adhæſerunt*.

104 Clementi porrò Antipapæ Carolus Galliarum Rex maximè adhæſit, qui & in ſchiſma traxit Scotum, & Caſtellæ ſibi fœderatos Reges, & vi ſua, totamque Galliam in errorem traxit: cùm plurimi tota fruentes libertate ſtandum pro Urbano parati eſſent. Nam complures Prælati habitis comitiis menſe Septembri, decreverant, Cardinalibus ſchiſmaticis non eſſe aſſentiendum, niſi majori conſilio, & graviore deliberatione. In eandem ſententiam in eadem Gallia abiere Doctores Sorbonici, quibus Urbanus ſcripſerat, ſub datis xi. Kal. Decembris, literas incipientes: *Inter, immò ſuper cæteras*. Sed oppreſſa à Carolo Rege illorum libertate, tandem, licèt contra conſcientiam Clementi ad-

adhæſerunt. Non ita Flandri & Brittanni, qui literis Clementia excitati, in contrarium illi abierunt, & pro Urbano tota vita ſtetetunt, ut ait Paulus Emilius in Hiſtoria Francorum in Carolo V. Rege, inquiens: „ Flandrus & Brittannus literis Gebennenſis adducti, pro Urbano vita deinceps omni ſtetère, Gebennenſi ante exortam emulationem affirmanti potius, quàm cum poſtea de Pontificatu certaret, neganti credentes; ea tamen Religione, ut teſtarentur, ſe univerſi Concilii, ſi quod fortè cogeretur, placitò, ſententiam ſuam moderaturos.

105 Interea Urbanus feriem facti ſuæ promotionis ſincerā & veram miſit Regi Caſtellæ: poſteaque videns ſe deſtitutum Cardinalibus, nam Itali, qui decepti, electioni Pſeudopontificis interfuerant, ad eum redire detrectabant, cùm eſſet Romæ in ædibus Sanctæ Mariæ in Tranſtyberim, ubi ſtetit, donec Caſtrum Sancti Angeli à factione ſchiſmaticorum detentum, pervenit ad manus Romanorum, XXVIII. Cardinales creavit: de quorum inde conſilio, juris ordine ſervato, editâ ſententiâ, quæ incipit: *Nuper cum Vinea Domini*, ſub datis apud Sanctā Mariam in Tranſtyberim III. Kal. Decembris, omnes ſchiſmaticos anathematizavit, exauctoravit, & pœnis omnibus per Sacros Canones inflictis, addixit. Poſt hæc ad arma ventum eſt, obſeſſo Urbano in Caſtro Marini à militibus factionis ſchiſmaticorum; verùm adveniente Alberico Barbiani Comite cum Romanorum copiis, victi ſchiſmatici, & majori ex parte cæſi, qui remanſerant, ſoluta obſidione in fugam ſe verterunt: Quod cùm accepiſſet Antipapa, tunc Neapolis degens, perterritus, Fundos ſe contulit, exinde, conſpiciens univerſam Italiam Urbano adhærere, ac proinde ſe tutum non eſſe, conſcenſis triremibus à Regina Joanna paratis, unà cum ſuis profectus eſt Maſſiliam, & inde abiit Avenionem: ubi firmata ſua Curia, contra Urbanum, ejuſque Cardinalea, cæterosque eis adhærentes, pœnales proceſſus fecit, quibus publicatis, maximum detrimentum fidelibus ſubſecutum eſt, ut ſcribit Theodoricus Niemius in ſæpè citato lib.1.cap.19. inquiens: „ E converſo prædictus Clemens in Avenione, tunc cum curia ſua reſidens, ut præfertur, contra dictum Urbanum, ejusque Cardinales, & ipſis adhærentibus pœnales proceſſus fecit, & illorum proceſſuum occaſione, magnæ adverſitates, ac prævaricationes in diverſis Regnis & Provinciis oriebantur: multi etiam infœlices Prælati, & Presbyteri, ac Clerici, qui dicto Urbano obediebant, per pleroſque de alia obedientia, per mare, ſeu terras tranſeuntes, capiebantur, & malè tractabantur, quorum multi in aquia ſubmerſi, aliqui ignibus cremati, nonnulli etiam alia ſæva morte perierunt. *Hæc & alia crudelia ſchiſmaticorum geſta narrat idem Scriptor*.

106 Cæterùm univerſa & ſingula in hoc ſchiſmate geſta, meum non eſt recenſere, cùm non ſint præſentis Hiſtoriæ, pro cujus ſerie continuando, ſatis ſunt, quæ pro aliquali notitia recenſuimus: nam hoc ſchiſma plurimùm attulit impedimenti, tam meditatæ à Gregorio XI. in Turchas expeditionis, quàm negotio unionis Græcorum: quoniam præter exorta in univerſa Italia occaſione præfati ſchiſmatis Civilia bella & inteſtina, Januenſes qui parati erant adire in ſuccurſum Græcorum contra Turchas, novo & cruento bello cum Venetis implicati, promiſſa minimè adimplere potuerunt; & interea Turci ad ſubigendas Chriſtianorum Terras haud lenti erant; Quorum vires nedùm Chriſtiānorum Occidentalium, verùm etiam ipſorum Græcorum Principum de Palæologi Domo inteſtina diſſidia augebant.

107 Ea ergo tempeſtate, pugnante Amurathe Turchorum Rege cōtra Tryballos, licèt victor, ipſe tamen ſive in ipſo prælio, ſive à viro Tryballo, quem Amurates inſequebatur, cæſus occubuit, ſubſtituto à Satrapis, qui Januas Regis regebant, Bajazete præfati Amuratis filio juniore, qui interfecto Solimano ejus fratre, ſe in Regno conſtabilivit, ut Chalcocondylas ſcribit initio lib.2. de rebus Turcicis; Deinde profectus contra Tryballos bellum, eos devicit, & profligavit, atque peragrata univerſa Tryballorum regione, captisque mancipiis plurimis, ad eam formam dandam ſuo Regno, quæ ſibi optima & commodiſſima videbatur, animum adjecit: unde ait prælibatus Hiſtoricus: „ Græcos ſibi fœdere junxit. Pace cum Macedonibus inita, in Scopiorum Urbem Coloniam duxit, deductis eò plurimis ab Europa, Aſiaque Turcis cum uxoribus & liberis. Hoc autem ideo facere aggreſſus eſt, ut hinc profectus, res Illyricorum agere, & ferro tutò poſſet. Incurſionem fecit in Illyricorum regionem: captaque oppidula, penitùs diripuit. Exercitum miſit in Albanorum regionem maritimā versùs Jonium & Epidamno finitimam, prædasque ex ea egit. Græci ſequebantur armati quòcumque exercitum ipſe moviſſet, excepto Emmanuele Joānis Græcorum filio, necnon Joanne ſenioris Andronici filio. *Hæc Chalcocondylas*. Ex quo jam vides Græcos non ſolùm vectigales Turcarum factos, verùm & mancipia, coactus in bello, & quòcumque vellet, Barbarorum ſequi Regem: ſed hac non contenti ſervitute, duriorem aliam ſibi mercati ſunt præfati Græci ab eodem Bajazate, ut dicemus infra.

108 Diximus jam ſupra, Joannem Palæologum, jubente Amurate, ferventi aceto luminibus privaſſe Andronicum filium ſuum natu majorem propter illius ab Amurate cum ipſius Amuratis filio defectionem. Is ergò, regnante Bajazate, cœpit aliqualiter videre, & ſi-

& ſimul incœpit de Imperio cum Patre &
Emmanuele contendere, quod cùm obtinere
illud minimè potuiſſet, niſi per Bajazeti ma-
nus, acceſſit ad eum, & expoſita ſui facti ſe-
rie, poſtulavit ab eo ſufficientia auxilia, qui-
bus poſſet Regiam Urbem expugnare, & hac
via, ipſa expugnata, ad ſolium conſcendere,
facta promiſſione non ſolùm reddendi Impe-
rium ei obſequentiſſimum, verùm & ſolvendi
quotannis maximum tributum. Annuit Ba-
jazetes, eique poſtulatos dedit milites, qui
manu valida, ſine aliquorum proditione, ad-
venit ad Urbem, eamque obſidet, obſeſſa ve-
rò eſt ei pactionibus reddita, & ingreſſus,
Patrem & Fratrem in arcto incluſit carcere.
Rem verò per extenſum deſcribit antedictus
Chalcocondylas, inquiens.

109 ,, At cùm in conſpectu Regis veniſ-
,, ſet (*ſcilicet Andronicus*) ferunt, eum ta-
,, lem exorſum eſſe orationem: Me quidem,
,, ò Rex, tum gravi calamitate perculſum
,, tum meliori fortunæ, Deoque, qui omnia
,, videt, commendatum, meliùs nunc, quàm
,, fortunæ meæ patiantur, habeo. Prætereà
,, Deus gratiam mihi retulit haud injucun-
,, dam; nam cùm viſum mihi totum penè ade-
,, merit, reliquit; tamen, ut parùm cernam;
,, pollicetur que Regnum: faſque eſt, ut Re-
,, gnum, quòd jure ad me pertinet, mihi
,, reſtituatur. Hoc autem Regnum noſtrum,
,, ſi me audieris, impoſterùm experière ad
,, omnia tibi obſequentiſſimum, ſi tua ope ad-
,, jutus id recepero. Id eveniet, ſi mihi de-
,, deris Equites, quater mille, eosque me ſe-
,, qui juſſeris menſibus duobus. Stant enim
,, à partibus noſtris ii, qui in Urbe genere
,, & divitiis præſtant. Horum non pauci me
,, comitarentur, niſi ſcirem, eos in Urbe mea
,, negocia procurare; meque tandem adju-
,, turos, in quacumque re ipſorum auxilio
,, opus habuero. Promitto etiam me tibi
,, quotannis daturum tributum maximum;
,, habebo præterea in Urbe Judicem, ſive
,, Præfectum Turchum.

110 ,, Rex his auditis, reſpondit: Mihi
,, quidem, ut accepi, tibi adhùc vim viſivam
,, ſupereſſe, ſermo tuus fuit multo gratiſſi-
,, mus. Gratiaſque ago mortalium, & im-
,, mortalium Conditori, qui iſtud tibi be-
,, neficium præſtitit. Veniſti autem ad Vi-
,, ros tibi amicos & auxiliares, qui ſe tibi
,, dabunt promptiſſimè, quodcumque acce-
,, peris bellum. Ulciſcar tamen Regem Pa-
,, trem tuum, ut deinceps nunquam contra
,, me res novas moliatur. Tu igitur his, quos
,, petiiſti, aſſumptis, flecte iter ad Urbem:
,, eaque agito, quæ judicaveris tibi vel in
,, primis utilia fore, ut in patriam reduca-
,, ris. Rex his dictis, confeſtim quos effla-
,, gitaverat Equites inſtructos dedit, quibus
,, acceptis, Andronicus ſe contulit Byzan-
,, tium. Joannes & filius Emmanuel, cùm
,, eſſet nunciatum, Andronicum cum filio
,, ſuo magna manu adventare, ingreſſi ſunt
,, Aureæ (ſic appellatam) arcem, ibique ob-
,, ſidionem tolerare parabant. Andronicus
,, adveniens, Urbem obſidione circumdat.
,, Poſteà arcem pactionibus in deditionem
,, accepit; amboſque incluſit in carcere li-
,, gneo & anguſto, quem intra Turrim ædi-
,, ficarat: Regnumque occupavit, habens
,, patrem, & fratrem in carcere. *Hæc Chal-*
,, *cocondylas*.

111 Hoc pacto captiva facta eſt Civitas,
olim Domina Gentium, & Græci in miſe-
ram redacti ſunt ſervitutem; quibus magis
imperabat Bajazetes, quàm proprius Im-
perator. Tribus exinde elapſis annis, rupto
carcere aufugerunt Joannes & Emmanuel,
qui profecti ad Bajazetem, poſtularunt ſibi
reſtitui Regnum, magnum promittentes tri-
butum. Sed Andronicus pro ſe, & Joanne
ipſius filio rem coràm eodem Rege agebat:
Contendentibus ambobus, & majus tribu-
tum Tyranno promittentibus, ipſe Bajaze-
tes placitum Populi exquirere voluit, illo
poſtulante Emmanuelem, datus eſt Emma-
nuel, qui plura Regi promiſerat, quàm An-
dronicus; nam præter auctum annuale tri-
butum, promiſit ſe perſonaliter profecturum
cum illo in militiam quocumque Exercitus
duxiſſet: ,, Cùm autem adminiſtraret Re-
,, gnum, *proſequitur idem Scriptor*, filium
,, ſuum Joannem Græcia Regem deſtinavit.
,, Illos verò annis tribus in carcere tenuit,
,, nec tamen obtruncare voluit, quamvis ad
,, id incitaretur à Bajazete. Anno autem
,, quarto perſuaſerunt Carceris Præfecto, qui
,, alimenta ipſis miniſtrabat, ut ſubjiceret
,, ferrum. Quo facto diſſoluerunt Carcerem,
,, & aufugientes, feſtinarunt ad Regem Ba-
,, jazetem, promittentes ſe tributum maxi-
,, mum penſuros, daturosque milites quot-
,, quot imperaſſet. Miſſo Nuncio Byzantium,
,, explorabat Byzantinorum animos, quem-
,, nam ſibi Regem dari, Emmanuelem, an
,, Bajazetem vellent. Hac ratione pulchrè
,, expiſcabatur, ut Byzantii etiam erga ſe
,, animati forent. At Byzantii elegerunt
,, Emmanuelem, jam faſtidientes Andronici
,, imperium.

112 ,, Exorta eſt igitur contentio inter
,, ambos Reges ſuper Byzantii Regno: Em-
,, manuel promittebat ſe tributum, quod
,, contineret tres myriades aureorum, nu-
,, meraturum quotannis; addebatque, ſe
,, profecturum cum illo in militiam quocum-
,, que Exercitus duxiſſet. His conditioni-
,, bus, quas modò commemoravimus, By-
,, zantii Regnum à Bajazete accepit, vide-
,, licet, ut Januas profectus, tributum, quod
,, imperaſſet, ſolveret; militesque ſemper
,, quot juſſiſſet, verè appetente, adduceret:
,, Andronicus & filius ejus Joannes moran-
,, tes in Januis, victum apud Regem habue-
,, re. Emmanuel Regno præfuit. *Hæc præ-*

ſe-

fatus Scriptor. Quæ quidem eveniſſe Anno ſecundo Pontificatus Urbani VI. indicat Auctor Appendicis Hiſtoriæ in Andream Dandalum, ſcribens, Calo Joannem pulſo Andronico reſtitutum Imperio, eo tempore, quo à Carolo Zeno nonnullarum Triremium Venetarum Præfecto plura mala allata fuere Genuenſibus, poſt illorum receptam cladem ab ipſis Venetis apud Clodiam illatam.

113 Itaque perſpicuum eſt, Conſtantinapolitanum Imperium primò factum eſſe ſub tributo, dùm Andronicus expulſis patre & fratre ope Bajazetis illud recepit; & quidam ſub Gregorii XI. Pontificatu circa Annum VII. prout ejuſdem Gregorii literæ ſuperiori Capite recitatæ ſatis indicant. Deindè opprobrioſiſſimè iterùm ſub Urbano VI. quandò pulſo Andronico, iterùm à Bajazete reſtitutum eia ſuit, ut modò viſum eſt: quo tempore ſola Imperii umbra remanſit apud Græcos, univerſa pro libito diſponente Bajazete; qui & contra ipſos Græcos eos militare fecit; nam Philadelphiam nobilem in Lydia, ſive Myſia Civitatem in Aſia, per ipſos Græcos Reges pro eo pugnantes ſuæ dictioni ſubjecit; undè ſubjungit Chalcocondylas:
,, Bajazetes Amurathis filius habens ſecum
,, Græcorum Reges, qui ad id eum uſque in-
,, citabant, arma contra Philadelphiam Ur-
,, bem Græcam vibravit. Contendentibus
,, namque inter ſe Byzantii Regibus, pete-
,, bat Rex Bajazetes ſibi dari Philadelphiam:
,, qui ſe id facturos promiſerunt. Cùm au-
,, tem Emmanuel miſiſſet præconem, qui
,, nunciaret Philadelphiæ Civibus, ut ſe,
,, Urbemque dederent Bajazeti, acciperent-
,, que, tùm Judicem, tùm Præfectum Tur-
,, chum: reſponderunt, ſe nunquam paratos
,, eſſe, ut ſemetipſos proderent Barbaro. Quo
,, reſponſo iratus Bajazetes, Urbem Exerci-
,, tibus circumſedit, ducens ſecum ad id bel-
,, lum Græcorum Reges, qui ibidem virtu-
,, tis præmia ſunt conſequuti. Primi etenim
,, conſcendentes murum, Urbem cœpère.

Hæc ille, qui poſtea addit, præfatum Bajazetem moviſſe in Armeniam, eamque ſubjeciſſe, capto Regis filio. Verùm de Rege Armeniæ capto, aliiſque illatis in Chriſtianos Armeniæ malis, exhibet Raynaldus ad Annum Domini MCCCLXXXI. ſub n. 49. literas Clementis Antipapæ ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, ſub datis IV. Nonas Julii, ſui antipontificatus Anno III. ubi hæc à Comite Curchi ei expoſita, ſcribit.

114 ,, Nuper ad noſtrum, dilecto filio
,, nobili viro Soberio de Sarto Comite Cur-
,, chi nobis inſinuante, non ſine cordis ama-
,, ritudine pervenit auditum, quòd dudùm
,, impiiſſimus Soldanus Babyloniæ cum ma-
,, xima Sarracenorum multitudine Regnum
,, Armeniæ ſua crudelitate intravit, ac Ci-
,, vitates, Caſtra, & Villas dicti Regni, non
,, ſine magna Chriſtianorum ſtrage capiens,
,, comburens & deſtruens, & quampluribus
,, Chriſtianis Fidem Catholicam abnegare
,, nolentibus diverſa tormentorum genera in-
,, ferens, Agricultores vivos excoriari, Re-
,, ligioſis, & aliis Presbyteris, & Perſonis
,, Eccleſiaſticis oculos cum ferris ignitis erui,
,, & eiſdem Presbyteris linguas, nè verbum
,, Dei populo prædicarent, & quatuor digi-
,, tos, cum quibus Corpus Dominicum per-
,, tractabant abſcindi fecit, ac chariſſimum
,, in Chriſto filium noſtrum Leonetum Re-
,, gem, ac chariſſimam in Chriſto filiam no-
,, ſtram Mariam Reginam Armeniæ Illuſtres,
,, præfatumque Comitem, ac dilectam in
,, Chriſto filiam nobilem mulierem Fynnam
,, Comitiſſam Curchi dicti Comitis uxorem
,, in quadam Civitate ipſius Regni cum mul-
,, tis Chriſtianis aliis exiſtentibus per novem
,, menſas, vel circiter adeò arctè obſeſſos te-
,, nuit, quòd fame afflicti mures & equorum
,, coria comedere cogebantur, & tandem
,, propter defectum victualium ſe, & Civita-
,, tem prædictam de conſenſu populi Civita-
,, tis ipſius Sarracenis eiſdem ſe neceſſariò
,, reddiderunt captivos, dictique Sarraceni
,, eos ſic captivos, ac bonis ſuis ſpoliatos,
,, ad Civitatem Hieruſalem primò, & dein-
,, de ad locum Cadri, in quo dictus mora-
,, batur Soldanus duxerunt; & ibidèm Co-
,, mes præfatus, cum eiſdem Rege, Regina,
,, & Comitiſſa, & aliis Chriſtianis per quin-
,, que annos, vel circiter manſit carceribus
,, mancipatus; dictique Rex & Regina, ac
,, Comitiſſa, & alii Chriſtiani adhùc ibidem
,, detinentur captivi, & ad negandum Dei
,, filium Jeſum Chriſtum per eoſdem Sarra-
,, cenos incitantur, quòdque non eſt veriſi-
,, mile eos poſſe à captivitate hujuſmodi li-
,, berari, niſi de fidelium ſubventionibus
,, ſuccurratur eiſdem.

Hæc ille; addens Imperia Tarraconenſi, ut quæ in ea Provincia malis artibus partæ ſint opes ad liberandos carcere Regem, Reginamque Armeniæ derivandas curaret.

115 Cæterùm hanc irruptionem diverſam eſſe ab ea, quæ facta eſt à Bajazete, cùm ex relatione Comitis Curchi conſtet factam à Soldano Babyloniæ, ideſt Ægypti, in eaque Regem, Reginamque captos, univerſumque ſubactum Regnum quadriennio ante, hoc eſt, ad extrema Pontificatus Gregorii XI. Quæ verò à Bajazete facta, de qua Chalcocondylas, accidit ſub Urbani Pontificatus, reſtituto jam Græcorum Imperio Calo Joanni patri, & Emmanueli filio; ac in ea non Regem & Reginam captos, ſed Regis filium, ut idem Auctor ſcribit; ac proinde apparet, non eandem Armeniam ab utroque ſubactam, ſed minorem Armeniam à Soldano Babyloniæ, cui Leo, ſive Leonetus Rex præerat, majorem verò à Bajazete vaſtatam, regnante in ea Sceadere, ut appellat Chalcocondylas, ideſt, Alexandro, cujus filius captivum fecit;

Digitized by Google

cit; ſcribit namque: *Poſtea bellum intulit Bajazetes Scenderi Armenorum Regi. Præterea Ertzicam Armenorum Regni Sedem, & Lamacham ſic appellatum Oppidulum bello petiit*. Et pauló infra ſubjungit: *Contra Scenderem igitur Bajazetes arma movens, Ertzicam expugnavit, Filiumque Scenderis vinctum in cuſtodiam dedit*. Hoc ergò pacto Imperia dilatabant in Aſia Soldanus Babyloniæ ex una parte, Bajazetes ex altera, dum Græci Principes inter ſe de Imperio contendebant, turbato quoque univerſo Occidente non minus diro ſchiſmate, quàm cruentiſſimis bellis; ex quibus lata patefacta eſt infidelibus Turcis via ſubigendi ſibi, nedùm Aſiæ, verùm & Europæ nobiliſſimas Provincias; nam non diù poſt Bajazetes Albaniam invaſit, atque devaſtavit, ut ſcribit S. Antoninus 3. part. titul. 22. cap. 2. §. 15. inquiens: *Tunc etiam Amorathabay unus ex infidelibus Principibus inimicus Chriſtianorum invaſit Albaniam, & regionem devaſtavit*. Cujus invaſionem idem quoque meminit Chalcocondylas, inquiens: *Poſtea tranſiens in Europam, Exercitibus immiſſis in Macedoniam, & quæ ſpectat ad Jonium, Albanorum Accolarum regionem populabatur: Captis quibuſdam Albanorum Oppidulis, contra Illyrios arma tulit; vaſtataque Illyriorum regione, opes eorum diripuit, & in ſuum emolumentum convertit*. Urbanus porrò Papa, licèt à ſchiſmaticorum factione undiquè exagitatus, torpentibus Græcis, cum amaritudine cordis ſui tantam in Oriente, & in aliis ſupradictis partibus Chriſtianorum cladem proſpiciens, pro poſſe ſubvenire intendens, excitavit ad ſacrum bellum Chriſtifideles propoſitis Indulgentiarum præmiis, datis literis Epiſcopo Caſtellano tenoris ſequentia.

Venerabili Fratri Angelo Epiſcopo Caſtellano, fructuum & proventuum Cameræ Apoſtolicæ in nonnullis partibus debitorum Collectori.

116 „ Intantùm rabies efferata Phrygum, qui Teucri, aliàs Turci nuncupantur, nominis Chriſtiani perpetuorum & immaniſſimorum hoſtium intumuit, & peccatis exigentibus invaleſcit, ut partes Romaniæ illis finitimas, quas multi Chriſtiani, aut Græci incolunt, terrâ, marique invadant, & ad poſſe depopulentur, & deſtruant ac ſubjiciant miſeræ ſervituti; & niſi cum Dei adjutorio, & fidelium præſidiis potenter reſiſtatur eiſdem, valde imminens eſt, nè ad ulteriora manus violentas extendant in Chriſtianitatis maximum detrimentum. Nos autem ſuper iis pio & paterno condolentes affectu, & quantùm præſentialiter rerum conditio patitur, utiliter providere volētes deliberavimus quodmodo per Chriſtifideles in hoc utcumq; juvemur, in loco de Venetiis, Caſtellanæ Diœceſis, duas Galeas ſufficienter armare, & contra hujuſmodi Phryges in ſubſidium fidelium in proximo deſtinare.

117 „ Et quia hîc agitur cauſa Dei, expediens ac neceſſarium videtur, ut ad hoc Chriſtifidelium præſidium imploremus, & propterea hujuſmodi pium negotium devotè proſequentes, de theſauro Sacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ pretioſi Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum, ac Martyrum, quorum patrociniis gloriamur ditare, & ſpiritualium gratiarum muneribus confovere cupientes, ut omnibus proficiat ad ſalutem, & eandem cauſam eò frequentiùs proſequantur, quo exinde majoris retributionis merita ſe ſperaverint adepturos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui contra prædictos hoſtes in perſonis, & ſumptibus propriis, necnon iis, qui in perſonis propriis, alienis tamen expenſis in proſecutione tam pii operis per tempus, de quo tibi expedire videbitur, laborabunt, tam Clericis, quàm Laicis, & iis inſuper, ſuis dumtaxat expenſis, juxta ſuarum exigentiam facultatum deſtinabunt, ſeù ad id à te deputandis ſufficientia ſubſidia miniſtrabunt, & pro eis deſtinari poſſint perſonæ ad ipſam proſecutionem idoneæ, per dictum tempus moraturę & laboraturę ibidem, illam concedimus indulgentiam & veniam peccatorum, quæ concedi per Sedem Apoſtolicam proficiſcentibus in Terræ Sanctæ ſubſidium conſuevit &c. *Datum Peruſii XIV. Kalendas Maji, Pontificatus noſtri Anno XI*. Adjecit Urbanus & mandata eidem Epiſcopo, ut præfatum diploma pro ſacra Concione in Veneto Imperio, ac in Ferrarienſi Toparchia exponeret, fideleſque ad bellicos labores adversùs Turcas ſuſcipiendos incitare curaret: Sed & morte ſupervenięnte Urbani, aliiſque de cauſis hujuſmodi indicta expeditio haud ſortita eſt effectum ſuum.

CAPUT III.

De Urbani VI. obitu; Bonifacii IX. electione, ejuſq; ſtudio pro ſubveniendis Græcis à Turcarum tyrannide preſſis.

118 INter varias ærumnas perducto Pontificatu ad duodecimum uſque annum, Urbanus ultimum clauſit diem, Anno Domini MCCCLXXXIX. Wenceslai Romanorum Imperatoris Anno XI. imperante apud Græcos Emmanuele II. Anno ſui Impe-

pe-

perii VI. Indictione XII. die XIII. menſis Aprilis, cùm fediſſet Annos XI. menſes ſex dies verò VII. Obiit Romæ in Palatio Vaticano, ſepultuſque in Baſilica Principis Apoſtolorum; qui pauló ante obitum, hoc eſt, tertio Idus Aprilis ejuſdem Anni, tria conſtituerat: Primùm, quòd Annus Jubilæi per Clementem VI. de centeſimo ad quinquageſimum Annum deductus, futuris temporibus de trigeſimo tertio Anno in trigeſimum tertium obſervaretur, incipiendo ab Anno proximo futuro MCCCXC. quem Jubilæi eſſe voluit, eâ ductus ratione, quòd totum tempus vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti in humanitate, poſtquàm natus eſt de Virgine, per cujus mortem theſaurus Eccleſiæ, undè Indulgentiæ peccatorum quæcumque emanant, cumulatus eſt, triginta trium annorum curriculo complebatur. Id quod præter Scriptores illius ævi teſtatur Paulus Papa II. in ſua Conſtitutione ædita pro eodem Jubilæo, incipiente: *Ineffabilis providentia Summi Patris*, data Romæ apud Sanctum Petrum Anno MCCCCLXXIII. decimotertio Kalendas Maji, ubi etiam tradit, factâ reductione de quinquageſimo ad trigeſimum tertium Annum, Urbanum præfatum deſignaſſe pro primo Jubilæo, ſub hac forma redacto, Annum MCCCXC. Et ita ex hac Pauli Conſtitutione corrigendi ſunt quidam Scriptores aſſerentes, Urbanum indixiſſe Jubilæum celebrandum Anno Dñi MCCCLXXXVIII.

119 Secundùm quòd conſtituit, fuit feſtum Viſitationis B. Mariæ Virginis, quod ſtatuit craſtino Octavę Sancti Joannis Baptiſtæ ſingulis annis in Eccleſia celebrari, ut Beata Virgo ſuis precibus Eccleſiæ unionem reformare, & reformatam conſervare dignaretur. Tertium porrò, quod ſancivit, fuit, ut non obſtante Interdicto Eccleſiaſtico in feſto Corporis Chriſti poſſint apertis januis, eo modo, quo conceſſum fuit per Bonifacium VIII. in quatuor feſtivitatibus Divina celebrari. Et inſuper conceſſit, ut qui ſequuntur aſſociando Corpus Dominicum, quandò de Eccleſia defertur ad Infirmos, ſi confeſſi, & contriti fuerint, centum Indulgentiarum dies lucrarentur. Quæ quidem omnia, cùm Urbanus morte præventus Conſtitutiones edere haud valuiſſet, Bonifacius IX. ejus ſucceſſor primo ſui Pontificatus Anno, editis Conſtitutionibus apud Sanctum Petrum ſub v. Idus Novembris, confirmavit, & executioni demandare fecit. Undè Gobelinus in Coſmo. drom. ætat. 6. cap. 81. agens de Bonifacio IX. ait: *Et ſtatim confirmavit ea, quæ Dominus Urbanus ſtatuit de reductione Anni Jubilæi de quinquageſimo ad trigeſimum tertium annum, & de feſto Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, ac de feſto Corporis Chriſti, necnon de Indulgentiis ſequentibus Corpus Chriſti, quando defertur ad Infirmum.* Hujus Pontificis unam reperio Bullam in hoc Sacri Montis Sion Archivio, qua concedit Religioſis Minoritis, habitantibus in Conventu præfati Sacri Montis Sion, ut ad curam Infirmorum pauperum Hoſpitalis ſub adminiſtratione Fratrum Minorum propè eundem Conventum extructi, poſſent retinere decem perſonas excedentes ſuæ ætatis annum quadrageſimum; quæ quidem Bulla ſic ſe habet.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Guardiano, & Fratribus Domus Fratrum Minorum de Monte Sion Hieroſolymitano, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

120 „ Ad ea, quæ piorum locorum, & „ Chriſti pauperum commoditatem reſpiciunt, libenter intendimus, & eis quantùm „ cum Deo poſſumus, favorem Apoſtolicum „ impertimur. Cùm itaque, ſicut accepimus, „ vos & pauperes, & infirmi, qui continuè „ confluunt ad Hoſpitale pauperum de Monte Sion propè domum veſtram conſiſtens, „ opportunorum copia ſervitorum carere „ noſcantur. Nos cupientes ſuper hoc de opportuno remedio providère, Vobis dandi „ licentiam decem perſonis Deum timentibus, & compaſſionem ad ipſos pauperes, & „ infirmos habentibus, quæ ad illas partes de „ licentia Apoſtolicæ Sedis acceſſerint, & „ quarum qualibet quadrageſimum Annum „ ſuæ ætatis exceſſerit, hac vice dumtaxat, „ in eodem Hoſpitali & domibus contiguis, „ ſeu vicinis eidem, pro ſervitiis veſtris ac dictorum infirmorum, & pauperum omni „ fraude ceſſante, ad tempus, de quo vobis „ expedire videbitur, remanendi, prohibitionibus, & conſtitutionibus Apoſtol. contrariis quibuſcumque nequaquam obſtantibus, plenam, & liberam concedimus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem. *Datum Neapoli apud majorem „ Eccleſiam Neapolitanenſem*, III. *Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno VII.* Hanc in regeſto ad calcem tom. IV. Annalium Minorum, recenſet noſter Wadingus. Nos verò ex præfato Montis Sion Archivio, & ex ſuo Autographo exſcripſimus.

121 Defuncto ergo, ut præfati ſumus, Urbano, Cardinales tunc Romæ exiſtentes, de ipſius obedientia literas fecerunt de illius obitu ad univerſos Principes, Reges, Præſules, & Catholicos populos, præcipuèque ad Imperatorem, ad Reges Ungariæ, Angliæ & Luſitaniæ, ad Margaritam Norvergiæ Reginam, ad Venetorum, & Gennenſium Duces, ad Florentinos, & Piſanos, ad Vice Comites Mediolani, ad Eboracenſem, Brunſuicenſem, Bavariæ, & Auſtriæ Duces, alioſque Proceres de Urbani obedientia, nam ad Galliæ, & Hiſpaniarum Reges de Clementis obedientia, non apparet datas à præfatis Cardinalibus lite-

teras; cùmque ejuſdem tenoris ad univerſos ſuprarecenſitos datæ fuerint, quas ad Imperatorem miſerunt, exhibemus ex Raynaldo ad prædictum Annum ſub num. 10. ad hunc modum ſe habentes.

Excellenti & Magnifico Chariſſimo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filio Domino Wenceslao Romanorum, & Boemiæ Regi Illuſtri, miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ejuſdem Eccleſiæ Cardinales, ſalutem in Domino

122 „ Superveniens heſterna die, judicio
„ Divino, & naturali curſu labilis vitæ tran-
„ ſitus fœlicis recordationis Domini Urbani
„ Papæ VI. benigniſſimi Patris & Domini
„ noſtri, mentibus noſtris amaritudinis ca-
„ licem propinavit, de quo, admixta ſoli-
„ citudine pro debito ſenſualitatis anxieta-
„ tem & mœrorem potavimus, & potamus,
„ utpotè tanti Patris directione, & præſidiis
„ deſtituti, quòd Celſitudini Regiæ ſerie præ-
„ ſentium intimamus. Verumtamen cùm ad
„ nos dumtaxat unà cum fratribus noſtris
„ abſentibus, ſi adeſſent, pertineat ſtatui
„ univerſalis Eccleſiæ providere, ad quam
„ quidem proviſionē cum gratia Sancti Spi-
„ ritus, Deo dante, prout jura dictant, con-
„ gruo modo, loco & tempore procedamus,
„ Celſitudinem Regiam attentè requirimus,
„ monemus, hortamur, & obſecramus in Do-
„ mino Jeſu Chriſto, quatenus Excellentia
„ Regia unà cum Proceribus & populis ſuæ
„ ditioni ſubjectis humiles ad Deum & ſedu-
„ las preces fundat, aliis pietatis & miſeri-
„ cordiæ operibus inſiſtendo, ut ſi quid ipſe
„ Dominus noſter pro fragilitate imbecilli-
„ tatis humanæ, dum præſens vita ejus ve-
„ getavit artus, reatus contraxit, illud piè
„ ſibi remittat, & eum collocet cum electis
„ & nos rore ſuæ benedictionis aſpergat, no-
„ biſque concedat in talem virum pro regi-
„ mine Eccleſiæ Sanctæ Dei unanimiter di-
„ rigere vota noſtra, quod ſit ad Dei laudem
„ & ad reſtaurationem, unitatem & bonum
„ ſtatum dictæ Eccleſiæ & Reipublicæ, ac
„ propagationem & exaltationem Fidei Sa-
„ croſanctæ. *Datum Romæ apud Sanctum*
„ *Petrum ſub ſigillis trium ex nobis ſuorum*
„ *Ordinum Priorum* xvII. *Kal. Novembris*,
„ *Apoſtolica Sede vacante*.

123 Ex hujuſmodi literis conſtat certus dies obitus Urbani, videlicet, ut præfati ſumus, Idibus Octobris, cùm ſub die xvI. qua datæ ſunt literæ, ideſt xvII. Kal. Novembris, dicatur obiiſſe heſterna die, ideſt die xv. ejuſdem menſis, & ita corrigendus eſt Summontius, qui ex Epitaphio inſculpto in Sacello Prignano, ſcribit deceſſiſſe 121. Idus Octobris. Tempus porrò ſui Pontificatus, pariter ex eiſdem literis deducitur, nam; ſi ut ſuo loco oſtendimus, creatus eſt Pontifex die vIII. Aprilis Anni MCCCLXXVIII. deceſſit die xv. Octobris Anno MCCCLXXXIX. ſequitur ſediſſe Annos XI. menſes vI. dies verò vII. ut ſupra diximus: ac ideo corrigendus eſt Platina, qui plures ac ſex menſes ſupra Annos undecim ſediſſe ſcribit, & noſter Wadingus etiam correctione indiget, dum aſſerit ſediſſe Annos XI. menſe vI. dies verò xvII.

124 Solemniter de more celebratis Urbani Exequiis, ac ejus corpore tumulato, ingreſſi Conclave Domini Cardinales, qui de ipſius obedientia Romæ, & in circumviciniis locis morabantur, de ſucceſſoris electione tractare incœperunt, ac paucis poſt diebus, Divino Spiritu afflati, unanimiter conſenſerunt in Dominum Petrum, vulgò, Perinum Tomacellum Cardinalem Diaconum tituli Sancti Georgii in Velabro, ab Urbano VI. creatum die vI. menſis Decembris Anni Domini MCCCLXXXI. communiter appellatum Cardinalem Neapolitanum: qui ſibi nomen indidit Bonifacii IX. De cujus electione Theodoricus Niemius lib. 2. cap. 6. hæc ſcribit:
„ Defuncto Urbano, ut præfertur, in Urbe
„ in Palatio Apoſtolico propè Baſilicam
„ Principis Apoſtolorum, ac ejus corpore tra-
„ dito ſepulturæ, Cardinales de ipſius obe-
„ dientia tàm illi, qui in Roma præſentes,
„ quàm alii, qui tunc in propinquis Provin-
„ ciis erant, pro celebranda electione futuri
„ Pontificis in Urbe convenientes, Petrum
„ de Tomacellis in Papam elegerunt: quo
„ electo, infra horam prandii publicabatur
„ ejus electio, & ſtatim concurrentibus illic
„ ad Palatium multis Romanis ac Curialibus
„ ipſum ad majus Altare in Baſilica Princi-
„ pis Apoſtolorum more ſolito trahebant:
„ quo facto, cùm ad Palatium rediret ob-
„ viantibus & congratulantibus ſibi omni-
„ bus, una ſententia reſpondebat, dicens;
„ *Gaudium meum, gaudium veſtrum eſt*. De-
„ inde in feſto Sancti Martini ſuæ corona-
„ tionis recepit inſignia: & dum ad Eccleſiam
„ Sancti Joannis Lateranenſis progrederetur,
„ per Urbem iter agendo, non multùm ho-
„ norificè comitatus propter vehementes
„ imbres, per plures horas ejus diei deciden-
„ tes, Bonifacius parùm curare præ magno
„ gaudio videbatur. *Hæc ille*.

125 Hic ergo patriâ fuit Neapolitanus, ex Nobiliſima Tomacellorum familia oriundus, magnæ ac proceræ ſtaturæ decorus inſuper facie, ut idem Theodoricus notat, moribus quoque probatiſſimus, mirificus caſtitatis cultor, adeout, licèt juvenis, in ea corrupta ætate, nemo potuerit eum quidquam de inhoneſto reprehendere. Scribunt aliqui, egiſſe tunc trigeſimum ſuæ ætatis Annum, alii verò trigeſimum tertium, probabiliùs tamen Panvinus obſervat, egiſſe Annum quadrageſimum quintum: creatus fuit, ut præfati ſumus, Cardinalis Diaconus ab Urbano VI. tituli

San-

Digitized by Google

Sancti Georgii in Velabro, poſtea factus eſt Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, ex quo ad apicem Pontificstus evectus fuit. Ejus creatio incidit in IV. Nonas Novembris, videlicet die ſecunda præfati menſis; coronatus III. Idus, ideſt, die XI. ejuſdem menſis, in feſto S. Martini: ab obitu ergo Urbani ad electionem Bonifacii Sedes vacavit diebus XVII. Sed adversùs Bonifacium, habita de ejus electione notitia, Pſeudopontifex Clemens VII. ſtatim inſurrexit, & cenſuras adversùs eum fulminare non eſt veritus: plurimùm ſavente Carolo Francorum Rege, ad cujus nutum coronavit in Siciliæ Regem Ludovicum ſecundum Andegavenſem, filium alterius Ludovici ſchiſmatici (qui miſerè obierat) ipſo Carolo ſupramemorato præſente.

126 Verùm Anno V. Pontificatus Bonifacii IX. inſœliciter ultimum clauſit diem ſchiſmaticus Clemens, unde ejus Vitæ Scriptor ait: *Poſt ſatis brevem infirmitatem, die* XVI. *menſis Septembris, Anno Domini MCCCXCIV. Pontificatus ſui* (*rectius Pſeudopontificatus*) XVI. *diem clauſit extremum in Avenione*. Tenuit ergò iſte Clemens Pſeudopontificiam dignitatem Annis XVI. minus diebus IV. electus namque fuit in Fundana Civitate à ſchiſmaticis Cardinalibus die XX. menſis Septembris Anni MCCCLXXVIII. unde dato ejus inſœlici obitu die XVI. ejuſdē menſis Septēbris, prædicti An. MCCCXCIV. ſequitur vixiſſe in Pſeudopontificatu Annis XVI. minus quatuor diebus. Fuit hic moribus corruptiſſimus, ut plures ſcribunt: unde Nicolaus Clemangius de corrupto Eccleſiæ ſtatu cap. 26. ait: „ Qnid Clemente noſtro quoad „ vixit miſerabilius, qui ita ſe ſervum ſervorum Gallicis Principibus adiccerat, ut eas „ ferret injurias, & contumelias, quæ ſibi „ quotidiè ab aulicia inferebantur, quss vix „ deceret villiſſimum mancipium dici? Cedebat ille ſurori, cedebat tempori, cedebat „ flagitsntium importunitati, ſingebat, diſſimulabat, largiter promittebat, diem ex „ die lucebat, his beneficia dabat, illis verba, omnibus, quos aut ars aſſentatoria, aut „ ludicra in curiis acceptos fecerat, ſummoperè placere ſtudebat, eosque beneficiis „ promereri, quo talium patrocinio, Dominorum gratiam, & ſavorem aſſequeretur, „ & ſimilia. *Et inde ſubnectit*. His itaque & „ juvenibus nitibis, & elcgsntibus, quorum „ maximè conſortio gaudebat, ſingulos ferè „ vacantes Epiſcopatus, cæterasque præcipuas dignitates impendebat. *Hæc ille*. Cui conſona ſunt quæ ex Arcanis Petri de Luna apud Rsynaldum prodita ſunt, nam inter alia, hæc de eodem Clemente relata ſunt: „ Item quia Scutiferos & Scriptores tene- „ bat, ut omnes vidimus, tales ut vidiſtis, „ immo quandoque dicebat: Iſta veſtis, quæ „ non ibat, niſi uſque ad poſteriora, adhùc „ dicebat, quòd erat nimis longa: immò in „ uno feſto ſecit radi ſupercilia Cautello „ Scutifero Domini Rhotomagenſis, ut audivi: & ſic videbatur multis, quòd bonum „ eſſet ſi cederet; ſed non ſic de iſto, quia „ non juvenes, non laſcivos tenebat.

127 De collapſa per eundem Eccleſiaſtica diſciplina hæc alia ſubjungit Clemangius ſupramemoratus: „ Denique, *inquit*, ut Principum benevolentiam facilius aſſequeretur, „ aſſecutam ſoveret, fotamque conſervaret, „ conſervatam amplificaret, plurima ultrò „ dona & xenia illis dabat: quaſcumque ſuper Clero exactiones petere voluiſſent, annuebat; ultrò ſæpiùs etiam ingerebat: ſicque omnem Clerum ſæcularium Magiſtratuum diſpoſitioni ità ſubiiciebat, ut Papa „ magis quilibet eorum, quàm Papa ipſe putsretur. In hac triſtiſſima ſervitute, non „ dico præſidentia, tria, vel ſupra, temporum luſtra cum incredibili Eccleſiæ attritione conſumpſerunt. *Hactenus Clemangius*. Et concordant, ea quæ ſcribit Theodoricus Niemius lib. 2. cap. 4. de quo ait: „ Hic „ Robertus, ſive Clemens multùm favit Magnatibus, ſive Nobilibus, unde petentibus „ ipſis terras, Caſtra, & dominia Eccleſiarum „ Cathedralium, & Monaſteriorum modico „ Annum cenſu ipſis ſolvendo iu feudum, ſine „ difficultate conceſſit, & ea Eccleſiis, & „ Monaſteriis auferens, eodem etiam penſionis, vel alterius ſervitutis onere non retento abſolutè donavit pro ſe, & hæredibus „ ac ſucceſſoribus eorundem. *Hæc ille*.

128 Sublato itaque Pſeudopontifice Clemente, pax ſperabatur in Eccleſia, quia & Galli ante Clementis obitum de medio tollendo ſchiſmate plures habuere tractatus: nsm & Carolus VI. Francorum Rex, filius Caroli V. jam ſub Urbano VI. die XVI. Septembris Anni MCCCLXXX. defuncti, in propoſito fuerat, per viam ceſſionis abolendi ſchiſma: & ſublatò è vivis Clemente, ſua mens erat, nè Cardinales ſchiſmatici ad novam procederent electionem, licèt aliter ſentientibus prædictis Cardinalibus, electio alterius Antipapæ ſubſecuta fuerit, hac cautela ab eis propoſita, ut ante electionem Domini Cardinales jurarent, ut quilibet ex ipſis electus, ſi pro pace Eccleſiæ Bonifacius cederet Papatui, ille pariter cederet: & quoniam ſub præfato Clemente Pſeudopontifice Petrus de Luna Aragonius, qui fuerat decretorum Doctor, & Præpoſitus Valentinus, Cardinalis Diaconus, creatus à Gregorio XI. Anno Domini MCCCLXXV. die XX. Decembris, viſus fuerat plurimùm inclinatus ad abolendum ſchiſma, præcipuè per viam ceſſionis, nam in Legatione ad Hiſpaniæ & Aragoniæ Reges, ſæpè coram præſatis Regibus declamaverat contra ipſum Clementem, quòd ad unionem Eccleſiæ intendere non curaret; & in altera Legatione ad Gallorum Regem ſæpè pro-

proteſtatus fuerat, quòd ſi ipſe dicto Clementi, poſtquàm decederet, in ejus obedientia ſuccederet, modis omnibus unionem in univerſali Eccleſia facere vellet, ut refert Theodoricus Niemius, his, inquam, de cauſis à Cardinalibus de Clementis obedientia electus fuit in Papam, ea ſpe ductis, ut quæ ante evulgaverat, executioni demandaret, ejuſque operà pax reſtitueretur Sanctæ & Univerſali Eccleſiæ: ſed eos ſpes fefellit, ut exitus rei comprobavit. Creatus ergo eſt Petrus de Luna in Pſeudopontificem, aut in fine menſis Septembris prælibati Anni, aut circa initia Octobris: nam extant literæ Accademiæ Pariſienſis poſt illius electionem datæ Dominis Cardinalibus, ſub die 9. menſis Octobris, quibus illius Univerſitatis Doctores indicant, ſe novo electo Pontifici ſcribere, hortantes eum, quatenus operam daret ad tollendum ſchiſma, quemadmodum, ante ſuam promotionem promiſerat. Nomen porrò ſibi indidit Benedicti XIII. Et pertinaciſſimè fovit prædictum ſchiſma, uſque ad extremum vitæ ſuæ exitum.

129 Hoc itaque continuato ſchiſmate, turbata univerſa Europa, Bajazetes Turcharum Rex ad univerſum Græcorum Imperium evertendum adiecit animum, & Anno Domini MCCCXCIII. ipſam Regiam Conſtantinopolis Urbem obſidione cinxit, Græcis licèt & ipſis ſordeſcètibus in ſchiſmate, Chriſtianorum auxilia implorantibus, Sigiſmundus Ungariæ Rex opem eis laturus, cum exercitu ad Nicebolim acceſſit, quo audito Bajazetes ſolutà obſidione, in Pononiam cum valido exercitu profectus eſt, ubi variis initis præliis, tandem factà à Turcis noctu in Caſtra Hungarorum irruptione, ſuccubuere prævalentibus Turcis: qua parta victoria, iterùm reverſus cùm ſuis Bajazetes, eandem Regiam Urbem expugnare aggreditur: Cujus obſidionis meminit Walſingamus in Ricbardo Secundo, ſcribens: *Anno Domini MCCCXCIV. qui eſt annus Regis Richardi decimus ſeptimus, Muretus (ideſt Bajazetes) de Turcia vallavit obſidione Civitatem Conſtantinopolitanam; ſed obſeſſorum probitate repulſus eſt*. Verùm, non tam obſeſſorum probitate repulſus eſt, quàm conventione cum Græcis factà, in Chriſtianæ Religionis dedecus; nam hac lege Bajazetes obſidionem ſoluit, ut Vicus unus Turcis mercatoribus dederetur in ea Urbe à Conſtantinopolitano Imperatore: tribueretur inſuper Fanum, in quo Mahumetica excoleretur ſuperſtitio: & denique, ut quotannis eiſdem Turcis à præfato Imperatore decem millium aureorum vectigal ſolveretur.

130 Poſt hæc verò ad ſubiiciendas cæteras Chriſtianorum, Regiones non ſolùm in Aſia, verùm & in Europa arma movit: Et mirùm ſanè, quòd Chalcocondylas ſcribit lib. 2. de rebus Turcicis, de Epiſcopo Phocenſium Græco, qui ad occupandam illam regionem, ad quam non intendebat Bajazetes, ipſum Tyrannum invitaverat: „ His peractis, „ *inquit*, expeditionem ſuſcepit contra Pe- „ lopponeſum, rumore priùs ſparſo, quaſi „ bello eſſet petiturus, Phocidem & Theſſa- „ liam ſubacturus, ut ſibi ad res gerendas „ foret idonea. Epiſcopus autem Phocen- „ ſium invitabat eum, oſtentans regionem „ venationibus commodiſſima, habentem „ prata, quæ præberent infinitam gruum mul- „ titudinem: præterea campos ad equitatum „ natura quàm pulcherrimè inſtructos. *Hac ille*. Deinde ad ſibi ſubiiciendum Achajam, Athenarum Ducatum, Boſnam, Croatiam, Dalmatiam, Sclavoniam, aliaſque Chriſtianorum Provincias tyrannica rabie eſt aggreſſus: quibus permotus Bonifacius Pontifex, ut eis pro poſſe ſuccurreret, Joanni Archiepiſcopo Neopacenſi Apoſtolicæ Sedis Nuntio in commiſſis dedit. ut in iis Regnis Crucis ſigna attolleret in Turchas, ac fideles ad Religioſam militiam, accepto Crucis Symbolo profitendam, excitaret, propoſitis conſuetis Indulgentiarum premiis: ad hunc modum videlicet ſcribens.

Venerabili Fratri Joanni Archiepiſcopo Neopacenſi Apoſtolicæ Sedis Nuntio.

131 „ Cogimur ex debita Charitate, qua „ cunctos Chriſtifideles cum omni ſinceri- „ tate complectimur, amariſſimè dolère, & „ dolorem noſtrum in publicum deducere, „ quòd noviſſimis diebus ad flagellum Chri- „ ſtianorum, peccatis exigentibus, & ſevi- „ tiam & multitudinem eorū infidelium im- „ maniſſimorum hoſtium, quos vulgus Tur- „ chos appellat, inſimul congregavit & ar- „ mavit impietas, qui nomen invocantium „ Chriſti finitimas illas partes, utpote opu- „ lentiſſimum, & victorioſiſſimum quondam „ Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæ, & „ Sclavoniæ regna, ac Principatum Achaiæ, „ Ducatum Athenarum, & nonnulla alia „ Chriſtianorum loca circumpoſita rabie „ quadam invadunt, diſcurrunt, & prout eo- „ rum impietati felicitas favet, ſibi ſubigunt, „ & illos miſeros Chriſtianos, qui eorum in „ manus incidunt, aut crudeliſſimè truci- „ dant, aut exquiſitiſſimis tormentorum „ generibus afficiunt, vel abducunt in mi- „ ſerrimam ſervitutem, & ad poſſe cogunt „ negare Fidem Chriſti, & ſervare profanos, „ & deteſtabiles ritus eorum: quæ poſſunt „ autem, rapiunt in prædam; loca verò Chri- „ ſtianorum, quæ quovis modo demetunt, „ calamitoſis conditionibus affligunt, Ec- „ cleſias, & ſacras ædes polluunt, & ple- „ rumque diruunt (& quòd nefandiùs eſt) „ venerabile Chriſti nomen viribus totis „ conculcant, & veſanas Meſquitas eorum

cum

Digitized by Google

„ eum celebritate erigunt, ut ſublata Chriſti
„ veneratione, in illis invocetur nomen da-
„ mnatiſſimi Machometi.

132 „ Horret animus talia reminiſci:
„ ſed ad cumulum noſtri graviſſimi doloris
„ accedit, quòd tota Chriſtianitas, quæ in
„ concordia poſita, tot & majoribus malis
„ ſalubriter poſſet occurrere, adversùs ſemet-
„ ipſam, vel patenti & patricidiali, &
„ pluſquàm civili bello furit, aut ſævit, aut
„ ſicubi forſan quieſcere videatur, animo-
„ rum perniciosiſſimis peſtibus, odiis videli-
„ cet acerrimis, & ſimultatibus peſſimis con-
„ funditur, & tabeſcit. Propter quòd cùm
„ ad retundendum furores hoſtium hujuſ-
„ modi non multi alii modi ad hoc utiles,
„ ad præſens utiles videantur, nos, quorum
„ permaxime intereſt fideles protegere & ro-
„ borare, hoſtes verò præfatos, eorumque
„ conatus reprimere & elidere; & aliàs in
„ præmiſſis ſalubriter providère, cùm in iis
„ agatur cauſa Dei, adversùs eoſdem hoſtes
„ in virtute Altiſſimi inſurgere, & ad ipſam
„ proſecutionem Chriſtifideles, Principes
„ videlicet, Proceres, Magnates, & inferio-
„ res perſonas decrevimus excitare. *Et poſt*
„ *plura ſubnectit*.

133 „ Cùm autem te, qui Ordinis etiam
„ Fratrum Prædicatorum profeſſor exiſtis,
„ pro quibuſdam arduis negotiis ad Dalma-
„ tiæ, Croatiæ, Boſnæ, & Sclavoniæ Regna
„ præſentialiter deſtinemus, Fraternitatem
„ tuam, attentè requirimus, & monemus, tibi
„ nihilominùs diſtrictè præcipiendo, man-
„ dantes, quatenus per te, vel alios ad hoc
„ idoneos in Eccleſiis & locis in eiſdem Dal-
„ matiæ, Croatiæ, Boſnæ, & Sclavoniæ
„ Regnis conſiſtentibus, de quibus, ſi, &
„ prout tibi videbitur, diebus Dominicis &
„ feſtivis præmiſſa ſolemniter publicando &
„ exponendo, ac per alios, quos ad hoc depu-
„ taveris publicari, & exponi faciendo, ut me-
„ liùs, & clariùs intelligatur, ab omnibus etiā
„ in vulgari, Principes, Proceres, Magna-
„ tes, perſonas ſupradictas, ac alios Chriſti-
„ fideles inſtantiùs, & efficaciùs per verbum
„ prędicationis & aliàs, prout expediens fue-
„ rit, inducere ſtudeas, ut ſuſcipientes cum
„ reverentia per manus tuas, vel aliorum
„ per te ad hoc deputatorum venerabile ſi-
„ gnum Crucis, illudque ſuis humeris & cor-
„ dibus affigentes, ad proſequendam hujuſ-
„ modi cauſam Dei, ac Fidei, & Romanæ
„ Eccleſiæ matris eorum viriliter ſe accin-
„ gant &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum, III.*
„ *Nonas Junij, Pontificatus noſtri Anno V.*

Non diù autem poſt audiens Pontifex majo-
res depopulationes fieri à Turcis in Chriſtia-
norum Terris ad majores in eos contrahendas
vires, juſſit prædicari Crucem in ditione quoq;
Alberti Auſtriæ Ducis, atq; in Tarviſana Pro-
vincia, data commiſſione Dominico Eugubino
ex Prędicatorum Ordine, prout ex ſubſequēti-
bus conſtat literis.

Dilecto Filio Joanni Dominico de Eugubio
Ordinis Prædicatorum Profeſſori, &
in Sacra Theologia Magiſtro.

134 „ Ad Apoſtolatus noſtri aures non-
„ nullorum fidelium populorum vehemens &
„ amara valdè querela pervenit, quòd non-
„ nullas Chriſtianitatis partes invaſit nefan-
„ da, ac horrenda infidelium Turcorum vide-
„ licet multitudo, qui Deo mortui, mundo
„ vivunt, & in quibus tepeſcentibus mem-
„ bris ſola incaleſcit ſcelerum flamma, &
„ ſola incentiva bulliunt vitiorum, ut vi-
„ neam Domini Sabaoth valcant demoliri, ac
„ aliis locare agricolis, & inficere greges
„ ejus, & (quòd graviùs eſt) dicunt adversùs
„ fideles ipſos, quod ſcribitur: *Vadamus &*
„ *diſperdamus eos de gente, & non memorabi-*
„ *tur nomen Iſrael ampliùs: & poſſideamus*
„ *nobis Sanctuarium Dei ipſorum*. O' damna-
„ tionis & iræ filii! O' perditionis & calami-
„ tatis alumni! O' ſemen Canaan, ſemen ne-
„ quam! Exurgat Deus & ſuos diſſipet ini-
„ micos: exurgat, & veniat, ut populum
„ ſuum ſuſcitet in confuſione prædictorum
„ inveteratorum dierum malorum, & Ange-
„ lum ſuum, qui eos ſcindat, ſecetque per
„ medium, de alto ſolio ſuo mittat. Veniat
„ Populus Iſrael, & David rursùs leonem
„ & urſum de Grege Domini arietes tollen-
„ tes occidat, & ſpurios ipſos in fontibus
„ impudicitiæ ipſorum percutiat, itaquòd
„ in facies ſuas cadant.

135 „ Exurgant inſuper Chriſti milites,
„ Eccleſiæ filii, Athletæ Catholicæ Fidei,
„ peregrinas luſtrantes Provincias, maria
„ tranſeuntes, & regiones extraneas pera-
„ grantes pro fidei dilatatione & defenſione
„ præfatæ. Vociferat inſuper Eccleſia ululan-
„ do anxia querela præfata Patrocinia Sum-
„ mi Patris, & dicit: *Domine ſalva nos, peri-*
„ *mus*; parique voce: ſuccurre Princeps
„ fidelibus, & provide filiis, pie Pater: Sparge
„ rorem tuę gratiæ ſupplicanti, quoniam
„ tenebræ cooperuerunt terram, & caligo
„ invaſit populos antedictos, & velut erran-
„ tes oves Paſtoris deſtituti cuſtodia lupo-
„ rum crudelium timent inſidias, & à ru-
„ gientium Leonum faucibus abſorberi pa-
„ veſcunt. Decet ergo nimirum, quòd Po-
„ pulus, qui ambulat in tenebris, & habitat
„ in regione umbræ mortis, videat mundi
„ luminaria. Excita potentiam altiſſimi tui
„ throni, & effunde ſuper infideles ipſos iram
„ tuam, & indignatio irę tuæ apprehendat
„ eos, ut fiat habitatio eorum deſerta, & in
„ Tabernaculis ipſorum non ſit qui inha-
„ bitet. *Datum Romæ apud S. Petrum Idi-*
„ *bus Octobris, Pontificatus noſtri Anno V.*

136 Cùm poſtea accepiſſet Bonifacius, eoſdem Turchas partem Regni Hungariæ occupaſſe, ac in dies illorum augeri poten-

 tiam

tiam, eidem Fratri Joanni Dominico in commiſſia dedit, ut eandem Crucem prædicaret nedùm in Auſtria & Tarviſana Proviucia, verùm in ditione quoque Veneta, Gradenſi Patriatchatu, & Archiepiſcopatu Salisburgenſi. Deplotat pius Pontifex in literis eidem datis, infelicem Chriſtianorum illarum partium ſtatum, in quihua inter plura ſcribit:
„ Nuper ad Apoſtolatus noſtri aures non-
„ nullorum fidelium populorum vehementi
„ & amarè valdè querela pervenit, quòd in-
„ fanda infidalium Paganorùm, & horrenda
„ Turchorum gens nõnullas partes Chriſtia-
„ nitatis, & maximè Regni Ungariæ occu-
„ paverunt, & quòd fideles & devoti par-
„ tium prædictarum tot angariabantur an-
„ guſtiis, & tot indeſinenter miſeriis affige-
„ bantur, quod deterior fidelium ac devo-
„ torum ipſorum conditio exiſtebat, quam
„ eſſet olim populi Dei ſub jugo Pharaonicæ
„ ſervitutis; de quibus lamentabatur regio
„ illa triſtis de intolerabili perſecutione, quã
„ patiebantur, & lamenta multiplicans cla-
„ mabat ad Chriſti Vicarium, Chriſtianos
„ Principes, Duces, Comites, & Barones,
„ & univerſam plebem Catholicam interpel-
„ labat, eis quoque ſua vulnera detegendo,
„ à quibus ſalutaria ſuffragia poſtulabat, &
„ expectabat. *Hæc ibi*. Datæ funt lite-
„ ræ 111. Kalendas Novembris ſupradicti
„ Anni.

137 Hujuſmodi porrò Turchorum excurſionea, populationes, devaſtationes, & in ipſum Ungarorum Regnum invaſiones, recenſet quoque Bonfinius Decad. 3. lib. 2. inquiens: „ Bajazetes Turchorum Imperator,
„ Amurathe patre, longè audacior, & acriore
„ in tebus gerendis ingenio, brevi Thra-
„ ciam, Theſſaliam, Macedoniam, Phoci-
„ dem, Beotiam, & Atticam in poteſtatem
„ ſuam redegit. In Myſios mox erupit, quos
„ nunc Bulgaros vocamus, & ſub Ungaro-
„ rum ditione eos eſſe noverat. Cùm è ſocio-
„ rum literis variiſque rumoribus Sigiſmun-
„ dus accepiſſet, Turchas Myſias invaſiſſe,
„ in Divina, humanaque ſævire, omnia igne,
„ ferroque vaſtare, ad Bajazetem continuò
„ Legatum miſit, monens, ut & Provinciæ, in
„ qua jus nullum ſe habere noverit, & alie-
„ nis rebus manum abſtineret. Sed quid fas,
„ quid æquum foret, rectè ſciret. Diſtulit
„ ille reſponſum, donec univerſam ferè Pro-
„ vinciam occupavit: Deinde cùm domos
„ armis inſtruxiſſet, accito Legato, ſat ſibi
„ juris eſſe reſpondit, quando parictes etiam
„ ſua jura præferrent. Cùm hæc Legatus
„ continuò retuliſſet, Sigiſmundua huic jus
„ omne in armis eſſe ſenſit, cum diro ſibi
„ hoſte agendum eſſe ratus, haud parùm
„ timère cœperat: Decimo ſui Regni anno
„ expeditionem in Turchas ipſe ſuſcepit.
Hæc Bonfinius.

138 Cætetùm Sigiſmundus Sacram in Turchas expeditionem, ad quam Bonifacius excitaverat, ſe paravit; & ut validiua inimico occurrere poſſet, ejuſque tetundera conatus, à Carolo Fraucorum Rege auxiliares copias popoſcit: quibus receptis, & concurrentibua ad hanc ſacram militiam Galliæ Proceribus in maximo numero, illorum Duce, Nivetnienſi Comite filio Ducia Burgundiæ, maximum ex Germanis, Ungaria, Gallis, Burgundis, aliarumque nationum numèrum coegit exercitum, quem adversùs Turchos movit, & captis ptimis illorum Munitionibus, penetravit in Bulgariam, ac Nicopolim à Bajazcte ſubactam, totiua Bulgarici Regni Metropolim, obſidione cinxit: Quo audito Bajazetes ad ſolvendam obſidionem occurrit cum ingenti ſuotum militum copia, & inito certamine, cæſi primùm Galli, terga vertetunt, inde profligati ſunt Ungari, & licèt ex Turcis ſexaginta millia in eo conflictu cæſi fuerint, ex Chriſtianis viginti millia, attamen Chriſtianis in fugam lapſis, Bajazetes victuriam complevit, adeout ipſemet Sigiſmundus in hoſtium manus daveniſſet, niſi parva cymba Danubium trajeciſſet, quo tranſacto, in Thraciam Conſtantinopolim ſe contulit. Hæc omnia ſupramemoratus Bonfinius Decad. 3. lib. 2. enarrat, inquiens.

139 „ Salutia anno nonageſimo ſexto ſu-
„ pra tredecies centenum, promulgata belli
„ fama delectus maximus habetur; omnes
„ dare nomina jubentur; quare tot legiones,
„ & auxilia coacta ſunt, ut ſinè formidine
„ cum præfato hoſte pugnari poſſet. Adve-
„ nère Burgundorum, Gallorumque auxi-
„ lja, quæ orthodoxæ Fidei charitate com-
„ mota gratis hæc ſacra ſtipendia faciebant,
„ multi ex Belgis, ac Celtis eminentioris
„ fortunæ viri, nonnulli quoque Reguli con-
„ fluxere. *Et poſteà ſubnectit*: Coacto igitur
„ exercitu, comparatiſque rebus omnibus,
„ quæ bello uſui forent, ex Ungaria in Ra-
„ ſciam, quæ in ſuperiori Myſia continetur,
„ caſtra movit. Sigiſmundum in agmine
„ quandoq; dixiſſe ferunt, cum ampliſſimum
„ ductaret exercitum, nimirum: *Non ſolùm*
„ *Turchus nobis nequaquam formidandus eſt,*
„ *ſed nè Cœli quidem ſi fortè ruerent, quorum*
„ *ruinam ſtantibus haſtis ſubire poſſemus*.
Hæc ille.

140 Non ergo mirum, ſi juſto Dei judicio ab hoſtibus victus ignominiosè fugit Sigiſmundus, qui non in Dei auxilio ſpem ſuam, ſed in propriis poſuerat viribus: neſciens, aut non advertena cum hoſte barbaro & infideli, non tantùm cum haſta pugnandum & clypeo, ſed occurrendum magis in nomine Domini exercituum, & meminiſſe debuerat Machabæi militantis bellum Domini verborum, quæ pro concione habuit ad ſuos, nimirum: *Facilè eſt concludi multos in manus paucorum, & non eſt differentia in conſpectu*

Dei

Dei Cœli liberare in multis, & in paucis; quoniam non in multitudine Exercitus victoria belli, ſed fortitudo de Cœlo eſt. Et ſanctiſſima illa fœmina ac prudentiſſima Judith ſanctæ orationis armis divinum expoſtulans ad dimicandum cum ſuperbo hoſte auxilium, ſe munivit, inquiens: *Non enim in multitudine eſt virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua eſt; nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi, ſed humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio*. Itaque humiliata eſt hujus Regis ſuperbia victus ab hoſte, licèt aliundè vir eſſet prudens, quia non in Domino, ſed in multitudine Exercitus ſui victoriæ ſpem collocaverat: Sed audiamus quæ ſubjungit præfatus Hoſtricus.

141 „ Raſſia, *inquit*, non ſine populatione tranſacta; at ubi in Bulgariam, quæ „ in inferiori Myſia continetur, deſcenſum „ eſt, Oriſtum & Budinum, nonnullaque „ aliaque alia Caſtella Turchorum firmata „ præſidiis, multo ſanguine expugnata. Kalendis Octobris ad majorem Nicopolim „ Sigiſmundus Caſtra movit: ab una Iſtri „ ripa major; ab altera minor Nicopolis eſt „ ſita. Hæc Trajani, Hadriani illa victoriæ „ monumentum, ut quorundam eſt opinio. „ Sigiſmundus hinc nunquam ſtativa movere certum erat, donec Nicopolim expugnaret. Turchorum Cæſar, quem Bajazetem Hungarorum Annales nominarunt, „ & Chalapinum plerique dixere, audito ingenti Chriſtianorum apparatu, nè Europa „ eiicerentur, univerſam Turchorum Rempublicam ad arma movit.

142 Deinde poſt plura de inito denique certamine hæc habet: „ Vbi ad congreſſum „ perventum eſt, hi Gallico more deſcendunt equo, ut pedibus congrediantur, equi „ dimiſſi, inito prælio cum ingenti clamore „ in Caſtra recurrunt. Turcia nil antiquiùs „ obtingere potuit, quàm ut ab equo cum „ pedite dimicarent. Ab expedito hoſtium „ equitatu circumventi obteruntur Galli, „ miſerrimèque cæduntur, dum haſta, ſecurivè Turchum ferire ſtudent, incurſu, recurſuque hoſtili defatigantur, deludunturque, dum audaciæ pœnitet à lateribus „ modò adverſi, averſique telorum imbribus, „ aut falcatis enſibus, lanceiſque læduntur. „ Subſidii ſpe firmati, ad necem uſque dimicant, ſpe tandem ſua fruſtrantur; nam „ equi, quos dimiſerant in Caſtra præ tumultu, fragoreque relati Hungarorum abſterruere animos, quippe qui hujuſce moris „ ignari ſociorum, hinc conflictum ſuſpicantur, metu perciti, caſtra relinquunt, ad „ unum in fugam omnes planè vertuntur.

143 „ In tanta rerum trepidatione nullum Imperatoris edictum, nullum imperium ſervare. Turchus cæſo Gallo, à tergo inſtat; palantes Hungari fugiunt; magna in fuga cæde patrata; defatigatus è „ cæde hoſtis, ad capturam & quæſtum ſe convertit; maximus captivorum fit numerus; „ quin etiam Sigiſmundus quoque, qui Cœli „ ruinam pauló ante contempſerat, in manus „ hoſtium perveniſſet, niſi parva cymba Danubium trajeciſſet. In hoc prælio viginti „ millia Chriſtianorum cecidère; ex Turcis „ ſexaginta millia deſiderata. Trajecto Danubio reformidato Hungarorum impetu, „ ob rem malè geſtam in Thraciam Conſtantinopolim Rex effugit; inde navigavit „ Rhodum, & Ægeum, Jonium que pelagus „ emenſus, in Dalmatiam, luſtrataque Dalmatiæ ora, in Croatiam venit. *Hactenus Bonfinius*.

144 De hujuſmodi Sigiſmundi expeditione ſcribit pariter Chalcocondylas lib. 2. de Rebus Turcicis, licèt non rectè de præfato Rege cuncta recenſeat, quoniam hujus expeditionis tempore Romam veniſſe tradit, ac à Pontifice in Imperatorem in eadem Urbe coronatum, indeque ad præfatam faciendam expeditionem proceſſiſſe, quæ quidam falſa ſunt, quoniam tunc adhùc in vivis erat Wenceslaus Romanorum Imperator, cui ſucceſſit Robertus, Roberto verò Sigiſmundus electus Imperator Anno MCCCCX. diù poſt antedictam ab eo cœptam expeditionem. Cæterùm quantùm ad præfatam expeditionem hæc ſcripto mandavit: „ Interim, *inquit*, „ nunciatum eſt Bajazeti, Pannones, Duce „ Sigiſmūdo Romanorum Cæſare & Imperatore, & Gallos, Germanoſque non paucos in unum collectos, bellum ipſi inferre „ decreviſſe: jamque Iſtrum tranſire parare, „ allectis & Dacis, hominum genere non „ ignobili, qui vix ſunt Duces, exercitumque ducant in hoſtilem regionem. *Et poſt plura ſubnectit*:

145 „ Poſtea rogavit Pontificem Maximum auxilium, quo adjutus, expeditionem contra Barbaros ſuſceptam conficere „ poſſet. Flagitabat autem pecuniam, viroſque: Pontifex Legatione miſſa ad Gallorū „ Regem, Burgundiæque Ducem, effecit ut „ ſibi darentur octo millia militum: belli autem Ducem accepit Burgundiæ Ducis „ fratrem. Sigiſmundus quoque ſe ad bellū „ parabat, conſcribens exercitum ex Germanis, quoſcumque potuit mercede conducens. Cùm jam ad bellum iſtia foret inſtructus, aſſumptiſque Pannonibus, & Dacis (qui & Wallschi) qui itinera monſtrarent, rectaque per Iſtrum contra Bajazetem copias duxit. Legatos quoque miſit, „ conſulente id Pontifice Maximo, ad Hiſpanorum, Italorumque Principes, petens ad „ iſtam expeditionem milites & pecuniam. „ Pontifex quoque milites miſit, & pecuniā „ ſuppeditavit. *Hæc de Sigiſmundi apparatu bellico*.

146 De Bajazetis porrò apparatu, ac de inito prælio, hæc alia ſubjungit: „ Bajazetes

„ tes quamprimùm didicit Sigiſmundum
„ Romanorum Imperatorem magnis copiis
„ ſtipatum, adversùm ſe pergere, accepto
„ Europæ, Aſiæque exercitu, ſumma celeri-
„ tate obviam profectus eſt hoſti uſque ad
„ Iſtrum: Caſtraque communivit ab Iſtro
„ ſtadiis quaſi quadraginta. Galli autem,
„ ut ſunt audaces, pleruṁque veró impru-
„ dentes, cùm cuperent victoriam ſuam fa-
„ cere, arma capiunt, barbaroſque aggre-
„ diuntur, quaſi eos primo impetu domatu-
„ ri. Tandem cùm prælium utrinque maxima
„ virtute ferveret, Galli ſugam ineunt: in-
„ citatiſſimoque curſu cùm agerētur ad ſuos,
„ inſequentibus Turcis, & Sigiſmundi mili-
„ tibus admixtis, atrox prælium coortum
„ eſt. Cùm acriter inſtarent Turci, etiam
„ Pannones & Germani ſugæ Gallorum ſe
„ ſociant. Feſtinantibus autem iis Iſtrum
„ tranſire, maxima pars exercitus flumine
„ abſumpta eſt. Facta eſt magna Gallorum
„ & Pannonum pereuntium. Dux Burgun-
„ dorum, qui totìus belli Imperator electus
„ erat, ab hoſtibus captus eſt: capti ſunt &
„ alii Pannones, Galliq; plurimi. At Sigiſmun-
„ dus in maximum vitæ diſcrimen adductua,
„ vixque hoſtis manua quominùs caperetur,
„ effugiens, triremem, quæ in flumine erat,
„ conſcendit, Byzantiumque ad Græcorum
„ Regem navigavit. Cùm plurima cum iſto
„ Rege diſſeruiſſet, & quæ volehat expedi-
„ viſſet, domum reverſus eſt. *Hæc Chalco-
condylas.*

147 Hanc porrò Chriſtianorum cladem Gallorum arrogantiæ adſcribit etiam Juvenalis Urſinus in Carolo VI. qui Ungaro Regi, Sigiſmundo nimirum haud paruiſſent: & eorundem imprudentiæ pariter Chálcocondylas videtur adſcribere. Eveniſſe quoque ulciſcente Numine propter commiſſa militum in itinere ſcelera, qui & meretrices circumduxerant, ac ludo, ganeis, libidinibusque ſe conſecerant, idem Juvenalis notat. Superbiæ quoque Sigiſmundi, quam Deus humiliatam voluit, ut impoſterum poneret io ipſū Deum adjutorium ſuum, adſcribi ex parte poteſt. Cæterùm militea miſericordiam à Domino eſſe conſecutoa ob mortem pro Religioois cauſa oppetitam, ſigna cælitùs immiſſa comprobaſſe, ſcribit antedictus Juvenalia, referens, Cuciacum Regulum, cùm oudus ante alioa ſæviſſimè à Turcia diverberaretur, Pallio ex ſæpè proxima divinitùs volitante coopertum fuiſſe: Item narrat, quòd cùm Turcæ ſævire ultra mortem meditati, inſepulta corpora manere juſſiſſent, ut à feris, avihusque laniarentur, tredecim menſium flexu pura & integra remanſerint, nec feræ illa attingere ſint auſæ, Turcis tameo Divinam virtutem minimè dignoſcentibus, ac proinde jactantibus, feras Chriſtianam carnem dedignari.

148 Hac grandi parta victoria Bajazetes omnem circa regionem majori ſecuritate populabatur, & mancipia plurima capiebat, ut idem Chalcocondylas ſcribit, addens, victricia arma uſque Budam Regiam Paononum Urbem tranſtuliſſe, animo illam ſubiiciendi, licèt morbo podagrico afflictus, ab incœpto deſtitiſſet: „ Proficiſcens autem hoſtili ani-
„ mo, *inquit*, contra Budam Pannonum Re-
„ gni Sedem, podagra laboravit: oec tamen
„ admodùm eo morbo afflictua eſt. Haud ta-
„ men aſſequi queo, quid ei impedimeoto
„ fore potuiſſet, cùm feſtinaret adversùs Bu-
„ dam, quominùs eam Urbem ſuæ ditionia
„ faceret, regionemque univerſam ſubiiceret,
„ Verùm peropportunè podagra tùm labo-
„ rans, reverſus eſt domum, etiam copias in
„ ſuam regiooem adduxit. *Hæc ille*. Sed non diù poſt in Græcos movit, ac Byzantinm obſidione cinxit, & licèt non proſpero eveotu, attameo nunquam deſtitit eam Urbem oppugnare per continnum deceunium, circumcirca regiones populando, cunctaque vaſtando, ut anteſatus Scriptor tradit, enarrans quomodo Græcorum Imperator ad Bajazetis Januam ex more, ſecundùm conſtituta accedere renuiſſet, cnjua rei causâ Barbarum indignatū moviſſe adversùs Byzantium: „ Cùm
„ jam conſtaret, *inquit*, eum nequaquam re-
„ verſurum in Januas, arma adversùs eum ar-
„ ripuit, Byzantiumque oppugnavit. Cum
„ eò cum exercitu pergeret, terram eorum,
„ ſingulaſque regiones graviſſima vaſtitate
„ affiixit, ſuburbana omnia diripuit. Urbis
„ oppugnatio cùm parùm ſuccederet, rever-
„ ſus eſt domum: ſingulisque Annis mitte-
„ bat exercitus, peragebatque longam illam
„ obſidionem, quæ decennio duravit. Hæc
„ obſidio plurimùm damni Byzantio invexit.
„ Plurimi namque fame necati ſunt, plurimi
„ quoque deſciverunt ad Barbarum. *Hæc ille.* At Emmanuel Græcorum Imperator in arcto conſtitutus, licèt nondum Eccleſiæ rsconciliatus, in ſchiſmate adhùc cæteris ſordeſcentibus Græcis, Chriſtianorum adhùc anxilia popoſcit: unde Boniſacius pio & paterno zelo commotus, militaria ſubſidia eidem mittere decrevit, & Paulo Chalcedonenſi Epiſcopo Provinciam dedit, ut ſacram militiam, propoſitis Indulgentiarum præmiis, in Turcas promulgaret, hoc nimirum edito diplomate.

Boniſacius Epiſcopus &c. Ad futuram rei memariam.

149 „ Nuper ex corde compaſſi Illuſtri
„ Principi Emmanueli Palæologo Imperatori
„ Conſtantinopolitano, ejuſque ſubditis, qui
„ etſi non in plena obedientia & devotione
„ noſtra, ac ſinceritate Fidei & unitate San-
„ ctæ Romanæ Eccleſiæ perſiſtant, invocant
„ tamen ſalutiferi Chriſti nomen, & quos

im-

Digitized by Google

„ immanis & terribilis illa bellua hoſtis perpetui Jeſu Chriſti Bajazetes Teucrorum, „ qui Turci vulgariter nuncupantur, Princeps grandi gentium armorum multitudine „ cumulata invadere, exterminare, conculcare, ac ſibi ſubjugare toto poſſe feſtinat in „ maximum Chriſtianorum dedecus, diſpendium, periculum, atque damnum; & volentes Catholicos Principes, Proceres, „ Magnates, ac populum Chriſtianorum ad „ ſuccurrandum eidem Imperatori, cui ad debitam reſiſtentiam vires non ſuppetunt inducere, ac fortiùs animare, Venerabilem „ Fratrem noſtrum Paulum Epiſcopū Chalcedonenſem Apoſtolicæ Sedis Nuncium ad „ prædicandum vivificæ verbū Crucis in omnibus & ſingulis Civitatibus, Terris, Oppidis, Caſtris, atq; locis inſignibus, quibusdam „ tamen tunc expreſſis exceptis, ſub noſtra „ obedientia, ac noſtra devotione conſiſtentibus, dictosque Principes, Proceres, Magnates, ac populum requirendum, & per „ ampliùs exhortandum, ut ad ſuccurſum „ hujuſmodi viriliter ſe accingerent, vel ſubſidia miniſtrarent, duximus deſtinandum, „ & eam, quam proficiſcentibus in ſubſidium „ Terræ Sanctæ concedere Sedes Apoſtolica „ conſuevit, eisdem accingentibus & ſubvenientibus, ſub certo ſuimus Indulgentias „ elargiti; dictoque Epiſcopo formam dedimus, ſecundùm quam hujuſmodi, quæ „ miniſtrarentur ſubſidia, recolligerentur; & „ eidem Imperatori ad uſum defenſionis hujuſmodi, cum integritate fideliter aſſignanda, prout in noſtris inde contentis literis „ pleniùs continetur.

150 „ Ex certis igitur rationabilibus animum noſtrum ad id moventibus cauſis Civitatem, Diœceſim, & Provinciam Moguntinam à reliquis Civitatibus, Diœceſibus, Provinciis, in quibus præfatus Epiſcopus noſtram prædictam intentionem „ exequi debet, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore ſejungimus, & penitùs ſeparamus: eidemque Epiſcopo diſtrictiùs „ inhibemus, nè per ſe, vel alium, ſeu alios „ in hujuſmodi Civitate, Diœceſi, & Provincia Moguntina quomodolibet exequatur; decernentes ex nunc irritum & inane, „ ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit. „ Nulli ergò omninò liceat &c. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Kal. Aprilis Pontificatus noſtri Anno IX.*

151 Cæterùm nonniſi Anno ſequenti Legationis literæ præfato Paulo Chalcedonenſi Epiſcopo expeditæ fuere: quo quidem tempore Nuncios Emmanuelis Græcorum Imperatoris receperat, qui quidem in dies potentiâ Bajazetis preſſus, deſtinavit ad Romanum Pontificem Hilarium Auriam Januenſem præfati Imperatoris cognatum, ſupplicaturum quatenus dignaretur periclitanti Imperio per congrua ſubſidia providere, & modis omnibus ſuccurrere: & eò magis quòd Barbarus inflatus ſupra recenſita victoria, Vallachiam, Ungariam, & finitima omnia invadere aggrediebatur: immò, ſubactis præfatis Regnis & Provinciis, univerſum Chriſtianum populum ſubjicere ſibi meditabatur: Hinc Bonifacius ſupradictas Legationis literas expedivit, ſic ſe habentes.

Venerabili Fratri Paulo Epiſcopo Chalcedonenſi, Apoſtolicæ Sedis Nuncio.

152 „ Vineæ Domini Sabaoth, populi „ ſcilicet Chriſtiani cuſtos, licèt immeriti, „ deputati ſummoperè vigilare compellimur, „ & tenemur, nè ſingularis ferus de ſylva, „ impiiſſima, videlicet gens Teucrorum, quæ „ aliàs Turchi vulgariter appellantur, vineā „ ipſam immaniter depaſcatur, quantùmque „ nobis ex alta conceditur, ut eadem vinea „ perſeveret illæſa, impetum beſtiarum illam „ demoliri cupientium reprimamus.

153 „ Verùm Sacroſancta Eccleſia Mater „ omnium fideliū & Magiſtra ſuſpiria producit „ ab intimis, oculi ejus ſolvuntur in lacrymas, „ vehemētibus gemitibus ipſius pectora quatiuntur, eò quòd propter hoſtilitates, quæ „ à blaſphemis Crucis adversùs fidei profeſſoras exercentur, extrinſecus undique bella „ fremunt, intrinſecus ſeditionis inteſtinæ „ dilaniant, & inquietant, domeſticæ ſimultates, gladiusque fidelium, qui ſoret contra hoſtium fidei cuneos exercendus, converſus, in proximos, proh dolor! inebriatur ſanguine Chriſtiano, & (quod acriùs „ excoquit mentem noſtram) ſcelerati filii „ quaſi quodam cæco furore vexati armantur „ in matrem, ac illum, ex quo prodierunt „ uterum pravis viribus lacerare: quo fit, „ ut nos unà cum memorata Eccleſia legitima Sponſa noſtra circa exhibitionem opportuni ſubſidii in hac parte, juxta deſiderium noſtrum, & officii noſtri debitum manus adjutrices extendere nequeamus.

154 „ Sanè, licèt jam pridem non ſine „ parva mentis amaritudine ad noſtrum fama publica perduxiſſet auditum, quòd perfidus ille Bajazetes Princeps Turcorum „ manu potenti, & brachio extento in Chriſtianum populum immani feritate, & fera „ immanitate extiterat debacchatus, & quòd „ propterea delata fuerat Chriſtianorum maxima multitudo; tamen nuper dilectus „ filius Nobilis Vir Hilarius de Auria Domicellus Januenſis, & Cognatus ac Nuncius Illuſtris Principis Emmanuelis Paleologi Imperatoris Conſtantinopolitani ad „ Apoſtolicam Sedem per ipſum Imperatorem propterea deſtinatus, auribus noſtris lacrymabiliter intimavit, quòd præfatus Bajazetes, quodammodo ſecuritate concepta,

quòd

„ quòd Chriſtianus populus de recepta præterita confuſione non pudeat, & de tanto pudore verecundia non ſuffuſus, poſt terga rejecerat contumelias, & ruinas illatas ſibi per blaſphemos nominis Jeſu Chriſti, & quòd converterat gladium in propria viſcera, in hoſtes orthodoxæ Fidei ſolitum exerceri, ac negligat cauſam Chriſti, de tanta negligentia ſubſannans & glorians, cœpit vires congregare & conflare potentiam non ſolùm in exterminium Civitatis Cõſtantinopolitanæ & circumpoſitæ regionis, cæterarumque terrarum, quæ à Chriſtifidelibus in illis partibus habitantur, verùm etiam ad invadendum Valachiæ & Ungariæ Regna perſonaliter ſe accinxerat, ſpem gerens, Civitatem, regionem, & terras, & Regna prædicta, immò univerſitatem Chriſtiani populi (quòd avertas bone Jeſu) funditùs evertere, & penitùs extinguere, ſi ejus infando propoſito poſſibilitas reſponderet. Attendat populus Chriſtianus quantus ſibi ex hoc pudor, quantavè confuſio reſultaret. Ecce jam crebris infidelium arietibus Fidei catholicæ fundamenta pulſantur: En, nemine opem ferente, Chriſtianorum reliquiæ illarum partiũ dantur excidio.

155 „ Conſiderent inſuper Chriſtiani, ſi (quod abſit) præfatus Imperator in ditionem ipſius veniat Bajazètis (quod, heu, futurum eſſe conſpicimus, niſi Chriſtianus populus dicto Imperatori tam potenter, quàm celeriter ſtudeat ſubvenire) in quanto periculo foret univerſitas Chriſtiani populi conſtituta. Hæc igitur populus ipſe devota meditatione conſiderans erigat animos, & in auxilium Imperatoris memorati totis viribus accingatur: nam licèt Imperator ipſe vetuſtorum errorum anfractibus circumactus in plena obedientia noſtra & Sedis Apoſtolicæ non conſiſtat, tamen, quia per eum, & populos ſibi ſubjectos invocatur ſalutiferum nomen Chriſti, & ſperamus, quòd ſupernæ gratiæ radio illuſtratus, in proceſſu temporis ad Eccleſiæ Catholicæ redeat unitatem, attentè penſantes publicum malum atque periculum Chriſtianitatis, matura deliberatione, quã ſuper his cum fratribus noſtris habuimus diligentèm, mentes fidelium in ſubſidium dicti Imperatoris, & per conſequens Chriſtianæ Religionis, ſalutaribus & paternis perſuaſionibus decrevimus excitare.

156 „ Ideoque virum ad hæc promovenda perutilem eligere cupientes, ſuper quo cum eiſdem fratribus ſolerti facto ſcrutinio, prout talis & tanti negotii qualitas exigebat, tibi cùm de literarum ſcientia, Fidei puritate, virtutis conſtantia, & circumſpecta providentia apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, prædicationis officium, in Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis aliis univerſis in noſtra, & Eccleſiæ Romanæ obedientia conſtitutis, præterquam in Regno Hungariæ, ac Civitatibus, Terris, Caſtris, Oppidis, & locis aliis ſubjectis chariſſimo in Chriſto filio noſtro Sigiſmundo Regi Hungariæ Illuſtri, ad cujus inſtantiam prædicationem ſalutiferæ Crucis in dicto Regno Hungariæ, & nonnullis aliis locis dudùm duximus committendam, niſi forsàn ad id ipſius Regis aſſenſus accederet, per te, vel alium, ſive alios, quos ad hæc idoneos fore cognoveris, contra hoſtes Fidei, Bajazetem videlicet anteſatum, & gentem perfidam Teucrorum, qui Civitatem Conſtantinopolitanam, & Imperatorem præſatos inceſſanter infeſtant, dictorum fratrum conſilio præſentium auctoritate committimus, & remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus calamitoſum, nec minùs periculoſum, totique Chriſtianitati damnoſum Civitatis, & Imperatoris prædictorum ſtatum, necnon præmiſſa omnia Chriſtifidelibus diligenter exponens, eos, juxta prudentiam à Domino tibi datam, attentis inducas monitis, & ſedulis prædicationibus exhorteris, ut cogitantes prudenter, quòd Imperator, & Civitas prælibati à cunctis fidelibus liberationis ſuæ ſubſidium expectant, ad vindicandum Chriſtiani nominis opprobria, & liberandum eoſdem Imperatorem & Civitatem promptis intendant animis, & ſuas ad id habilitent facultates, & de bonis ſibi à Deo collatis ſtudeant largitiones tam promptas, quàm uberes elargiri.

157 „ Ut autem hujuſmodi miniſterium per nos tibi injunctum eò faciliùs, atque fœliciùs proſequi valeas, quo per Sedem prædictam munitus fueris prærogativa privilegii potioris, fraternitati tuæ, de qua ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, Locorum Ordinarios, ad quos propterea te declinare contigerit, ut ipſi per ſe, vel alios idoneos, & Fidei zelo ferventes, Prædicatores ſuarum Civitatum, & Diœceſis, diebus Dominicis & feſtivis infra Miſſarum ſolemnia, & aliàs, prout eis meliùs & magis opportunum videbitur, Chriſtifidelibus præmiſſa proponant, ſeu proponi faciant, ipſoſque fideles inanimeat & inducant ad erogandum pias eleemoſynas pro proſecutione negotii prælibati, auctoritate noſtra requirendi hac vice dumtaxat, plenam tenore præſentium concedimus facultatem &c. *Addit inde conſueta Indulgentiarum præmia univerſis arma ſumentibus, vel pecuniarum ſubſidium tribuentibus.* Datum Romæ apud S.Petrum, ſecundo Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno X. *Hactenus literæ.*

158 Interea Bajazetes celeri curſu exercitus ſuos in varias partes Orbis chriſtiani de-

deſtinabat, undè præter Hungariam, ad infeſtandas Polonici Regni Provincias, Duces miſit & milites, qui juncti cum Tartaris, plura damna intulerunt in Podolia, Ruſſia, Lithuania, ac Vallachia: Cujus rei causâ Wladislaus Poloniæ Rex, ut ſuo periclitanti ſuccurreret Regno, miſſo ad Romanum Pontificem Epiſcopo Cracovienſi, rogavit, ut Crucem prædicari juberet, ac Chriſtifideles ad ferendum ei auxilium, ejuſque ſequenda ſigna contra chriſtiani nominis hoſtes promoveret. Cujus votis inclinatus Bonifacius, eidem Cracovienſi Epiſcopo hanc Provinciam commiſit, datis infraſcriptis literis.

Venerabili Fratri Epiſcopo Cracovienſi.

159 „ Guſtato frequenter amaritudinis
„ calice ſuper dilatatis oppreſſionibus Chri-
„ ſtianorum, quos in partibus Regni Polo-
„ niæ Principatuum, Ducatuum, & Domi-
„ niis Lithuaniæ, Podoliæ, Ruſſiæ, Valla-
„ chiæ ſauciat, laceratque manus impia Tar-
„ tarorum, Paganorum, Turchorum, & alia-
„ rum barbararum etiam Nationum, made-
„ fieri ſanguine ſemper avida chriſtiano, cu-
„ jus deploramus anguſtias, & per affectum
„ compaſſionis intimè ſecum ſui doloris tor-
„ menta perpetimur: dolemus, inquam, de
„ Incolarum Regni, Principatuum, Duca-
„ tuum, & Dominiorum prædictorum, &
„ Provinciarum circumadjacentium, nomen
„ Chriſti colentium cruciatu continuo, qui-
„ bus vix defenſionis tutela relinquitur, ſeù
„ quietis remedium indulgetur: Sed potiſſi-
„ mè circa opprobrium Redemptoris affici-
„ mur, cujus hæreditatem Nationes videli-
„ cet chriſtianas belvæ immaniſſimæ rabida
„ crudelitate diripiunt, diris affligunt mo-
„ leſtiis, & hoſtili ſeveritate conculcant.

160 „ Nos igitur, qui Vineæ Domini
„ Sabaoth, Populi ſcilicet chriſtiani Cuſto-
„ des, licèt immeriti, ſumus à Domino con-
„ ſtituti, ſummoperè vigilare compellimur
„ & tenemur, nè gens ipſa immaniſſima Tar-
„ tarorum, Paganorum, Turchorum, & alia-
„ rum barbararum quarumlibet Nationum
„ vineam ipſam immaniter profligare queat,
„ quantùm nobis ex alto conceditur, ut ea-
„ dem vinea a cunctis ingruentium malorum
„ incurſibus conſervetur illæſa, & ferarum
„ impetum in illa graſſanti furore, ut diſſi-
„ pent, & univerſa diſperdant ſatagentium
„ reprimamus; attendentes incenſum deſi-
„ derium chariſſimi in Chriſto filii noſtri
„ Wladislai Regis Poloniæ illuſtris, quoad
„ defenſionem & exaltationem catholicæ Fi-
„ dei ipſius Athletæ promptiſſimi & pugilis
„ indefeſſi ducitur inceſſanter, ſicut ex rela-
„ tis per dilectum filium Albertum Jaſtrabetz
„ electum Poznanienſem ejus Oratorem, &
„ Nuncium, ac ex fide dignorum teſtimoniis
„ & ab effectu multiplicium geſtorum ipſius
„ agnovimus, ut Tartaros, Paganos, Tur-
„ chos, & alias barbaras Nationes, Regnum,
„ Principatus, & Dominia hujuſmodi aſſiduè
„ congreſſionibus, & truculentiſſima feritate
„ pro poſſe vaſtantes, necnon ad exterminiū
„ Crucifixi nomen colentium, & chriſtianam
„ Religionem ſectantium laborantes, & ut
„ extinguant ſe, & ſua jugiter exponen-
„ tes, confundat, & diſſipet, ædificet, atque
„ plantet.

161 „ Ac volentes ad confovendum tam
„ chriſtianiſſimum præfati Regis propoſitum,
„ & in tantæ neceſſitatis articulo Fidei, ac
„ populo chriſtiano auxiliis, deſideriis prom-
„ ptiſque conatibus, quantùm nobis ex alto
„ permittitur, ſalubriter ſubvenire, & tàm
„ Regem ipſum, quàm alios ad hujuſmodi
„ Chriſti obſequia eò devotius inducere, quò
„ ex hoc dona ſpiritualium munerum ſenſe-
„ rint percepturos; Fraternitati tuæ, cujus
„ de literarum ſcientia, Fidei puritate, vir-
„ tutum conſtantiâ, ac circumſpectâ pruden-
„ tiâ apud nos fide dignâ teſtimonia perhi-
„ bentur, prædicationis officium verbi vivi-
„ ficæ Crucis in Civitatibus, Terris, Caſtris,
„ Oppidis, Villis, & locis aliis univerſis in
„ Regno Poloniæ, Principatibus, Ducati-
„ bus, ac Dominiis aliis Lithuaniæ, Ruſſiæ,
„ Podoliæ, Vallachiæ prædictis, præfato
„ Regi ſubditis, & partibus aliis finitimis,
„ per te, vel alium, ſeu alios catholicos An-
„ tiſtites ſcientiâ claros, fidei puritate con-
„ ſpicuos, & providentiâ circumſpectos, quos
„ ad hoc idoneos fore cognoveris; ſuper quo
„ tuam conſcientiam oneramus; contra ho-
„ ſtes Fidei ſupradictos Regnum, Principa-
„ tus, Ducatus, ac dominia hujuſmodi, &
„ partes alias jugiter infeſtantes, præſentium
„ auctoritate committimus, in remiſſionem
„ tibi peccaminum injungentes, quatenùs
„ præmiſſa omnia Chriſtifidelibus diligenter
„ exponens, eos, juxta prudentiam tibi à
„ Domino traditam, attentis inducas moni-
„ tis, & ſedulis prædicationibus exhorteris,
„ ut pro ſalute Chriſtifidelium, tutela Regni,
„ Principatuum, Ducatuum, & Dominio-
„ rum hujuſmodi, & aliarum partium Chri-
„ ſtianorum remedio eorum auxilia exhi-
„ beant, ad vindicanda chriſtiani nominis
„ opprobria, & ad exterminium truculen-
„ tiſſimarum hujuſmodi Nationum promptis
„ intendant animis, ſtrenuis actionibus ſe
„ exerceant, & adhibeant vires ſuas.

162 „ Ut autem hujuſmodi miniſterium
„ per nos tibi injunctum, eò faciliùs proſequi
„ valeas, quò per Sedē prędictam munitus fue-
„ ris prærogativa privilegii potioris, eidem
„ fraternitati, de qua in Domino ſpecialem
„ fiduciam obtinemus, locorum Ordinarios,
„ ad quos propterea declinare contigerit, ut
„ ipſi per ſe, vel alios idoneos, & fidei zelo
„ ferventes Prædicatores ſuarum Civitatum,

„ & Diœceſum diebus Dominicis & feſtivis „ infra Miſſarum ſolemnia & alias, prout eis „ melius, & magis opportunum videbitur, „ Chriſtifidelibus præmiſſa proponant, ſeù „ proponi faciant, ipſoſque fideles inanimant & inducant ad exhibendum in tam „ ſalutari gymnaſio vires ſuas pro proſecutione negocii prælibati, auctoritate noſtra „ requirendi hac vice dumtaxat plenam tenore præſentium concedimus facultatem. *Et poſt alia addit*.

163 „ Et ut Chriſtifideles præmiſſa tantò libentiùs atque ferventiùs proſequantur, quantò ex eorum labore mercedem „ potiorem ſe noverint percepturos, nos de „ omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnes & ſingulos, qui pro „ ſuccurſu, tutela, & defenſione Regis, „ Regni Poloniæ Principatuum, Ducatuum, „ & Dominiorum Lithuaniæ, Ruſſiæ, Podoliæ, ac Valachiæ prædictorum, & aliarum partium fidelium perſonaliter contra „ deteſtandam rabiem præfatorum Tartarorum, & aliarum barbararum Nationum acceſſerint, vel alios miſerint, & ſteterint militando per tempora in hujuſmodi expeditionibus ſolita hactenus per Romanos Pontifices præfiniri, illam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter corde contriti, „ & ore confeſſi fuerint, veniam conſequi „ volumus, quæ per Sedem Apoſtol. concedi „ conſuevit proficiſcentibus in Terræ Sanctæ „ ſubſidium; ac eis in retributione juſtorum augmentum æternæ beatitudinis pollicemur.

164 „ Tu igitur onus prædictum fiducialiter humeris tuis impoſitum, ad laudem „ Divini nominis, Catholicæ fidei augmentum, ſalutem Regni, Principatuum, Ducatuum, Dominiorum, & partium prædictorum, & aliorum Chriſtifidelium, qui ſe „ Regni, & aliorum præmiſſorum conſtituerunt, & conſtituent defenſores, ſuſcipiens „ illud conſtanti animo & benigna patientia „ proſequi ſtudeas cum effectu. Speramus „ enim in illo, cujus auxiliatrix dextera „ clementer adeſt, cauſam agentibus ejus, „ quòd ipſe, qui perſonam tuam providentiæ munere, ſcientiæ magnitudine, fidei „ puritate, circumſpectionis, & induſtriæ „ gratia, multiſque virtutibus inſignivit, „ prædictis humeris tuis fortitudinis robur „ adjiciet, virtutem tecum faciendo, ut præfatum negotium, quod ad ſuam proſequeris „ gloriam, felicitatis optatæ ſuſcipiat incrementum, & præſentibus poſt exactæ præfati Wladiſlai Regis vitæ ſpiritum minimè „ valituris. *Datum apud S. Petrum* IV. *Nonas Maij, Pontificatus noſtri Anno X.*

165 Attentis hujuſmodi Pontificiis ſtudiis, multi crucem amplexi, ad ſacram ſe pararunt militiam. Galli verò, licèt de Benedicti pſeudopontificis obedientiâ, auxilium Græcis ferre non renuerunt, miſſo à Carolo Rege Bucicaldo Duce militaribus copiis ſtipato, cujus virtute non mediocriter repreſſos Barbarorum conatus Græcos invadentium, ut quidam S. Dionyſii monachus ſcribit. Verùm non diù in ea expeditione moratos Gallos, tradit Juvenalis Urſinus in Carolo VI. aſſerens, propter ſtipendiorum inopiam, quæ ægrè pendebat Græcorum Imperator, & propter aeris intemperiem pauló poſt receſſiſſe. Scribit inſuper Walſingamus in Riccardo ſecundo, Hilarium de Auria Emmanuelis Oratorem, conſulente Bonifacio, ad Riccardum Angliæ Regem, unà cum Chalcedonenſi Epiſcopo, colligendi gratia Sacram Militiam, profectum, vigentibus civilibus diſcordiis, nihil obtinuiſſe.

CAPUT IV.

De continuatis Bajazetis in Græcos excurſionibus; Emmanuelis profectione ad Chriſtianos Principes; Tamerlani invaſionibus; ac Bonifacii ſtudio pro Chriſtianorum ſubventione.

166 INter hæc verò Tamerlanes Poloniam invadere conabatur. Irruperat hic quinquennio ferè ante in Moſchoviam cum innumera ſuorum multitudine, adeout Moſchi deſperatâ victoria, Deiparæ ſemper Virginis interceſſione, ac Dei auxilio implorato, ab imminenti periculo meruerint liberari. Id quòd recenſet Sigiſmundus in Comment. de Moſch. pag. 88. inquiens: „ Themirſſachk „ cùm exercitum maximum in Retzan ad „ depopulandam Moſchoviam duxiſſet, tantum terrorem Principibus Moſchoviæ injecit, ut deſperatâ victoriâ, abjectis armis ad „ Divorum tantùm auxilium confugerent. In „ Wolodimeriam ſtatim pro Imagine quadam D. Mariæ Virginis, quæ multis miraculis editis ibi celebris erat, mittunt, quæ „ cùm in Moſchoviam duceretur, Princeps „ omni cùm multitudine honorificè illi obviam procedit, eaque primùm, ut hoſtem „ averteret humillimè implorata, maxima „ veneratione & reverentia, in Civitatem deducit, quo cultu ſe impetraſſe dicunt, quòd „ Tartari ultra Retzan non fuerint progreſſi. *Hactenus ille*, addens hæc accidiſſe anno 6903. hoc eſt, Domini Anno MCCCXCV. menſe Auguſti, die verò XXVI. ejuſdem. Ex eo porrò tempore præfatus Tamerlanes, quem Themiraſſachk Sigiſmundus appellat hoſtis, & ipſi Chriſtianorum acerrimus, in finitimas Moſchoviæ, & Poloniæ Provincias continuas everſiones, populationes & vaſtationes faciebat: ad quas retundendas Bonifacius, ut præ-

præfati ſumus, in univerſo Poloniæ Regno crucem prædicari juſſit, conſtituto Duce Cruceſignatorum ipſomet Wladislao Poloniæ Rege, qui egregiè Barbaro ſe opponebat: Sed quoniam defectu ſtipendiorum, fortaſsè regio ærario exhauſto, & Pontificio ſacra illa militia aliqualem poterat defectum pati: huic malo occurrens Bonifacius, decimam omnium Eccleſiaſticorum proventuum & reddituum præfati Regni eidem Regi per unum annum benignè conceſſit, datis literis Epiſcopo Wratislavienſi, tenoris videlicet ſequentis.

Venerabili Fratri ..... Epiſcopo Wratislavienſi ſalutem &c.

167 „ Nonnullorum perverſorum, à quorum oculis Dei timor abſceſſit, & quorum viæ perverſæ ſunt & infames greſſus eorum, „ ſic excrevit damnata præſumptio, quòd „ ipſi velut alieni filii per cæcitatis devium „ aberrantes, Romanam Eccleſiam matrem „ cunctorum fidelium & magiſtram injuriis „ atque damnis afficere, ejuſque & etiam Catholicorum & Principum, ac aliorum Chriſtifidelium terras, bona, & jura occupare, „ invadere, ac Fidem Catholicam, quantùm „ in eis eſt, inficere, depravare, ac præſertim damnatæ perſonæ, quæ Tartari nuncupantur, Regnum Poloniæ damnificare, „ ac chariſſimum in Chriſto filium noſtrum „ Waldislaum Regem Poloniæ Illuſtrem à „ dicto regno expellere poſſetenus non verentur, ad quorum inſolentias refrænandas, „ & prædictorum defenſionem, ac ipſorum „ Tartarorum exterminium, prout debitum „ noſtri requirit officii, tot & tanta nos de „ præſenti ſubire oportet onera expenſarum, „ quòd ad illa ferenda proventus noſtræ Cameræ omninò pecuniis exhauſtæ ſufficere „ non poſſunt, quòd nos anxit, cogitantes & „ vias ac modos rationabiles & honeſtos, „ quibus neceſſariæ ſupportationi hujuſmodi onerum valeamus ſufficere, ſolicitè perquirentes, ac reputantes æquum & congruum, ut dicta Romana Eccleſia ab aliis „ Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, quarum ipſa eſt caput, in ſuis neceſſitatibus „ adjuvetur, & quòd mediantibus ſubſidiis „ Eccleſiaſticarum perſonarum præfati Regni, videlicet in terris dicto Regi immediatè ſubiectis dumtaxat, perfidiæ dictorum Tartarorum reſiſtatur, & Rex & Regnum prædicta à noxiis releventur, deliberatione ſuper iis præhabita diligenti, „ decimam omnium reddituum & proventuum Eccleſiaſticorum in eodem Regno & „ in tota Provincia Gneznenſi conſiſtentium „ per unum annum, à die, quo præſentes „ literæ in eiſdem Regno & Provincia fuerint „ publicatæ, inchoandam, & colligendam, „ ac in relevationem onerum, & exterminium Tartarorum prædictorum convertendam, imponendam duximus, & imponimus per præſentes &c. *Datum Romæ apud* „ *S. Petrum* XIV. *Kalendas Februar. Pontific. noſtri Anno XI.*

168 Sed & eodem tempore Bajazetes ad exterminandum Græcorum Imperium totus intentus, iterùm Regiam Bizantii Urbem obſidioni ſubiecerat, quam cùm vi expugnare non poſſet, fame debellandam ſtatuerat, ut ait Chalcocondylas: Hinc Bonifacius Papa, licèt jam ſacram indixiſſet militiam, ut præfati ſumus, nè priſtinis ardor deferveſceret, iterùm promulgandam decrevit, data inter cæteros, commiſſione crucem prædicandi in Provincia Maguntina, in Regnis Norvergiæ, Daciæ, & Sueciæ, in Lauſanenſi Bambergenſi, Miſnenſi, Lubicenſi, & Caminenſi Diœceſibus, ac aliis Civitatibus & locis, Auguſtino de Undinis Benedictinæ familiæ, prout in literis Pontificiis eidem datis liquidò conſtat: in quibus inter alia ait Pontifex: „ Tibi per „ Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus per te, vel alium, ſeù alios, „ quos duxeris eligendos exemptos, & non „ exemptos, etiam non mendicantium & „ mendicantium Ordinum profeſſores verbum „ hujuſmodi in tota Provincia Maguntina, ac „ Regnis Norvergiæ, Daciæ, & Sueciæ, necnon in Diœceſi Lauſanenſi, Bambergenſi, Miſnenſi, Lubicenſi, & Caminenſi, „ & aliis Civitatibus, Oppidis, Terris & „ locis quibuſcumq; Venerabilibus Fratribus „ noſtris Archiepiſc. Maguntino, & Epiſcopis ejus ſuffraganeis pro tempore exiſtentibus qualitercumque ſubiectis fidelibus ipſis „ proponere, ac eos, quos ad negotii executionem hujuſmodi idoneos fore putaveris, „ ut venerabile ſignum Crucis hujuſmodi debita reverentia eorum imprimentes cordibus & humeris affigentes ad expugnationem prædictorum perfidorum Turcorum „ hoſtium Crucis viriliter ſe accingant per „ prædicationes, & aliàs, prout expediens „ extiterit, ſolerter & ſalubriter inducere non „ poſtponas. *Hæc Bonifacius*. Datæ ſunt literæ Romæ apud S. Petrum ſecundo Idus Januarii, ſui Pontificatus Anno XI.

169 Intereà verò Tamerlanes movit contra Bajazetem; Hic autem cùm cognoviſſet Tamerlanem forti manu adversùm ſe advenire, ſoluta Bizantii obſidione, universâ ſuâ ſtipatus militiâ, obviam illi occurrit, prout Chalcocondylas ſcribit, inquiens: *Urbem eam certè cepiſſet, niſi Temires* (ſic Tamerlanem appellat) *nunciatus eſſet magna manu adversùs ipſum adventare*: ſic ſoluta obſidione Emmanuel Græcorum Imperator, conſpiciens vires ſufficientes tam potenti inimico reſiſtendi non ſuppetere ſibi, relicto Imperii regimine Joanni Andronici filio, & patrueli ſuo, navigavit in Italiam, auxilia poſtulaturus à Chriſtianis Principibus. De cujus profectione præfatus Chalcocondylas hæc ſcribit

bit : „ Bajazetes cùm nihilominus Bizantii oppugnatione ceſſaret, ſciretque Græcorum Rex ſuas copias in arctum redactas, nec poſſet invenire huic urgenti malo remedium, Bizantium patrueli ſuo Andronici filio Joanni commiſit. *Et paucis interjectis, ſubdit*. Qui Urbem patruelis fidei commendans, navigavit in Italiam, petiturus auxilium contra longam illam obſidionem, nè videlicet Urbem iſtam inſignem pereuntem negligeret.

170 Meminit ejuſdem Emmanuelis profectionis Bonifacius Papa in quibuſdam literis hortatoriis pro ei ferendo auxilio, quarum fragmentum affert Raynaldus ad Annum Domini MCCCC. ſub num. 8. ubi ait : „ Cœpit vires congerere, & conflare potentiam, non ſolùm ad exterminium Civitatis Conſtantinopolitanæ, & circumpoſitæ regionis, cæterarùmque terrarum, quæ à fidelibus in illis partibus habitantur, verùm etiam ad invadendum Vallachiæ, & Hungariæ Regna perſonaliter ſe accinxit, ſpem gerens Civitatem, Regionem, Terras, & Regna prædicta, immò univerſitatem chriſtiani Populi (quod Deus avertat) funditùs evertere, & prorsùs extinguere, ſi ejus nefando propoſito poſſibilitas reſponderet; propter quod cùm præfatus Imperator inſultibus Turchorum hujuſmodi per ſe ſine fidelium ſuffagio reſiſtere non valeat, Civitatem ipſam Cōſtantinopolitanam (quod utique dolenter referimus) deſeruit, ac diverſas Mundi partes circuit auxilium hujuſmodi fidelium implorando. Ecce jam crebris infidelium arietibus Fidei Catholicæ fundamenta pulſantur. Et nemine opem ferente, reliquiæ illarum partium dantur excidio. Conſiderent Chriſtiani, ſi (quod abſit) præfata Civitas, quæ quodammodò, ut ita loquamur, propugnaculum Chriſtianitatis exiſtit, in manus ipſius veniat Bajazetis (quod heù futurum eſſe conſpicimus, niſi Chriſtianus Populus dicto Imperatori tam potenter, quàm celeriter ſtudeat ſubvenire) in quanto periculo foret univerſitas chriſtiani Populi conſtituta. *Hactenus Bonifacius*.

171 Loca porrò, quæ peragratus eſt, & Principes, ad quos acceſſit Emmanuel, recenſet Chalcocondylas ſupramemoratus lib. 2. de Rebus Turcicis, ubi poſt verba paulò ſuperiùs recenſita, ſubjungit : „ Cùm veniſſet Peloponeſum, uxorem ſuam depoſuit apud fratrem; ipſaque conſcenſa navi, iter in Italiam maturavit. Cùm adiiſſet Venetos, iiſque, quæ vellet explanaſſet, iter ad Liguriæ Principem, Mediolanique Ducem inſtituit, à quo comiter exceptus, pecunia, equis, viæque ductoribus oblatis, miſſus eſt ad Galliarum Regem. Cùm proceſſiſſet in conſpectum Gallorum Regis, rogavit, nè Byzantium Urbem Græcorum Regiam, genere Galliarũ Regibus junctam, in ſummum diſcrimen deductam, deſpiceret. *Hæc ille*. Similia quoque refert Phrantzes apud Raynaldum mox citat. ſub num. 9. inquiens : „ Abiturus Joannem ex Fratre Nepotem ad Urbem interea regendam, & impetum hoſtium propulſandum relinquit : Ipſe cum Deſpœna conjuge in Peleponeſum ſolvens Spartæ eam apud Fratrem Theodorum deponit, & in Italiam navigationem ſubit, ac primùm Venetiis exſcendit, poſt ad Ducem Mediolanenſem pergit, à quo honorificentiſſimè, ſplendidiſſimèque habitus, & muneribus cultus eſt : ingens præterea equitum, peditũque comitatus ei ad Franciæ Regem adjunctus. Spopondit inſuper Dux, ſi cæteri quoque in eandem voluntatem incumberent, ſemetipſum illi & Imperio Romano ſubſidio ſpontè venturum, ac diſcrimen depulſurum. Ad Regem Franciæ cùm veniſſet, morbo graviſſimo conflictantem, & mentis impotem offendit, cujus conſiliarii reſponſum ſoli ſe dare poſſe negabant : ita rebus infectis, Conſtantinopolim repetivit. *Hactenus ille*.

172 Longo tempore apud Regem Galliæ hæſiſſe, ut interea convaleſceret, notat antedictus Chalcocondylas, inquiens : „ Regem autem Gallorum invenit furioſum, & diligenti cuſtodia ab optimatibus aſſervatum, donec morbus curaretur, Rexque ſanitatem reciperet : Longo igitur tempore ibi hæſit. *Et infra ſubjungit*. Rex Græcorum cùm in Galliam veniſſet, Regem Gallorum phrænesi laborantem offendit : nec potuit à quoquam Galliæ Ducum impetrare ea, propter quæ iter in Galliam intenderat. Quapropter conſulentibus id optimatibus, qui ibi erant, moras trahere ſtatuit, donec Rex curaretur. Cùm autem morbus in longum protraheretur, manere diutiùs non fuit auſus : proinde tranſita Germania & Pannonia, domum rediit. *Hactenus Chalcocondylas*. Ex Gallia navigaſſe in Angliam addit Valſingamus, ibique in die Sancti Thomæ honorificè exceptum : ſed quoniam Procerum conjuratione exauctoratum Riccardum reperit, ad Thronum evecto Henrico, adhuc vigentibus in Regno Civilibus diſſenſionibus, nihil pro bello ſacro & poſtulato auxilio obtinere potuiſſe.

173 Sed Bajazetes iterum Byzantiũ obſedit, conſtitutis Ducibus Jagupe, & Breneze, pro continuando bello in partibus Europæ, quorum unus Peloponeſum tentavit, alter Argos Urbem expugnare eſt aggreſſus; hic tandem Civitatem obtinuit, ac diripuit; ille verò vaſtato Peloponeſo & maritima Macedonis, contra Albanos arma movit, fortiter dimicans, unde univerſis terrorem incuſſit, tum in Europa, tum in Aſia, ubi Bajazetes tranſvectus, ut ait Chalcocondylas, Etzicam Urbem oppugnavit, & expugnatam,

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ ditionis fecit: inde progreſſus Melitinen Urbem Euphrati impoſitam, in deditionem accepit, aliasque Aſiæ Urbes propriis expulſis Ducibus, licèt Turcis, ſibi ſubegit, cogitans inde expeditionem facere contra Syriam, & Ægyptum, & Memphiticum Regem: Et certè univerſam Aſiam, Europam, & Africam occupaſſet, niſi Deus ei æmulum ſuſcitaſſet Tamerlanem, qui à Ducibus Turcis à Bajazete expulſis ſolicitatus, curavit primùm per Legatos perſuadere Bajazeti, ut Imperia Aſiæ Ducibus adempta reſtitueret; Deinde contempta à prædicto Bajazete Tamerlania Legatione, quin etiam inhoneſtè, & cum ſuperbia multa remiſſo Legato, indignatus, tanquam hoſtem habere voluit. Quare collectis copiis ad obſidendum Sebaſtiam, celerrimo curſu properavit, quam brevi tempore occupavit, capto Orthobole Bajazetis filio, quem poſtea interfici juſſit, trucidatis prius univerſis loci oppidanis. Quibus peractis, iterum Legationem miſit ad Bajazetem, præcipiens, ut antefatis Ducibus ademptas regiones reſtitueret: Daret inſuper tantùm butyri, quantùm ferunt duo millia Camelorum, ac etiam duo millia tentoriorum; cujuſmodi in uſu per Aſiam Paſtores habent. Ad hæc porrò per eundem Legatum petiit, ut per univerſum Bajazetis Regnum ipſe Temerlanes pronunciaretur Rex: quòd ſolùm ſuum numiſma reciperetur, irrito prorsùs facto Bajazetis numiſmate: & denique, ut unus de numero filiorum ejusdem Bajazetis militaret in Tamerlanis januis: aliàs his non admiſſis, nec adimpletis conditionibus, ſciret Tamerlanem ipſum pro hoſte habiturum.

174 Hic Tamerlanus, ut ait Chalcocondylas initio lib. 3. de Rebus Turcicis, filius fuit cujuſdam Sangalis viri vulgaris & plebei, genere Meſſageta, ſive Scytha. Cũ eſſet adultus, delectus fuit à ſui loci oppidanis pro paſcendis oppidi equis, eorumq; curã habendã: Qui in hoc cõſtitutus miniſterio, habito cum ceteris illius regionis Paſtoribus colloquio, effecit, ut inter ſe conjurarent, ſe velle furtis opes colligere, collectis verò in aliam confugere regionem. Cùmque Tamerlanes peritiſſimus eſſet in arte furandi, brevi tempore, immenſam equorum, jumentorum, oviùmque multitudinem collegit. Prælio inde facto cum finitimis, profectus eſt cum ſuis contra hoſtes, viriliter pugnans, ac univerſa rapiens. Poſt hæc conſilium dedit conſociis ſuis, ut locum caperent latrociniis commodum & furtis, in quem tanquam in monimentum fortiſſimum ſe receptarent. Hinc profectus latrocinando, ac crudeliter graſſando in prætereuntes nulli parcens, magnam vim pecuniæ cumulavit. Porrò in ſocietatem traxit Chaidarem quemdam, & Mirxem viros genere Meſſagetas, audaces & bellicoſos, quorum auxilio Tamerlanes ſæpe in hoſtes irruit, eos fugando, omniaq; prędando, & univerſam populando regionem: ex quo multi ex Civibus terrore perculſi, fœdus cum ipſo iniebant: unde & Meſſagetarũ Rex explorata viri virtute, eum in maximo habuit honore, Imperatorem declaravit, & univerſos exercitus ſuos eidem commiſit: qui acceptis copiis Regiis, mirabili celeritate uſus eſt in devincendis hoſtibus, ſubitò in eos incidens, atque temporis momento omnes perdens. Mortuo inde Meſſagetarum Rege, Reginam Viduam ſibi conjugio copulavit, ſimulque cum Regina & Regnum accepit. Dum porrò Regnum adminiſtrare incœpit, contra Sermachandæ Regnum movit, illudque expugnavit, ſuæque ditionis fecit. Inde bellum ſumpſit adversùs Hyrcanos, & contra gentes, quæ mare Hyrcanum accolunt, easque domuit, Hyrcanorum Rege cæſo, domitis Hyrcanis, in Cadduſios movit, quos pariter vicit, Civitate ipſa expugnata: & inde contra Arabes arma vertit, quaſi auxilia Cadduſiis ſubminiſtraſſent, quos cùm omninò vincere non poſſet, tributarios tamen ſibi, inito cum eis pacis fœdere, reddidit: Cùmq; accepiſſet Scythas in ſuam regionem impetum feciſſe, reverſus Sermachandam, contra Cataidas Iter inſtituit ſecum habens exercitum, qui complebatur octoginta Myriades hominum, ac inito cum Cataidis prælio, eos fugavit & vicit, inde obſeſſa Cataia Urbe hujus gentis primaria, pactionibus in deditionem accepit. Cum Scythis porrò diverſa inſtituit prælia, ſed incerto marte, donec tandem inito pacis fœdere, finis bello impoſitus eſt. At poſt hæc, Aſiæ Duces à Bajazete victi, ſuisque locis ſpoliati, ad Tamerlanem confugerunt, petentes ab eo patrocinium, ut præfati ſumus, unde exordium habuerunt Tamerlanis cum Bajazete diſſidia, ex quibus inter eos acre & cruentiſſimum exortum eſt bellũ. Nam capta Sebaſtia, ut diximus, & contempta à Bajazete Tamerlani Legatione, quam ſupra recenſuimus, aperto marte pugnatum eſt. Initum eſt prælium in Myſia: Certatum eſt viriliter à Bajazetis exercitu, præcipuè à Triballis, quos ſecum habebat: verùm cùm non minori audacia pugnarent & virtute, qui à parte Tamerlani erant, ſuccubuit Bajazetis exercitus, & in fugam lapſis militibus, ipſe quoque conſcenſa equa, totis viribus ſe dedit in fugam: Fugientem inſecutus eſt Tzachataides unus è Tamerlani Ducibus, à quo propè flumen quoddam, ubi Bajazetis, equa intolerabili ſiti ſtimulata bibere cupiebat, captus eſt, & ad Regem Tamerlanem ductus: captus eſt Moſes, & penè univerſi Bajazetis Duces. Capti ſunt Mulſumanes, Joſue, Mechmetes, & cæteri, quos ſecũ habebat, Bajazetis filii. Capta inde Pruſa Bajazetis Regia, & in ea Eleazari filia ejus uxor; ac denique univerſa Bajazetis finitima Regio populata eſt, atque ſubacta.

175 Hujus Bajazetis cladis meminit etiã Theodoricus Niemius illius ævi Scriptor lib. 2. cap. 29. & nota: Annum præciſum, quo

ac-

accidit, nimirum Anno XIII. Pontificatus Bonifacii IX. ac ita Anno Dom. MCCCCII. Roberti Romanorum Regis Anno II. Emmanuelis II. Imperatoris Græcorum Anno XIX. Indict.x. ſcribit nãq; præfatus Auctor: „ Anno XIII. Pontificatus Bonifacii, in æſtate, „ maxima bella inter Tamerlanum Tartarorum & Bajazetem Turcorum Ammiratos, ſivè Imperatores commiſſa fuerunt, „ ubi fortis impegit in fortem, & tandem Bajazetes captus. Creditur quòd Deus miſertus eorum, qui habitabant Conſtantinopoli & Peræ in aliquibus terris propinquis, quas paulò ante Bajazetes per octo „ Annos continuè obſedit, & quaſi jam cœpit; ſed audiens adventum dicti Tamerlani, „ ſoluit eandem obſidionem, credens Tamerlano poſſe reſiſtere manu forti: ſed ſecum „ pugnando defecit. Ubi dicuntur pluſquam „ quingenta millia hominum pugnantium „ ſimùl diebus multis in bello cecidiſſe, ac „ unus filiorum dicti junior ea tempeſtate devenit ad manus Imperatoris Græcorum, qui „ jam rexit, & duo alii filii. *Hæc ille*. Hunc fortaſſe Bajazetis filium, quem Niemius ſcribit deveniſſe ad manus Imperatoris Græcorum, illum fuiſſe autumo, quem Jeſum appellat Chalcocondylas lib.4. de Rebus Turcicis, de quo ait: *Jeſus autem, ſive Joſue, qui natu minimus erat filiorum Bajazetis, ad Græcos ſe recipiens, Chriſtianam Religionem aſſumpſit, nec multo poſt ad ſuperos migravit.*

176 Captum itaque Bajazetem non indignè habitum ab exordio, quidam tradunt, notitia accepta ex hiſtoria Turcica, ſed quoniam inde ſuperbum animum aperuit, quæ Tamerlano, ſi in ejus manus victus deveniſſet, minitabatur, ipſe tandem, eodem jubente Tamerlano, paſſus eſt: „ Cùm Temur aliquando eum interrogaret, (*inquit Auctor Hiſtoriæ Turcicæ*) atque etiam liberè dici „ peteret, ſi ſua ſitum eſſet in poteſtate cum „ Temure pro ſuo agere libito, quid de eo „ facere vellet, ferociter reſpondit, ſi Temur „ in poteſtatem ipſius Bajazetis veniſſet, omnino ſe ferrea concluſum cavea hinc inde „ circumvehendum fuiſſe: quo Themur audito, mox è ferro caveam fabricari juſſit inſtar „ fellæ cancellis undique ferreis incluſæ, per „ quos videri quavis ex parte poterat. In hac „ cavea duos inter equos vehebatur, quoties „ Temur cum ſuis ad iter motis Caſtris ſe „ comparabat, ante Temurem vehi ſolebat in „ ea cavea, quam diximus; & quotiss itinere confecto ex equis deſcēdebat, ante Tentorium Temuris deponebatur. *Hæc ille*.

177 Cæterùm nec ab initio adeò honeſtè à Tamerlane habitum Bajazetem, indicat Chalcocondylas lib.3. citato, qui tradit utique accipitres & canes ad venandum Bajazeti miſiſſe, ſed non tam honoris, quàm contumeliæ cauſa: „ Deinde, *inquit*, miſit Temires Bajazeti accipitres & canes, & reliquum hujuſmodi apparatum, ut qui venatori, potius, quàm Imperatori in hoſtes ducenti comparandus eſſet: Ajunt „ Bajazetem habuiſſe ſeptem millia virorum, „ qui accipitres curarent, præterea aluiſſe „ canes ſexies mille. *Hæc ille*. Addens poſtea, Bajazetem injuriam in hoc ſibi illatam agnoviſſe, animoque ſuperbo Tamerlano reſpondiſſe: „ Verùm, ò Temires, qui es Scythes & latro, latrocinandique artem uſque „ exerces, ſatis ſcio parùm tibi convenire cũ „ canum, accipitrumque ſtudio. Mihi verò, „ qui ſum natus & educatus ab Amorathe „ Orchania filio, qui ambo Reges extitere, „ congruit canum & accipitrum ſtudium, „ *ſubjungit Auctor*. Tamerlanem hac Bajazetis reſponſione indignatum, quovis genere contumeliarum eum affeciſſe: „ Rex Temires, *inquit*, hoc reſponſo graviter offenſus, „ impoſitum eum mulo per Caſtra agi jubet, proponens eum militibus deridendum. Ut autem jàm omnibus ſatis ridiculò fuit, redactum ad ſe interrogavit, an etiam ſui generis & iſta ſtudia ſint, quemadmodum „ accipitrum & canum? Deinde Bajazetem „ in vincula conjecit. *Et paulò poſt ait*: Etiam „ iſtam injuriam Temires Bajazeti fecit. Ut „ enim Eleazari filia, Bajazetis uxor, quam „ præ cæteris ardentiſſimo amore complectebatur, & ſemel in Caſtris ſemper habebat, „ captiva abducta eſt ad Temirem, juſſa eſt in „ conſpectu mariti ſui vinum infundere. Hinc „ Bajazetes, ira accenſus, in hæc verba prorupit. Neque paterno, neque materno tuo „ genere digna facis. Cùm enim natus ſis ex „ parentibus idiotis & ingloriis pauperibuſque, haud tibi decorum eſt adeo turpiter „ inſultare Regum liberis, & uxoribus. Hoc „ modo etiam eos, qui tibi natura ſunt Domini, probris oneras. Hæc dicens, ingentem „ riſum movebat Temiri, qui hominem pro „ ludibrio habebat, ut qui nihil ſani, nec diceret, nec ſaperet. *Hactenus Chalcocondylas* de illatis Bajazeti injuriis, quem dicit nimia ægritudine ægrotantem fato functũ eſſe, poſtquam regnaſſet Annis XXV. Aliter tamen Bajazetis exitum deſcribit Auctor Hiſtoriæ Turcicæ, inquiens: *Qùm vir excelſi ſpiritus, & indolis eſſet generoſiſſimæ, tantam calamitatem indigniſſimo ferebat animo, adeoque ſibimet ipſi mortem attuliſſe creditur, cum Annis XIV. regnaſſet*. Scribunt alii, quòd altero captivitatis Anno, cùm ſibi mortem imprecaretur, nec ferre poſſet, uxorem ſuam, de qua ſati ſumus, denudatis partibus obſcœnis Proceribus Tartaris pocillatricis inſtar famulari, clathris ferreis caput ictibus illiſum perfregiſſe. Expiraſſe in Jonia, cum eò in Hyberniam moviſſet Tamerlanes, adnotat præfatus Chalcocondylas.

178 Poſt hæc, profectionem in Europam paraſſe Tamerlanem, idem auctor ſcribit, inquiens: „ Verè appetente, in Europam pro-

„ profectionem parabat, quemadmodum ſupra docui, ut in eam transvectus, univerſa in ditionem acciperet, uſque ad Herculis columnas progrediens. Inde in Lybiam iter avertere, & ex Lybia in ſuam regionem redire in animo inducebat, univerſa iſta Orbis continente Imperio ſuo juncta. Miſit Legatos ad Byzantii Regem, petens liberum tranſitum & naves triremesque, quibus copias ſuas tranſmittere poſſet. *Hæc ille.* Verùm non illùc ſtatim victo Bajazete profectus eſt, & ſi potuit in animo habuiſſe: quoniam Theodoricus Niemius lib. 2. cap. 30. qui accuratius tempora in ſua Hiſtoria conſignat, quæ non obſervat Chalcocondylas geſta omnia confundens, nullo temporis ordine ſervato, poſt victum Bajazetem, ac illius ditionem majori ex parte in Aſia occupatam, contra Syriam arma vertiſſe ſcribit: „ Subſequenter, *ait*, idem Tamerlanes Damaſcum Nobiliſſimam Civitatem Syriæ obſidendo demùm cœpit, quam pecuniis, necnon melioribus, & pretioſioribus pannis & bonis omnibus ſpoliatam, ignis incendio devaſtavit, & ultra viginti millia hominum juvenum utriuſque ſexus in diverſis artibus Mechanicis apprimè inſtructorum ſecum abduxit ad Metropolitanam ejus Civitatem Semerchant nuncupatam, in finibus Perſarum. *Hæc ille.* Ejuſdem expeditionis contra Syros meminit etiam Chalcocondylas, ſed id accidiſſe vult poſt bellum Scytichum, & ante congreſſum habitum cum Bajazete, inquiens lib. 3: „ Compoſitis Rebus in hunc modum Scythicis, Cœleſiriam ſubigere aggreſſus eſt, Adortus eſt Damaſcum, eamque Urbem obſidione arctavit. Admovens deinde muro machinas bellicas, captam vi fœdè diripuit, cùm fuiſſet Urbs maxima & fœliciſſima opibus. Hinc abduxit octo millia Camellorum. Raptis opibus plurimis ex ea Urbe, præda multa & divitiis oneratus, domum remeavit. *Hactenus Chalcocondylas.* Addit Niemius: *Pugnando tunc cum Soldano Babyloniæ, & quibuſdam ſuis Satrapis, primò propè Alepiam, & deinde in quibuſdam aliis locis inter Cariam & Damaſcum vicit eos.* In eadem Syria quingentos Mahometis flamines, ſive Sacerdotes unà cum Templo flammis deleviſſe, idem Auctor ſcribit, non quia Mahometem colerent, quoniam & ipſe eundem colebat; ſed quoniam Gezideorum Sectam ſequebantur Mahumaticæ adverſantem, quòd ut poſſet facilius perdere, ſe Gezideum eſſe finxit, eadem uſus arte, qua olim Jehu, ut Sacerdotes Baal ſimul perderet.

179 Subacta itaque Syria, cum hoſtis eſſet Chriſtiani nominis, excidendi Jeſu Chriſti Sepulchri Hieroſolymam furens greſſus direxit: ſed divina potentia victus, quæ bruchorum innumerabilium exercitum contra ſuperbum miſit, nec permiſit Hieroſolymam pervenire: *Volens etiam tunc temporis capere Hieroſolymam, impediebatur per bruchos*, ait præfatus Niemius, *qui ejus exercitum adeo vexarunt, quod verſùs eandem Civitatem ulteriùs ire non potuit.* Sic propulſatus Tamerlanes, nè Hieroſolymam accedere poſſet, ingentem exercitum ſuū in Ægyptum tranſportare voluit, verùm arenoſis ſolitudinibus detentus, ſigna vertit in Perſidē, eūcta tranſeundo, ſibi ſubigendo, adeo ut Regna, quæ olim Aſſuero paruerant, aliaque plura ſuo Imperio adiecerit, unde idem Niemius ait: *In Perſiam redditur Suſam, quæ nunc vocatur Tauriſium & Baldach maximas Civitates, & omnes alias Provincias centum & viginti numero, quæ ut legitur in Eſther, olim Aſſuero Regi Perſarum ſubditæ fuerunt, & multa alia Regna in partibus Orientalibus & Aquilonaribus, necnon etiam aliqua in Europa ſuæ ditioni ſubjecit.*

180 Per idem tempus, ut obſervat Boſius tom. 2. lib. 4. Hiſtor. Equit. Hieroſolymit. Zelebis Ægypti & Syriæ Sultanus, fortè Tartarici belli à Tamerlane mole preſſus, miſſis Oratoribus ad Principem Rhodiæ Equeſtris militiæ, pacem cum Chriſtianis pepigit, ac plura eis conceſſit, ac inter alia, ut Rhodius Magiſter Hieroſolymis & Rhamæ Xenodochia habere poſſet, illisque Præfectum cum ſex Sacerdotibus imponeret, ad Peregrinos, qui Chriſti Sepulchrum luſtrarent, excipiendos, Conſulem juri dicendo præficeret, ac veteres ædes, quas olim Hoſpitalarii poſſederant, reſtituit: præterea omnium vectigalium onere immunes pronunciavit: ut etiam Equites Hieroſolymitani per omnia ipſius Regna liberè commearent: ut omnes Peregrini ad Sanctiſſimum Sepulchrum acceſſuri nulla graviora, quàm olim præſcripta erant vectigalia penderent: ut in Xenodochio Hieroſolymitano pro uſu Peregrinorum ædes amplificari poſſent, necnon apud dictū Sepulchrum, tum in Monte Sion, Nazarethi apud Sanctam Mariam Sardinajam, & in omnibus locis, in quibus Chriſtianæ pietatis monumenta extant impreſſa, Eccleſiæ refici, atque inſtaurari poſſent: ut Chriſtiani è ſervitute Mahumetica, vel pretio rediмi poſſent, vel cum Sarracenis captivis permutari. Aliæ quoque legea adjectæ ſunt pro commercii libertate. Hæc omnia ex præfato Scriptore.

181 Cæterùm hac tempeſtate, qua primùm per Bajazetem, inde per Tamerlanem univerſa in Oriente Chriſtianitas quatiebatur, non reperio Græcos, qui magis premebantur, quorum Imperium in præceps ruebat, nec verbum quidem feciſſe de unionis negotio: Profectum Emmanuelem in Italiam vidimus, & ad Chriſtianos Europæ Principes auxiliares copias, aliaque poſtulaturum ſubſidia pro tuendo Imperio, in parte à Bajazete occupato, & in univerſum periclitante; non legimus tamen nec cum Romano Pontifice, nec cum aliis Principibus de unione cum

San-

Sancta Romana Eccleſia tractatum vel minimum habuiſſe; unde Bonifacius in ſuis literis recitatis ſuperiori Capite pro excitandis Chriſtifidelibus ad ferendum auxilium præfato Imperatori, nullius ipſius tractatus de præfata habiti meminit unione, ſolùmvè admonet eſſe ei ſubveniendum, ſuiſque Græcis, quatenùs Chriſtiani ſunt, invocantes ſalutiferi Chriſti nomen: ſolâ ſpe conceptâ, quòd proceſſu temporis, Divinâ cooperante gratiâ, poſſent ad unitatem Eccleſiæ redire: Et hoc ſanè ex ſola Pontificis paterna dilectione, qua eos, licèt rebelles Catholicæ Eccleſiæ, proſequebatur, quandò ipſi Græci ex adverſo odio habebant Latinos, quòd maximè apparuit eodem prorsùs tempore, quandò à præfato Bajazete preſſi, Bonifacius ſolicitabat Chriſtifideles ad ferenda eis auxilia: Tum namque Theodorus Deſpota Imperatoris Græcorum frater, noſcens ſibi non ſuppetere vires ad reſiſtendum Bajazetis potentiæ, Spartam Rhodiis militibus pretio vendidit, ut per eos inde ſervaretur, nè in Turchorum poteſtatem caderet; ſed Spartiatæ nullo pacto ſubdi præfatis Equitibus voluerunt, maluerunt Turchorum furori ſe objicere, quàm Rhodiorum Equitum Imperium ſuſcipere, quaſi tolerabiliùs ipſi videretur Turcis magis quàm Latinis ſubdi. Factum deſcribit Chalcocondylas lib. 2. ante finem, ubi ait: „ At Theodorus Spartæ Dux hanc Urbem (*Argos ſcilicet*) vendiderat, cùm Græci jam deſperarent de Byzantii, Pelopponeſique ſalute, „ ipſorūq; res in graviſſima pericula adductæ „ eſſent. *Et paulò poſt*. Spartam tamen, cùm „ in colloquium veniſſet cum Rhodi Nazareis (*ſic vocat Equites Rhodi*) iis magnæ „ pecuniæ vi vendidit. Spartani cognito ſe „ traditos eſſe à ſuo Duce, qui eo tempore „ aberat Rhodi, admoniti à ſuo Epiſcopo, „ qui id indicium fecerat, in comitium evocantur: Ibi multis ultrò, citròque jactatis „ conjurationem faciunt, & unanimiter conſpirant, ſe nulli Nazaræorum aditum ad „ ſe conceſſuros; immò quidvis potiùs mali „ ſubituros, quàm Latinorum Nazaræis parere velint. Quo res iſta majore auctoritate gereretur, Epiſcopum Ducem creant. „ Venientibus Nazaræis edicunt, ut continuò ſuis finibus diſcederent; ſin minùs, ſe „ eos pro hoſtibus habituros. *Hactenus Chalcocondylas*.

182. Apparet ergò inteſtinum Græcorum odium in Latinos, qui malunt potiùs Turcis ſubdi, quàm Latinis, quod quidem odium, nondùm extinctum, licèt ſub Turcharum tyrannide modò univerſi premantur; adhùc enim in eis viget, amant potiùs parere Turcis, ac ab eis vexari, quàm ſub Latinis eſſe, & tolerabiliùs eis videtur barbarum jugum, quàm Latinorum dominatus; & adeò excrevit hujuſmodi odium, ut contempta prorsùs Chriſtiana Religione, optatiùs exiſtiment filias ſuas Turcis, Armenis, Surianis, aliiſque magis à Catholica Eccleſia deviantibus nationibus nuptui tradere, quàm viro Latino, & licèt raro in effectu accidat, ut Turcis filias tradant, in affectu tamen ita res ſe habet: Relatum namque mihi eſt hoc eodem tempore, quemdam Græcum Hieroſolymitanum, in hac eadem ſancta Civitate volentem filiam ſuam uni ex noſtris Chriſtianis Catholicis nuptui tradere; à Papa Neophyto Archimandrita, & Græcorum in Terra Sancta Procuratore, fratre Hieroſolymitani eorundem Græcorum Patriarchæ territum minis, ac impeditum fuiſſe; ajuntque ex præfati Græci teſtimonio, poſt improperia eidem illata, quòd vellet Viro Franco (hoc pacto vocant Catholicos Eccleſiæ Romanæ unitos) Græcam filiam nubere, addidiſſe, ut potiùs Turco, Armeno, vel Suriano, vel Cofito cōpularet, quàm uni Viro Franco. Et licèt fatear, per exagerationem talia affatum, nec in re permiſſurum fuiſſe conjugium præfatum cum Viro Turcho, ſicut reverà à Græcis non permittitur: Satis tamen ex hiſce verbis evincitur quale & quantum ſit Græcorum in Latinos odium; ac proindè quàm difficilis ſemper fuerit, ac futura erit ipſorum Eccleſiæ Catholicæ reconciliatio.

CAPUT V.

De Bonifacii IX. obitu; Innocentii VII. Electione; Turcarum excurſionibus; Emmanuelis ad Pontificem Legatione; ac ejuſdem Pontificis ſtudio pro ferendo Græcis ſubſidio.

183 CUrrente Anno X. pſeudopontificatus Petri de Luna, reſtituto ſibi Gallorum obſequio, cùm antea ab eo defeciſſent, arrogantiâ tumidus, ſchiſma propagare non deſiſtebat: Quare Carolus Francorum Rex dolens ob ſuam facilitatem, Petrum in priſtina pervicacia obduruiſſe, Ducem Aurelianenſem ad eum miſit, petitum, ut ad removendum à ſe invidiam, conſilium ſuum abolendi ſchiſmatis, ſuamque mentem aperiret: Quibus auditis pſeudopontifex, improbitatem ſuam multis verborum fucis coloravit, eoſque rumores inſigni malevolentiæ adſcripſit. Proteſtatus ergo eſt cum eodem Duce Aurelianenſi, ſe paratum eſſe ad abolendum ſchiſma, etiam per viam ceſſionis, ſi opus eſſet, dummodò & Bonifacius etiam Papatui cederet: De qua re, eodem Duce conſulente, literas fecit datas in Taraſcone Avenionenſis Diœceſis, VI. Idus Januarii præfati pſeudontificatus Anni X. univerſis Chriſtifidelibus, incipientes, *Scrutator mentium*;

ſed

ſed tot dolis, fucis, & mendaciis refertæ, ut potiùs effectæ viderentur ad decipiendos infœlices ejus ſchiſmaticos Sectatores, quàm ad dandam Sanctæ Eccleſiæ pacem. Quibus evulgatis literis, ut faciliùs perfidiam tegeret & dolum, incautosque deciperet, Legatos ad Bonifacium deſtinavit, ut oretenùs ipſi innuerent, ut in vulgò ſpargebatur ad illorum irretiendas voluntates, ſe paratum eſſe ad Pontificia ornamenta exeunda, ſi Bonifacius Pontificium Imperium depoſuiſſet; cùm reverà hoc in mandatis præfatis non dediſſe Legatis, verùm tantùm, ut perſuaderent Bonifacio Pontificatus dimiſſionem, vel, ut conveniret in aliquo loco, quo ipſe poſſet cum eo in colloquium venire, ubi fortè vi poſſet, ſi non ſpontè, compellere ad Pontificatus dimiſſionem. In præſentia ergò Bonifacii coràm Cardinalibus, & compluribus Curialibus convenientes præfati Nuncii ſolerter exhortati ſunt Pontificem, quòd finem daret huic Schiſmatici, ad quem paratus pariter erat Benedictus eorum Dominus, quibus Bonifacius parùm benigniter reſpondit, ut ait Theodoricus Niemius lib.2. cap.23. dicens ſe eſſe Papam, & eundem Petrum Antipapam, & ſimilia verba, vel nihil ad cauſam facientia adducendo. At ipſi Nuncii dedignati dixerunt, eorum Dominum non eſſe ſimoniacum, quaſi notantes, Boniſacium talem fuiſſe: Quare commotus Bonifacius, juſſit, eos Urbem exire. Illi vero reſpondentes, ſe habere Salvum conductum ab ipſo, & Populo Romano conceſſum, velleque eo uti, Romæque conſiſtere uſque ad tempus in eo præfinitum, Pontifex hæc audiens, irâ immoderatiùs incaleſcens, & pungente ipſum calculi morbo, lectum ægritudinis intrans, in quo tertia die ſequenti in feſto S. Remigii manè deceſſit, præfatis Nunciis adhùc exiſtentibus in Urbe. Quæ omnia præfatus Theodoricus Niemius accuratè deſcribit. Obiit ergò Bonifacius calculi morbo, ut alii quoque Scriptores ferunt: *Anno Domini*, inquit Auctor Vitæ ejus apud Binium, *MCCCCV. ipſis Kalendis Octobris morbo calculi afflictus, ex hoc mundo migravit, ac in Sancto Petro ſepultus eſt, cùm Pontificatum XIV. Annis, & 9. menſibus adminiſtraſſet*. De die obitus concordant Innocentii VII. ejus ſucceſſoris literę, in quibus dicitur: *Defuncto ſiquidem Kalendis menſis Octobris proximè præteriti apud S.Petrum eodem Prædeceſſore noſtro &c.*

184 Verùm circa Annum conſignatum ab Auctore ſupra relato, error reperitur manifeſtus; nam, eodem Auctore fatente, creatus eſt Pontifex Anno MCCCLXXXIX. die IV. Nonas Novembris, hoc eſt die ſecunda ejuſdem menſis, aſſeratque inſuper, Pontificatum tenuiſſe Annis XIV. & menſibus, non potuit deceſſiſſe Anno MCCCCV. Kal. Novembris; hoc namque pacto fatendum eſſet vixiſſe in Pontificatu Annis quindecim, & menſibus. Errat pariter in deſignandis menſibus, cùm dicat vixiſſe menſibus novem ſupra Annos XIV. data ejus creatione die ſecunda Novembris præfati Anni, ut ipſemet etiam tradit, ſemel quòd obierit die prima Octobris, ſequitur ſediſſe ferè menſes XI. ſupra conſignatos Annos. Itaque ut certum tempus ſui obitus conſignemus, dicendum, Bonifacium obiiſſe Anno Domini MCCCCIV. Roberti Romanorum Regis Anno IV. Imperii Emmanuelis II. Græcorum Imperatoris Anno XXI. Indictione XII. Pontificatus Anno XV. labente, cùm ſediſſet Annos XIV. menſes X. dies verò XXIX. non computato mortis die.

185 Circa Bonifacii mores calumniati ſunt eum ſchiſmatici de obedientia Petri de Luna, quòd fuiſſet Simoniacus, ut ſupra tetigimus: fortè, quia annatarum imponendarum primus Auctor fuit, ex quibus ærario Eccleſiæ plurimùm acceſſit, anſam arripuerunt maledici de Simonia ipſum accuſandi & avaritia, qui piè, ac non alia de cauſa annatas impoſuit, niſi ut ex collecta ex eis pecunia expeditio contra infideles univerſum Orbem Chriſtianum ferè devaſtantes, occupanteſque, ut vidimus, fieret: Ad uſum ergò belli ſacri præfatam Bonifacius collegit pecuniam. Scribit tamen Sanctus Antoninus 3. par. titul.22. cap.3. in principio, Bonifacium peſſimè habuiſſe Curiam labe Simoniaca infectam: *Tempore tamen hujus*, inquit, *valde infamis curia habebatur, de labe Simoniaca, ut beneficia non tam meritis conferrentur, quàm plus pecuniæ offerentibus*. Hoc fanè Curialium vitio adſcribendum, qui à Pontifice beneficia pro aliis impetrabant, non ipſo Pontifici, illorum conventiones & pacta ignoranti, ac bona fide ſe in prædictorum beneficiorum collatione gerenti. Addit Antoninus: *Et replevit Orbem terrarum Indulgentiis plenariis, itaut parvæ Eccleſiæ in ſuis feſtivitatibus parvo pretio ea obtinerent pro porrigentibus manus adjutrices in ſubſidium earum. Quas tamen in finem ſui Pontificatus omnes, quas contulerat, revocavit ſub eo pretextu, ut potius Eleemoſynæ, quæ pro hujuſmodi fiebant Eccleſiis, converterentur ad reparationem tectorum Eccleſiæ Sancti Pauli juxta Urbem, quæ corruerant*. Nec hoc ad ſcribendum avaritiæ, ſed magis pietati, ut hac via ſacræ ædes reficerentur, alia fortaſſe ex illarum pauperie non ſuppetente: non enim in lucrum ſibi accedebant præfatæ ex Indulgentiis elargitæ eleęmoſynæ, ſed in earundem Eccleſiarum, quibus conceſſę erant, utilitatem. In eo aliquibus aliquali dignus viſum eſt reprehenſione, quod parentibus, quos ſecum habebat, nimiùm fuerit indulgens: quod idem Sanctus Antoninus notat, inquiens: *Bonifacius iſte tres habuit germanos: quos multùm exaltavit in ſæculo & ditavit. Quorum tamen filii ad extremam paupertatem devenerunt, ut eorum exemplo diſcant cæteri de patrimonio Crucifixi nolle ditari.*

186 Cæterùm præfatus Antonlnus plurimùm de regimine ejns optimo laudat: *Erat autem Bonifacius*, inquit, *ut dicitur in Chronico, cùm fuit creatus Papa ſatis juvenis, quia triginta quatuor Annorum: Qui licèt non eſſet in ſcientia peritus: tamen bonæ conditionis naturalis,& gratioſus habebatur: & ſatis prudens inventus eſt in regimine temporali*. Addit poſtea ſub §. 3. ejuſdem cap. de illins caſtitate, eligentis potius mori, quàm acquieſcere ſuadentibus ob corporis ſanitatem coitum: *A' multis*, inquit, *vulgatum eſt, quòd ſecundùm medicinam carnalem diceretur, ſibi quod per coitum cum muliere liberaretur à calculo (ex quo deceſſit) minimè acquieſcere voluit tanto ſacrilegio circa Divinam Legem, eligens potius pudicè mori, quàm impudicè vivere. Et ideo valdè commendandus fuit*. Hic plurimùm dilexit Fratres Minores, quorum Ordinem in literis datis Anno X. ſui Pontificatus, XIV. Kal. Maii, directis Miniſtro Provinciali, & Fratribus ejuſdem Ordinis Provinciæ Ungariæ, quibus eosdem Fratres eximit à ſolutione quartæ, ſeu canonicæ portionis, quas ex Regeſto Vaticano exhibet Wadingus ad Annum Domini MCCCXCIX. ſub num.3. plurimùm laudibus extollit:
„ Dum Sancta,
„ *inquit*, Mater Eccleſia proprium dirigit ad
„ filios dilectionis intuitum in eis, nec mi-
„ rum præcipna jucnnditate lętatur, qui ab-
„ jectis mundanis illecebris præcipuæ devo-
„ tionis gratia præditi, & ferventioria ſpiri-
„ tns ardore ſuccenſi, ſe realiter exhibent,
„ ſub Dominico Regularis obſervantię jugo,
„ alioſque verbo, & exemplo conſtituunt
„ Cœleſtis Beatitudinis amatores in Ortho-
„ doxæ fidei ſulcimeutum. Talis profectò eſt
„ veſtra Sacra Religio, qua virtutum Do-
„ mino militatis, & pro qua nos ad ipſius
„ Eccleſiæ Regimen Divina diſpoſitione vo-
„ cati, paterna ſolicitudine vigilantes, Reli-
„ gionem eandem ſæpe gratiarum dulcedine
„ refovemus, quibus eadem Religio, Deo
„ propitio, à noxis protegatur, ſalubria in-
„ crementa ſuſcipat, & pacis affluat uberta-
„ te. *Hæc Bonifacius*: qui eodem anno eiſdem Religioſis Minoribus proficiſcentibus in Terras Ruthenorum, Wallachorum, Tartarorum, Sarracenorum, Paganorum, Cretorum, Bulgarorum, & aliarum Orientis, Aquiloniſque Nationum uon credentium, quos ſocietatis Peregrinantium appellat, alias fecerat literas ſub datis VIII. Idus Januarii, incipientes, *Exultat cor noſtrum*, quibus eos liberat à gravaminibus quorundam Eccleſiaſticorum Regni Ungariæ, impedientium quo minus uti poſſent privilegiis à Sede Apoſtolica conceſſis, confirmatque Urbani V. Conſtitutionem, ea de re æditam, ſicut aliam Gregoril XI. & alteram Urbani VI. ut videre eſt apud anteſatnm Wadingum ad prælibatum annum ſub num.2.

187 Præſtat denique id referre, quæ ſummatim de prædicto Bonlſacio ſcribit idem Wadingus Tom.5. Annalium, ad Annum Domini MCCCCIV. ſub num. 2.:
„ Porrò,
„ *inquit*, Kalendis Octobris Bonifacius gra-
„ viſſimis morbis, tuſſis, vocis raucedine,
„ cholica, & calculo vexatus, deceſſit, ſe-
„ pultuſque eſt in Vaticano; poſtquam pru-
„ dentiſſimè Eccleſiam rexit annis fermè
„ quindecim. Adoleſcentiori quàm ſoleat,
„ aut expediat ætate, ad Pontificatum eve-
„ ctus, nihil ſanè dignum, nihil non maturo
„ probatum conſilio, nihil volnptuoſiùs, ant
„ leviuſculè peregit. Primus ſummnm Urbis
„ Imperium obtinuit; primus Pontificum
„ auctoritatem euſquè nutantem confirma-
„ vit,& Eccleſiaſticam ditionem inter multos
„ Regulos diſciſſam recuperavit, ſtabilivit;
„ munita Adrianæ molis arce, communitis
„ pontibus, in ſuam poteſtatem redactis
„ Capitolio & Vaticano, creatiſque ſuo ar-
„ bitrio Magiſtratibus, Populi Romani vim,
„ & llcentiam repreſſit. In florida ætate,
„ tantaque illius ævi peccandi licentia tantæ
„ fuit continentiæ, ut nihil minus honeſtum,
„ aut indecorum ei potuerit impingi, immò
„ virtutem hanc ipſi vitæ voluerit præferre.
„ Cùm enim ſub mortem, calculi, renum-
„ que dolorem uon alio remedio, quàm
„ fœmineo coitu mitigatum iri, nec mortem
„ aliter evadi poſſe, minus Chriſtianè Me-
„ dici ſuggererent, indignabundus reſpondit,
„ ſe velle potius mori, quàm fœdari, & peri-
„ re corpus, quàm animam maculari. *Hactenus ille*. De ejus ſepultura referam, quę Theodoricus Niemius lib. 2. cap. 24. recenſet, dum inquit:
„ Mortuo igitur dicto Bo-
„ uifacio, funus ejus ſatis humiliter in præ-
„ fata Baſilica Principis Apoſtolorum in Cap-
„ pella conjuncta Cappellæ Gregorii Papæ
„ ad dexteram,dum itur ad Altare Beati Gre-
„ gorii Papæ, & prope ſepulchrum Gregorii
„ Papæ V. (minoris Gregorii, propter largas
„ eleæmoſynas & alia bona opera, quibus
„ claruit, appellati, & luit Saxo natione)
„ ſepelibatur. Sed interim quòd Dominua
„ Ladislaus Rex Imperium tenuit Roma-
„ num, magnum & pretioſum valde monu-
„ mentum dicti Fratres ejuſdem Bonifacii
„ ſibi in eadem Cappella conſtrui fecerunt.
Hæc Niemius.

188 Abſolutis porrò, ſeù perſolutis, ex more, Bonifacio funebribus, corporeque ejus tumulato, ac diſpoſitis Cardinalibus ad ingrediendum Conclave, acturis de ſucceſſoris electione, Petri de Luna oratores, adhùc Romæ, ut ſati ſumus, exiſtentes, conati ſunt pro poſſe perſuadere præfatis Dominis Cardinalibus, ut ſe ſub ſpe Eccleſiæ unionis, ab electione ſucceſſoris omninò abſtinerent: verùm ipſis reſpondentibus utique paratos ſe eſſe ad ſuperſedendũ in hujuſmodi electione, ſemel quòd Petrus de Luna

Pen-

Pontificatui cederet, Pontificiaque dimitteret inſigna, ut inde peracta illius abdicatione, unus pro univerſa Eccleſia denunciaretur, ut par erat, Romanus Pontifex, & finis tam funeſto imponeretur Schiſmati: Illi, qui non alia ratione concordiam exoptare præſeferebant, niſi ut omnes Antipapæ Petro de Luna ſubiicerentur, oblatam à Cardinalibus juſtiſſimam abolendi Schiſmatis occaſionem repulerunt, aſſerentes ſe eam auctoritate, ut Petri nomine Papatui cederent haud eſſe inſtructos: neque id etiam ipſius dignitati congruere. Ex qua apparuit reſponſione, nunquam Petrum de Luna cedere paratum fuiſſe, licèt Schiſmatici ad decipiendum & in invidiam legitimi Pontificis, ac Dominorum de illius obedientia Cardinalium, jactaverint, præfatum Petrum de Luna cedere ſemper fuiſſe paratum. Tangit hanc rem Theodoricus Niemius lib. 2. cap. 24. inquiens: „ Dum „ jam ipſi Cardinales conclave ingredi vel- „ lent cauſa eligendi ſucceſſorem Boniſacio „ memorato &c. Dicti Nuntii venientes, ro- „ garunt, quòd tum ſuperſederent in electio- „ ne hujuſmodi, ſi hoc facerent, ſperarent „ unionem futuram citò, de ipſorum Domi- „ no grata vellent nova referre: quod tamen „ dicti Domini Cardinales facere noluerunt, „ exiſtimantes, quòd talia truffaticè propone- „ rent, ac ſtatim Conclave ingrediebantur, „ ut eligerent ſucceſſorem. *Hæc ille*.

189 Cæterùm Domini Cardinales, ſpretis, ut præfati ſumus, antedictorum oratorum, ſeù potius impoſterum fraudibus, omne ſtudium, conſiliumve, ad indagandas Schiſmatis abolendi rationes contulerunt: unde ait S. Antoninus titul. 22. cap. 4. in principio: *Ante electionem verò ſecerunt ad invicem promiſſionem Cardinales, quòd quemcumque eorum contingeret eligi, ille omni ſuo conatu operam daret ad ſchiſma tollendum*: Immò ad hoc ſacramento ſe obſtrinxerunt, adjecta quoque conditione, etiam ſi Pontificio gradu cedendum foret, prout ſcribit Theodoricus Niemius lib. 2. cap. 34. inquiens: „ Coram „ pluribus Conclave intraverunt; & coram „ pluribus Notariis & teſtibus ſolemnibus „ compromiſerunt, & compromiſſum ſerva- „ re juraverunt, nec unquam ſe abſolvi ab „ illo juramento ſe petituros, neque abſo- „ lutionem aliquam recepturos ſe ab eodem: „ videlicet, quòd ipſi ſinguli & communiter, „ & ſi quis eorum fortè in Papam eligeretur, „ vellet omnem diligentiam, quam poſſet „ adhibere ad hoc, quòd unitas Eccleſiæ re- „ formetur, etiamſi opus eſſet ad hoc re- „ nunciare Papatui, vel reſignare illum, qui „ ex eis Papa fieret, & quòd Cardinales „ abſentes ad ſimile juramentum præſtandum „ coarctarent; & ſi fortè poſtea novos Car- „ dinales creari contingeret, quòd ante omnia „ ſimile juramentum præſtarent. *Hactenus Niemius* de ſtipulato inter Dominos Cardinales compromiſſo. Meminit ejuſdem compromiſſi, atque juramenti Calviſius ſub Anno MCCCCIV. ubi relata morte Boniſacii, & electione ſucceſſoris, ait: *Cùm eſſet eligendus hic Pontifex, Cardinales omnes ſimul juraruut coram pluribus Teſtibus, & Notariis, ſi quiſpiam ex ſe Pontifex eligeretur, ut curaret abolere Sbiſma, etiamſi abeundum eſſet Pontificatu*.

190 His porrò conſtitutis, & ab unoquoque ex Dominis Cardinalibus præſtito, ad formam præfati compromiſſi juramento, deventum eſt ad electionem, ac nemine diſcrepante, & unanimi omnium conſenſu electus eſt Coſmatus de Melioratis Presbyter Cardinalis tituli S. Crucis in Hieruſalem. *Et poſt hoc*, ait Niemius, *proceſſum eſt ad electionem, & electus eſt ex eis Dominus Coſmatus ſupradictus, nimirum è Melioratis, tituli S. Crucis Presbyter Cardinalis, & vocatus eſt Innocentius VII.* Electum porrò die XVII. menſis Octobris ejuſdem Anni MCCCCIV. notat S. Antoninus loco mox cit. ubi ait: *Cardinales autem intrantes conclave* XVII. *Octobris, elegerunt canonicè Dominum Coſmam de Sulmona Cardinalem Bononienſem Anno Dom. MCCCCIV. qui vocatus eſt Innocentius VII.* Eundem electionis diem notant Calviſius, atque Auctor ejus vitæ apud Labæum, licèt hic priorem ſequens errorē, velit electū Anno MCCCCV. In die autem, & electionis anno concordat Felix Cotelerius ex libro Collegii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ubi & numerus, & nomina eorundemque Dominorum Cardinalium, qui huic electioni interfuerunt, & conſenſerunt, conſignantur, hoc videlicet modo: „ Romæ die Mercurii, prima Octo- „ bris, hora XXI. Anno MCCCCIV. obiit „ Boniſacius IX. & die Dominico de ſero XII. „ Octobris ejuſdem, Cardinales intrarunt „ Conclave apud Sanctum Petrum numero „ novem, videlicet, Florentinus Angelus „ Acciajolus Epiſcopus Oſtienſis, Monopo- „ litanus Franciſcus Epiſcopus Sabinenſis, „ Neapolitanus Henricus Epiſcopus Tuſcu- „ lanus de Minutolis, Aquilejenſis Antonius „ Cajetanus tituli Sanctæ Ceciliæ, Coſma- „ tus de Melioratis Sabinenſis Cardinalis Bo- „ nonienſis tituli S. Crucis, Angelus Neapo- „ litanus de Summaripa Sanctæ Pudentianæ „ Cardinalis Laudenſis, Chriſtophorus de „ Maronibus Romanus S. Cyriaci Cardina- „ lis Iſernienſis, Raynaldus de Brancaciis „ Neapolitanus Sancti Viti in Macello Dia- „ conus, Landulphus de Maramaris Neapo- „ litanus S. Nicolai in Carcere Tulliano, „ Balthaſſar Coſſa erat abſens in ſua Lega- „ tione Bononienſi, Valentinus Cardinalis „ Quinque Eccleſienſis in Ungaria, qui An- „ no MCCCCVII. venit ad Curiam die Ve- „ neris XVII. Octobris, hora XXI. Dominus „ Coſmatus Sanctæ Crucis in Jeruſalem „ Cardinalis Bononienſis eligitur in Sum-

„ mum Pontificem, nomine Innocentius VII. *Hactenus ibi*.

191 Notat inſuper idem Cotelerius ex eodem libro Collegii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, præfatum electum Pontificem, videlicet Innocentium VII. Coronationis inſignia recepiſſe die 2. menſis Novembris, de qua quidem Coronatione hæc ſcribit Theodoricus Niemius: *Innocentius cum magna lætitia & frequentia populi, atque Curialium ſuæ Coronationis ante ipſam Baſilicam Principis Apoſtolorum recepit inſignia, & ad Eccleſiam Lateranenſem eadem die, ut moris eſt, accedens, nec moram ibi faciens, ipſa die rediit ad Palatium apud præfatam Baſilicam conſiſtens*. Hic ergo, ut ait D. Antoninus loco mox cit. vir fuit ætate grandevus, ac multarum magnarumque rerum experientia callens; totidem verbis eum deſcribit Leonardus Aretinus in hiſtor. Rer. Italiæ; ſed Theodoricus Niemius lib. 2. cap. 39. accuratius genus, patriam, mores, & geſta illius ante Pontificatum deſcribit, inquiens: „ Natus eſt è
„ parentibus honeſti & mediocri ſtatus ex
„ inſigni oppido Sulmone Valnenſis Diœceſis,
„ quod eſt in Aprutio: & Aprutium eſt Pro-
„ vincia Regni Siciliæ versùs Campaniam.
„ Hic erat clarus Doctor in jure canonico,
„ expertus in eadem Romana Curia in agen-
„ dis, & vix fuit Curialis, cujus ſpecialem
„ notitiam non haberet, & cui non ità pla-
„ cidè non loqueretur, ac ſi carne ſibi con-
„ junctus exiſteret; caſtæ vitæ, & bonæ
„ famæ, canendi & ſcribendi peritus, bona-
„ rum literarum apprimè doctus. Fuit etiam
„ olim collector fructuum Cameræ Apoſto-
„ licæ tempore dicti Urbani Papæ VI. in Re-
„ gno Angliæ, in quo quidem officio, ut fa-
„ ma volabat, multùm laudabiliter ſe habe-
„ bat: deinde Bononienſis Epiſcopus factus,
„ ac poſt Theſaurarius Urbani factus, de-
„ mùm per Bonifacium in ſui Pontificatus
„ principio ad Cardinalatus honorem fuit
„ aſſumptus, ſic graduatim in dignitatibus
„ aſcendendo. *Hactenus Niemius*. Initio porrò ſui Pontificatus, ac ejus, ut præfati ſumus, peracta coronatione, ad unionem Eccleſiæ intendens, & nè quid pro abolendo Schiſmate, cui in corde erat, impedimenti afferret Ladislaus Siciliæ Rex in præfato Schiſmate, licèt à legitimo Pontifice, ad præfatum Regnum vocatus, edita Conſtitutione ad futuram rei memoriam, ſub datis III. Idus Novembris ejuſdem anni, in ejuſdem Regni poſſeſſione ipſum Regem confirmavit, prout in præfata conſtitutione ad hunc modum ſe habente.

Ad futuram rei Memoriam.

192 „ Præclara, & ſingularia inſignita merita, quibus Chariſſimus in Chriſto filius noſter Ladislaus Hieruſalem & Sici-
„ liæ Rex Illuſtris pollere dignoſcitur, nec-
„ non eximiæ devotionis, ſinceritatiſque affe-
„ ctus, quæ ipſe ad nos, & Romanam gerit
„ Eccleſiam, grataque & accepta ſervitia,
„ quæ nobis, & præfatæ Eccleſiæ hactenus
„ impendit, & impendere continuè non deſi-
„ ſtit, meritò promereantur, ut Regem ipſum
„ ſpecalibus gratiis & favoribus proſequa-
„ mur. Cùm igitur nos, & venerabiles
„ fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ Cardinales intendamus totis viribus labo-
„ rare, ac opem & operam efficaces adhibere,
„ ut damnabile ſchiſma, quod jam (proh
„ dolor!) per multos annos in Chriſtianitate
„ & Dei Eccleſiæ exitialiter perduravit, cùm
„ Dei auxilio tollatur de medio, & totaliter
„ extirpetur, & in eadem Eccleſia unitas &
„ concordia debitè reformentur; nos pro
„ cautela & tuitione prædicti Regis, qui à
„ nobis & præfata Eccleſia Regnum Siciliæ
„ tenet in feudum, volentes ipſius Regis in-
„ demnitatibus præcavère, de conſilio & aſ-
„ ſenſu prædictorum fratrum noſtrorum te-
„ nore præſentium eidem Regi promittimus
„ ad concludendum de dictæ Eccleſiæ unione
„ per nos, aut fratres noſtros venire, quominùs
„ de utriuſque partis conſenſu idem Rex
„ Ladislaus in pacifica poſſeſſione, ac titulo
„ Regnorum ſuorum, prout ad præſens exi-
„ ſtit, ſit & remaneat Rex illuſtris, decer-
„ nentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus
„ ſuper iis per quoſcumque quavis auctori-
„ tate ſcienter, vel ignoranter contigerit at-
„ tentari. Nulli ergo noſtræ promiſſionis,
„ & conſtitutionis infringere &c. *Datum Ro-*
„ *mæ apud S. Petrum* III. *Idus Novembris*,
„ *Pontificatus noſtri anno primo*. Miſit porrò & Encyclicas literas ad Catholicos Præſules, quibus & certiores de ſua promotione fecit, & hortatus eſt eos, ut de viis optimis extinguendi ſchiſmatis inter ſe conferrent, viroſque idoneos ad eas exponendas mitterent, antequam feſtum omnium Sanctorum recurrentis anni dies laberetur, ſcribens ad hunc modum.

Innocentius Epiſcopus &c. Venerabilib. Fratribus Friderico Archiepiſcopo Colonienſi, ac ſuffraganeis & dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, eorumque Capitulis, Conventibus, atque Collegiis univerſis, tam exemptis, quàm non exemptis, per Provinciam Colonienſem conſtitutis, ſalutem.

193 „ Rex Regum, & Dominus Domi-
„ nantium Unigenitus Dei Filius Jeſus Chri-
„ ſtus, qui prodigia fecit in Cœlo ſurſum
„ & terra deorſum, in ſui Cœleſtis altitudi-
„ ne conſilii firmam retinens in ejus com-
„ mutabili diſpoſitione cenſuram, ſacroſan-
„ ctam Romanam Eccleſiam ſuo pretioſiſſimo
fuu-

Digitized by Google

„ fundatam ſanguine, ad cujus regimen, licèt immeriti, aſſumpti fuimus, ſupra petram fidei indeficienti ſoliditate firmavit, illud ei tribuens in Apoſtolicæ conceſſionis fortitudine fundamentum, quod nec diruat procella turbinis, nec in ipſum prævalere poſſit ſpiritus tempeſtatis; & licèt crebra decedentium mutatione Paſtorum in varia plerùmque diſcrimina inciderit, ab ea tamen ſupernum præſidium ſe nullo modo ſubtraxit. Sic igitur ante paucos dies, faciente Domino, cum eadem variis procellarum agitata turbinibus ſignum in bonum de tranſitu fœlicis recordationis Bonifacii Papæ IX. prædeceſſoris noſtri ad Dominum, prout de divinæ pietatis miſeratione confidimus, ſtatum ejus in unitate Sancti Spiritus, ac pacis vinculo divinâ providentiâ conſervavit.

194 „ Defuncto ſiquidem Kalendis menſis Octobris proximè præteriti Romæ apud Sanctum Petrum, eodem prædeceſſore noſtro, ſolemnibusque celebratis Exequiis pro eodem, & ejus corpore in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe præfata honorificè depoſito, habitus eſt à fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, exquiſitiſſimè, prout tanta rerum ſublimitas poſtulabat, de ſucceſſoris electione tractatus, in quo tanta fuit unitas omnium, tanquàm ad invicem in cunctis concordantium, ut intelligatur in eis operatum eſſe per eum, in cujus manu non ſolùm hominum corda, ſed Cœlum & Tarra conſiſtunt, quòd ad fragilitatem noſtram, tunc tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyterum Cardinalis eramus, oculos ſuæ circumſpectionis & induſtriæ intenderunt, & factum eſt, ſicut Altiſſimo placuit, ut nos ad tantæ dignitatis faſtigium in Patrem elegerunt & Paſtorem. Solicita igitur univerſalis Eccleſiæ adminiſtratione aſſumpta, divinę propitiationis miſericordiam imploramus, ut per ſuæ voluntatis beneplacita in viam pacis dirigat greſſus noſtros, & favorem nobis Cœleſtis pietatis aſpiret, ut eo per hanc procelloſi Maris altitudinem nobis, & cunctis fidelibus ſalutis portum deſuper largiente, ſub Sacerdotio noſtro proveniat in Eccleſia militante deſiderabilis unionis tranquillitas, extirpato de vinea Domini Sabaoth deteſtabili & horrendo ſchiſmate, ad quod extirpandum ſub viis, modis, & formis honeſtis, pariter, atque juſtis ſuprema deſideria noſtra tendunt.

195 „ Et ut præmiſſa, Divina favente clementia, perduci queant conſultiùs ad effectum, fidelium, quos præſens tangit negotium, cupimus ſuper extirpatione hujuſmodi ſchiſmatis, ac viis, modis, & formis congruentibus atque juſtis per nos ſervandis audire conſilia, ad quæ exhibenda fideles ipſos ad veniendum, ſeu dirigendum perſonas tanto negotio congruentes quamprimùm ante, vel uſque ad feſtum omnium Sanctorum proximè ſecuturum, ſi ſe facultas obtulerit, paternis affectibus excitamus, ac in Altiſſimo requirimus & hortamur pro votiva concluſione tam deſiderabilis unionis, ſuper quibus & paterna intentione noſtra erga Eccleſiarum omnium incrementa, veſtrumque, & cæterorum fidelium ſtatum, Venerabili Fratri Epiſcopo Savonienſi, & dilecto filio Nobili Viro Alexandro de Conſtantio militi Neapolitano, præſentium latoribus, noſtriſque Nunciis exhibere velitis credentiæ plenam fidem. *Datum Romæ, apud Sanctum Petrum VI. Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.*

196 Præſcripſit Innocentius tempus veniendi, vel mittendi ad Urbem causâ tractandi ſuper viis & modis abolendi ſchiſma, uſque ad feſtum omnium Sanctorum anni proximi, quoniam eodem tempore & Synodum in eadem Urbe celebrare intendebat, quam indixit ad Kalendas Novembris præfati recurrentis anni, ut notat Gobelinus in Coſmodrom. ætat. 6. cap. 88. inquiens: „ Dominus Innocentius Papa Archiepiſcopis & Prælatis per diverſa Regna conſtitutis, literas ſuas cum Nunciis ſolemnibus direxit, inſinuans eis, quòd in Kal. Novembris deinde proximè futuris Concilium Generale in Urbe Roma pro unione Eccleſiæ eſt celebraturus, & exhortans eos, ut ſe cum Prælatis ſibi ſubditis, vel ſaltem viros idoneos ad idem Concilium dirigere curarent. *Hæc ille*, qui loqui videtur de prærecitatis Encyclicis literis, quas, teſte Raynaldo, ad hunc Annum ſub num. 13. miſit Innocentius ad Archiepiſcopos quoque Moguntinum, Treverenſem, Salzburgenſem, Sbinconem, Pragenſem, Eboracenſem, Piſanum, & Ravennatem; ſuoſque Suffraganeos, & ad Patriarcham Antiochenum, alioſque complures; nam alias literas indictionis Concilii edidiſſe non conſtat: Attamen licèt in eis nulla mentio fiat de habenda Synodo, fortaſſe propter ſchiſmaticos & fautores Principes Concilium prorsùs abhorrentes, nè intelligentes Papam velle Synodum celebrare, impedimenti eſſent Epiſcopis & Prælatis Romam volentibus proficiſci, verè tamen Synodum habere voluiſſe indubium eſt, & ex præfatarum literarum tenore, & ex Nunciis ad eas ferendas directis, ut fortaſſe oretenus explicarent, quæ in literis tacuerat Innocentius, clariſſimè deducitur: nàm, ut idem Raynaldus etiam refert, eodem tempore Papa alias literas fecit ad Wladislaum Poloniæ Regem, ad Germaniæ, Italiæ, Caſtellæ, Aragoniæ, & Luſitaniæ Reges, & Principes, Proceres, ſuper abolendo ſchiſmate, & Eccleſiarum unione reformanda.

197

197 Ex his porrò refutatur calumnia Calviſii, qui ſub Anno MCCCCIV. ſcribit Innocentium excitatum à Romanis pro abolendo ſchiſmate, undecim nobiliſſimos Romanos neca ſſe: *Sed poſtea hic Innocentius*, inquit, *à Romanis admonitus de tollendo ſchiſmate, undecim eorum præſtantiſſimos ſtatim necavit, ac è feneſtra dejecit*. Contrarium demonſtrant authentica monumenta, atque ſincera Innocentii geſta: nam ab initio totus incubuit pro abolendo ſchiſmate. Cæterùm Romæ ante ejus electionem defuncto Bonifacio orta eſt prima ſeditio, à Romanis excitata propter Urbis dominium, vel alia de cauſa, quod notat Sanctus Antoninus ſupra cit. inquiens: *Ex luce ſubtracto Bonifacio prima Octobris, Populus Romanus arma ſumpſit: & tumultuans per Civitatem, ſeditiones & rixas & homicidia perpetravit ex ſuis, maximè ad hoc operam dantibus Columnenſibus & Sabellis, nec contradicentibus Urſinis*. At poſt ſuam electionem, dum totus intentus erat pro Eccleſiarum reformanda unione, Ladislaus Siciliæ Rex Romam veniens quaſi gratulaturus Pontifici, Romanum Populum adversùs eum concitavit: unde Leonardus Aretinus ſupra cit. ait: *Ad hunc Pontificem Ladislaus inter primas gratulationes Romam profectus, cum honeſtiſſimam ſalutandi gratulandique prætexeret cauſam, eſſet autem reverà, augendi Regni cupiditas, Romanos nec prius quietos ſua præſentia in Pontificem concitavit*. Clàm non pàlam egiſſe hæc, notat Sanctus Antoninus, ſperans attenta ſeditione, Pontificem Romam abiturum, ſe inde Romæ Dominio potiri poſſe: *Cùm igitur*, inquit, *in Urbe eſſet, occultè Romanos ſua præſentia in Pontificem concitabat, mentem erigens ad Urbem capiendam. Nec aperta vi moliebatur Rex, nec in præſens rem ipſam urgebat: ſed clàm irritando Cives, ac Pontifici reddendo infeſtos. Putavit enim, ut Pontifex illorum petulantiam non ferens, ex Urbe migraret, & Romani inde à ſe converterentur*. Evenit ex parte res, prout à Ladislao optabatur, nam Innocentius tumultuantem & ſeditioſam Urbem reliquit, ac Viterbium contendit: Dominium tamen Urbis nequaquam Rex obtinere potuit, eodem Populo Romano ſubeſſe illi palàm recuſante, ut Niemius lib. 2. cap. 37. fusè ſcribit: & cum vi eam ſibi ſubiici conaretur, fretus etiam Columnenſium auxilio, à Romanis ſub Urſino militantibus, aliiſque in auxilium Pontificis copulatis, victo Ladiſlao, coactus eſt ab Urbe recedere: poſtea verò facti pęnitentes Romani, Urbis dominiũ Pontifici reſtituerunt, & iterum Romam revocarunt: *Cùm autem eſſet Pontifex per aliquod menſes Viterbii commoratus*, inquit Antonin. §. 1. ejuſdem cap. 4. *Romani pœnitentia ducti, Urbem Pontifici reddiderunt, ac multis Legationibus miſſis revocaverunt*. Idem totidem verbis ſcribit Aretinus. Hujuſmodi ergò tumultus in cauſa fuere, nè Prælati ad tractandum negotium unionis, Romam tempore ab Innocentio ſtatuto, proficiſcerentur; unde paulò poſt ejus reditum ad Urbem, morte interveniente, meditata ſuper hoc executioni nullatenus demandare potuit.

198 Deveniendo modò ad Græcorũ ſtatum, hoc regnante Pontifice, ut primarium noſtrum ſequamur inſtitutum, in deterius ruebat: capto namque, & inde defuncto Bajazete, Tamerlanus elatus victoriâ, nedùm Gręcorum Imperium, verum & univerſum Orbem ſibi ſubiicere meditabatur, bellum eodem tempore pluribus inferens, ſive per ſe, ſive per ſuos Duces: Hinc ad Ægeum mare & Helleſpontum converſis victriciis ſignis, Chriſtianorũ reliquias ex illis locis delevit, ſubactis primùm Phocæa nova, & Phocæa veteri Nobilibus Januenſium Coloniis; inde & Smirnam occupavit, Urbem munitiſſimam, quam, tot laboribus antea ſub Clemente VI. Turcis ereptam, ferro delevit & flamma, horum verò meminit Chalcocondylas ante finem lib. 3. inquiens: ,, Veniens autem Smyrnam, eam ,, Urbem Rotis cœpit. Prætereà arcem in littore ſitam, in qua erat Romanorum præſidium, ſuffodiens penitùs ſubvertit. Hanc ,, ubi occupavit etiam à reliquis, jus belli nõ ,, abſtinuit: verùm accedens oppida, qua ſibi ,, videbatur aptiſſimum, aggrediebatur. *Hæc ille*. Eodem pariter tempore per ſuos Duces, Caffam, olim Theodoſiam in Ponto Euxino ſitam, Tauricæ Cherſoneſi Regiam, nobile Januenſium Emporium, captam ferunt, omnibus ſuis direptis divitiis, hac etiam arte hoſtes uſi, nè aurum ab obſeſſis Civibus Terræ infoderetur: nimirum, Scythas ad ipſos miſerunt cum pretioſiſſimis animalium pellibus mercaturæ gratiâ, ſed ut minùs ſolito venunderentur, ut facilis eſſet emptio, ex qua emptione & venunditione univerſum Civitatis aurum extraxerunt, remanentibus in ea pellibus, quas abſcondere ſub terra minimè Cives poterant: Poſt hæc obſeſſa eſt Civitas, inde capta & direpta, pelleſque paulò ante illis divenditas recuperantes. Hanc artem ſervatã à Scythis deſcribit Bizarrus in hæc verba: ,, Ea ratione ditiſſima Civitas ludibrio ,, direptionis & cædi fuere, & inter cæteras ,, etiam Capha, olim Theodoſia, Genuenſium, ut dictum eſt, Colonia, in Thaurica ,, Cherſoneſo ſita, non procul à Boſphoro ,, Cimmerio; Cùm enim hanc Urbem invadere ſtatuiſſet, Scythas, negotiatores præmiſit, qui pretioſiſſimas animalium pelles minori venundarent ſolito, ſciens, ut dictum ,, eſt, aurum abſcondi, pelles minimè, Urbe ,, potitus, & aurum & pelles reperit ac diripuit. *Hactenus ille*. Magnum attulit damnum Chriſtianæ Religioni præfatæ Civitatis captura: Ex ea namque Evangelici præcones ad evangelizandum Scythis & Thauricanis gentibus exire conſueverant, qua à Barbaris ſublata, clauſa fuit præcipua via pergeu-

gendi ad evangelizandum præſatis gentibus:
Et licèt iterum fuiſſet à Genuenſibus recuperata, non diù tamen ſub eorum permanſit poteſtate, iterum á Barbaris capta, & retenta.

199 Ad hæc, Oratores Tamerlanus miſit ad Imperatorem Græcornm, petens, ut naves ei ſubmitteret, quæ Tartaricas copias Elleſponto freto in Europam deveherent, additis & minis, ſi poſtulata concedere detrectaret, in animo habens univerſam ſubjugare Europam. Hæc tradit Chalcocondylas eodem lib. 3. ante finem, inquiens: „ Verè appetente in
„ Europam profectionem parabat, quemad-
„ modùm ſupra docui: ut in ea tranſvectus,
„ univerſam in ditionem acciperet, usque ad
„ Herculis Columnas progrediens. Inde in
„ Lybiam iter avertere, & ex Lybia in ſuam
„ regionem redire in animum inducebat, uni-
„ verſa iſta Orbis cōtinente Imperio ſuo jun-
„ cta. Miſit Legatos ad Byzantii Regem,
„ petens liberum tranſitum, & naves, trire-
„ mesque, quibus copias ſuas tranſmittere
„ poſſet. *Hactenas Chalcocondylas*, cujus verba etiam ſuperius recitavimus. Verùm Græcorum Imperator contempſit Tamerlani Imperia, nec illius annuit poſtulatis: In arcto tamen conſtitutus, potentiam atque Barbari metuens indignationem, Legatum ad Innocentium deſtinavit Nobilem Virum Angelum Caſradinum militem Conſtantinopolitanum, ut anctoritate Pontificia Occidentalium Principum auxilia ſibi mitterentur. Suſcepta Innocentius Legatione, & flexus Græcorum ſnſpiriis, Crucem prædicari juſſit in Regno Neapolitano, Trinacria, Dalmatia, Ungaria, Raſcia, Boſna, Servia, Bulgaria, & Græcia, propoſitis conſuetis Indulgentiarum præmiis, tàm proficiſcentibus, accepta Cruce, contra Tamerlanum, quàm ſacræ huic militiæ aliqua ſtipendia erogantibus, pront in literis eidem Imperatori datis, à Raynaldo exhibitis ad Annum MCCCCV. ſub nn. 2. tenoris videlicet ſequentis.

Innocentius Epiſcopus &c. Illuſtri Principi Emmanueli Imperatori Græcorum viam agnoſcere veritatis.

200 In Vinea Domini Sabaoth, ſancta
„ videlicet Eccleſia Univerſali, cultores at-
„ qne cuſtodes, quamquàm immeriti, inſcru-
„ tabilis diſpoſitione conſilii deputati, atten-
„ tiùs vigilare nos convenit, nè ſingularis fe-
„ rus de ſylva, impiiſſima videlicet Gens Tar-
„ tarum ſub Dncatu truculentiſſimi Tamer-
„ lani Tartari, vineam ipſam immaniter
„ depaſcatur, & ut quantùm nobis ex alto
„ conceditnr, ut eadem vinea præſervetur il-
„ læſa, impetum beſtiarum illam demoliri
„ cupientium reprimamus; verùm Sacroſan-
„ cta Romana Eccleſia Mater omnium fide-
„ lium & Magiſtra ſuſpiria producit ab inti-
„ mis, oculi ejus ſolvuntur in lacrymas, ve-
„ hementibusq; gemitibus ipſius pectora qua-
„ tiuntur, eò quòd præter hoſtilitates, quæ
„ à blasphemia Crucis adversùs fidei profeſ-
„ ſores exercentur, extrinſecùs undique bel-
„ la fremunt, intrinſecùs ſeditiones inteſtinæ
„ dilaniant, & inquietant domeſticæ ſimul-
„ tates, gladiusque fidelium, qui foret con-
„ tra hoſtium fidei cuneos exercendus, con-
„ verſus in proximos, proh dolor! inebria-
„ tur ſanguine Chriſtiano, & (quod acriua
„ excoquit mentem noſtram) ſcelerati filii,
„ quaſi quodam cæco furore vexati, arman-
„ tur in matrem, ac illum, ex quo prodierunt
„ uterum, nituntur ſummis viribus lacerare:
„ quo fit ut, nos, unà cum memorata Eccle-
„ ſia legitima Sponſa noſtra circa exhibitio-
„ nem opportuni ſubſidii in hac parte, jnxta
„ deſiderium noſtrum, officii noſtri debitum
„ manus adjutrices extendere nequeamus.

201 „ Sanè, licet jam pridem publica fa-
„ ma ad noſtrum auditū perduxerit Tamer-
„ lanum & Tartaros, ac pleroſque alios in-
„ fideles, qui potenti manu proſtraverant
„ etiam Chriſtiani nominis inimicos quon-
„ dam Amuractem Principem Teucrorum, &
„ Teucros ipſos, qnos Turcos appellant,
„ terramque illorum vaſtatam ſuæ ditioni
„ ſubjecerant, & ab infidelibus divertentea
„ contra Chriſtiani nominis zelatores (quòd
„ cum amaritudine mentis noſtræ percepi-
„ mus) immani feritate dehacchari valerent,
„ per ſuos Oratores & Nuncios à te cum in-
„ ſtantia peti fecerunt, minis etiam adhibi-
„ tis, ſi renitentia fieret, ut ipſi Tamerlano,
„ ſuisque gentibus per ſtrictum Hellesponti
„ maris tuæ ditioni ſuppoſitum, tranſitum
„ deberes liberum exhibere: nuper tamen
„ Nobilis Vir Angelus Caſradinus miles
„ Conſtantinopolitanus, Procurator & Am-
„ baxiator tuus ad Apoſtolicam Sedem per
„ te propterea deſtinatus, auribus noſtris la-
„ crymabiliter intimavit, quòd præfati Tar-
„ tari, quodammodo ſecuritate concepta,
„ de recepta præterita Amuractem & Turcos
„ victoria gloriantes, cœperunt vires con-
„ gerere, & conflare potentiam, non ſolùm ad
„ exterminium Civitatis Conſtantinopolit.
„ regionis circumpoſitæ, cęterarumq; terrarū,
„ quæ à Chriſtifidelibus in illis partibus ha-
„ bitantur, verùm etiam ad invadendum par-
„ tes quaslibet Chriſtianorum perſonaliter
„ accinxerant, ſpem gerentes Civitatem,
„ regionem, terram, & ipſas partes, immò
„ univerſitatem Chriſtiani Populi (quòd
„ avertas bone Jeſu) funditùs evertere, &
„ prorsùs extinguere, ſi eorum nefando pro-
„ poſito poſſibilitas reſponderet.

202 „ Nos igitur attendentes quantùm
„ ex hoc, populo Chriſtiano diſcrimen immi-
„ neat, & quòd tàm crebris, ut ita loqua-
„ mnr, infidelium arietibus Fidei catholicæ
„ fundamenta pulſantur, quòdque nemine

opem

Digitized by Google

„ opem ferente, Chriſtianorum reliquiæ illarum partium dantur excidio, & quòd, ſi „ (quod abſit) tu, Imperiumque tuum in ditionem veniatis Tartarorum & infidelium „ prædictorum (quòd heu futurum eſſe conſpicimus, niſi Chriſtianus populus tibi tàm „ potenter, quàm celeriter ſtudeat ſubvenire) „ in quanto periculo foret univerſitas Chriſtiani populi conſtituta, & propterea nos „ tibi & incolis prælibati Imperii paterno „ compatientes affectu, illoque volentes auxilio, quo poſſumus, ſubvenire, Magnitudini tuæ, unum vel duos, aut tres, ſeu quatuor, vel plures Antiſtites catholicos gratiam & communionem prædictæ Sedis habentes, aut Prælatos, ſeu in Theologia Magiſtros, vel alios viros ad hoc idoneos, „ quibus de literarum ſcientia, fidei puritate, virtutum meritis, & circumſpecta providentia perhibeantur teſtimonia fide digna, per te vel alium, ſeu alios eligendi, „ ſi illos ad hoc repereris voluntarios atque „ promptos, qui prædicationis vivificæ Crucis officium in Hieruſalem, ac Siciliæ, Trinacriæ, Ungariæ, Dalmatiæ, Sclavoniæ, „ Serviæ, Walachiæ, Lodomeriæ, Bulgariæ, Raſciæ, & Boſnæ Regnis, necnon „ Romaniæ partibus, Civitatibus, Terris, „ Caſtris, Oppidis, & locis Regnorum & „ partium prædictorum contra hoſtes Fidei, „ gentem perfidam Tartarorum, & aliorum „ infidelium, qui te & Imperium antedictum „ infeſtare proponunt, de Fratrum noſtrorum „ conſilio, & Apoſtolicæ pietatis plenitudine „ tenore præſentium concedimus facultatem, Antiſtitibus, & Prælatis, & Magiſtris, „ ac viris hujuſmodi, quos, ut præfertur, „ duxeris eligendos, in remiſſionem peccaminum injungentes, ut calamitoſum, nec „ minus periculoſum, totique Chriſtianitati „ damnoſum, tuum & dicti Imperii ſtatum, „ necnon præmiſſa Chriſtifidelibus diligenter „ exponant, & fideles ipſos, juxta prudentiam à Domino eis traditam, attentis inducant monitis, & ſedulis prædicationibus „ exhortentur, ut iidem fideles cogitantes „ prudenter, quòd tu, & Imperium ſupradictum ab ipſis fidelibus liberationis veſtræ „ ſubſidium expetitis, & auxiliationis eorum „ remedium expectatis, ad exhibenda profutura ſubſidia, & liberandum vos promptis „ intendant animis, & ſuas ad id habilitent „ facultates, ac de bonis ſibi à Deo collatis „ ſtudeant largitiones tam promptas, quàm „ uberes elargiri.

203 „ Ut autem Antiſtites, ſeu Prælati, „ aut Magiſtri, ſeu Viri præfati, quos, ut „ præmittitur, elegeris, miniſterium prædicationis hujuſmodi, eò faciliùs, atque ferventiùs proſequi valeant, quò per Sedem „ prædictam muniti fuerint prærogativâ privilegii potioris, Antiſtitibus, ſeu Prælatis, „ aut Magiſtris, ſeu Viris prædictis, & cuilibet eorundem Ordinariis Locorum, ad „ quæ propterea ipſos declinare contigerit, „ ut ipſi per ſe, ſeu alios idoneos, & fidei „ zelo ferventes Prædicatores ſuarum Civitatum, & Diœceſum diebus Dominicis & „ feſtivis infra Miſſarum ſolemnia, & aliàs, „ prout eis meliùs & magis opportunum videbitur, Chriſtifidelibus præmiſſa proponant, ſeu proponi faciant, ipſoſque fideles „ exhortentur, moneant & inducant ad erogandum pias eleęmoſynas pro proſecutione negotii prælibati, auctoritate noſtra requirendi hac vice dumtaxat, plenam tenore præſentium concedimus facultatem, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, non „ obſtante, ſi præfatis Locorum Ordinariis, „ ſeu quibusvis aliis à præfata Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel „ excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indul to hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę „ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non „ inſertam illorum juriſdictionis explicatio impediri valeat, quomodolibet, vel „ differri.

204 „ Inſuper tibi eadem auctoritate „ concedimus, ut ſi quis, aut ſi qui ex Antiſtitibus, vel Prælatis, aut Magiſtris, ſeu „ Viris hujuſmodi, quos elegeris, ut præfertur, noluerit, ſeu noluerint, aut non „ poterit, ſeu non potuerint infirmitate, ſeu „ alio impedimento legitimo præpeditus, „ ſeu præpediti, vel eum, ſeu eos de medio „ forſàn contigerit ſubmoveri, alium, ſeu „ ſimiliter idoneos loco illius, vel illorum „ totiès, quotiès tibi deputandis à tè expedire videbitur, & opportunum fieri, valeas „ ſubrogare; & ut fideles ipſi præmiſſa tantò „ libentiùs, atque ferventiùs proſequantur, „ quantùm ex eorum labore mercedem potiorem ſe noverint percepturos, Nos Omnipotentis Dei miſericordiâ, & Beatorum „ Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ex illa, quæ nobis, licèt indignis, eſt divinitùs tradita poteſtate, omnes „ & ſingulos Chriſtifideles cujuſcumque pręeminentiæ, dignitatis, ſexus, vel ſtatus „ exiſtant, qui tecum, vel cum gente tua „ perſonaliter accedent, vel mittent alium „ pro ſe, ac ſtabunt, ſeu alios pro eiſdem facient hoſtiliter reſidere contra blaſphemos „ hujuſmodi pro eo temporis ſpatio retrolapſis temporibus, & ſimilibus caſibus per Sedem Apoſtolicam ordinato, illam ſuorum „ remiſſionem peccaminum, de quibus veraciter corde contriti, & ore confeſſi fuerint „ Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, infra quarum limites extiterint, vel aliis Sacerdotibus, eam veniam conſequi volumus,

quæ

„ quæ per Sedem Apoſtolicam concedi con-
„ ſueverunt transfretantibus tempore gene-
„ ralis, vel particularis paſſagii in ſubſidium
„ Terræ Sanctæ, ac ſi ad Civitatem Hieru-
„ ſalem perſonalitet acceſſiſſent; illos autem,
„ qui miniſtrabunt de facultatibus eorun-
„ dem, juxtà eorum poſſibilitatem, & quoſ-
„ cumq;alios, qui aliàs fideliter, ac pro poſſe
„ in hujuſmodi negotio, juxta preſidii, ſeu
„ qualitatem ſervitii, ac meritum remiſſionë,
„ & veniam peccaminum hujuſmodi pro rata
„ decernimus promereri, & nihilominùs om-
„ nibus ſupradictis, juxta qualitatem præſi-
„ dii, ac ſervitii, in retributione juſtorum
„ augmentum æternæ beatitudinis polli-
„ cemur.

205 „ Nos enim Rectoribus, & Sacerdo-
„ tibus hujuſmodi abſolvendi confitentes ab
„ omnibus eorum peccatis, dummodò talia
„ non fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica
„ ſit meritò conſulenda, plenam & liberam
„ concedimus harum ſerie facultatem. Cæ-
„ terùm; ut oblationes & eleemoſynas, quas
„ fideles ipſi pro hujuſmodi pio negotio, dan-
„ te Domino erogaverint, ad manus tuas,
„ cum omni integritate perveniant, volumus,
„ quòd Prædicatores verbi Dei, & recepto-
„ res oblationum, & eleemoſynarum hujuſ-
„ modi, quos ad hoc duxeris deputandos,
„ ſuper quo tibi plenam facultatem tribui-
„ mus, eleemoſynas & oblationes hujuſmo-
„ di fideliter cuſtodiant, ipſaſque tibi, vel
„ deputando, ſeu deputandis à te ſub excom-
„ municationis pœna, quam ſi ſecus egerint,
„ ipſo facto incurrant, à qua per nullum, niſi
„ per Romanum Pontificem, præterquàm in
„ in mortis articulo abſolvi valeant, ſtudeant
„ integraliter; Nos enim dantes de aſſigna-
„ tis per eos, & per te deputandum, ſeu de-
„ putandos à te de receptis quietandi, abſol-
„ vendi, & liberandi, plenam tibi concedi-
„ mus etiam facultatem: Et nihilominùs, ut
„ hujuſmodi negotium effectui, quem cupi-
„ mus, mancipetur, volumus, quòd impe-
„ dientes negotium ipſum per ſe, vel alium,
„ ſeu alios, directè, vel indirectè, publicè,
„ vel occultè, ſimiliter in excommunicatio-
„ nis ſententiam incidant ipſo facto, à qua
„ nequeant; ut præfertur abſolvi, præſenti-
„ bus poſt biennium à data præſentium com-
„ putandis minimè valituris. Nulli ergo ho-
„ minus liceat &c. *Datum Romæ apud San-*
„ *ctum Petrum* VIII. *Kal. Junii, Pontifica-*
„ *tus noſtri Anno Primo.*

206 Meritò timor invaſerat Græcorum Imperatorem, & Chriſtiana pietas, atque paterna charitas movit Pontificis animum ad ſubſidia ei procuranda, licet ſordeſceret in vetuſto Græcorum ſchiſmate, nec ſe unire catholicæ Eccleſiæ procuraret: nam formidabilis Tamerlani potentia, non ſolùm Græcum Imperium abſorbere poterat, verùm & omnia Chriſtiani Orbis Regna, nam decies centena militum millia ſecum habebat, ut Scriptores Tamerlani vitæ ferunt: quis namque, niſi divina potentia, mortalium hominum reſiſtere potuiſſet? De tanto militum numero hæc ſcribit Mariana: *Ingentem exercitum conflaverat, equites quadringenta millia, pedites ad ſexcenta: vix fidem faceret numerus, niſi idoneis id auctoribus confirmaretur.* Volaterranus lib. 12. Geographiæ tradit, trajeciſſe Euphratem cum ſexcentis millibus peditum, Equitum verò trecentis millibus: „ Tamerlanes
„ quidam nomine, *ait*, ſeu Tartarus, ſive Tur-
„ carum genere, nam ejuſdem erat Sectæ,
„ primo bubulcus, deinde miles gregarius,
„ virtute paulatiùs effecit, ut Regno gentis
„ potiretur. Scythas, Medos, Albanos, Me-
„ ſopotamiam, Parthiam, Perſiam, Arme-
„ niam ſibi ſubjugavit: trajecto demùm Eu-
„ phrate cum ſexcentis peditum, Equitum
„ verò trecentis millibus. *Hæc ille*; qui inde pergit enarrans, quomodo victum Bajazetem in cavea incluſum, more ferarum, ſecum circumferebat: Addit inde, recenſens Tamerlani morem in aſſultandis Civitatibus, atque obſidendis, inquiens: „ Caſtra tentoriis primùm
„ albis metari ſolebat, monſtrando veniam
„ obſeſſis ſe daturum, ſi ſe prima die dede-
„ rent: ſecundò, purpurea præferebat, notan-
„ do in Patres familias, ac Proceres tantùm,
„ ſe animadverſurum, ſi alterum expectaſſent
„ diem: Tertia atrata, exitium omnibus mi-
„ ſerabile, ac totius Urbis ruinam facturum
„ ſignificabat. *Subjungit de illius crudelitate.*
„ Is quondam in obſidione cujuſdam Oppidi,
„ cùm tertia die Pueri cum Virginibus oleas
„ in manu geſtantes egreſſi, illi ſupplices oc-
„ curriſſent, ad unum omnes interfici juſſit.
„ Admonitus à quodam Januenſi, ut mitiùs
„ cum Populis ageret, ſic eum faciliùs impe-
„ raturum; reſpondit, ſe Orbis eſſe calami-
„ tatem, proinde ocyus ſe inde ab eo prori-
„ peret, niſi & ipſe quoque hanc periclitari
„ vellet: At ille ſtatim ſubterfugit. *Hacte-*
nus Volaterranus.

207 Conſueviſſe Rotis Urbes expugnare, ſcribit Chalcocondylas ante finem lib. 3. ubi & alios duos eas expugnandi modos recenſet, inquiens: „ Rotis Urbes capiebat Temires.
„ Hæ erant circuli, & intra ſchalas habe-
„ bant, quibus aſcendebatur murus. Et quan-
„ dò in foſſam dirigebantur, recipiebant Vi-
„ ros ducentos ſeparatim poſitos, donec ſin-
„ guli rotas intrarent. Poſtea veniebant in
„ alteram, quæ exadverſo erat foſſæ partem,
„ ſatis muniti, & tecti à rotis. Quò cùm
„ veniſſent, ſchalas conſcendebant, & eo
„ modo capiebant Urbes. Deinde reliqui,
„ qui erant in Caſtris, Urbem vallo cinge-
„ bant, aggereſque fundebant, qui facilè
„ murum ſuperarent; ex quibus deinde muro
„ facilè potiebatur. Prætcrea foſſores habuit
„ Temires circiter decem mille, qui ſuffoſ-
„ ſum murum ſuſtentabant excelſis lignis,

Digitized by Google

„ quæ deinde accendebant : quibus concre-
„ matis, muri, nemine impellente, procide-
„ bant: pernudata inde mura loca milites
„ ruebant in Urbem ..His tribus modis Te-
„ mires in oppugnatione Urbium utebatur.
Hæc ille.

208 Cæterùm divinâ providentiâ factum eſt, ut dum cogitaret Helleſpontum trafretare, rebellatis Indis, aliiſque Regibus Regiones ſuas devaſtantibus, coactus fuerit mutare conſilium, & eodem vere, quo cogitaverat in Europam exercitum trajicere, ut ſua Regna ſervaret, illùc iter direxit : „ Ver, ut
„ jam illuxit, *proſequitur idem Auctor*, Le-
„ gati veniunt, qui referebant Indorum Re-
„ gem cum magna manu adveniſſe, Urbem-
„ que Cheriam in tolerandis malis affeciſſe.
„ Etiam ad Theſauros Regios procedentem,
„ tributo anni adempto, domum abiiſſe. Mi-
„ næ quoque ſerebantur, Indorum Regem
„ nolle ampliùs fœderatum eſſe Temiri. Hæc,
„ ut Temires intellexit, terros ingens inje-
„ ctus eſt, nè, ſi rediiſſet Legatio ad Regem
„ Indorum, ipſe Exercitum armaret, regio-
„ nemque hoſtiliter accedens, occuparet, ſe
„ interim externis occupato bellis. Simul
„ etiam rerum humanarum conditio mentem
„ tangebat, quæ nullo in loco ſatis firmas,
„ tutasque res conſiſtere patitur. Deinde
„ graviter ferens, Indorum Legatos adeò
„ impudenter ſibi contumeliam feciſſe, citato
„ agmine in Cheriam properavit. *Et infra*.
„ At Indorum Rex, de quo nunc verba facimus,
„ unus eſt de numero novem Regum,
„ & Tzachatææ Rex appellatur. Conſtat,
„ eum fuiſſe de grege novem illorum Regum,
„ qui per Meſſagetas Exercitum magnum
„ contra Temirem miſit, qui tranſito Ara-
„ xe, & pleraque regionis parte, quæ ſub-
„ jecta eſt Temiri, ſubacta, domum reverſus
„ eſt.

209 Cùmque Tamerlanes cum univerſo Exercitu in ſuam Regiam perveniſſet, diſpoſitis quæ ad Regni curam pertinebant, cum Indis bellum gerere incœpit; deinde non diù poſt inita eſt inter eos pax, nec ampliùs cogitavit in Europam proficiſci; nam tradita Regni adminiſtratione filio ſuo Sachrucho natu majori, ipſe in ſordidis deliciis dies agere decreverat; ſed parvo elapſo tempore vitam finivit: „ Rex Themires, *ſubnectit poſt alia*
„ *Chalcocondylas*, ut pervenit in ſuam Re-
„ giam, quæ ad Regni curam attinebant,
„ ſummâ diligentiâ exequutus eſt. Deinde
„ hoſtili animo ſumpto, bellum cum Indo-
„ rum Rege ex profeſſo gerebat. Haud mul-
„ to poſt pax inter utrumque convenit. Te-
„ miri nati ſunt filii, Sachruchus, Pajangu-
„ res, & Abdulatriphes. Sachruchum filium
„ natu maximum Regno præfecit; ipſe au-
„ tem amori operam dans, totamque huic
„ rei curioſiùs ſe mancipans, mortem tandem
„ obiit. *De ejus verò libidine hæc addit*.
„ Ajunt, Themirem libidine reliquos morta-
„ les longè ſuperaſſe; nam Adoleſcentes in
„ conſpectu ſuo mulieres conſtuprare jube-
„ bat, ſic provocans naturam, ut & ipſe de-
„ inde coire poſſet. Quandò autem relictis
„ amoribus ad bellum protrudebatur, bello
„ confecto ad ſolitam redibat libidinem, nul-
„ lo modo quietiorem vitam ſectatus. Etiam
„ naturæ ſuæ vim facere non erubuit, luxu-
„ rioſiorem ſecutus victus rationem, quò ma-
„ gis rei venereæ indulgere poſſet. *Hactenus*
„ *Chalcocondylas*.

210 Sublatis ergo modo prædicto Bajazete, & Tamerlane Chriſtiani nominis hoſtibus, res Græcorum in melius ſe habere incœperunt, quòd ſi Chriſtiani Principes valida ea tempeſtate ſubmiſiſſent auxilia, de facili eiicere potuiſſent ab univerſa Europa Barbaros, indeque eos in finibus Tartariæ unde, alii cum Tamerlane exierunt, recludere: nam Sachruchus Tamerlani ſucceſſor, amator quietis nulli bellum indixit, & cùm brevi obiiſſet, ſuſcepto Regno à Piangure filio natu Tamerlanis minimo, orta ſunt diſſidia & bella cum fratribus, filii quoque Bajazetis Mulſumanes, Joſue, Moſes, Mechmetes, alter Joſue minor, & Muſtaphas, & ipſi inter ſe ſuper Regno in contentionem venerunt, unde & inter eos varias exorta ſunt bella & cædes. Sed, peccatis exigentibus, Chriſtiani Principes, maximè vigente adhùc in Eccleſia Romana ſchiſmate, mutuis impliciti diſcordiis, tam nobilem perdendi præfatos Barbaros & infideles, neglexerunt occaſionem. Græci quoque uni vel alteri ex contendentibus Bajazeti filiis adhæreſcentes, ſe in tuto eſſe putarunt, non prævidentes quid in futurum fraternis ſedatis diſcordiis obvenire eis poterant. Favebant ipſi Mulſumano, à quo receperant Thermam, Zetunim, & univerſam Aſiam maritimam; ſed prævalente inde Moſe altero fratre, & necato, eo jubente, anteſato Mulſumane, non ſolùm contra reliquos fratres bellum movit, verùm & contra Græcos, ipſum quoque Byzantium obſidione cingens, prout hæc omnia Chalcocondylas notat. Sed de iis, quæ poſtea Græcis in ſchiſmate magis ſordeſcentibus evenerant, inferius dicemus.

CA-

CAPUT VI.

De Innocentii VII. obitu; Gregorii XII. electione; Decreta à Sigiſmundo Ungariæ Rege expeditione in Turcos, Piſano Concilio pro abolendo ſchiſmate; ac Alexandri V. in eo Concilio Electione.

211 PEracto in Sede Pontificia duorum Annorum vitæ curriculo in variis & multiplicibua tribulationibus Eccleſiam Dei nedum ſædante ſchiſmate, verùm eodem tempore dilacerante, ac bona illius diripiente ingratiſſimo, & perjuro Ladislao Siciliæ Rege, contigit, Inuocentium ad Dominum migrare, An. uimirum Dñi MCCCCVI. ſui Pontificatus tunc incunte Anno III. Roberti Romanorum Regis Anno VI. Emmanuelis II. Græcorũ Imperatoris Auno XXIII. Inditione xiv. inchoata à præteritis Kal. Januarii, die verò vi. menſis Novemhris, cùm ſediſſet Anuos duos, ac dies xxi. Et ita corrigendus eſt Auctor Vitæ ejus apud Labæũ,& Binium, qui ſupra bienninm tradit ſediſſe dies xxiii. ſicut pariter Gobelinus ſcribens, deceſſiſſe Inuocentium die vii. prælibati menſis Novembris, ex Gregorii Encyclicis literis eſt emendandus, ut notat Raynaldus ad hunc Annum ſub num. viii. De cujus obitu hæc pauca habet Sanctus Autoninus par. 3. titul. 22. eap. 5. in principio: *An. Dom. MCCCCVI. de menſe Novembris Innocentius VII. migravit ad Dominum, gravi infirmitate à Domino viſitatus.* Calviſius rectè uotat Aunum & illius obitus diem ex Platina, nam ſub præfato Anno ait: *Innocentius VII. Papa cùm ſediſſet Ann. II. & dies* xxii. *moritur die* vi. *Novemb.* Cæterùm non perveniſſe ad diem xxii. ſupra biennium liquct ex tempore ſuæ creationis: conſtat namque ex ſuperius dictis creatum fuiſſe die xvii. menſis Octobris, eodem Calviſio teſtante, atqui ſi obiit, ut etiam ipſe ſatetur, die vi. Novembris, ſequitur ſupra biennium nonniſi xxi. dies ſediſſe, computato etiam ipſo mortis die.

212 Cæterùm hunc Pontificem ſummis laudibus extollit Theodoricus Niemius lib. 2. eap. 39. Etſi aliàs parùm erga Romanos Pontifices æquus, inquiens: „ Iſte Pontifex fuit „ mitis, beuiguus, & compatiens afflictis, „ nec erat aliqua ſuperbia in eo, neque apud „ ipſum acceptio perſouarum, niſi quòd dictum Ludovicum, & quoſdam alios ſibi „ ſanguine junctos, in quibusdam regiminibus terrarum ejuſdem Eccleſiæ collocavit. „ Libens poſcentibus audieutiam dabat, & „ ferè diebus ſingulis certis horis ſupplica„ tiones ſibi porrectas ſolicitè ſignabat, con„ ſiſtoria privata & publica tenebat diebus & „ horis conſuetis, nec alicui moleſtus, neque „ cupidius, ſeu avarus exiſtebat; Simoniacos „ exoſos habuit. *Et addit.* Dum reſideret in „ Viterbio, ut præfertur, Scriptores litera„ rum Apoſtolicarum per privationes officio„ rum ſuorum, & alias formidabiles pœnas „ compulit ad dimittendum focarias eorun„ dem: & veriſimiliter multa alia utilia per„ egiſſet in ejus Papatu, ſi eum Dominus à ſe„ culo ità ſubitò non vocaſſet. Hic erat etiam „ pulchræ ſtaturæ, nec pinguis, nec macer, „ & bonæ complexionis, & cum viris litera„ tis & doctis delectabatur habere colloquia, „ eosque dilexit, & pro poſſe promovit. *Hactenus Niemius.* Verùm contra Simoniacos graviſſimam edidiſſe conſtitutiouem, auctor eſt Gobelinus iu Coſmodrom. ætat. 6. cap. 88. inquiens: „ In omnes & ſiugulos cujuſcum„ que gradus, ſtatus, vel couditionis exiſte„ rent, etiamſi Pontificali, aut alia quavis „ profulgerent dignitate, quos forſitan in fu„ turum hujuſmodi uefanda in rotulis hujuſ„ modi, vel extra illos ſimoniacè procurare, „ vel tractare, aut propterea pecunias, vel alia „ munera dare, vel promittere, ſeu recipere „ coutingeret, excommunicationis ſenten„ tiam promulgavit, à qua per alium, quàm „ Romanum Pontificem, præterquam in „ mortis articulo abſolvi non poſſeut: & ni„ hilominùs procurantes, tractantes, dantes, „ promittentes, ac recipientes, hujuſmodi „ omnes & ſingulos, ſive pro ſe, ſive pro aliis, „ omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, quæ eo „ tempore quomodolibet obtinerent, eſſent „ privati, & inhabiles ad alia beneficia ob„ tinenda. *Hactenus Gobelinus.*

213 Perſolutis porrò ſuneribus, ac in Eccleſia Principis Apoſtolorum Innocentii Corpore ſepulto, Domiui Cardinales ingreſſi ſunt Conclave die xviii. ejuſdem meuſis Novembris, acturi de ſucceſſoris electione: ſed hæſitaruut aliquandiù, num cauſa procurandæ unionis differenda eſſet electio, quoniam Principes Galliæ veriti, nè diviſio Eccleſiæ efficeretur perpetua, Pontificem ſuum, ſcilicet Benedictum, ſeu Petrum de Luna, verè Pſeudopontificem arctarunt, emiſſa obligatloue ad Pontificatum deponeudum, ſi vel Romanus Pontifex tunc Innocentius, ſe abdicaret, vel eo vita ſuncto, Cardinales de illius obedientia electione ſuperſederent, ut ait Leonardus Aretinus lib. 3. Epiſt. Epiſt. 3. & in Hiſtor. Rer. Italic. ubi addit, inquiens: „ Hæc enim via „ redintegrandi, uniendique certiſſima viſa „ fuerat, juris quidem diſceptatio nec judi„ cem habebat ullum, qui ſuperior eſſet, & „ inextricabiles alioqui coutinebat difficul„ tates. Hac igitur via placente, cupiebant „ Patres in electione Pontificis ſuperſedere; „ Sed altera ex parte pericula magna, ſi ſu„ perſederctur, timebantur, cùm & dilatio lon-

„ ga neceſſariò interventura foret,& nullo in-
„ terim præſidente, confuſio, atque ruina re-
„ rum formidaretur. Itaque mediam quan-
„ dam viam ſecuti Patres eligere quidem ſta-
„ tuerunt, verùm ita obligare eum, qui elige-
„ retur, ut ſe magis Procuratorem ad depo-
„ nendum Pontificatum, quàm Pontificem
„ factum exiſtimare poſſet. Cautio in hunc
„ modum adhibita promiſit, juravit, & vo-
„ vit unusquisque Patrum, idque Chirogra-
„ pho ſolemni inſcripto, ſi Pontificem eligi
„ ſe contingat, depoſiturum ſe Pontificatum,
„ ſi adverſarius Pontifex idem faceret, idque
„ ſtatim illi per literas ſignificaturum & invi-
„ taturum ad hoc ipſum faciendum; procu-
„ raturumque inſuper omnia via & modo
„ unitatem, Idque bona fide, & ſine ulla frau-
„ de, promiſſionem & votum & jusjurandum
„ quod ipſe præſtitiſſet, omnibus Regibus,
„ Principibusq; per ſuas literas primo quoque
„ tempore ſignificaturum, quo eos teſtes ha-
„ beret obligationis ſuæ. *Hactenus Aretinus*.

214 Similia tradit Divus Antoninus loco mox cit. in principio cap.5. inquiens: „ Poſt
„ cujus honorabiles exequias more ſolito ce-
„ lebratas, Cardinalea convenientes ſe omnes
„ obligaverunt ſub graviſſimis juramentis, &
„ ſolemnibus, quòd quicumque eorum eſſet
„ electus, laboraret ad tollendum ſchiſma &
„ unionem Eccleſiæ procurandam. *Et infra*.
„ Quamvis mortùo Innocentio in ambiguo
„ eſſent procedere ad electionem, vel potius
„ ſuperſedere & expectare,ſi fortè Benedictus
„ vellet renunciare poſt literas ad eum dire-
„ ctas, ut vel ſic congregato utroque Colle-
„ gio Cardinalium, ab omnibus ſimul unus
„ poſt renunciationem illius eligeretur: ad
„ quam unionem efficiendam Principes &
„ Cõmunitates chriſtianitatis pluriès utrum-
„ que rogaverant. Demùm conſiderantes pe-
„ ricula magna, quæ poſſent cõtingere in tali
„ mora, quæ brevis eſſe non poterat, & in-
„ terim nullo præſidente ex illa parte, confu-
„ ſio & ruina poterat formidari diverſis ex
„ cauſia, facta promiſſione juramento & voto
„ à quocumque Cardinalium, ut ſi contin-
„ geret eum eligi, daret omnem operam & di-
„ ligentiam abſque fraude & dolo ad unio-
„ nem efficiendam: etiamſi oporteret eum
„ propter hoc Papatui cedere. *Hæc Antoninus*. In cujus rei irrefragabile teſtimonium Raynaldus ad Annum Domini MCCCCVI. ſub num.xi. exhibet Inſtrumentum ſuper hoc negotio à Dominis Cardinalibus in Conclavi, & coram publicis Notariis & Teſtibus, exaratum, tenoris videlicet ſequentis.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen.

215 „ Aono à Nativitate Domini Noſtri
„ Jeſu Chriſti MCCCCVI. Indit. xiv. die
„ martis xxiii. menſis Novembris, in die
„ S. Clementis, Apoſtolica Sede vacante
„ per obitum felicis memoriæ Domini Inno-
„ centii Papæ VII. Congregati invicem &
„ collegialiter coadunati pro futura electio-
„ ne Summi Pontifcis celebrsnda infraſcripti
„ Reverendiſſimi Patres & Domini Angelus
„ Oſtienſis, dictus Florentinus, Henricus
„ Tuſculanus,dictus Neapolitanus, & Anto-
„ nius Præneſtinus, dictus Aquilejenſis Epiſ-
„ copi; Angelus tituli S. Potentianæ, dictus
„ Laudeuſis, Conradus tituli S.Chryſogoni,
„ dictus Melitenſis, Angelus tituli S.Marci,
„ dictus Conſtantinopolitanua, Jordanus
„ tituli S. Martini in Montibus, dictus de
„ Urſinis, Joannes tituli Sanctæ Crucis in
„ Jeruſalem, dictus Ravennas, Antonius
„ tituli Sanctæ Praxedis, dictus Tuder-
„ tinus Presbyteri; Raynaldus S. Viti in
„ Mscello de Brancatiis, Landulphus S. Ni-
„ colai in Carcere Tulliano, dictus Barenſis,
„ Otho S.Gregorii ad Velum aurenm,dictus
„ de Columna, Petrus S. Angeli, & Joannes
„ SS. Coſmæ & Damiani, dicti Leodienſes
„ Diaconi Cardinsles in communi Csppella
„ S. Nicolai Sacri Palatii Apoſtolici Romæ
„ apud S. Petrum intra Conclave conſue-
„ tum, quod pro loco ad infraſcripta idoneo
„ elegerunt, & etiam deputsrunt, in præ-
„ ſentia mei Stephani de Prato Sacri Collegii
„ Clerici, & aliorum Notariorum & Teſtium
„ infraſcriptorum, conſiderantes Chriſtianæ
„ Religionis infamiam, detrimenta & graves
„ fidelium moleſtias, ac pericula, quæ hacte-
„ nus emerſerunt, & emergere veriſimiliter
„ eſt cenſendum, niſi ſalubriori remedio, ac
„ in tempore, Divina favente Clementia,
„ cujus rei agitur, occurratur, ex peſtifero
„ & damnabili ſchiſmate, quod tantis, proh
„ dolor! temporibus in ſciſſuram Chriſtianæ
„ fidelitatis graviſſimè perduravit, & durat,
„ nec plam proviſionem aliàs pro hujuſmodi
„ ſchiſmatis remotione per eos factā effectum
„ aliquem produxiſſe, ac intendentes ad reme-
„ dia fortiora, non quid juris pro parte eo-
„ rum juſtitia ſuadeat, quòd jus veriſſimum
„ & plena veritate fulcitum, ſed quid pro
„ redintegratione & unitate Chriſtianorū ex
„ malitia temporis de facto, etſi non de jure,
„ expedist eligentes, & ſpecialem eorum
„ conſiderationem accelersntes, quanti poſ-
„ ſet eſſe diſcriminis, ſi dilatio in electione
„ futuri Summi Pontificis fieret temporum
„ malignitate penſata, univerſaliter ſinguli
„ & ſingulariter univerſi unanimiter & con-
„ corditer,nemine diſcrepante,ex certa ſcien-
„ tia, convenerunt, voverunt Deo, ac ejus
Ma-

Digitized by Google

,, Matri Virgini Glorioſæ, ac Sanctis Apo-
,, ſtolis Petro & Paulo, totique Cœleſti Cu-
,, riæ juraverunt, & ad invicem unus alteri,
,, & è converſo ſe obligando ſolemniter pro-
,, miſerunt, quòd ſi quis eorum aſſumptus
,, fuerit ad apicem Summi Apoſtoltus pro re-
,, dintegratione unitatis Chriſtianorum, re-
,, nunciabit effectualiter juri ſuo, ac Papatui
,, purè, liberè, ac ſimpliciter ſi & quando
,, Antipapa, qui eſt, & qui pro tempore
,, fuerit, conſimiliter renunciabit, & cedet
,, prætenſis juri ſuo, & Papatui, ſivè decedat,
,, dummodo antiCardinales effectualiter
,, velint cum eiſdem Dominis Sacri Collegii
,, ſic convenire, & concordare, quòd ex
,, hoc ſacro Collegio & ipſis ſequatur juſta
,, Canonica electio unici Summi Romani
,, Pontificis; ac etiam promittentes ſe factu-
,, ros & curaturos, omni dolo & fraude at-
,, que maligna interpretatione ceſſantibus,
,, pro poſſe, quòd ſi quis ex Dominis abſen-
,, tibus, vel de extra Collegium per eos aſſu-
,, matur in Papam, eandem faciat obligatio-
,, nem, ac quòd infra menſem à die ſuæ in-
,, thronizationis numerandum, per ſuas ex-
,, preſſas & Apoſtolicas literas Regi Roma-
,, norum, Antipapæ, Regi Franciæ, & omni-
,, bus aliis Regibus Illuſtribus, Principibus,
,, Prælatis, Vniverſitatibus, & Communita-
,, tibus Chriſtianitatis, ſecundùm fidem præ-
,, fatorum Dominorum de Collegio præmiſ-
,, ſa omnia ordinabit, & ea ſe offeret im-
,, pleturum, ac paratum ad ceſſionem præ-
,, dictam, & ad omnem aliam viam rationa-
,, bilem, per quam prædictum ſchiſma tolla-
,, tur, & unionis ſubſequatur integritas in
,, Eccleſia Chriſtianorum; & quòd ſuper
,, omnibus ſupradictis ultra promiſſa ſuos
,, ſolemnes deſtinabit Oratores infra tres
,, menſes à die inthronizationis prædictæ
,, computandos illis, quibus de conſilio præ-
,, fatorum Dominorum Sacri Collegii ſui vi-
,, debitur, & ipſis Ambaxiatoribus cum ef-
,, fectu imponet cum conſilio eorumdem
,, Dominorum, de locis decentibus eligendis
,, ab utraque parte, eiſque poteſtatm plena-
,, riam dabit de loco conveniendi habili, &
,, decenti, ac etiam promittet ſimiliter, ut
,, præfertur, quòd pendente tractatu unionis
,, hujuſmodi effectualiter, ac realiter ex utra-
,, que parte, non creabit, nec faciet aliquem
,, Cardinalem niſi cauſâ coæquandi nume-
,, rum ſui ſacri Collegii cum numero præ-
,, tenſi Collegii Anticardinalium prædicto-
,, rum, niſi ex defectu ſteterit adverſæ partis,
,, quòd unionis præfatæ concluſio infra an-
,, num à fine dictorum trium menſium com-
,, putandum non fuerit ſubſequuta: quo caſu
,, tandem eidem liceat Cardinales eligere, ac
,, creare, prout pro ſtatu Sanctæ Matris Ec-
,, cleſiæ eidem videbitur expedire: Et hoc de
,, non creando Cardinales, niſi modo prædi-
,, cto, in forma congrua inſinuabit Anti-
,, papæ & prætenſo Collegio ſupradictis, ut
,, ipſi ſimiliter ſic faciant; necnon quòd omnia
,, præmiſſa, & ſingula inchoata & inchoanda
,, mediabit, proſequetur, & fine debito ter-
,, minabit, nihil de contingentibus neceſſa-
,, riis, & utilibus, vel quomodolibet oppor-
,, tunis omittendo, quantùm in eo fuerit,
,, quòdque ſtatim poſt ejus electionem, &
,, ante ipſius publicationem omnia & ſingula
,, ſupradicta confirmabit, & approbabit
,, authentico modo, & de novo ſimilem pro-
,, miſſionem faciet in omnibus & per omnia
,, coram dictis Dominis Collegii teſtibus, &
,, Notariis, & ſubſcriptionem faciet manu
,, propria in Inſtrumento, prout ſupra de
,, Cardinalibus, continetur; & ſimiliter hu-
,, juſmodi ratificationem, approbationem,
,, votum, & promiſſionem effectualiter faciet
,, in primo Conſiſtorio publico, vel genera-
,, li, quòd poſt coronationem ad hoc com-
,, modo, conſueto, & congruo tempore
,, celebrabit.

216 ,, Inſuper præfati Domini Cardina-
,, les voverunt, juraverunt, & ad invicem
,, promiſerunt, quòd per ſuas literas infra
,, menſem à die inthronizationis prædictæ
,, collegialiter intimabunt de electione facta,
,, necnon de voluntate & promiſſione quo ad
,, unionem proſequendam, & omnia ſupra-
,, dicta, omnibus pręfatis Dominis, prout
,, & ſicut facere tenebitur qui erit electus,
,, ac etiam inchoata mediabunt, proſequen-
,, tur, & finient, quantùm in eis erit, nihil
,, de contingentibus, neceſſariis, vel op-
,, portunis quomodolibet, ſeù utilibus omit-
,, tendo, Quæ omnia & ſingula promiſerunt
,, inter ſe ad invicem, & viciſſim, ut ſupra
,, attendere facere, exequi & effectualiter ad-
,, implere bona, pura, & ſincera fide, omni
,, dolo & fraude ceſſantibus, & ſic quilibet
,, ipſorum juravit corporaliter manu tactis
,, Sacroſanctis Evangeliis coram eis præſen-
,, tialiter poſitis, ſervare, adimplere, & exe-
,, qui, prout ſuperius continetur; quodque
,, à prædictis, promiſſione, voto, & ejus obli-
,, gatione, ac juramenti præſtatione, & ejus
,, obſervatione, ac omnibus & ſingulis ſu-
,, pradictis nullus eorum abſolutionem petet,
,, ſeù impetrabit per ſe, vel per alios, & im-
,, petratis aut impetrandis utetur, & ſibi
,, conceſſam nullatenus acceptabit, nec data
,, poteſtate per ipſum alteri commiſſa, faciet
,, ſe abſolvi, ſeù etiam ſecum in aliquo diſ-
,, penſari; ſed volet dicto vinculo perpetuò
,, remanere obligatus: & nihilominus ad ma-
,, jorem certitudinem & firmitatem præmiſ-
,, ſorum quilibet ex Dominis de Collegio
,, ſupradicto teneatur ſe ſubſcribere manu
,, propria omnibus & ſingulis Inſtrumentis
,, conficiendis exinde, quorum Inſtrumen-
,, torum quilibet ex ipſis Dominis de Colle-
,, gio unum, vel plura habere valeat pro ejus
,, arbitrio voluntatis. *Acta in Cappella præ-*
di-

dicta &c. Adjectæ ſunt ſubſcriptiones , & Teſtium nomina .

217 His itaque peractis , facto diligenti examine de perſona ſeligenda , quæ parata eſſet univerſa prædicta pro univerſalis Eccleſiæ pace ſervare , tandem conſenſerunt unanimi omnium ſuffragio in Angelum Corarium tituli Sancti Marci Presbyterum Cardlnalem , & Patriarcham Conſtantinopolitanum , qui nomen ſibi indidit Gregorii XII. de cujus electione , moribus , & gentili conditione , hæc loco ſuperius citato ſcribit S.Antoninns : *Et ingreſſi Conclave infra pancos dies elegerunt in Pontificem Summum Patriarcham Conſtantinopolitanum , natione Venetum , & Nobilem ſecundùm ſæculum , jam ſeptuagenarium , qui ex Angeli priori vocabulo , aſſumpſit ſibi ex Papatu Gregorii nomen XII. Fuit vir iſte à pueritia , magnæ ſanctimoniæ & ſapientiæ . Hic electus , iterum & denuò fecit juramentum & votum , omnia facere ſibi poſſibilia ad unionem Eccleſiæ dandam* . Similia tradit Leonardus Aretinus in hiſtoria Rerum Italicar. inquiens : „ Ea multis ſolemnibuſque verbis
„ cùm in unum redigiſſent , & Chirographa
„ ſingulorum confecta eſſent , agitare poſt
„ hæc de electione cæperunt . Vir quærebatur non tam peritia , quàm fide, integritate-
„ que idoneus , quippe ad benè agendum in
„ ea quidem re non calliditate conſilii ,
„ neque profundo arcanoque pectore , ſed
„ bona voluntate opus fore videbatur . Ita
„ animati cùm ſingulos examinarent , tan-
„ dem in Angelum Corarium, natione Vene-
„ tum , mentem, conſenſumque omnes verte-
„ runt . Is fuerat paulò ante operâ Innocentii
„ Pōtificis inter Patres adſcriptus, cùm antea
„ titulo tenus Patriarcha Conſtantinopoleos
„ haberetur . Is verò Conclavi egreſſus, pro-
„ miſſionem , votum , & juramentum , quæ
„ privatus fecerat , tunc in poteſtate conſti-
„ tutns iteratò novavit , atque ita loqueba-
„ tur de unione primo illo tempore , ut ſi
„ cætera deeſſent , pedibus & baculo ſe itu-
„ rum ad eam conficiendam aſſeveraret . *Hæc Aretinus* . Idem quoque recenſet Theodoricus Niemius , licèt non ſemel in eum ſtylum acuat , inqniens : „ Ante ſuæ coronationis
„ inſignia ratificans & approbans eadem vota
„ & juramenta ſua per ipſum in eodem Con-
„ clavi præſtita , ſermonem fecit cum eiſdem
„ Cardinalibus & Curialibus , & aliis non
„ modica multitudine præſentibus , cujus
„ thema fuit : *Parate viam Domino* : nihil
„ aliud effectivè in ipſo ſermonem deducens ,
„ niſi ſolicitando & exhortando Cardinales
„ & Curiales , quod cum eo omninò parato ,
„ ut tunc verba ſonabant, ad faciendam unio-
„ nem , in eadem volnntate concurrerent ,
„ ipſum in hoc poſſetenus adjuvando . *Et*
„ *infra ſubiungit* . Aliquando cùm ſuis Cap-
„ pellanis & Scutiferis domeſticis, maximè in
„ collectione poſt cænam , vel prandium
„ conferendo dicebat ad ipſos, quòd pro certo
„ nequaquam per eum ſtaret, quin dicta fieret
„ unio in quocumque loco, etiam quantum-
„ cumque ab ipſa Urbe remoto , illam fieri
„ oporteret ; & ſi galeis , ſeù fortè navigiis
„ careret , paratus eſſet illic etiam in parva
„ cymba , ſeù carbaſa navigare , quòdque ſi
„ per Terram illuc pertanſire magis expedi-
„ ret , ac convenicnti equorum vectura care-
„ ret , certè non propter hoc dimitteret ,
„ quin illuc iret , etiamſi eundo pedeſter ba-
„ culo arundineo per iter ſuſtentari deberet.
Hæc ille .

218 Creatum porrò fuiſſe die prima menſis Decembris ejuſdem anni , liquèt ex ipſiùa literis datis Petro de Lnna , & in Encyclicis datis ad diverſos Principes, Reges , & Prælatos , in quibus notatur præcisè ſuæ aſſumptionis dies , cùm dicatur in eis : *Datum Romæ apud S. Petrum decima die ab Aſſumptione noſtra , undecima verò Decembris , Anno à Nativitate Domini MCCCCVI.* Ac ita corrigendus eſt auctor vitæ ipſins apud Labæum, qui ſcribit creatum pridie Kalendas Novembris . Et ex S. Antonino pariter in eo corrigendus , dum ait , fuiſſe octogenarium : ſeptuagenarium namque ſcribit præfatus Sanctus Antoninus , non verò octogenarium . Præfatas porrò literas fecit , ut promiſſa & jurata ſervaret : Nam, quæ datæ ſunt ad Petrum de Luna , incipientes : *Qui ſe humiliat*, inquit , *Veritas , exaltabitur* , nil alium continent præter hortamenta ad pacem dandam Eccleſiæ , cedendo Papatui , quemadmodum & ipſe ad id paratum ſe eſſe profitebatur : Nam poſt plura ad idem conducentia , ait :
„ Quare exurgamus ambo : in unum unionis
„ effectum concurramus : feramus ſalutem
„ Eccleſiæ , jam hoc diuturno tempore af-
„ flictæ . Ad hoc te hortamur ; paratique
„ ſumus & offerimus noſtro certiſſimo juri
„ & papatui cedere & renunciare , & effica-
„ citer faciemus , ſi & quando tu renunciabis
„ & cedes prætenſis juri , & Papatui tuo, vel
„ decedes , vel quicumque ſucceſſor tuus
„ renunciabit , & cedet prætenſis juri & Pa-
„ patui ſuo , vel decedet ; dummodo illi , qui
„ apud partem tuam pro Cardinalibns ſe ge-
„ runt , ſic convenire , & concordare cum
„ Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E.
„ Cardinalibus velint cum effectu , ut exin-
„ de canonica unici Romani Pontificis ſe-
„ quatur electio. *Hæc ibi*: In Encyclicis porrò literis , in primis notat diem obitus Innocentii , ut præfati ſumus , inquiens : *Etenim fœlicis recordationis Innocentio Papa VII. prædeceſſore nonſtro* VIII. *Idus Novemb. ab hujus ſæculi mortalitate ſublato* : deinde in locum ejus ſe canonicè communi omnium ſuffragio electum denunciat , ac denique ſe pro Eccleſiæ unione reformanda paratum omnia peragere fatetur : „ Cura , *inquit* , igitur paſto-
„ ralis officii non pro nobis , ſed pro Dei ho-

no-

Digitized by Google

„ nore & publicæ utilitatis commodo ſuſcepta, ad illud ante omnia convertimus animum, ut cum effectu hanc peſtiferam & execrabilem ſciſſuram, quæ per tot annorum curricula populum Chriſtianum pervaſit, ad redintegrationem, & unitatem revocemus.

219 Et hæc quidem ante ejus coronationem, nam, ut notat Theodoricus Niemius lib. 3. cap. 12. ſolemni pompa, & totius Populi plauſu, coronatus eſt in Baſilica Principis Apoſtolorum XIV. Kalendas Januarii, hoc eſt, die XIX. prædicti menſis Decembris: nam ut ait S. Antoninus eodem loco, tum expromiſſorum, & voti, ac juramenti renovatione, cùm ex datis literis pro reformanda Eccleſiæ unitate, univerſi gaviſi ſunt, ſpem magnam concipientes de futura unione: „ Electo igitur Angelo, *inquit*, & Gregorio XII. nuncupato, immediatè renovavit promiſſionem juramenti & votum, quod ipſe cum cæteris ante electionem fecerat. Quod cùm per literas ſignificari mandaſſet Principibus, & Communitatibus plurimis, omnes gaviſi ſunt gaudio magno valdè, ſpe futuræ unionis eum ad Cœlum extollentes.

220 Et ſanè cunctis videbatur non eſſe ampliùs in dubium revocandum, quin optata unio eſſe ſecutura, nam & Petrus de Luna in reſponſivis miſſis Gregorio incipient. *O te fœlicem*, ſub datis Maſſiliæ apud S. Victorem XI. Kalen. Februarii, ſe paratum quoque Papatui cedere pro antedicta unione, reſcripſit, inquiens: „ Parati ſumus unà cum Collegio Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in loco ſecuro, decenti, ac idoneo tecum & cum quocumque ſucceſſore tuo decentibus cum prædictis, qui apud partem tuam pro Cardinalibus ſe gerunt, vel gerent, perſonaliter convenire pro unione Eccleſiæ tractanda, & ſavente Domino, obtinenda; ibique proviſo & ordinato de his, quæ pro ſecuritate & accelerationε unionis prædictæ erunt opportuna, ac neceſſariò diſponenda, parati ſumus pro pace & ſalute animarum ac unione & redintegratione Chriſtianorum in dicta conventione perſonaliter noſtro veriſſimo juri & papatui, liberè & ſimpliciter cedere, & renuntiare. *Hæc Petrus de Luna*.

221 Miſſi inde ſunt ad Petrum de Luna, à Gregorio Nuntii Antonius Motonenſis, Guillelmus Tudertinus Epiſcopi, & Antonius de Butrio utriuſque juris Doctor, ut indicant Pontificiæ literæ eis datæ Romæ apud S. Petrum ſub III. Kalendas Martii, quatenus agerent cum eo, ac tractarent de loco apto, tuto, decenti, & commodo, ubi ambo poſſent convenire, ac inibi pergere, quæ peragenda erant pro tollendo ſchiſmate. At Carolus Rex Galliæ non fidens dictis Petri de Luna, illiuſque ambitione ei peroptimè nota, congregato ſuorum Procerum cœtu, aliam ſecuriorem tollendi ſchiſmatis excogitavit, ut nimirum ambo Pontifices ſuis in locis renunciarent, ac inde renunciatione peracta Cardinales utriuſque obedientiæ in locum unum pro Pontificis electione convenirent, prout liquet ex ejus literis datis Pariſiis die XVIII. Februarii, Anni Dñi MCCCCVII. & ſui Regni XXVII. In eis namq; ſit: „ Nihilominùs ambos exhortentur, & obſecrent atque obteſtentur, quòd ad evitandam difficultatem itineris, pericula, perſonarum quærelas litium, tractus præparationem, occaſiones aliarum viarum tractandarum, & alia pleraque diſcrimina formidanda, quæ pacem odioſè poſſent differre, velint abſentes cedere uterque in loco ſuo, aut in manibus ſuorum Collegiorum, aut per literas exhibitas, aut Procuratores conſtitutos, proviſionibus tamen congruis, ita prudenter adhibitis, ut alteri de altero nullus metus fraudis poſſit oriri; qui, ſi preces has audierint, mox ambo Collegia ruptâ morâ, ſummâ celeritate in locum eundem convolabunt, & unici Romani Pontificis electionem celebrabunt. *Hæc Carolus Rex*. Verùm hujuſmodi inſinuationibus & hortamentis nequaquam adhæſerunt: quare præfati Nuncii Gregorii pervenientes Maſſiliam, habito colloquio cum antefato Petro de Luna, ſe ab eo, qui induſtrius erat, circumveniri ſinuerunt, concordantes, ut pro loco, ubi ambo Pontifices convenire debuerant, firmaretur & ſtabiliretur, quòd eſſet Civitas Saona ad littus Maris Ligurici ſita, tunc ſub Regis Galliæ dominio, & quæ ſchiſmatico parebat Pontifici; & concordatis vigintitribus Articulis, ſubtiliſſimè exaratis, ut ait Niemius, receſsère Maſſiliâ, ac in Gallias contenderunt.

222 At Gregorius ratos habuit ſignatos à ſuis Internuntiis Articulos, paratus convenire Saonam, ut finem daret ſchiſmati, procedens bona fide, nec dolum in æmulo ſupponens, adeout ipſe edita ſanctione ſub datis Romæ ſecundo Kal. Auguſti, omnem ſecuritatem ſacramento firmatam eidem Petro de Luna pro ſua parte in præfata Saonæ Civitate promiſit. Cùmque jam diſpoſitus eſſet ad iter capeſſendum, cùm à Venetis Galeas poſtulaſſet, negarunt illi, eo prætextu, nè Genuenſes ipſorum hoſtes eas occuparent. Accepit inſuper Saonæ ſibi à Petro de Luna inſtructas Saonæ inſidias, monituſque à ſuis, & amicis, ut caveret: qui timore perculſus, de permutando loco conſilium iniit, datis ſuper hac re eidem Petro de Luna literis, ſub III. Julii, in quibus alligato defectu Galearum, & loci incommoditatem, permutandum locum poſtulat: „ Si verò, *inquit*, interim, quouſque ipſarum Galearum poſſit haberi commoditas, pro celeriori expeditione conſummationis deſiderabilis boni unionis præfati, reſpectu multiplicium mediorum,

quæ

„ quæ appoſita noſcuntur, tàm gravia & in
„ conventionibus pro reddendo locum Sao-
„ næ ſecurum, ut locus ille non ſolùm in-
„ commodus, ſed valde gravis, inhabilis, &
„ indecorus reddatur, videatur in aliquo lo-
„ co alio utrique noſtrum accomodo conve-
„ nire, nobis ex multis reſpectibus, maximè
„ pro conſervatione ſtatus præfatæ Eccleſiæ
„ in temporalibus potiſſimè, eum in maximo
„ periculo & amiſſione fore noſcatur, quod
„ vos latère non credimus, nobis ſaluberrimũ
„ videretur; ſuper quo placeat celeriter reſ-
„ pondere. *Hæc Gregorius*.

223 Verùm Petrus de Luna haud acquievit de permutando loco Saonæ, immò datis Gregorio literis apud S. Victorem Maſſiliæ ſub ipſis Kal. Auguſti, urſit Gregorium, ut Saonam locum jam concordatum contenderet: „ Hortamur ergò, *inquit*, te per viſce-
„ ra miſericordiæ Dei noſtri, quatenus conſi-
„ deratis, quæ decet ſuper tanto negotio,
„ in ſtatera æquitatis appendere, reſumptis
„ viribus, de Dei gratia ſpe concepta, & in
„ recta intentione, quam gerimus, ipſo teſte,
„ ad hanc pacem in decretis, loco & termino
„ pro complemento eorum, quæ concordata
„ ſunt, velis infallibiliter convenire, & dare
„ operam, quantùm ad te ſpectare noſcitur
ad agenda. *Hæc Petrus de Luna*. Acceſsère inſuper diverſorum Principum Oratores ſtimulantes Gregorium ad conveniendum Saonam: unde die IX. Auguſti Roma diſceſſit, iter arripiens versùs Viterbium, ut ait Theodoricus Niemius lib.3. cap.XIX. inquiens:
„ Uſque ad Vigiliam Sancti Laurentii Mar-
„ tyris in Urbe remanſit, quem ab Urbe tunc
„ recedentem, de mane tempeſtivè Romani
„ ſub Pallio ſericeo, ut moris eſt, extra por-
„ tam Urbis deduxerunt multùm honorificè.
„ *Et poſtea*: Veniens autem cum ſua Curia
„ circa feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ
„ Virginis ad Viterbium, illic ad viginti dies
„ conquievit. *Hæc ille*. Cùmque Viterbii conſiſteret, operâ Ladiſlai Siciliæ Regis, cui in corde erat Eccleſiaſticã ſibi ſubiicere ditionem, faventibus Columnenſibus, non modica Romæ exorta eſt ſeditio; cujus rei cauſa, & aliis multiplicibus inſpectis incommodis, Gregorius de permutando Saonę loco, literas ſub datum Viterbii XVI. Kal. Septembris ſcripſit Carolo Francorum Regi, in quibus inter alia, ait: „ Gravius autem commovemur,
„ ex intimis compaſſione affligimur fidelium
„ populorum ſub Eccleſiæ temporali domi-
„ nio conſiſtentium, quos ad locum Saonæ
„ accedentes affligendos deſerimus, quorum
„ partem jam afflictam concernimus propter
„ ipſum locum Saonę, ex eo quod ipſum lo-
„ cum Saonæ ex toto non declinavimus gra-
„ viter ſuſpectum, cujus loci ſuſpicione,
„ potentia nobis propinqua, cui non de fa-
„ cili reſiſtere valeamus; hujuſmodi attentatæ
„ occupationes, & afflictiones, de cujus po-
„ teſtate cæteri omnes formidant, & hinc in-
„ de involvi anguſtiis: & niſi locus ipſe mu-
„ tetur in alium locum idoneum utrique par-
„ ti, totale dominium temporale Eccleſiæ in
„ partibus iis ſub gravi periculo exponi-
„ tur.

224 Cùmque nullo pacto adduci potuerit Petrus de Luna, ut conſentiret loci permutationi, Gregorius profectus eſt Senas: & cùm ibi eſſet, iterum de permutando loco tractatum inſtituit: profectus inde Lucam, in eodem ſtetit propoſito: parte autem renuente, ſpes omnis futuræ unionis ſublata eſt. Sunt qui aſſerunt, Petrum de Luna candidè, ſincerèque ſe in cunctis ad hunc tractatum pertinentibus geſſiſſe, univerſam culpam referentes in Gregorium: alii è converſo ſinceritatem agendi Gregorio, Petro verò de Luna vafriciem adſcribunt: Nonnullis verò plus timuiſſe Gregorium, quàm par fuerat, auctumant. Sed Sanctus Antoninus in fraudolentiam Petri de Luna cuncta refundit: nam par.3. titul.22. cap.5. §.1. ſcribit: „ Statim
„ ergo Gregorius Adverſario ſcripſit Benedi-
„ cto nuncupato, benignè ad pacem illum in-
„ vitans, & ad abdicationem mutuam offe-
„ rens. Adverſarius tantisdem ferè ſyllabis
„ reſcripſit: Eadem invitatio fuit, eadem co-
„ hortatio. Tractatur de loco, ubi ſimul ha-
„ beant convenire. Et poſt conveniunt de
„ Civitate Saona quaſi in medio conſtituta,
„ & ad quam per mare & terram eſſet acceſ-
„ ſus: & ut ſequi videatur effectus, incipiunt
„ appropinquare. Recedit ab Urbe Grego-
„ rius, Senas pergens, & exinde Lucam: Be-
„ nedictus verò Januam. Interea patefactæ
„ ſunt Gregorio à fide dignis inſidiæ ſibi pa-
„ ratæ Saonæ à Benedicto: & Civitas illa
„ per ſe munita. Erat enim ille Benedictus,
„ etſi literatus, calidiſſimus hominum: verſi-
„ pellis ſuis aſtutiis, ut anguilla de manibus
„ ſtringentis elapſa. Gregorius autem, ut
„ agnus innocens & ſine felle columba. Per-
„ cipiens ergò Gregorius Adverſarium non
„ verè quærere unionem, ſed ſui ſubverſio-
„ nem, ut ſolus remaneret in Sede Petri, mu-
„ tavit, ut ſapiens, propoſitum ſuum in eundo
„ Saonam. Et quamvis quidam dixerint,
„ quòd trepidavit timore ubi non erat timor:
„ & has ſuſpiciones immitterent ſui: vel ipſe
„ ſimularet nè Papatum dimitteret: non ſic
„ alii viri timorati, non ſic: ſed quod juſtam
„ cauſam timoris, & deceptionis habuerat.
„ Miſerunt nihilominus Nuncios & literas
„ alter ad alterum, tractantes de alio loco,
„ & nunquam convenire potuerunt. Benedi-
„ ctus ut magis ſimularet intentionem ſuam
„ & votum ad unionem efficiendam, adhùc
„ ad Gregorium magis appropinquavit, ad
„ Portum venereum veniens. Gregorius au-
„ tem Lucę permanſit per plures menſes. *Hæc S. Antonin.* addens inde, dum eſſet Lucę quatuor primò creaſſe Cardinales, nimirum Fratrem

trem

trem Joannem Dominicum ex Prædicatorum Ordine, & Epiſcopum Raguſinum, D. Antonium Epiſcopum Bononienſem, ejuſdem Gregorii Nepotem, D. Gabrielem Epiſcopum Senenſem, natione Venetũ, quos duos ex Cœleſtinorum Congregatione fuiſſe tradit: Quartum verò virum probum & Religioſum fuiſſe dicit, nomen tamen non recenſet, hunc verò fuiſſe Jacobum Utinenſem Prothonotarium, notat Raynaldus. Meminit inde idem Antoninus alterius promotionis ſubſequentis, in qua inter plures ait, promotũ fuiſſe Magiſtrum Lucam Ordinis Humiliatorum Epiſc. Feſulanum.

225 Cæterùm in hac controverſia, cui adſcribenda ſit culpa non ſequutæ unionis, Gregorio, an Petro de Luna, cum ea tempeſtate ipſimet Scriptores in partes diſciſſi, ſuæ parti favere contenderent, non potuit una fuiſſe omnium ſententia: mihi tamen videtur ex conſequentibus, poſſe quemlibet rectum ferre judicium, ac malitiæ, dolo, & fraudi Petri de Luna univerſa adſcribere: nam eodem tempore, quo Gregorius exiſtens Lucę, bona fide de permutando loco tractabat, ipſe Petrus inſidias ei tetenderat, adeout Romam capere attentaverit, uſus Bucicaldi operâ, ac inito prius ſecreto tractatu cum quibuſdam intra ipſam Urbem exiſtentibus Romanis, extant de hac proditione Gregorii literæ, datæ Lucæ XII. Kal. Junii, univerſis Chriſtifidelibus, incipientes: *Docet Apoſtolus*, quibus de hujuſmodi conqueritur proditione: Habet namque inter alia, ut cunctis innoteſcerent Petri de Luna inſidiæ: „ Dum fideliter tractaviſſemus convenire cum Petro è „ Luna, qui ſe facit nominare Benedictum, „ de uno loco, in quo nos cum noſtris Car„ dinalibus, & ipſe cum ſuis prætenſis con„ veniremus perſonaliter, & præparatoria, „ & omnia neceſſaria, pro redintegratione „ unionis Chriſtianorum tractarentur & fini„ rentur, & concluſio optata haberetur unio„ nis, nec unquam cum eodem Petro profi„ cere potuerimus, ipſo nos trahere ad quæ„ dam caſtruncula maritima periculoſa, in„ habilis, & omninò fugienda cupiente. *Hæc ille*. Addit, ſe propoſuiſſe pro loco conveniendi, Civitatem Piſarum, illum renuiſſe; conſuluiſſe inſuper ſaltem, ut proficiſceretur Liburnum, ſe interim Piſas petiturum, manſurum ibi, donec per Florentinos data eſſet ſecuritas, ſed dum hæc tractarentur, Petrum de Luna Romam ſubiicere ſibi attentaſſe, tradit, inquiens: „ Ipſe Petrus è Luna cum ſub„ ſidio Gubernatoris Januæ, graviter inno„ vavit in ſubverſionem ſtatus & honoris no„ ſtri, nitens præcedente occulto tractatu „ ſibi ſubiicere Romanam Urbem, pro qua „ obtinenda dictus Gubernator cum Galeis „ & Nepotibus majoribus præfati Petri è „ Luna, & aliis propriis Galeis, quas ſub „ ficto colore occultabat eſſe ordinatas, ad „ occupationem Urbis XXV. die menſis Apri„ lis cum copioſa & forti armata exivit, „ procedens versùs Urbem: quem acceſſum „ ſecretè diſpoſuit, omnes versùs iſta loca, „ in quibus cum noſtra reſidemus Curia, ve„ nientes obſeſſis itineribus per quoſdam dies „ capi & detineri faciens, & inter alios quoſ„ dam ad nos venientes, quibus diebus ſub „ ſpe conventionis nos tenebat intentos. „ *Hæc & alia plura* de paratis à Petro è Luna inſidiis tradit Gregorius in præfata Epiſtola. Cæterùm præveniente Ladislao Siciliæ Rege, ac Romanis ſe illi ſubiicientibus, deluſa manſerunt Petri attentata.

226 Apparet ergò ex iis qualis erat Petri è Luna mens, quale unionis propoſitum, & quę fides adhibenda erat dictis ejus: unde ſcribit Niemius ſæpè relatus: „ Licèt ipſe Antipapa „ multùm ſcribat, & dicat, oſtendatque cre„ bris rationibus, quòd per eum non ſtetit „ hucuſque, neque ſtet quo minùs facta fue„ rit, ſeu fiat adhùc unio ipſa, & ad hoc, ut „ aſſerit, totaliter ejus fuerit inclinata ſem„ per & inclinatura intentio: verùmtamen „ continuò quærit terras maritimas dicto „ Regi Francorum in Imperialibus, ſuæque „ obedientiæ ſubditas, multis Galeis benè „ armatis pro ipſo, & apud ſe, quocumque va„ dit, benè munitus ad inſtar bubuli marini „ caput in aere, ſed reſiduum corpus ſuum „ tenentis frequenter in aquis, nec confidit „ ad aliquem locum inſignem, ubi tantum ne„ gotium, prout ejus qualitas exigit, oppor„ tunè tractari poſſit, cum noſtra parte con„ venire, quantæcumque ſibi cautelæ ſuffi„ cientes pro ipſo, ſuisque, ut fertur, ab ea„ dem parte noſtra quomodolibet offerantur: „ nec videtur eſſe conſultum plerisque, ut „ ipſe Dominus noſter cum ſuis accedat ad „ terras ipſis adverſariis qualitercũque ſub„ jectas. *Hæc Theodoricus Niemius*. Apparuit denique obſtinata Petri è Luna non dimittendi Pontificatum voluntas etiam in extremo vitæ ſuæ tempore: nam nec in Concilio Generali Conſtantienſi, pro eodem abolendo ſchiſmate congregato, illum dimittere voluit, quin nec per ſe, nec per Procuratorem eidem Concilio intereſſe, ut ſuo loco dicemus, licèt monitus, rogatus, vocatus, & ſæpe citatus fuiſſet, nec illius Decretis parere, nec denique electum per Concilii Patres Pontificem agnoſcere, nec ei parere, maluit in damnato ſchiſmate, licèt ab univerſis Principibus, & Chriſtifidelibus derelictus, vitam infœliciter finire, quàm vivens inſignia Pontificia deponere. Hæc ſanè palam demonſtrant, nunquam paratum fuiſſe Pontificatui cedere, oſtentaſſe dumtaxat, ut hac via incautos deciperet, & ſi potuiſſet, alienare univerſos à Gregorii obedientia, vel Gregorium ipſum aliquo pacto opprimere, ut eo oppreſſo, ſibi ſoli cuncti parerent: Hæc erat genuina Petri de Luna mens, ut exitus acta probavit.

227 In hujuſmodi turbis atque ſciſſuria Sancta Romana Eccleſia involuta & conſtituta, de unienda Græcorum Eccleſia uil actum eſt; nam legitimus Pontiſex Romanus totus intentus pro abolendo exorto in ſuamet Eccleſia funeſto ſchiſmate, minus attendere poterat ad componendam Græcorum ſciſſuram: nec Græci id poſtulabant, ſolaque ſubſidia à Principibus Chriſtianis quærentes, quibus Turcis, Tartaris & infidelibus prævalere poſſent. Sed quoniam, ut in fine præcedeutis capitis præfati ſumus, tum Bajazeti, tùm Tamerlani filii inter ſe de paternis contendentes imperiis, iu civilibus erant impliciti bellis, Sigiſmundus Ungariæ Rex, ut divulſas à Bajazete Provincias iterū ad ſuum Ungaricum Sceptrum revocaret, conſilis agitavit ſacræ in Turcas expeditionis, miſitque D.] Valentinum Presbyterum Cardinalem Sanctæ Sabinæ, ac Epiſcopum Quinque Eccleſienſem, atque Andream Archiepiſcopum Spalatenſem Oratores ſuos ad Romanū Pontificem Gregorium, ut poſcerent ab eo ſacra Indulgentiarum præmia iis conferri, quia Regia ſigna adversùs Turcos, vel alios à fide catholica abhorrentes, ſequerentur, Pontiſex verò beaignè receptis & auditis Oratoribus, poſtulatis annuens, ſequentes expedivit Apoſtolicas literas.

Gregorius Epiſcopus &c. Univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem &c.

227 „ In Vinea Domini Sabaoth, ſancta
„ videlicet & univerſali Eccleſia cultores,
„ atque cuſtodes, quanquàm immeritos, in-
„ ſcrutabilis diſpoſitione conſilii deputatos
„ attentiùs vigilare nos convenit, nè gens
„ impiiſſima de ſylva tanquàm effera progre-
„ diens, videlicet Teucrorum, quos Tur-
„ cos vocant, Arianorum, Manichæorum,
„ ac aliorum perfidorum infidelium vineam
„ ipſam inhumaniter depaſcatur, & quantùm
„ uobis ex alto conceditur, ut eadem vinea
„ præſervetur illæſa, impetum beſtiarum il-
„ lam demoliri ſatagentium ſub omni poten-
„ tis virtute dexteræ reprimamus. Verùm
„ Sacroſancta Romana Eccleſia mater om-
„ nium fidelium & Magiſtra ſuſpiria produ-
„ cit ab intimis, oculi ejus ſolvuntur in la-
„ crymas, vehementibuſque gemitibus ipſius
„ pectora quatiuntur, eò quòd præter hoſti-
„ litates, quæ à blaſphemis Crucis adversùs
„ Fidei profeſſores exercentur extrinſecus,
„ undique bella fremunt intrinſecus, ſedi-
„ tiones inteſtinæ dilaniant & inquietant
„ domeſticæ ſimultatea, gladiiſque fidelium,
„ qui ad Chriſtianorum & exterminium ma-
„ lorum foret contra hoſtium Fidei cuneos
„ exercendos, converſus in proximos, proh
„ dolor! inebriatur ſanguine chriſtiano; &
„ (quòd acriùs excoquit mentem noſtram)
„ ſcelerati filii, & à devotione ſemoti cæco
„ furore immaniter debacchati armantur in
„ Matrem, ac illum, ex quo prodierunt
„ uterum, nituntur ſummis viribus lacera-
„ re: quo fit, ut uos unà cum memorata
„ Eccleſia ſponſa noſtra circa exhibitionem
„ opportuni ſubſidii in hac parte, juxta deſi-
„ derium noſtrum, & Apoſtolicæ debitum
„ ſervitutis manus adjutrices extendere ne-
„ queamus.

228 „ Sentientes igitur, quòd ſicut &
„ publicâ ſamâ referente, ac inſinuantibus
„ dilecto fratre uoſtro Valentino tituli San-
„ ctæ Sabinæ Presbytero Cardinale, ac Ve-
„ nerabili fratre uoſtro Andrea Archiepiſco-
„ po Spalathenſi Oratoribus chariſſimi in
„ Chriſto filii noſtri Sigiſmundi Regis Hun-
„ gariæ Illuſtris percepimus, idem Rex zelo
„ devotionis accenſus, & piè compatiens di-
„ ris cruciatibus, calamitatibus & ærum-
„ nis, ac jugo miſerabilis & lugendæ ſervi-
„ tutis, quibus pars magna fidelium Chri-
„ ſtianorum per hujuſmodi Turcos, Arianos,
„ Manichæos, & alios Infideles de Regnis &
„ partibus Conſtantinopolitania, Vallachiæ,
„ Hungariæ, Boſnæ, Dalmatiæ, Croatiæ,
„ Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Co-
„ maniæ, Bulgariæ, ac aliis circumjacenti-
„ bus Regionibus, ad partes hujuſmodi Infi-
„ delium in captivitatum anguſtias ſunt de-
„ ducta, ac pro ſalute hujuſmodi, & aliarum
„ partium tam lugubriter afflictarum, to-
„ tiuſque Chriſtiani populi, in cujus exci-
„ dium gens hujuſmodi neſandiſſima, & tru-
„ culentiſſima in dies uititur crudeliùs, ac
„ inhumaniùs deſævire, tanquam Princeps
„ catholicus & pervigil Fidei orthodoxæ,
„ cum ejus fœlici & glorioſo Exercitu ſe ac-
„ cinxit, & militet de præſenti, attenden-
„ teſque, quòd niſi iniquiſſima perfidorum
„ hoſtium Redemptoris omnium Jeſu Chriſti,
„ ac ſuo pretioſiſſimo Sanguine Redempto-
„ rum in virtute Altiſſimi, & manu potentiſ-
„ ſima conterantur, quantùm Chriſtianitati
„ diſcrimen immineat, quòdq; nemine opem
„ ferente præfato Regi Chriſtianorum reli-
„ quiæ illarum partium dabuntur excidio,
„ & Regna, Provinciæ, ac Civitates, & par-
„ tes ipſæ in deditionem Turcarum & Infide-
„ lium prædictorum devenient, quod heu
„ futurum fermè conſpicimus, niſi omnipo-
„ tentia Salvatoris, & hujuſmodi Chriſtia-
„ nus populus præfato Regi, qui ad hanc
„ Dei cauſam ad occiduas partes cum ſuo
„ potenti Exercitu perſonaliter eſt profectus
„ tàm potenter, quàm celeriter ſtudeat ſub-
„ venire.

229 „ Ad hoc, ut Salvatoris dexterâ pro-
„ tegente, eorum laboribus triumphi acqui-
„ rat gloriam, & cœleſtis vitæ ſtipendia, quæ
„ ſunt immortalitatis gaudia, conſequatur,
„ Univerſitatem veſtram per aſperſionem ſan-
„ guinis omnium Redemptoris requirimus &
hor-

„ hortamur in Domino Jeſu Chriſto, per
„ Apoſtolica vobis ſcripta præſentium teno-
„ re mandantes, ac in remiſſionem peccami-
„ num injungentes, quatenùs virtute con-
„ ſtantiæ communiti aſſumptum Æterni Re-
„ gis negotium, tali vigore, tantoque ſtu-
„ dio ſubitò indeſinentibus ſtudiis & ſuſce-
„ ptum proſequi procuretis, erogando profu-
„ tura ſubſidia ac ſtipendia in proſecutione
„ tanti negotii per vos, vel alios, juxta ve-
„ ſtrarum potentiam facultatum, ut gentis
„ Teucrorum, Arianorum, Manichæorum,
„ & aliorum Infidelium feritas, quæ chriſtia-
„ no in ſanguine tam immaniter debaccha-
„ tur, in confuſionis foveam deducatur, eo-
„ que correctore, & duce perditionis mini-
„ ſtrum & principem habeat tenebrarum,
„ ita quòd in virtutis veſtræ dextera conte-
„ ratur, quòd ad notitiam Salvatoris ſaltem
„ in via redeat, quæ multis præventa mo-
„ nitis, ſe illius excellentiæ non inclinat.

„ 130 „ Et cùm in deſideriis habeamus,
„ ut nobis una ſit fides mentium, & pietas,
„ atque conformitas indeficientium actio-
„ num devotioni veſtræ duximus paternis
„ affectibus ſuadendum, ut inter vos mutuam
„ charitatem habentes, ſemper unanimes exi-
„ ſtatis ad depreſſionem barbaræ Nationis;
„ ſecundùm conſilia, ac modos præfati Regis,
„ quem ad reddendum ſuis hoſtibus ultionem
„ fortis & potens, ac Rex Regum & Domi-
„ nus deputavit, ita communiter vota veſtra
„ dirigere, quòd ſolitis & exquiſitis falla-
„ ciis laborem veſtrum, Teucrorum, & alio-
„ rum Infidelium nequeat evacuare perfidia,
„ ſicque fiat, quòd vobis proficientibus ad
„ triumphum, illos continuò confuſio co-
„ mitetur, & vobis ſempiterna gloria con-
„ feratur.

231 „ Et, ut præmiſſa tantò libentiùs,
„ atque ferventiùs proſequamini, quantò ex
„ veſtris laboribus mercedem potiorem no-
„ veritis percepturos, Nos de Omnipoten-
„ tis Dei miſericordia, & Beatorum Petri &
„ Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi,
„ ex illa, quæ nobis, licèt indignis, eſt di-
„ vinitùs tradita poteſtate, omnes & ſingu-
„ los Chriſtifideles cujuſcumque præeminen-
„ tiæ, dignitatis, ſexus, vel ſtatus exiſtant,
„ qui actu cum præfato Rege, vel ejus gen-
„ te contra Infideles hujuſmodi nunc perſo-
„ naliter militant per ſe, vel alios, ut præ-
„ fertur, in poſterùm, & etiam qui aliàs fide-
„ liter, juxta poſſibilitatem eorum in hujuſ-
„ modi negotio laborant, vel impoſterùm la-
„ borabunt, illam ſuorum peccaminum, de
„ quibus veraciter corde contriti, & ore
„ confeſſi fuerint Rectoribus Parochiarum
„ Eccleſiarum, infra quarum limites extite-
„ rint, ſeu aliis Sacerdotibus ſæcularibus,
„ vel Religioſis, idoneis tamen, quos duxe-
„ rint eligendos veniam ac remiſſionem con-
„ ſequi volumus, quæ per Sedem Apoſtoli-
„ cam concedi conſuevit transfretantibus
„ tempore generalis, vel particularis paſſa-
„ gii in ſubſidium Terræ Sanctæ, & ſemel
„ tantùm in mortis articulo, ac ſi ad Civi-
„ tatem Hieruſalem perſonaliter acceſſiſſent,
„ ipſiſque in retributione juſtorum augmen-
„ tum æternæ beatitudinis pollicemur; Nos
„ enim Rectoribus & Sacerdotibus hujuſ-
„ modi abſolvendi confitentes ipſos ab om-
„ nibus eorum peccatis, plenam & liberam
„ concedimus auctoritate prædicta harum
„ ſerie facultatem. *Datum Senis quinto*
„ *Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno*
„ *primo*.

232 Poſt hæc verò nil actum eſt de repri-
mendo Turcorum & Infidelium conatu, nec
verbum habitum de Græcorum unione, at-
tento turbulentiſſimo Eccleſiæ Romanæ ſtatu;
nam deſperata Gregorii, & Petri de Luna
concordia, Domini Cardinales utriuſq; obe-
dientiæ deficientes ab utroque, pro ſchiſma-
te abolendo generale Concilium Piſis cele-
brandum indixerunt: Scribit namque San-
ctus Antoninus ſupracit. §.2. „ Sublata igi-
„ tur ſpe omninò cõveniendi inſimul Benedi-
„ ctum, & Gregorium, Cardinales priores,
„ dùm adhùc Lucæ eſſent, unde & propinqui
„ Cardinalibus Benedicti, habuerunt ſecre-
„ tum tractatum ad invicem utriuſque Pon-
„ tificis Cardinales recedendi ab eis; & ut
„ in aliquo loco convenientes celebrarent
„ generale Concilium, vocantes ad eum om-
„ nes Prælatos Eccleſiæ: quod executioni
„ citò mandarunt, recedentes illi à Luca, &
„ alii Portu Veneris, ad terras declinantes
„ Florentinorum: Hic receſſus Cardinalium,
„ qui fuit occultus, timentibus, nè Grego-
„ rius faceret eos capere, ut conſpirantes
„ contra eum, factus fuit Anno Domini
„ MCCCCVIII. de menſe Maii. Et primò
„ convenerunt aliqui eorum cum illis Bene-
„ dicti in Liburno; & ſequenti Junio mor-
„ tuus eſt Piſis Cardinalis Florentinus de
„ Acciajolis. Gregorius autem cum paucis
„ creatis ab eo Cardinalibus reverſus eſt Ro-
„ mam; & alter cum paucioribus in Fran-
„ ciam. *Et infra*. Firmata igitur conclu-
„ ſione illa vera, quæ incerta erat, conve-
„ nientes utriuſque Pontificis Cardinales, &
„ cõferentes de loco determinando pro Con-
„ cilio celebrando univerſali decreverunt Ci-
„ vitatem Piſarum, ut locum aptiorem; cui
„ rei Communitas Florentina conſenſit. *Hæc*
„ *Antoninus*.

233 Indignatos Gregorii Cardinales ex
creatione novorum Cardinalium, de qua ſu-
pra fati ſumus, per eundem Pontificem facta,
tradit Leonardus Aretinus lib. 2. Epiſt. 15.
teſtis quidem oculatus, inquiens: „ Cùm
„ eſſet hic ſtatus rerum, ecce nova turbatio
„ ſuperoritur; Conſtituit enim Pontifex no-
„ ſter Cardinales novos in Romanam Eccle-
„ ſiam aſſumere: hujus verò cauſæ duæ erant,

„ una, quòd fautoribus quibuſdam ſuis gra-
„ tiam referre cupiebat, præſertim id ma-
„ gnoperè flagitantibus; altera, quòd ad-
„ miſcendo vetuſtis Patribus novos aſſum-
„ ptos, temperaturum ſe illorum vehemen-
„ tiam exiſtimabat. Non erat dubium, Pa-
„ tres adversùs hanc Pontificis voluntatem
„ eſſe reclamaturos, & eſt mos, nihil tale abſ-
„ que illorum conſenſu à Pontifice decerni.
„ Fortiter igitur conandum ratus Patres in
„ conſilium vocat: Convenère trepidi, &
„ jam aliud alii ſuſpicantes: paratur ſecretò
„ locus, ſubſellia ponuntur: prodit cubicu-
„ lo Pontifex, & in Throno reſedit. Patres
„ inde ſuis locis conſedère jubentur, ubi con-
„ ſeſſum eſt, Pontifex contra conſuetudinem
„ duos circa ſe familiares retinuit, cæteram
„ multitudinem omnem excluſit; id ſive in-
„ terventu noſtro, ſi quid opus foret, ute-
„ retur, ſive aliam ob cauſam fecerit, incer-
„ tum habeo, mora quædam priùs & ſilen-
„ tium fuit; inde Cardinales aſpiciens non
„ ſatis læto vultu: *Præcipio*, inquit, *ut ne-*
„ *mo veſtrum aſſurgat*. Hæc prima illius vox
„ cùm mentes ſubita admiratione percuſſiſ-
„ ſet, alio alium reſpiciente, indignanteq;
„ Henricus Tuſculanus: *Quid eſt*, inquit,
„ *hoc*, *Pater*, *& quid ſibi vult iſtud præce-*
„ *ptum? Quandoquidem*, *inquit*, *vobiſcum ne-*
„ *queo rectè agere*; *providere Eccleſiæ volo*. Ad
„ hæc Henricus: *Immo deſtruere Eccleſiam*
„ *vis*. Hìc cùm indignanter omnes ſederent,
„ tamen primus omnium Raynaldus S. Viti
„ in Macello Diaconus, vir, ut tunc mihi vi-
„ ſum eſt, omnium, qui aderant, cordatiſſimus
„ repentè aſſurgens: *Moriamur potius*, inquit,
„ (ut tu ſcis) *procero corpore*, *& cum proceri-*
„ *tate ipſa*, tùm etiam verbis facere animos
„ viſus eſt. Itaque plerique poſt hunc ſur-
„ rexerunt; ſed in nova & ſubita re proſpi-
„ cere licebat quid in unoquoque animi, vi-
„ goriſque ineſſet. Rubebant alii, alii pſal-
„ lebant, irâ & jurgio alii, alii prece ſuppli-
„ ce nitebantur. Columnenſem ego vidi ad
„ pedes Pontificis provolutum, rogantemq;
„ nè ita facere vellet, contra verò Leodien-
„ ſem minabundum, & contumaciter incen-
„ ſum; Burdegalenſis verò quaſi medius qui-
„ dam modò iras leniebat, modò Pontificem
„ precabatur, ita re infecta conſilium tan-
„ dem dimittitur, præcepto tamen priùs à
„ Pontifice, nè quiſquam Patrum Urbe Lu-
„ ca exiret, nevè in juſſu ſuo convenirent.
„ Id rursùs præceptum non minùs aſperita-
„ tis, ſuſpicioniſque habere viſum eſt. *Ha-*
ctenus Aretinus.

234 Hujuſmodi ergo inter Gregorium & Dominos de ejus obedientia Cardinales exortas ſimultates in cauſa receſſionis, ſive defectionis eorundem Cardinalium à præfato Pontifice fuiſſe, non eſt indubium revocandum; nàm aſperitas agendi cum eis, qua uſus eſt Gregorius, iterata præcepta non exeundi ab Urbe, non conveniendi ſimul, immò nec tractandi cum Oratoribus Regis Chriſtianiſſimi miſſis pro negotio abolendi ſchiſma, non modicam præbuerunt cauſam iiſdem Cardinalibus ſuſpicandi alicujus graviſſimi mali contra eos intentandi à præfato Pontifice, & ideò Sanctus Antoninus ſcribit, receſſiſſe ſecretò. Verùm primò exivit, Piſaſque petiit Joannes Cardinalis Leodienſis, quem Paulus Pontificis nepos fruſtrà armata manu fuit inſecutus, captis tamen & ſpoliatis quibuſdam illius familiaribus; Prætore inde Civitatis obſiſtente Paulo, cæteri Cardinales occultè egreſſi ſunt, Piſas quoque ſe conferentes. Gregorius inſuper non attenta Cardinalium oppoſitione, die IX. Maji novos creavit Cardinales, repleto priùs univerſo Apoſtolico Palatio ſatellitibus, & armatis Viris, ſi vera ſunt quæ univerſis Chriſtifidelibus per literas, ſub datis Piſis die XIV. Maji, evulgarunt præfati Domini Cardinales, qui & eundem Pontificem, miſſo libello ad generale Concilium, provocaverunt.

235 Acceſſit & Caroli Gallorum Regis aſſenſus de eadem Synodo celebranda, qui, datis literis ſub die 22. Maji ad Cardinales de Gregorii obedientia, hortatus eſt, ut ſimul cum Cardinalibus Benedicti, ſive Petri de Luna ad tollendum ſcandalum de Eccleſia Dei convenirent: „ Rogitamus, *inquit*, &
„ cum inſtantia Deum verum & immorta-
„ lem, per ejus aſperſionem ſanguinis, per
„ (ſi qua eſt vobis) Fidei & chriſtianæ Reli-
„ gionis integritatem, & ad Matrem Eccle-
„ ſiam miſericordiam & pietatem requirimus
„ & hortamur, ut dimiſſo dicto Angelo (*ſic*
„ *Gregorium appellat*) vos in unum locum
„ conferatis, & conventionem cum noſtris
„ Cardinalibus procuretis; nam ſi locum in
„ unum convenietis, non dubitamus, quin
„ in ipſorum contendentium contumacia &
„ abſentia, attenta rei neceſſitate, quæ in
„ quantùm ſubeſt legibus & decretis Eccle-
„ ſiæ proviſum ſit. *Hæc inter alia in Regiis*
literis. Pariſienſis inde Accademia hoc idem probaſſe videtur, cùm literas miſiſſet ad Cardinales de obedientia Petri de Luna, ut ab ipſo recederent, & cum Gregorii Cardinalibus convenirent. Datæ ſunt literæ XXIX. Maji ejuſdem Anni MCCCCVIII. Quarum concluſio talis erat: „ Veſtras Reverendiſſi-
„ mas Paternitates hortamur, & hortando
„ ſupplicamus, ut relicto Petro de Luna cum
„ Dominis alterius Collegii conveniatis, pa-
„ cem, & unum Summum Pontificem fideli
„ populo daturi, & contendentium dignita-
„ tem duritiam & pertinaciam declaraturi.
Hactenus Accademia Pariſienſis.

236 Agitatam primùm controverſiã Florentiæ, nùm Domini Cardinales in caſu legitimum Concilium congregare potuiſſent, tradit D. Antoninus titul. 22. cap. 5. §. 2. inquiens:
„ Super ea re Florentiæ diutiùs eſt diſputa-

tum

Digitized by Google

,, tum per Venerabilem Virum D. Lauren-
,, tium de Ridolphis militem, & utriuſque
,, juris egregium & famoſum Doctorem, Ca-
,, thedram tenentem Florentiæ: Utrum pręſuppoſito pro conſtanti, quod ambo Pon-
,, tifices ſcandalizarent totam Eccleſiam ex
,, violatione manifeſta promiſſionis, jura-
,, menti, & voti faciendę unionis Eccleſiæ, no-
,, civum jam inveteratum permanebat; poſ-
,, ſent Cardinales convocare Concilium, &
,, citato utroque ad veniendum ad ipſum non
,, parentes, ſed in contumacia perſiſtentes,
,, poſſent deponi, & ad alterius electionem
,, procedi. *Hæc ille*, ſubjungens, per tridnum fuiſſe diſputatum coràm aliis doctiſſimis Viris & Theologis, ac nullo contradicente, concluſum in caſu propoſito, poſſe: Sed probandum præſuppoſitum in quæſtione, an eſſet verum; nam licèt ex parte Petri de Luna eſſet certum, non ita, ſed incertum erat ex parte Gregorii; undè ait: ,, Nam ſi verum
,, judicari, vel credi poſſet ex parte Benedi-
,, cti viri callidi, & ambitioſi, quòd poſtmo-
,, dùm declaravit rei eventus; nam poſt Con-
,, cilium Conſtantiæ, in quo tota Chriſtia-
,, nitas convenit, etiam qui erant de obe-
,, dientia Gregorii, ille ſolùs pertinax fuit,
,, nec comparere, nec mittere voluit, nec
,, renunciare, ſed in ſuo ſchiſmate ſolus per-
,, manens deceſſit; tamen de Gregorio non
,, idem apparuit. Licèt vulgus ex divulga-
,, tione Cardinalium, & aliquorum hoc ſen-
,, tiret, ſcilicet, quòd colluderet, vel ſimula-
,, ret: quinimmò contrarium oſtenſum eſt;
,, nam Concilium Conſtantiæ celebrandum
,, ipſe approbavit, ſuos Cardinales miſit, &
,, quia decrepitus erat ire non valens, Pro-
,, curatorem miſit Carolum Malateſtam ad
,, renunciandum. Nec tranſgreſſor juramenti
,, vel voti judicari debuit, ſi non debito mo-
,, do agere potuit, quod promiſit alio ei in-
,, ſidiante, ut nondùm clarificatus de jure
,, ſuo id ſibi ſoli uſurparet: *Hæc ille*. Attamen firmatam dicit concluſionem, quæ incerta erat, ac inde convocatum fuiſſe Concilium. Scribunt aliqui, Balthaſſarem Coſſa Cardinalem & Legatum Bononienſem coegiſſe Petrum Ancharanum, & Antonium de Butrio peritiſſimos, & ea tempeſtate Juriſconſultos famoſos, ad promulgandas quaſdam concluſiones probantes defectionem Cardinalium à contendentibus de Papatu honeſtam ac licitam, amboſq; Pontifices Concilii ſententiæ obnoxios fuiſſe, ut utroque Pontificia dejecta dignitate, ſchiſma extingueretur. Addunt, Antonium de Butrio paulò poſt in læthalem morbum lapſum, præfatas concluſiones, omniaque, quæ contra Gregorium ſcripſerat, revocaſſe.

237 Deinde à Dominis Cardinalibus, cùm eſſent Liburni, indictum eſt Generale Concilium Piſis celebrandum, accepta à Florentinis ſecuritate, & vocati ſunt ambo Pontifices contendentes de Papatu, Univerſi, Epiſcopi, Prælati, Abbàtes, Univerſitas, Accademiæ, Reges, Principes, & Communitates, ut intereſſent per ſe, vel ſuos Oratores, aſſignato termino ad diem xxv. Martii proximi futuri Anni MCCCCIX. ut indicant literæ ad hunc effectum datæ, quæ habentur in actis Conciliorum Generalium apud Labæum, & apud Raynaldum ad Ann. Dñi MCCCCVIII.
,, Firmata concluſione, *ait S. Antoninus loco*
,, *cit.* convenientes utriuſque Pontificis Car-
,, dinales, & conferentes de loco pro conſilio
,, celebrando univerſali, decreverunt Civi-
,, tatem Piſarum, ut locum aptiorem: cui
,, rei Communitas Florentina conſenſit. Un-
,, de ſignificantes geſta per Nuncios & lite-
,, ras, vocarunt ad Concilium celebrandum
,, Piſis omnes Epiſcopos, Prælatos, & Prin-
,, cipes, ac Communitates, exhortantes ad
,, mittendum ad ipſum Oratores ſuos, ac ſub-
,, trahendum obedientiam à Pontificibus il-
,, lis: quos etiam citaverunt ad eundum illùc.
,, *Hæc ille*, ſubjungens ab obedientia Gregorii defeciſſe Venetos, aliosque Reges & Principes, excepto Ladislao Rege, & ferè Communitates omnes, paucis de Eccleſiaſtica ditione exceptis: à Benedicto verò penè omnes defeciſſe, uno Rege Aragonum excepto: quotquot ergò ab obedientia prædictorum Pontificum defecerunt, Piſano adhæſerunt Concilio, & notat idem Antoninus, Sigiſmundum Ungariæ Regem nuper electum Romanorum Imperatorem, præfato adhæſiſſe Concilio. Cùm porrò Benedictus, dictus Petrus de Luna, ſe deſeri vidiſſe à Rege Franciæ, & univerſo Regno, ipſum Regem omnesque Prælatos excommunicavit: At Rex indignatus, illius diploma laniatum cremari publicè juſſit; ejuſque porrò Nuncii ad ſummam ignominiam mithris è papyro redimiti, depictia Petri è Luna inſignibus inverſis in veſtibus lineis, jubente Rege, per Pariſios circumducti, deniqne in carcerem miſſi fuere: indequn mandata dedit Bucicaldo Januenſi Præfecto, ut prædictum Petrum è Luna comprehenderet: ſed ille de periculo conſcius, è Liguria in Catalonia ſe contulit, creatis in itinere quatuor Cardinalibus, ut notat Antoninus, inquiens: *Cum Benedicto autem penè nullus, à cunctis derelictus, niſi fortè à Rege Aragonum. Mare autem per navem ingreſſus, fecit quatuor Cardinales novos, & excommunicavit Regem Franciæ, & omnes alios, qui receſſerant ab obedientia ſua & rebelles Eccleſiæ*. Interea Accademia Pariſienſis contra Petrum de Luna ſex publicas expoſuit Concluſiones, ſic ſe habentes.

238 I. *Petrum è Luna fore non tantùm ſchiſmaticum, pertinacemque habendum, verùm etiam hæreticum, perturbatorem pacis & Sanctæ unionis Eccleſiæ.* II. *Petrus de Luna non eſt nominandus Benedictus, nec Papa, nec Cardinalis, nec nomine cujuscumque dignitatis, nec*

ſibi

Digitized by Google

ſibi obediendum eſt tanquam Paſtori ſub pœnis fautorum ſchiſmaticis. III. *Facta, dicta, collationes, Proviſiones, ſive proceſſus à tempore datæ literæ ad modum bullæ confectæ, inſuper pœnæ quæcumque ſpirituales, vel temporales explicatæ, vel implicatæ in dicta litera contentæ nullę ſunt*. IV. *Dicto Petro, aut ſuis literis, aut mandatis nullus poteſt obedire, immò tenetur ſibi non obedire ſub pœna fautorum ſchiſmatis*. V. *Dicta litera eſt de ſe iniqua, ſeditioſa, doloſa, fraudolenta, turbativa pacis, & offenſiva Regiæ Majeſtatis*. VI. *Contra fautores & receptores dicti Petri, & ſuorum, ſuarumque literarum procedendum eſt, ſicut & contra dictum Petrum*. Hæc fuere Accademiæ præſatæ concluſiones.

239 Gregorius verò cùm adhùc Lucæ conſiſteret, Cardinales, qui ab ejus obedientia defecerant, per literas monitorias & hortatorias datas IV. Idus Julii, ad ſe revocare eſt conatus: ſed fruſtrà, immò ab eo, qui ſecum remanſerant, videlicet Henricus Tuſculanus Epiſcopus, & Angelus tituli Sanctæ Potentianæ, defecerunt, aliis Piſis ſe adjungendo; id quod etiam præſtitit Landulphus tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, qui tunc Peruſio præerat. Quare Gregorius ſecuritate & obſidibus à Florentinis acceptis, cum armatis militibus è Luca Senas profectus eſt. Sanctus Antoninus ſcribit è Senis Romam contendiſſe, quam Civilibus implicatam diſcordiis cùm reperiſſet, Cayetam contendiſſe, exinde Ariminum:
„ Gregorius autem, *inquit*, cum Gentibus
„ Armigeris Florentinorum pro ſui ſecurita-
„ te, datis etiam obſidibus à Florentinis, ex
„ Luca, Senas, deinde ad Urbem reverſus
„ eſt: excommunicans, & pileo, & omni di-
„ gnitate & beneficiis privans omnes Cardi-
„ nales, qui contra eum conſpiraverant, rece-
„ dentes ab eo, ut hæreticos & ſchiſmaticos.
„ *Et poſtea*. Quia verò Urba Romana erat
„ magnis ſeditionibus & rixis, Gregorius cũ
„ Curia ſua de beneplacito Regis Ladislai
„ profectus eſt Cayetam, ubi aliquandiù mo-
„ ram traxit. *Et poſt pauca*. Demùm Anno
„ MCCCCIX. vel MCCCCX. licentiatus
„ à Regno, per mare tranſivit cum omni Cu-
„ ria ad Ariminum, ubi à Carolo Domino
„ Ariminenſi cum omni honore & gaudio re-
„ ceptus eſt. Qui ſolus perſeveravit cum ſuis
„ in obedientia Gregorii uſque ad renuncia-
„ tionem ejus. *Hæc Antoninus*. Verùm ex
ipſius Gregorii literis apparet nec Romam, nec Cayetam profectum, è Senis recta via cõtendiſſe Ariminum. Datæ namque extant præfati Gregorii literæ Senis VI. Kal. Novembris D. Lucæ Cardinali tituli Sancti Laurentii in Lucina, in Etruria Apoſtolicæ Sedis Legato. Et aliæ literæ ejuſdem anni reperiuntur datæ Arimini Domino Antonio Cardinali Portuenſi in ipſis Idibus Decembris, unde non videtur veroſimile, potuiſſe Gregorium Romam proficiſci, inde Cayetam ibidem aliquandiù conſiſtere, ac demùm Ariminum, ut Antoninus ſcribit, ſpatio interjecti temporis à VI. Kal. Novembris, ad uſque XIII. diem Decembris. Nec cùm Senis conſiſteret, Cardinales excommunicavit; verùm ex Arimino, ut produnt ejus literæ ſub datis Arimini XIX. Kal. Februarii, Senis verò cùm eſſet, excommunicavit, & omni dignitate ac officio privavit Balthaſſarem Coſſa Legatum tunc Bononienſem, inſidias eidem Gregorio parantem; prout ex literis ſuper hoc Senis datis XV. Kalen. Octobris.

240 Itaque exiſtentibus in Catalonia Benedicto, ſive Petro de Luna, Gregorio verò Arimini, coacta eſt, juxta præfinitum tempus, Piſana Generalis Synodus, cui interfuerunt Cardinales Epiſcopi VI. Presbyteri VIII. Diaconi VIII. Cardinales omnes XXII. Legati ſive Ambaſſiatores Regis Francorum V. Legati Regis Anglorum, & ejuſdem Regni Prælatorum VII. Legati Ludovici Regis IV. Legati Regis Poloniæ I. Legati Regis Cypri I. Legati Ducis Brabantiæ VI. Legati Careſtii Ducis Auſtriæ II. Legati Stephani Ducis Bavariæ III. Legati Comitũ de Watſemburg I. Legati Ducis Clevenſis II. Legati Domini de Crout I. Legati Domini Blanderata I. Legati Ducis Lotharingiæ & Marchionenſis II. Legati Ducis Mazoniæ ſenioris I. Legati Marchionia Brandeburgenſis & Moraviæ II. Legati Comitis Mortemburg, & in Sterenberg I. Legati Marchionum Miſnenſium, & Thuringiæ I. Legati Archiepiſcopi Colonienſis VIII. Legati Archiepiſcopi Moguntini V. Legati Archiepiſcopi Salzeburgenſis I. Legati Patriarchæ Aquilejenſis III. Legati Magiſtri Ordinis de Pruſſia I. Procurator Ordinis Jeroſolymitani I. Legati Domini Laodicenſis electi V. Legati omnes Regum, Principum, & aliorum num. 65. Patriarchæ præſentes IV. ideſt, Alexandrinus, Antiochenus, Jeroſolymitanus, Gradenſis. Archiepiſcopi præſentes 10. Epiſcopi præſentes 66. Adminiſtratores Eccleſiarum Chienſis, & Tregeſtinenſis II. Abbates Monaſteriorum præſentes 70. Generales Ordinum VII. videlicet Ordinis Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Heremitarum, Servorum Beatæ Mariæ, & Sancti Auguſtini ultramontanæ familiæ, & alter Generalis de Monte Carmelo citramontanæ familiæ. Magiſtri in Theologia Ordinis Prædicatorum VIII. Magiſtri in Theologia Ordinis Minorum VIII. Magiſtri in Theologia Carmelitarũ citramontanæ familiæ III. Magiſtri in Theologia Ordinis Heremitarum citramontanæ familiæ V. Magiſtri in Theologia Ordinis Servorum B. Virginis Mariæ III. Miniſter Provincialis Ordinis Minorum Provinciæ Turoniæ I. Præceptores: Præceptoriarum præſentes III. Priores & Procuratores Generales Ordinum IV. Priores Prioratuum Conventualium XVI. Legati Univerſitatũ ac Ge-

ne-

Digitized by Google

neralium Studiorum XXI. videlicet Univerſitatis Pariſienſis XI. Andegavenſis VI. Montiſpeſſulani IV. Ambaſſiatores Archiepiſcoporum, qui præſentes non potuerunt perſonaliter intereſſe XIII. Ambaſſiatores Epiſcoporum abſentium LXXXV. Procuratores Abbatum abſentium CXXII. Procuratores Abbatum Ordinis Sancti Benedicti in Anglia XXXIV. Procuratores pariter Abbatum Ordinis Ciſtercienſis in Anglia XXXV. Alii Procuratores aliorũ Ordinum in Anglia IX. Priorum Prioratuum, Monaſteriorum, & Eccleſiarum in eodem Regno Angliæ Ordinis Sancti Benedicti XXVIII. Procuratores Capitulorum Eccleſiarum C. Procuratores Civitatum & Diœceſum VIII. Procuratores diverſarum Provinciarum XIV. Summa omniũ Patrum, qui huic interfuerunt Concilio, comprehenſis recenſitis ſæcularium Principum Legati, ſi me non fallit computus, eſt DCCLXVI.

241 Prima porrò hujus Concilii ſeſſio habita eſt die XXV. menſis Martii, Anni MCCCCIX. currente Indictione ſecunda, in qua ſervatis ſolemnitatibus, requiſiti ſunt Benedictus, aliàs Petrus de Luna, & Gregorius, & ad valvas Eccleſiæ alta voce vocati, & citati, & cùm reperti non fuerint præſentes, nec per ſe, nec per ſuos Procuratores, decretum fuit, adhuc expectandum ad ſequentem uſque diem, videlicet XXVI. ejuſdem menſis, in qua habita eſt ſecunda ſeſſio, ac in ea iterum vocati, requiſiti, ac pariter ad valvas Eccleſiæ citati fuerunt prædicti contendentes de Papatu, nec reperti, ac iterum prorogata eſt ſententia ferenda contra eos uſque ad aliã ſeſſionem habendam die XXX. ejuſdem menſis: qua habita, & ut ſupra iterum requiſiti, nec reperti, pronunciata eſt in eos ſentẽtia in cauſa fidei & ſchiſmatis contumaciæ, ac ad ulteriora contra eos, & quoſdam Cardinales eis adhęrentes, procedendum, decretum eſt. Prorogata inde eſt altera ſeſſio ad diem XV. Aprilis, qua adveniente, celebrata eſt quarta ſeſſio, ac in ea admiſſi ſunt Ambaſſiatores Roberti Ducis Bavariæ electi Imperatoris, & auditi: deinde iterum citati fuerunt ut ſupra præfati duo contendentes, quibus non apparentibus, declarati ſunt iterum contumaces: Propoſitis per præfatos Ambaſſiatores opponentes contra convocationem Concilii, & geſta per Patres contra prædictos contendentes, dilata eſt reſponſio in ſeſſione proxima, qui illicentiati & hoſpite non ſalutato, receſſerunt. Habita inde eſt XXIV. ejuſdem menſis Aprilis ſeſſio quinta, in qua accuſata contumacia duorum contendentium, propoſiti fuere à Promotore certi articuli contra præfatos duos, & ad propoſitum unionis, poſtulante, ut darentur Commiſſarii pro majori informatione, licèt perpetrata eſſent notoria: & aſſignata eſt dies ultima Aprilis pro alia ſeſſione, qua adveniente, celebrata eſt ſexta ſeſſio, ac in ea comparuerunt Anglici, Duce, Epiſcopo Salberienſi cum mandatis à Rege, & Regno & poteſtate ad omnia in eo Concilio rationabiliter tractanda: unde indicta eſt ſeſſio in diem quartam menſis Maii: ac in ea, quæ fuit ſeptima, Petrus de Ancharano Juris conſultor reſpondit ad propoſita per Ambaſſiatores Domini Roberti antedictos, licèt abſentes, & ſatis expectatos, oſtenditque, propoſita per eos fuiſſe frivola, ac nullius efficaciæ, & quòd præfati Ambaſſiatores tendebant ad impedimentum ſanctæ unionis. Dati porrò ſunt Commiſſarii poſtulati à Procuratore in ſeſſione quinta ad recipiendum inſtrumenta & probationes ſuper articulis adversùs contendentes de Papatu. Et quoniam Ladiſlaus Rex valdè erat indignatus pro hujus Concilii convocatione, ordinatum fuit, ut pro eo mitigando eligerentur & mitterentur Ambaſſiatores ex parte Concilii.

242 Die porrò decima menſis Maii celebrata eſt ſeſſio VIII. ac in ea Procurator Univerſalis Eccleſiæ inſtitit, quatenus Sacrũ Concilium vellet decernere infraſcripta, videlicet unionem duorum Collegiorum factam Cardinalium, eſſe legitimè factam, unumque facere Collegium, ac ut talem ratificare, approbare & confirmare: convocationem Sacri Concilii per eos factam, fuiſſe & eſſe juridicè & legitimè factam in loco habili, tuto, & ſecuro, ipſamque congregationem eſſe & repręſentare Concilium univerſalis Eccleſiæ, & ad ipſum ſpectare & pertinere cognitionem, definitionem, & deciſionem omnimodam cauſæ unionis Eccleſiæ, & ſchiſmatis ſedandi, contra duos contendentes de Papatu, cum omnibus pertinentiis, emergentibus, & connexis: & licèt Epiſcopus Saliſberienſis, & Ebroicenſis primæ cõcluſioni contradixerint, attamen definitum fuit, juxta poſtulata à Procuratore, ſententiam ex Cathedra pronunciante Patriarcha Alexandrino. Conceſſa inſuper eſt alia dilatio ad teſtes examinandos, ad dies octo tempore, deſignata pro ſequenti ſeſſione. Et ita ſeſſio IX. celebrata eſt die XVII. Maii, in qua, quoniam aliqui murmurabant, Advocatus alta voce requiſivit, quòd ſubtractio in præcedenti ſeſſione facta declararetur: univerſis conſentientibus Patribus, per os Patriarchæ Alexandrini pronunciatum fuit, licuiſſe ſe ſubtrahere ab obedientia amborum contendentium de Papatu: Quòd à cunctis Chriſtifidelibus erat obedientia ſubtrahenda, & ab omnibus pro ſubtracta habenda. Revocatæ inſuper fuerunt ſententiæ latæ per contendentes contra ſubtrahentes: & ordinatum, quòd illi, qui erant in Concilio Judices vel conjudices, poterant contra contendentes eſſe teſtes: Commiſſarii verò poſſent articulos declarare. Et conceſſa eſt tertia dilatio ad producendum teſtes, ſuper quibus formata eſt quædam ſchedula, lecta publicata, indicta altera ſeſſio habenda die XXII. ejuſdem menſis Maii.

243

Digitized by Google

243 Adveniente præfata die xxii. Maii habita eſt ſeſſio x. inſtante Procuratore, per Advocatum producti ſunt teſtes examinati contra duos contendentes de Papatu, ac mandante Concilio, primùm ad valvas Eccleſiæ iterum citati ſunt præfati duo contendentes ad audiendum teſtium publicationem, quibus non comparentibus, nec per ſe, nec per alios, per Dominum Archiepiſcopum Piſanum cum uno Notario publicati, & declarati fuerunt articuli per teſtes contra præfatos contendentes probati, licèt non omnes ex horæ tarditate, dilata aliorum publicatione ad ſequentē ſeſſionē, quæ habita fuit die xxiii. Maii, ac in ea, quæ fuit ſeſſio. Cæteri Articuli pariter per teſtes probati, lecti, publicati, expoſiti, declaratique fuerunt: ac inde Advocato Eccleſiæ poſtulante nomine Procuratorum & Promotorum, ut ſancta Synodus ad proſecutionem cauſę pronunciaret, decerneret, & determinaret, omnia & ſingula dicta & publicata contra prædictos, eſſe vera, publica, notoria & manifeſta; ac ſuper his tanquam talibus ad ulteriora procedi mandaret, prout magis expedire viſum fuerit, ſancta Synodus ſtatuit terminum ad deliberandum ad diem Sabbati xxvi. præfati menſis Maii, in qua celebrata eſt ſeſſio xii. in qua prædictus Advocatus petiit ut ſupra, & ſancta Synodus decrevit juxta poſtulata, ſcilicet omnia & ſingula contenta in articulis contra prædictos contendentes de Papatu per teſtes probata, eſſe vera, publica, notoria & manifeſta, mandavitque ad ulteriora procedendum: cujus ſententiæ, & pronunciationis, inſtantibus Procuratoribus confectum eſt publicū Inſtrumentum. Quibus expeditis, revocata eſt per Concilium poteſtates Commiſſariorū antea data ad examinandum teſtes: fuitque inde ſuper hoc data per idem Concilium poteſtas de eligendo, & mittendo Nuncios & Legatos idoneos ad Dominum Lucanum, & ad Senenſem, pro facto Eccleſiæ: ac denique indicta eſt altera ſeſſio ad diem xxix. Maii.

244 In hac ſeſſione, quæ fuit xiii. prædicta die, ſcilicet xxix. Maii celebrata, quidam Magiſter Petrus Plaoul habito ſermone, probavit, Eccleſiam eſſe ſupra Papam. Indeque propoſuit opinionem Univerſitatis Pariſienſis contra Petrum de Luna, quòd eſſet ſchiſmaticus & hæreticus: quam poſtea auctoritate centum & trium Magiſtrorum, Licētiatorum, & Baccalaureorum, & ipſius Univerſitatis Bononienſis, confirmavit quidem Epiſcopus Italicus. In aliis Actibus à Labæo relatis habetur, præfatum Petrum Plaoul declaraſſe opinionem Univerſitatis Pariſienſis fuiſſe, quodamodo contendentes eſſent hæretici, & ſchiſmatici: Epiſcopum verò Novarienſem, retuliſſe, per Dominum Cardinalem Mediolanenſem fuiſſe congregatos omnes Magiſtros in Theologia, Licentiatos, & Baccalaureos, & concordes fuiſſe in ſententia, quòd dicti duo contendentes de Papatu eſſent ſchiſmatici, & hæretici pertinaces: & eandem fuiſſe ſententiam Univerſitatis Florentiæ centum & viginti Magiſtris ei ſubſcribentibus: ſic pariter definiviſſe Univerſitatem Bononienſem, item & Studia Aurelianenſe, Andegavenſe, & Tholoſanum, & hac de cauſa ſpectare ad Concilium definitionem hujus controverſiæ. In eadem ſeſſione Advocatus petiit à Concilio aſſignari diem ad ſententiam diffinitivam ferendam, fuitque aſſignata die v. menſis Junii. Sed ante eam diem, hoc eſt, prima Junii, iterum convenerunt Patres, nam quidam non ſatisfacti de relatione articulorum & probationum facta ab Archiepiſcopo Piſano in x. & xi. ſeſſione, murmurabant; unde Archiepiſcopus præfatus aſcendit pulpitum, & declaravit omnia, indeque concluſit, quòd ſi eſſent aliqui de Concilio, qui vellent videre ad longum atteſtationes, adirent ad Notarios, qui omnia ad plenum oſtenderent. Porrò die v. Junii habita eſt ſeſſio xv. & citati ſunt ad valvas Eccleſiæ; affixo etiam libello citatorio, præfati duo contendentes de Papatu, & inſtantibus Procuratoribus, lata eſt per Conciliuṁ ſententia definitiva, non obſtante contumacia, quę promulgata ſolemniter fuit à Patriarcha Alexandrino, valvis Eccleſiæ omnibus apertis, prǽſenteque innumerabili populi multitudine, quantum dicta Eccleſia poterat capere: cujus tenor eſt, qui ſequitur.

Tenor ſententiæ diffinitivæ, contra prædictos contendentes de Papatu.

145 „ Chriſti Nomine invocato, ſancta „ & Univerſalis Synodus, univerſalem Eccleſiam repræſentans, & ad quam cognitio „ & deciſio hujus cauſæ noſcitur pertinere, „ Sancti Spiritus gratia, in hac majori Eccle„ ſia Piſana congregata, ibique pro Tribu„ nali ſedens, viſis & diligenter exceptis „ omnibus & ſingulis productis, probatis, „ & agitatis in præſenti cauſa unionis Eccle„ ſiæ, fidei & ſchiſmatis, contra Petrum de „ Luna, Benedictum XIII. & Angelum Co„ rarium, Gregorium XII. olim appellatos, „ quæ præſenti proceſſu plenius continentur, „ acquiluſcumq; aliis ipſam ſanctam Syno„ dum ad infraſcriptam diffinitivam ſenten„ tiam moventibus & inducentibus, habita „ prius inter ſeipſos, & denuò inter tam „ copioſam multitudinem Magiſtrorum in „ Theologia ſacra, atque utriuſque Juris „ Doctorum, priuſquam & pluries diligenti „ collatione, & tandem deliberatione matu„ ra, omneſque pariter in hanc ſententiam „ reperietis unanimiter concordare, omni„ bus, modo, via, & jure, quibus magis, „ & melius poteſt in prædictis contendenti„ bus, ſeù veriùs colludentibus de Papatu, „ cujuslibet eorum contumacia, in his ſcri-

ptis

„ ptis pronunciat, decernit, definit, & declarat omnia & ſingula crimina & exceſſus, & alia cuncta neceſſaria ad infraſcriptam deciſionem præſentis cauſæ deducta, per providos viros Henricum de Monte Leone, Joannem de Scribanis, & Bertholdum Vojetereghenſem, promotores, inſtigatores, & ſolicitatores, ſeu Procuratores deputatos ad proſequendum præſentem cauſam, pro hujus deteſtandi & inveterati ſchiſmatis hujuſmodi extirpatione, & unione, atque reintegratione Sanctæ Matris Eccleſiæ, contra & adversùs prælibatos Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. de Papatu damnabiliter contendentes, ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipſa ſacra & univerſali Synodo præſentata & exhibita, fuiſſe & eſſe vera, atque notoria: ipſosque Angelum Corarium, & Petrum de Luna, de Papatu, ut præfertur contendentes, & eorum utrumque fuiſſe & eſſe notorios Schiſmaticos, & antiqui Schiſmatis nutritores, defenſores, approbatores, fautores, & manutentores pertinaces, necnon notorios hæreticos, & à fide devios, notoriiſque criminibus enormibus perjurii, & violationis voti irretitos, univerſalem Eccleſiam Sanctam Dei notoriò ſcandalizantes, cum incorrigibilitate contumacia, & pertinacia notoriis, evidentibus, & manifeſtis: & ex his, & aliis ſe reddidiſſe omni honore & dignitate, etiam Papali indignos: ipſoſque & eorum utrumque propter præmiſſas iniquitates, exceſſus, & crimina, nè regnent, vel imperent, aut præſint, à Deo & ſacris Canonibus fore ipſo facto abjectos, & privatos, & etiam ab ipſa Eccleſia præciſos.

146 „ Et nihilominus, ipſos Petrum & Angelum, & eorum utrumque, per hanc diffinitivam ſententiam in his ſcriptis, privat, abiicit, & præſcindit, jubendo eiſdem, nè eorum aliquis pro ſummo Pontifice gerere ſe præſumat, Eccleſiamque vacare Romanam, aut cautelam decernendo, & inſuper omnes Chriſticolas quoſcumque, etiamſi Imperiali, regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuslibet eorum obedientia (non obſtante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quovis vinculo, quo illi, vel eorum alteri tenerentur adſtricti) fore perpetuò abſolutos. Inhibendo iiſdem Chriſtifidelibus, nè prædictis de Papatu contendentibus, ſeu eorum alteri, quomodolibet obediant, pareant, vel intendant, aut conſilium, auxilium, vel favorem ipſis præſtent, aut ipſos recipiant, vel receptent ſub pœna excommunicationis, & aliis à Sanctis Patribus, & ſacris Canonibus inflictis, promulgatis, & ordinatis. Quòdque ſi parere contempſerint huic ordinationi, & Sententiæ, ipſos & eorum fautores, defenſores, adhærentes & ſequaces, etiam per ſæculares poteſtates fore compeſcendos & compeſci debere, juxta præcepta Divina, & Sacrorum Canonum diſpoſitiones, eadem Sancta Synodus pronunciat, decernit, & definit. Ac inſuper omnes, & ſingulos proceſſus & ſententias excommunicationis, inhabilitatis, vel alterius cenſuræ & pœnæ, privationeſque ordinum, dignitatum, etiam Cardinalatus, beneficiorum, & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualeſcumque fuerint, & quocumque nomine nuncupentur, ſeu nominentur, contra Dominos Cardinales, per dictos Petrum de Luna, & Angelum Corarium latos & fulminatos, fuiſſe & eſſe nullos, caſſos & irritos, nullas, caſſas, & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ, vel momenti: & quatenus de facto proceſſerunt, eatenus annullandos, caſſandos & irritandos fore: ſicque etiam ad cautelam, quantùm, & quatenus expediat, omni modo, & jure, quo melius poteſt, annullat, caſſat, & irritat. Et inſuper promotiones, immò potius profanationes quorumcumque ad Cardinalatum, per dictos contendentes de Papatu, & eorum utrumque attentas, videlicet per dictum Angelum Corarium à die tertia Maii, & per Petrum antedictum à die xv. Junii anni proximè præteriti MCCCCVIII. fuiſſe, & eſſe nullas, caſſas, irritas, & inanes, & quatenus de facto proceſſerunt, annullandas, caſſandas, & irritandas; & ſic etiam ad cautelam, quatenus expedit, omni modo & jure quibus melius poteſt, præfata Sancta Synodus per hanc ſententiam diffinitivam, caſſat, irritat, & annullat. *Hactenus ſententia*.

147 Ad providendum autem adversùs proceſſus, Conſtitutiones, & ſententias in præjudicium unionis, & alias, per Petrum de Luna, & Angelum Corarium, olim contendentes de Papatu, ſeu colludentes præfatos, factas & latas contra Reges, Principes, Patriarchas quoque, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos, Univerſitates quoque Studiorum, & Communitates, ac ſingulares perſonas Eccleſiaſticas & ſæculares, & certas promotiones per ipſos olim contendentes factas ad dignitates quaſcumque, & ulterius procedendo ſuper aliis, bonum univerſalis Eccleſiæ tangentibus: Sancta Synodus ſtatuit diem Lunę proximam pro ſeſſione prima, quæ erit x. menſis præſentis, aſſignavit eandem diem Lunæ pro dicta ſeſſione, ad providendum ſuper aliquibus, quæ concernunt ſtatum, & bonum regimen Eccleſiæ univerſalis. Sic in terminis hujus ſeſſionis habent Acta. Et addunt, cantatum eſſe *Te Deum laudamus*: ordinatam inde in craſtinum, octavam diem Sacramenti ſolemnem pro-

proceſſionem: ac denique præceptum fuiſſe, quòd nullus recederet à Synodo abſque ſpeciali licentia, donec ſe in prælibata ſubſcripſiſſet ſententia.

148. Deinde die præſignata x. menſis Junii celebrata eſt ſeſſio xvi. ac in ea Archiepiſcopus Piſanus, conſcenſo pulpito, quandam ſchedulam legit continentem, quòd Domini Cardinales Deo promittebant, quod eſſent pro poſſe operaturi, quòd is, qui in Papam eligeretur, reformaret Eccleſiam, nec pateretur, Concilium diſſolvi, donec præfata peracta eſſet reformatio, tam in capite, quàm in membris. Addunt alia Acta, in eadem ſeſſione Dominos Procuratores poſtulaſſe, ut præfata ſententia ſuperius lata, in diverſis Mundi partibus publicaretur, & præciperetur Vaſſallis Patriarchæ Aquileienſi eidem parerent, nullatenus Angelo Corario: ac omnia hæc fuiſſe concordata. In ſeſſione porrò xvii. habita die xiii. Junii, decretum eſt auctoritate Concilii, ea vice dumtaxat, deveniendum eſſe ad electionem Romani Pontificis, facta proteſtatione, quòd per hoc Concilium non intendit in aliquo derogare poteſtati DD. Cardinalium, aut aliquid innovare. Die inde ſequenti xiv. Junii celebrata eſt ſeſſio xviii. facta prius ſolemni proceſſione. Comparuerunt Ambaſſiatores Regis Aragoniæ, necnon Nuncii Petri de Luna, petentes audiri, & admiſſi ſunt, conſtito priùs de legitimo mandato, nihil tamen ad mentem obtinentes, die ſequenti hoſpite inſalutato diſceſſerunt.

149. Die porrò Sabbati xv. Junii poſt miſſam de Spiritu Sancto, recitato ſermone per Epiſcopum Novarienſem, Domini Cardinales ingreſſi ſunt Conclave magna cum devotione: ac die xi. ab illorum ingreſſu, die videlicet Mercurii xxvi. Junii ſummo omnium animi conſenſu, nemineque reclamante, renunciatus eſt Romanus Pontifex Petrus de Candia Archiepiſcopus Mediolanenſis & Cardinalis tituli SS. Duodecim Apoſtolorum ex Ordine Fratrum Minorum, indito ſibi nomine Alexandri V. Actum in Conclavi de eligendo Balthaſſare Coſſa Cardinali Sancti Euſtachii. Scribit Niemius in vita Joannis XXIII. ſed ipſum recuſaſſe, ac reſpondiſſe, quòd illud non expediret, ſed ſibi videretur eſſe magis utile & conveniens ea vice, quòd Petrus de Candia eligeretur in Papam, quia eſſet vir apprimè literatus, & ætate grandævus, ac bonæ famæ, & de Græcla oriundus: ita quod non haberet aliquos ſibi carnis identitate conjunctos, per quos Romana Eccleſia gravaretur. His, ac aliis rationibus perſuaſos Dominos Cardinales, in hunc conſenſiſſe, tradit. Et lib. 3. hiſt. cap. 52. idem Theodoricus Niemius de eodem Alexandro hæc ait: „ Hic fuit natione Græcus, natus in Inſula „ Candiæ, quæ per Venetos occupatur: & ut „ ipſemet, tunc in agone, ſeu in ultimis „ conſtitutus eorum ſuis familiaribus faciendo pulchrum ſermonem, dicebat, nunquam „ novit Patrem, aut Matrem, aut aliquem „ fratrem, ſeu ei carnis propinquitate conjunctum: Sed cùm in pueritia mendicantem victum, quidam Frater Ordinis Minorum Italicus in eadem Inſula recollegit, „ atque in Latino ſermone inſtruxit, & dum „ erat aliqualiter major & aptus, in domo „ Fratrum Minorum in ipſa Inſula cōſiſtente, „ ipſum poſuit, & habitu regulari eorundem „ Fratrum induit: & conſiderans, quòd eſſet „ bonæ indolis, eum ſecùm ad Italiam poſtea „ duxit, in qua in primitivis artibus eruditus, ad ſtudium Oxonienſe in Anglia mittebatur; ubi etiam per plures annos ſtudendo & benè proficiendo, demum acceſſit Pariſios, & tamdiù illic in Philoſophia, & Sacra Theologia ſtuduit, quòd magnus Magiſter in ipſa Theologia factus fuit. Poſt hæc „ veniens ad Lombardiam, & notitiam Joannis Galeatii Ducis acquirens, & ejus promotione atque favore, primò Epiſcopus „ Vicentinenſis, & poſtea Archiepiſcopus „ Mediolanenſis, ſucceſſivè Cardinalis, & „ demum Papa creatus fuit, gradatim ad „ dignitates & honores hujuſmodi aſcendendo. Erat autem iſte Aalexander prius nominatus Petrus de Candia. *Hactenus Niemius*. Noſter Wadingus eum appellat Petrum Philargum. Fuiſſe tunc ſeptuagenarium, ait idem Niemius, ſubditque inſignia ſuæ coronationis recepiſſe in Civitate Piſana Nonis Julii, Anni Domini MCCCCIX. Cæterùm redeundo ad Concili Acta.

150. Electo itaque Alexandro die prædicta, celebrata eſt ſeſſio xx. die Lunæ I. menſis Julii, ipſo Alexandro præſente, in qua ſuæ electionis decretum publicatum fuit, cui omnes Cardinales ſubſcripſerunt. Inde Papa Acta omnia præfati Concilii uſque ad illam diem approbavit; duo illa Cardinalium Collegia in unum univit, cuilibet ex eis ſuo aſſignato titulo: Dixit inſuper, ſe velle vacare pro Eccleſiæ Reformatione. Deinde ordinata fuit ipſius Coronatio ad ſequentem diem Dominicum vii. Julii, & ad diem Mercurii poſt ejus Coronationem protracta eſt altera ſeſſio. Ac ita die x. Julii habita eſt xxi. ſeſſio, in qua inter alia Alexander, ſacro approbante Concilio, abolevit caſſavit, irritavit, & annullavit quaſcumque ſententias, pœnas, ſuſpenſiones, & quaslibet cenſuras latas à duobus contendentibus de Papatu contra quaſcumque perſonas, cujusvis gradus, dignitatis, vel præeminentiæ. Deinde ordinata fuit altera ſeſſio ad diē Mercurii proximè ſequentē.

151. Adveniente antedicta die xvii. Julii, celebrata eſt ſeſſio xxii. in qua Alexander Papa, ſacro approbante Concilio, omnes & ſingulas promotiones, tranſlationes, confirmationes, collationes, & quaſcumq; proviſiones quibuſuis perſonis pendente ſchiſmate, Concilio tamen adhærentibus, ratificavit, ap-

approbavit, rataſque habere voluit, confirmans, & ejuſdem generis alia plura: contra verò pertinaces non adhærentes Concilio, ſed, aut Petro de Luna, vel Angelo Corario, procedendum eſſe decrevit. Arretagia Eccleſiarum nondum Cameræ Apoſtolicæ ſoluta, pſque ad eam diem liberè condonavit. Declaravit inſuper, non intendere fructus medii temporis vacantium beneficiorum impoſterum reſervare; nec ſpolia morientium Prælatorum recipere. Deinde in eadem ſeſſione indictum eſt aliud Generale Concilium poſt triennium, hoc eſt Anno MCCCCXII. celebrandum: Ac denique nonnullis aliis ſtabilitis atque firmatis, indictaque futura ſeſſione ad diem VII. Auguſti, dimiſſa eſt ſeſſio.

152 Die ergo prefata Auguſti menſis VI. iterum Patres unà cum Pontifice convenerunt, & celebtata eſt ſeſſio XXIII. ejusdem Concilii ultima: Sancitumque in ea, ut bona immobilia, tum Romanæ Eccleſiæ, tùm aliarum Eccleſiarum uſque ad proximum Concilium, nec alienentur, nec hypotecentur. Itemque, ut ante Generale Concilium fierent Concilia Provincialia. Similiter, ut ad Reges, & Principes ſolemnes deputarentur Nuncii ad publicanda Acta Concilii. Ac denique nonnullis aliis ſalubribus editis Decretis: conceſſa eſt univerſis præſentibus, ac cunctis aliis fidelibus Chriſtianis Concilio adhærentibus Indulgentia Plenaria omnium peccatorum ſemel conſequanda infra duos menſes à recepta præfatæ conceſſionis notitia; ac inde dimiſſa eſt ſeſſio, ipſumque Concilium ſolutum eſt.

153 De hujus Concilii validitate ſatis à multis dubitatum eſt, nec defuerunt, nec deſunt aſſerentes magis dicendum Conciliabolum, quàm Concilium œcumenicum, utpote non Pontificis auctoritate convocatum, immò contra Pontificem, & ipſomet Pontifice reclamante, maximè Gregorio XII. qui pro vero ac legitimo habebatur Pontifice: & ſecundùm Eccleſiaſticas regulas, ſine Romani Pontificis anctoritate Concilia Generalia celebrari non poſſunt: Id quòd Julius Papa I. in Epiſtola I. ad Orientales §. I. palàm teſtatur, inquiens: „ Ipſi verò primæ Sedis Eccleſiç convocandarum generalium Synodorum jura & judicia Epiſcoporum ſingulari privilegio Evangelicis, & Apoſtolicis „ atque Canonicis conceſſa ſunt inſtitutis, „ *Et* §. 2. Porrò dudum à Sanctis Apoſtolis, „ ſucceſſoribuſque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta & univerſalis Apoſtolica tenet „ Eccleſia, non oportere præter Sententiam „ Romani Pontificis Concilia celebrari. *Et* „ *Epiſt.* 2. *in principio*: Nicæni magni Concilii deſtructionem feciſtis, aut cur nobis „ inconſultis Epiſcopos in eam convocaſtis, „ ad quam nec Maximus Hieroſolymitanus „ venit, nec noſtra interfuit legatio, Canonibus quippe in Nicæna Synodo jubentibus, non debere præter ſententiam Romani Pontificis ullo modo Concilia celebrari. *Hæc Julius*, & habentur *diſt.* XVII. *Cap. Regula, & cauſa 3. quæſt. 6. Cap. Dudum*. Et Pelagius Papa II. Epiſt. 8. ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum: *Cùm Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari privilegio ſit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica auctoritate non fuerit fulta.* Hinc Synodum à præfato Joanne Conſtantinopolitano indictam, conventiculum, non Concilium appellat, Acta & in ea univerſa geſta, caſſat, annullat, & prorsùs irritat, prout etiam habetur eadem diſt. XVII. cap. Multis; citatis namque verbis Chriſti Domini Petro: *Quæcumque ligaveris &c.* ſubjungit in eadem Epiſtola Pelagius: „ Multis denuò Apoſtolicis & Canonicis, atque Eccle„ ſiaſticis inſtruimur regulis, non debere „ abſque ſententia Romani Pontificis Con„ cilia celebrari: quapropter, ut jam di„ ctum eſt, rectè non Concilium, ſed ve„ ſtrum Conventiculum, vel Concilabolum „ caſſamus, & quidquid in eo actum eſt, „ irritum habetur, & vacuũ. *Hæc ibi*. Quibus attentis regulis, Paſchaſinus, & Lucentius Apoſtolicæ Sedis Legati, ac Synodi Chalcedonenſis Præſides, ac vices in ea Sancti Leonis Papæ gerentes, petierunt in prima Actione, Dioſcorum Alexandrinum à Concilio eiici, *aut ille egrediatur, aut nos eximus*: nec permiſerunt illum cum Patribus conſedere, rationem & cauſam allegantes, dixerunt: *Iudicii ſui neceſſe eſt eum dare rationem, quia cùm perſonam judicandi non haberet, præſumpſit, & Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Id porrò quod in contrarium adduci ſolet de Imperatoribus, qui prima Generalia Concilia convocarunt, ut Nicæna prima à Magno Conſtantino; Conſtantinopolitana & Secunda Generalis à Theodoſio ſeniore; Epheſina Generalis tertia à Theodoſio juniore, Chalcedonenſis quarta œcumenica à Marciano; & ſi quæ aliæ dicuntur ab Imperatoribus indictæ, id factum eſſe de Romani Pontificis aſſenſu, cùm conſtet ſuos miſiſſe Legatos, eoſque nomine Romani Pontificis iiſdem Synodis præfuiſſe, quod non eveniſſet, ſi ipſo diſſentiente, convocata fuiſſent, nec acta confirmaſſet, ſicut accidit in aliis Conciliabolis neſciente, aut non conſentiente Pontifice coactis, quorum acta nedum non fuere à Romanis Pontificibus confirmata, verùm reſciſſa, irritata, & annullata. Et licèt non conſtet, Romanum Pontificem Legatos miſiſſe ad Synodum Conſtantinopolitanam primam, ſatis eſt, quòd Acta confirmaverit, ut probetur non ipſo diſſentiente coactam: & ad ſuum valorem ſufficit pariter, ut ratam habuerit. Ad rem faciunt

cap.Non ad fidem, & cap.Vbinam legiſtis . diſt. 96. & ferè omnia , quæ in eadem diſtinctione habentur . Cæterum conſtat , ut diximus , Piſanam Synodum non à Pontifice indictam , non Pontificia auctoritate coactam , non conſentiente Pontifice , non ratam ab eodem habitam , nec confirmatam , ſed magis contra expreſſam voluntatis Pontificia , tam Gregorii XII. Angeli Corarii, quàm Benedicti XIII. Petri de Luna , utroque palàm reclamante , adeout unus Perpiniani contra Piſanam , alter in Provincia Aquileienſi , vel in Archiepiſcopatu Ravennatis Synodũ convocaverint .

254 Verùm hæc jura valere , quando eſt unus in Eccleſia indubitatus Papa , cõmuniter conſentiunt omnes , ſed in caſu ſchiſmatis , in quo ſunt plures contendentes de Papatu , nec eſt certum, quis ex duobus ſit verus Papa graviſſimi Doctores ſentiunt,ad præfatum tollendũ ſchiſma,Cardinalium Collegium poſſe convocare Conciliũ,ſicut accidit in caſu de Concilio Piſano , à Cardinalibus utriuſque obedientiæ indicto , causâ abolendi inveterati ſchiſmatis : ac præcipuè , quando ipſi contendentes nolunt congregare Concilium . Et ratio potiſſima illa videtur eſſe ; quoniam id quod eſt introductum in ſavorem Eccleſiæ, in ejus damnum vergere non debet:poteſtas præfata congregandi Concilium Generale Romano Pontifici conceſſa , in Eccleſiæ favorem conceſſa eſt : ergò non eſt præſumanda adeo reſtricta & limitata ad perſonã Romani Pontificis , ut nemo alius in aliquibus caſibus poſſit Concilium congregare , ut periclitanti ſuccurratur Eccleſiæ , dum alia non ſuppetit ſuccurendi , niſi per Concilium Generale , & Romanus Pontifex , aut nollet , aut negligeret congregare , aut inutiliter ipſe congregaret , quia fortè non omnes parerent . Proinde Joannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius in quodam tractatu de abolendo ſchiſmate per viam Concilii Generalis , inſerto par.4. ſuorum operum , in propoſitione VIII. tres caſus aſſignat , in quibus tradit, poteſtatem convocandi Concilia Generalia eſſe in ipſa Eccleſia ſine Papa : videlicet , ſi vacante Sede eſſet nova aliqua exorta hæreſia , vel gravis Eccleſiæ perſecutio , cui nonniſi per Generale Concilium eſſet obviandum : vel ſi aliqua gravis urgeret neceſſitas convocandi Concilium , & tunc Papa eſſet furioſus , vel evaderet hæreticus, vel inutilis ad hoc,vel inſufficiens eſſet: & requiſitus,ut Concilium convocaret , recuſaret , aut damnabiliter negligeret : tertius caſus , ſi plures eſſent contendentes de Papatu , ita quòd nulli eorum tota obediret Eccleſia , nec ad alicujus eorum , aut amborum ſimul vocationem competeret , ſicut eſſe videtur in ſchiſmate præfato : *In his igitur* , concludit Gerſon, *aut ſimilibus caſibus , clarè patet ex præmiſſis , quòd abſque auctoritate Papæ, poſſet , & deberet Eccleſia Generale Concilium celebrare* : quoniam , ut in propoſitione IX. ſubjungit , jura poſitiva , quæ communiter dicunt, quòd abſque Papæ auctoritate non eſt fas Generale Concilium congregare , debent civiliter intelligi , quando ſcilicet , eſt unicus Papa concorditer ab Eccleſia receptus , ad congregandum Concilium hujuſmodi, occurrente gravi neceſſitate , vel evidenti utilitate , idoneus , & paratus , ſecus verò, quando non eſt Pontifex in Eccleſia , vel ſi eſt, eſt dubius , vel ſunt duo contendentes, vel ſi unus certus, eſſet furioſus,inhabilis,vel incapax ad congregandum Concilium , vel damnabiliter negligens , vel apertè recuſans , unde Eccleſia poſſet ex carentia Concilii graviter periclitari , in quo caſu locum habet Ariſtotelis doctrina & regula tradita in Ethicis , ubi loquitur de Epikeja .

255 Nec præfatæ opinioni diſſentiunt Doctores : nam Baldus relatus à Jacobatio lib.3. de Conciliis , docet , quòd quando eſt congregandum Concilium contra Papam , quia tractatur de ejus exauthoratione , non requiratur ejus auctoritas , quia ipſe veriſimiliter nunquam congregaret : & hoc præcipuè in caſu ſchiſmatis, immò idem Jacobatius dicit, Baldũ *in cap.olim de Reſcripſis*. ubi hanc doctrinam tradit , loqui propriè in eo caſu, quando erant duo Pontifices contendentes de Papatu. Et Ægidius *in Clem.Dudum, in princip. in verſic.* IV. *Nem de Sepult.* dicit , quòd ſi Papa non eſt unus , certus , & indubitatus , ſed dubius , vel notorius hæreticus , vel non poſſeſſor , nec receptus , tunc poteſt ſine eo Concilium congregari , & cognoſcere , & judicare de Papa: ut *in cap. ſi duo diſt.*79. ubi dicitur : „ Si duo fortè contra fas , temeritate „ concertantium fuerint ordinati , nullum ex „ his futurum penitùs Sacerdotem; ſed illum „ ſolum in Sede Apoſtolica permanſurum , „ quem ex numero Clericorum , nova ordi„ natione divinum Judicium , & Univerſita„ tis conſenſus elegerit. *Et diſt.*XXXX. ſi Papa ubi habetur , quòd tunc ſolum Papa eſt judicandus , quando deprehenditur *à fide devius* . Itaque in caſu, quòd Papa ſit dubius , de quo vertitur præſens controverſia , ſine Papæ auctoritate poſſe Concilium congregari , tradit præfatus Ægidius : Et rationem allegat, quia non eſt veriſimile,quòd Chriſtus aſcendens in Cœlum, caſum iſtum reliquerit indeciſum. Et ideo dicit,quod jura alleg.*diſt.*17. ubi dicitur, quòd Concilia generalia non celebrentur ſine auctoritate Papæ & mandato , non habent locum in præmiſſis caſibus , ubi ſupponitur inevitabilis neceſſitas Eccleſiæ, cui ſubveniri,nec provideri poteſt , niſi per Concilium Generale . Ipſe porrò Jacobatius ſuam firmans ſententiam loco cit.§. *Quod autem iſta* , ait, quòd quando duo contendunt de Papatu , congregatio Concilii ſpectat ad aliam tertiam perſonam , ſi contendentes detrectant : & addit , quòd eo in caſu . vel per Imperatorem congregabitur Concilium,vel per Regem, vel per

quem-

quemcumque catholicum. Et quoniam Alexander in *cap. Synodum diſt.* 17. tradit, quòd in eo caſu congregatio Synodi non ſpectet ad Cardinales, qui ſunt diviſi in obedientia, ac proinde ſuſpecti, idem Jacobatius ſubnectit, quòd hæc ratio locum habet, quando manent diviſi: ſecus verò ſi Cardinales utriuſq; obediētiæ conveniant in congregando, ut accidit in Concilio Piſano. Verba ejus ſunt: Et quod dixi, *quòd quia Cardinales ſunt ſuſpecti, eo caſu alius congregabit Concilium, intelligo, niſi tunc omnes convenirent in congregando; quia tunc poſſent ipſi congregare ſaltem per modum requiſitionis: ut fuit factum in Concilio Piſano tempore Gregorii XII. & Benedicti XIII.* Et infra addit: *Et licèt idem Baldus in cap. Quapropter, de Elect. videatur velle, quòd in materia ſchiſmatis iſta poteſtas congregandi ſpectet ad Cardinales, intelligo etiam, ut ſupra dictum eſt, quando eſſet ſchiſma, & Cardinales omnes eſſent concordes, vel utriuſque partis major pars invicem concordarent.* At qui major pars Cardinalium utriuſque obedientiæ Conciliū Piſanum congregavit in cauſa ſchiſmatis, ſequitur igitur, legitimè fuiſſe coactum, licèt ſine Papæ auctoritate.

256 Ad rem etiam idem Gerſon loco ſupra cit. in x. Propoſitione ait: „ Pro ſedando „ præſenti ſchiſmate, abſque auctoritate Pa„ pæ, immò ipſo contradicente, poteſt aucto„ ritate Univerſalis Eccleſiæ Gen. Concilium „ congregari, & non ſolùm per DD. Cardina„ les convocari, ſed etiam in caſu per quoſ„ cumq; fideles, ſpecialiter majores & poten„ tiores, qui vel auctoritativa poteſtate, vel „ charitativa admonitione, ſcirent & poſſent, „ ad executionē cooperari. *Hæc ille*, qui hanc concluſionem probatam ſupponit ex his, quæ ipſe tradit in Propoſit. 111. & iv. In tertia namque ſupponit, Eccleſiam à Chriſto immediatè poteſtatem habere, & auctoritatem, ut ad ſuam unitatem conſervandam ritè valeat ſeipſam ad Generale Concilium, Ipſam repreſentans congregare. In quarta porrò vult, naturali etiā jure convenire Eccleſiæ in præmiſſis caſibus hanc poteſtatem: quia quodlibet naturale corpus naturaliter reſiſtit ſuæ diviſioni, & diſtractioni: & ſi ſit corpus animatum, naturaliter congregat omnia membra, omneſque vices ſuas, ad conſervandam ſuam unitatem, & repellendam ſuam diviſionem. Et ſimili quoque modo, ait, eſt quodlibet corpus civile, ſeu civilis communitas, vel politia ritè ordinata. Unde concludens ait: „ Ideoque corpus ſpirituale, ſeu myſticum „ Eccleſiæ Chriſtianæ, quod ordinatiſſimè „ compoſitum eſt (ipſa quidem Eccleſiaſtica „ politia in canticis deſcribitur, *velut Caſtrorum acies ordinata*) ſimili jure uti pote„ rit ad ſuam unitatem conſervandam, & „ quamlibet ſchiſmaticam diviſionem repel„ lendam tanquam ſuæ ordinationis deſtru„ ctivam. *Hæc ille*.

257 Cæterùm aliqui putarunt poſt Papam ad Imperatorē ſpectare Concilium congregare, non ad Cardinales: quam ſententiam tenuit Barbatius *in cap. Quod tranſlationem, de officio Legati*. Ea præſertim ratione, quia cùm olim ipſis eſſet onus congregandi, & poſtea fuerit ſtatutum, quòd Papa impoſterum congregaret, ſequitur, quòd Papa noleute congregare, ſpectet ad Imperatorem, non ad Collegium. Sed fallit hic Juris Conſultor, nam ſupponit olim de jure ſpectaſſe ad Imperatorem Concilia œcumenica congregare, ablato eis poſtea hoc jure per novas regulas & leges tribuentes hanc auctoritatem Romano Pontifici: quod quidèm falſum eſt: Hæc quidem poteſtas ratione primatus ſuper univerſam Eccleſiam ſoli Romano Pontifici fuit conceſſa: Hanc non recepit per Canones Eccleſiaſticos, vel aliquo Generalium Conciliorum Decreto, ſed immediatè à Chriſto Domino in Petro, cui totius Dominici Gregis curam commiſit, & Claves ſolvendi & ligandi tribuit: Decreta verò Conciliorum nihil de novo ſtatuunt, nihilque plus concedunt in hoc, quod Papa non habuerit, declarant ſolùm Papæ competere præfatam poteſtatem, utpotè Eccleſiæ Capiti: unde magis editi ſunt præfati Canones ad oſtendendum, nulli alteri competere, quàm Papæ, potius quàm ut Papæ tribuant facultatem & auctoritatem, quam non habebant. Si verò Imperatores aliquandò Concilia Generalia indixerant, non ſua auctorirate id fecerunt, ſed auctoritate Papæ, & de Papæ mandato, & conſenſu, vel expreſſo, vel tacito: nam extat jus contrarium in *cap. Ubinam legiſtis diſt.* 96. Hinc Valentinianus Imperator, teſte Sozomene lib. 6. cap. 7. rogatus ab Epiſcopis, ut eis Concilium celebrare permitteret, reſpondit: *Mihi, qui ſum in ſorte plebis, fas non eſt talia curioſius perſcrutari: Sacerdotes, quibus iſta curæ ſunt, quocumque voluerint loco, conveniant*.

258 Itaque univerſa œcumenica Concilia à Romanis Pontificibus indicta dicuntur, vel per ſe Epiſcopos convocando, vel per Imperatores, vel convocationi per alios factæ conſenſum adhibendo, quia, ut Pelagius Secundus ait: *Generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apoſtolicæ Sedi Beati Petri ſingulari privilegio tradita eſt*. Indixerunt utique quaſdam Synodos Imperatores, ut fatl ſumus, conſentiente, vel non contradicente Romano Pontifice, ut Eccleſiæ laboranti ſuppetias ferrent, ut ipſi opitularentur, ut Canonum ſe executores, ac tutores demonſtrarent: non ob auctoritatem regiminis, ſed præſidii, ut Magnus Conſtantinus fecit indicendo Synodum Nicænam, procurans, quæ ad Eccleſiæ pacem ſpectabant, *tanquam Communis Epiſcopus*, ut eum vocat Euſebius. Et quidem neceſſe erat prioribus Eccleſiæ ſæculis Chriſtianorum Imperatorum aucto-

auctoritatem ad Synodorum convocationem interponere, quia Eccleſia carebat temporali Dominio, neque alicujus Provinciæ, aut Urbis Imperium obtinebat: neque Republica erat in Eccleſia, ſed ipſa Eccleſia, ut Optatus Milevitanus loquitur, erat in Republica: ac ideo neceſsè erat, ut Imperatores locum aliquem & Urbem Imperii ſui ad Concilium celebrandum aſſignaretur. Publicis inſuper expenſis deducebantur, reducebantur, & alebantur Epiſcopi, unde emanavit uſus *literarum Tractoriarum*. Hæc namque exigebant Imperatorum auctoritatem. Ac denique cautum erat Imperialibus legibus, nè abſque Imperatorum licentia conventus fierent. Nunquam verò coacta ſunt Concilia ab Imperatoribus, ut auctoritatem ab illis mutuarentur: & ideo meritò Athanaſius in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes exclamat. *Quando unquam Judicium Eccleſiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* Sed ut ab eis protectionem obtinerent, ac eorum poteſtate freti Epiſcopi, Hæreticorum faciliùs frangerent contumaciam.

259 In caſu ergò, de quo agimus, quando Papa eſt dubius, vel duo contendunt de Papatu, ſecundùm allegata à Jacobatio, loco ſupra citato, cùm immineat Eccleſiæ periculum, ſi Papa non congregaret Concilium, vel ambo contendentes, concorditer non congregarent, ſed detrectarent, devolvitur, non ad Imperatorem congregatio Concilii, ſed ad Collegium Cardinalium, per textum *in cap. Ubi periculum, de elect.* §. *Iidem quoque*. Petendo à Pontifice, ut ſuam auctoritatem præſtet, illo verò negante ſe velle præſtare auctoritatem, vult, quòd Concilium ipſum in tali caſu poteſt ſupplere illius vices, pronunciando ſe legitimè congragatum, ut ex Felino *in cap. ſuper literis, de Reſcript.* Immo ſecundùm Roſellum, Concilium pronunciare poſſet Papam eſſe de hæreſi ſuſpectum, Cardinalibus verò detrectantibus Concilium congregare, ſuccedere Imperatorem, ait idem Jacobatius, poſt Imperatorem verò, cæteros Prælatos, petita, licèt non obtenta, licentia à Papa. Idem tradit Petrus à Monte in ſua Monarchia §. *ſecundo quæro*, ubi cum Cardinali Florentino in *cap. licet, de electione*, aſſerit, quòd duo contendentes de Papatu, inſtante Imperatore, ſeu ad inſtantiam Imperatoris congregare debent Concilium: nam ipſius Imperatoris videtur intereſſe, ut ſit pax in Urbe Romana, & in toto Mundo, & in Eccleſia: cùm ipſe debeat eſſe fidelis advocatus & defenſor, *ut cap. Venerabilem, de elect.* pax autem tunc haberi non poteſt per ſciſſuram Eccleſiæ inter duos Pontifices contendentes, juxta illud: *Omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur; & Domus ſupra domum cadet*: & præcipuè ſi ambo contendentes ſunt in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione: nam tunc inſtante Imperatore, quilibet habebit congregare eos, qui ſunt de ſua obedientia. Subjungit poſtea, quòd nolentibus ipſis contendentibus Concilium convocare, non obſtante Imperatoris inſtantia, ſuccedunt Domini Cardinales, videlicet Collegium Cardinalium, ad quod in tali caſu ſpectaret congregare Concilium: nam convocatio Concilii Generalis, in poſito caſu, eſt neceſſaria ad finem, ut deveniatur ad unum verum & Summum Pontificem: At Collegium Cardinalium eſt in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione eligendi Romanum Pontificem, per jura in *cap. licet eo, de elect. Et cap. ubi periculum, in 6. & cap. fin. diſt. 65.* ubi Gloſa. Dicit inſuper, quòd ſi Collegium eſſet diviſum, nec concordarent in congregando Concilio, vel negligerent, & detrectarent, tunc populi poſſent congregare Epiſcopos vicinos, vel loco populi ipſe Imperator haberet Concilium convocare, ut Cardinalis Florentinus citatus docet.

260 His ergò prælibatis, plurimi contendunt non defuiſſe Concilio Piſano legitimâ auctoritatem pro ejus convocatione. Duo erant Pontifices contendentes, & ſchiſma inveteratum, plures viæ adhibitæ fuere ad tollendum ſchiſma, ſed inutiles. Ambo erant in quaſi poſſeſſione, quoniam quilibet habebat populos ſibi ſubditos, & obedientes: Tentata eſt via ceſſionis extra Concilium, ſed fruſtrà: nec unus, nec alter Concilium convocare procuravit, immò Petrus de Luna, Benedictus XIII. obſtitit ſemper convocationi Generalis Synodi. Unde Collegium Cardinalium potuit legitimè Concilium convocare, præcipuè cùm Cardinales de utriuſque obedientia in hoc conveniſſent, paucis exceptis: quia tunc erant in quaſi poſſeſſione eligendi unum, verum, & legitimum Romanum Pontificem: quorum erat providere Eccleſiæ de legitimo Paſtore. Nec obſtat, ſi dicatur, tam Benedictum, quàm Gregorium Concilium inde convocaſſe: quoniam in hujuſmodi convocatione non fuere concordes. Gregorius namque, ut indicant ejus literæ datæ Lucæ VI. Nonas Julii, incipientes, *Cum tota*, indixit poſt Cardinalium receſſum Concilium celebrandum in Provincia Aquilejenſi, & Exarchatu Ravennatenſi, nullo determinato loco: *Ad feſtum Pentecoſtes immediatè ſequentes*, inquit, *& in Provincia Aquilejenſi, & Exarchatu Ravennatenſi, divino auxilio invocato, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore indicimus, & etiam convocamus*. Benedictus verò convocavit Concilium Perpiniani in Provincia Cataloniæ, ut tradit Theodoricus Niemius lib. 3. ſchiſm. cap. 36. & patet ex publico Inſtrumento dato die V. Decembris MCCCCVIII. inter acta Conciliorum, apud Labæum tom. XI. par. 2. pag. 2112. ac ideo non videbantur indicta ad auferendum ſchiſma, ſed magis ad illud confirmandum

ut

ut exitus acta probavit, ac geſta præfatorum Conciliorum oſtendunt. Et ita mihi concludendum videtur, Piſanum Concilium non eſſe infirmandum ex defectu legitimæ convocationis, quaſi convocatum à non habente auctoritatem.

261 Et ſanè nemo dubitat de Synodo Conſtantienſi, univerſi namque Doctores, & ipſa Sancta Romana, Catholica, & Univerſalis Eccleſia, ut œcumenicam & legitimam recipit: atqui in Concilio Conſtantienſi non fuit abrogata auctoritas Concilio Piſano, ſed magis recepta: nam in actis præparatoriis habitis in Palatio, cùm ex parte nationis Italicæ cedula quædam exhibita fuiſſet, in qua concludebatur, quòd in Concilio ageretur primò de confirmatione Piſani Concilii, & executione, ut videre eſt in Appendice præfati Conſtantienſis Concilii apud Lahæum, ad calcem tom. 12. Concil. pag. 1434. Cardinalis Cameracenſis aliam contrariam exhibuit cedulam, in qua inter alia dicebat: *In præſenti Concilio non eſt revocandum in dubium, ſed pro fundamento ſupponendum, quòd Concilium Piſanum fuit legitimè & canonicè celebratum, ac ideo ſtabilem & firmum*. Item: *Concilium Piſanum, & præſens Concilium unitate continuationis cenſeri debent unum Concilium: quare iſtud reſpectu illius non habet propriè auctoritatem confirmandi, ſeù roborandi, ſed magis contra, cùm hoc ab illo dependeat*. Et in alia cedula exhibita à Cardinale Sancti Marci, ut in eadem Appendice habetur, ſupponitur pro certo, Concilium Piſanum fuiſſe legitimum: *Nec dubitandum*, inquit, *quin Generale Concilium ſit Judex competens in hac parte; alioquin Piſanum Concilium viribus non ſubſiſteret, in quo eadem auctoritate, & ex eiſdem cauſis radicalibus fuit judicatum*. Eadem acta referunt, fuiſſe quandam ſchedulam ab aliquibus, pro conſcientiæ ſerenitate, ut aſſerebant, exhibitam, in qua diverſæ quæſtionos definiendæ proponebantur, & primò, *ſi Concilium Piſanum fuit legitimè, & canonicè convocatum*. Inde: *Si fuit ritè & canonicè celebratum*. De quibus dicitur, ſanæ mentis viros minimè dubitaſſe. *Nunc autem*, inquiunt acta præliminaria, *à quibusdam eorum quæritur ſerenatio, & veritatis, quæ impugnatur ſolidatio; unde per modum quæſtionis tituli aliqui ſubſequuntur, qui ſanos habent mentis oculos, minimè dubitent, ſi Concilium Piſanum fuit legitimè & canonicè convocatum*. Et ſequuntur aliæ quæſtiones. Item illi iidem, qui has quæſtiones propoſuerunt, adulatores magis, quàm veritatis indagatores, ut eadem acta innuunt, in tertia ſchedula ab eis exhibita, in qua reprobabant viam ceſſionis, hoc eſt, aſſerebant pro pace Eccleſiæ non eſſe in Concilio procedendum per viam ceſſionis, inter alia pro ratione allegabant, præfatam viam eſſe reprobativam Concilii Piſani, & per hinc per eam non eſſe procedendum, ſupponentes pro certo, eſſe recipiendum Concilium Piſanum, nec ei, vel ejus auctoritati derogandum: „ Via ceſſionis, *inquiunt*, quæ D. Noſtro proponi„tur pro reformatione & unione unius, ac „univerſalis Paſtoris, indubitati, tanquam „melior & brevior certis viis, quæcumque „videntur eſſe, & eſt irrationabilis, & in„juſta plurimas propter cauſas, & hoc pri„mò quo ad Concilium Piſanum, & ſecun„dò quo in ſe, & ad ſeipſam. Primò quo „ad Concilium Piſanum eſt irrationabilis & „injuſta, quia eſt reprobativa, & annulla„tiva ipſius Concilii Piſani: nam ex hoc, „quod S. D. N. per præſens Concilium in„ducitur ad cedendum, & cedere, ſtatim „datur intelligi, & monſtratur, quòd ip„ſum Concilium Piſanum fuit nullum & il„legitimè celebratum, & per conſequens „ipſe Dominus Noſter non eſſet verus Papa, „ideo tanquam injuſtus, & non verus debe„ret cedere. *Hæc ille*. At Cardinalis Cameracenſis reſpondens hujuſmodi rationi, inter plura dixit: „ Quòd conſulere Domi„no noſtro Joanni Papæ XXIII. acceptare „& offerre dictam viam ceſſionis in caſu, quo „ex hac oblatione ſequeretur perfecta pax, „ſeu unio Eccleſiæ, non eſt æquiparare ve„rum Summum Pontificem hæreticis per „Eccleſiam condemnatis, nec Sacro Piſano „Concilio ſtabili & firmo in aliquo præju„dicare, ſed magis intentionem ac finem di„cti Concilii confirmare, ipſumque Domi„num Noſtrum ſuper prædictos contenden„tes exaltare, & ipſos deprimere. *Et in no„na ratione, ait*. Qui nunc reprobant viam „ceſſionis, dicentes eam eſſe irrationabilem, „illegitimam & injuſtam ſecundùm ſe, & ad „ſeipſam ſecundùm rationes juris indocunt „fundamentum Piſani Concilii, ipſiusque „robur infirmant, & totam hanc obedien„tiam ſcandalizant. *Hæc Cameracenſis*.

262 Deinde in antefatis præliminaribus, propoſita quæſtione, quinam eſſent admittendi in Concilio ad definiendum, an ſoli Epiſcopi, & Prælati majoris, ac Abbates, an etiam Doctores, & alii inferioris Ordinis, prætendentes nonnulli primos dumtaxat admittendos: ſed Cardinalis Cameracenſis, Doctores Sacræ Theologiæ, ac juris Canonici, & Civilis, non eſſe à præfato Concilio excludendos probavit exemplo Concilii Piſani, & Romani, ac eos velle excludere, eſſet reprobare Concilium Piſanum: *Sed in Concilio Piſano & Romano eorum auctoritas allegatur, & in diffinitiva ſententia ſe ſubſcribunt. Quare eos in ſimili excludere per præſens Concilium, quod eſt dicti Piſani continuativum, non ſolùm eſſet abſurdum, ſed dicti Concilii Piſani quodam modo reprobativum*. Hinc & Cardinalis Sancti Marci pariter exemplo Concilii Piſani, inter alia, probavit non eſſe Doctores excludendos à voce in præſato Conſtan-

ſtantienſi Concilio, cùm eſſet continuativum prædicti Piſani, & ab eo vires acciperet: *Quinimmò*, inquit, *vide Piſanum Concilium, quod & iſtud idem reputatur, reperiet in illo centum penè tales, maximè Doctores, & Licentiatos admiſſos auctoritativè, & ſubſcriptos in ſententia lata contra Petrum de Luna, & Angelum. Cùm in iſto, quod ab illo vires accipit, aliud contrarium cenſeas, non video.*

263 Apparet ergò, multum in præliminaribus Concilii Conſtantienſis actum de Concilli Piſani robore, habitumque pro legitimo & valido, cui etiam inhærendo Joannes XXIII. convocavit Conſtantienſe Concilium, ut ex ejus Bulla data Laude v. Idus Decembris, ſui Pontificatus Anno IV. incipiente: *Ad pacem & exaltationem Eccleſiæ*, ubi ait: *Dudum ſiquidem fælicis recordationis Alexander Papa V. anteceſſor noſter, in ſacro Generali Piſano Concilio tunc præſidens, ex quibusdam magnis & arduis cauſis eundem moventibus, ipſo approbante Concilio, inter cætera decrevit, iterum Generale Concilium ex tunc ad terminum per ſe, vel ſucceſſorem ſuum, in loco, de quo ſibi, vel eidem ſucceſſori videretur, fore ſolemniter convocandum.* Et hoc ſuppoſito fundamento de valore Concilii Piſani, & robore, inchoatum eſt Concilium Conſtantienſe: unde in exordio præfati Conſtantienſis Concilii, ejus acta ſic ſe habent:
„ Ad laudem Omnipotentis Dei, & Incre-
„ mentum ſtatus, tranquillitatis, & pacis
„ univerſalis Eccleſiæ Sanctæ Dei, cùm
„ Sanctiſſimus Dominus noſter D. Joannes
„ divinâ providentiâ Papa XXIII. paterna
„ pietate reſpiciens in Civitate Laudenſi,
„ v. Idus Decembris, Pontificatus ſui Anno
„ V. continuando ſacrum Piſanum & Gene-
„ rale Concilium ſuper reformatione ſtatus
„ ejuſdem Eccleſiæ, de Venerabilium Fra-
„ trum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ Cardinalium conſilio indixerit iterum Ge-
„ nerale Concilium hujuſmodi celebrandum
„ in hac Civitate Conſtantienſi Provinciæ
„ Moguntinenſis, in proximis Kalendis No-
„ vembris inchoandum, ipſum Piſanum Con-
„ cilium rursùs continuaturus, intimat de
„ eorundem fratrum conſilio, quòd initia-
„ bit dictum futurum Conſtantienſe Con-
„ cilium, Deo favente, die Sabbati mane
„ proximè futura, in hac Eccleſia Conſtan-
„ tienſi. *Hactenus intimatio Concilii*. Et in prima ſeſſione, præſidente eodem Joanne Papa, Cardinalis Florentinus, ideſt Franciſcus tituli Sanctorum Coſmæ & Damiani, ante omnia legit ſchedulam, quæ in exordio hæc continebat: *Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam*: „ Inten-
„ dentes ad executionem eorum, quæ per
„ fœlicis recordationis Alexandrum Papam
„ V. Prædeceſſorem noſtrum in Piſano Con-
„ cilio Decreta fuerunt circa convocationem
„ Concilii Generalis iterum faciendam, dum
„ alias præſens Concilium convocavimus
„ per literas noſtras, quarum tenorem hic
„ duximus inferendum. *Sequitur inde Bulla convocationis*. Et ita evidenter conſtare videtur, Conſtantienſe Concilium recepiſſe ut legitimum, & canonicum Piſanum Concilium, immò unicè in eo ſundatum fuiſſe. Unde in quadam ſeſſione habita die XVI. menſis Februarii, relata in Appendice citata apud Labæum, ejectio facta Petri de Luna, & Angeli Corarii à Papatu, fuit approbata, unde decretando dictum fuit: *Et attendatur ex nunc innovetur, & aggravetur proceſſus Piſani Concilii, contra dictos damnatos, ſuſpendendo tamen effectum proceſſus uſque ad tempus, quod dabitur eis ad ceſſionem.*

264 Accedit inſuper, quòd Alexander V. Acta Concilii Piſani confirmavit. Extant literæ ejus pro confirmando Concilio datæ Bononiæ ſecundo Kal. Februarii, ſui Pontificatus Anno I. incipientes, *Rerum omnium ſummus*, apud Labæum tom. XI. Conciliorum, par. 2. pag. 2303. In quibus enarrata ſerie geſtorum pro abolendo ſchiſmate, & quomodo duo illi contendentes concordare noluerant, ſubjungit, per eosdem Cardinales fuiſſe ritè Concilium convocatum: *Convocato igitur per eosdem ritè hujuſmodi Generali Concilio ad Civitatem Piſarum.* Et in fine acta confirmando, ait: „ Nos itaque, qui poſtea
„ fuimus, divina favente clementia, ad api-
„ cem Apoſtolatus aſſumpti, de conſilio Ve-
„ nerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Ro-
„ manæ Eccleſiæ Cardinalium, prædictam
„ ſententiam, & omnia alia & ſingula, quæ
„ per Concilium hujuſmodi pro tollendo
„ ſchiſmate prædicto, redintegratione me-
„ morata, facta fuerunt, utpotè providè,
„ & tantorum Venerandorum Patrum, im-
„ mò univerſalis Eccleſiæ, auctoritate, &
„ concordia facta, rata habentes & grata,
„ & auctoritate Apoſtolica, & certa ſcien-
„ tia approbamus, & præſentis ſcripti pa-
„ trocinio communimus. Decernentes, non
„ minoris exiſtere vigoris & firmitatis hu-
„ juſmodi ſententiam, necnon omnia & ſin-
„ gula acta, & actitata in eodem generali
„ Concilio in hac parte, quàm fuerunt, &
„ ſunt alia Concilia in diverſis arduis nego-
„ tiis ipſius Eccleſiæ celebrata. *Hæc Alexander*. Si porrò quis diceret, hujuſmodi confirmationem nullius eſſe roboris, utpotè à Pontifice in eodem Concilio electo, ac proinde non certo, & legitimo, oportet etiam dicat, nec Joannem XXIII. fuiſſe legitimum Pontificem; quo conceſſo, ſequi neceſſe eſt, nec Concilium Conſtantienſe fuiſſe legitimũ Conciliũ, indictum à præſato Joanne XXIII. utpotè non à vero, & legitimo Romano Pontifice. Atqui Doctores non dubitant de hoc Concilio, quod ab univerſis inter œcumenica connumeratur, ergò legitimè fuit à Joanne XXIII. indictum; ſi legitimè, ergò ut à legi-

timo

& vero Pontifice: nec obſtat, ſi dicatur etiam à Gregorio XII. fuiſſe indictum, qui ante Concilium Piſanum, ut verus Pontifex habitus fuerat, & adhùc inſignia retinebat Pontificia, ſententiam Concilii Piſani velut injuſtam, & ut latam à non habente auctoritatem, parvipendens: ac ita Concilium Conſtantienſe magis à Gregorio XII. quàm à Joanne XXIII. auctoritatem mutuaſſe. Non obſtat, inquam, nam ante Gregorii literas præbentis auctoritatem præfato Concilio, jam ut legitimè congregatum, cognovit Eccleſia ibi coadunata. In III. namque ſeſſione, præſente Sigiſmundo Imperatore electo, præſidente Cardinale Cameracenſi, inter alia declaratum & quidem primo loco fuit: *Quod ipſa Synodus ſuit, & eſt ritè, & juſtè convocata ad hunc locum Civitatis Conſtantienſis, & ſimiliter rectè & ritè & juſtè initiata & celebrata*. Sunt ipſiſſima Decreti verba. Atqui nondùm Gregorius auctoritatem tribuerat Concilio, ſed Patres procedebant auctoritate, qua Joannes XXIII. indixerat. Literæ autem Gregorii XII. per Carolum Malateſtam allatæ, quarum virtute Gregorius conatus erat auctorizare Concilium, nonniſi ſeſſione XIV. lectæ & publicatæ fuere, ut acta Concilii demonſtrant: & tamen antea habitæ fuerunt ſeſſiones XIII. & ferè ſemper præſente Sigiſmundo Imperatore, & actum in eis, non ſolùm in cauſa præſentis ſchiſmatis, verùm & hæreſis. Nam ſeſſione V. confirmata fuit ſententia lata in Concilio Romano contra Joannem Wiclefum, & ejus ſcripta. Inde ſeſſione VIII. pronunciatum fuit præfatum Wiclefum ut hæreticum, & quia jam defunctus, juſſum eſt ejus oſſa exhumari & comburi: Hæc autem Concilii Acta ab omnibus, & ab Univerſali Eccleſia recepta contra præfatum hæreticum, proceſſerunt non ex vi receptæ à Gregorio XII. auctoritatis, ſed virtute legitimæ convocationis factæ per Joannis XXIII. literas. Et ſanè, nec Sigiſmundus Imperator, nec tot Patres Conſtantiam conveniſſent, ſemel quòd dubitatum fuiſſet de illegitima convocatione per Joannem XXIII. factam, nemo hoc in dubium revocavit, nec in prælimi- naribus, nec in præfatis antecedentibus ſeſſionibus, à quoquam dubitatum fuit de legitima ejus convocatione, nec conſtat ventilatam fuiſſe hanc quæſtionem, nec ab aliquo motam; immò concorditer in III. ſeſſione, ut ad alia procederent, declararunt Patres, ut viſum eſt, Concilium fuiſſe ritè & juſtè convocatum, & ſimiliter ritè, rectè & juſtè initiatum.

265 Sed dicet fortaſſe aliquis, ſi virtute literarum Joannis Conſtantienſis Synodus erat legitimè indicta, ac Patres virtute præfatæ indictionis legitimè procedebant, quid neceſſe erat, ut iterum nomine Gregorii XII. indiceretur, & in ipſo Concilio nova illa indictio promulgaretur, ut acta ſeſſionis XIV. demonſtrant? Qua de cauſa Patres, qui jam ſeſſione III. pronunciaverant eſſe legitimam, ritè, ac juſtè initiatam, novam hanc Gregorii XII. cōvocationem, ſeù indictionem non reſpuerunt, non ſolùm ut inutilē, verùm ut derogativam geſtorum in præteritis ſeſſionibus?

266 Ad hæc dicendum mihi videtur, primùm à Patribus Concilii, ut ritè procederent non fuiſſe illius auctoritatem requiſitam, ſed ſponte ab eo oblatam, ſimul cum libera ſui prætenſi Pontificatus ceſſione: & quidem per duas diverſas literas, datas Carolo de Malateſtis, quarum una ei facultatem dederat auctorizandi Concilium procuratorio nomine altera verò eodem Procuratorio nomine cedendi Pontificatui, ut patet ex ipſis literis lectis in antedicta ſeſſione XIV. Cùm verò intentum principale Concilii eſſet abolere ſchiſma, & quidem quantùm in eo erat per viam ceſſionis, viſum eſt Patribus non eſſe contemnendum Gregorium ex ea parte, qua auctorizabat Concilium, nè fortè illius Procurator præſens, videns Dominum ſuum contemni, à Pontificatu cedendo illius nomine, ſicut habebat in mandatis, ſe abſtineret: Et ita quadam œconomiæ gratia, viſum eſt eis, ut publicaretur convocatio Concilii nomine etiā Gregorii, quia nec nocere poterat, immò ad bonum pacis prodeſſe, & utile per inutile non vitiatur. Unde D. Joannes Dominicus Cardinalis, cui à D. Carolo de Malateſtis data fuit poteſtas auctorizandi, & approbandi dictum Concilium, formata ſchedula pronunciavit: *Auctoritate ipſius Domini Noſtri Papæ, quantùm ad eundem ſpectat &c. iſtud Sacroſanctum Concilium Generale convoco, & omnia per ipſum agenda auctorizo, & confirmo*. Ubi notanda eſt clauſula illa, *quantùm ad ipſum ſpectat*. Et Dominus Bartholomæus Archiepiſcopus Mediolanenſis dicta Domini Cardinalis Joannis Dominici antefati relegit quædam Capitula & ordinationes conceptas per Concilium, quorum primus fuit de duarum obedientiarum unione, in quo facta mentione de ejuſdem Concilii convocatione, & auctorizatione, ſive confirmatione per Gregorium, dicit, ipſum Concilium illam admittere ex abundanti, pro maiori cautela, & quia nemini nocet: *Dictas convocationem, auctorizationem, approbationem, & confirmationem nomine illius Domini, qui in ſua obedientia dicitur Gregorius XII. nunc factas, quantùm ad ipſum ſpectare videtur, quia abundans ad certitudinem pro bona cautela nemini nocet, ſed omnibus prodeſt, in omnibus & per omnia admittit*. Ac ita ex hactenus deductis evincitur, Joannem XXIII. pro legitimo Romano Pontifice receptum & habitum fuiſſe à Patribus Concilii Conſtantienſis, ac proinde Alexandrum V. Joannis prædeceſſorem, qui cùm eſſet electus in Piſana Synodo, ſequitur, præfatam Piſanam Synodum legitimam fuiſſe. Sed de his ſatis.

CAPUT VII.

De Alexandri V. obitu; electione Joannis XXIII; ac Conſtantienſi Synodo.

267 Soluta Piſana Synodo, ut præfati ſumus, Alexander cum univerſa Curia profectus eſt Bononiam, ubi edita Bulla, de qua mentionem fecimus, incipiente, *Rerum omnium ſummi*, ſub datis ſecundo Kal. Februarii, Acta Concilii Piſani confirmavit, damnans & Gregorium XII. Angelum Corarium, & Benedictum XIII. Petrum de Luna, pro Pontificibus ſe gerentes ac illorum fautores & adhærentes, reiterata inde ejuſdem damnationis ſententia in die Cœnæ Domini. Cùmque illic conſiſteret, Romani excuſſo Ladislai Regis jugo, Alexandro adhæſerunt, cui & Legatos cum Urbis Romæ Clavibus destinarunt, ille benignè receptis præfatis Legatis, & Romanis ipſis in illorum poſtulatis gratificatis, ejuſdem Urbis adminiſtrationem tribuit Petro tituli Sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali: inde non diu poſt, ſenio jam confectus, in eadem Bononiæ Civitate ultimum clauſit diem: Sed ante obitum convocatis Cardinalibus, profeſſus eſt, ſingula acta & geſta in Piſano Concilio, pio Divinæ Gloriæ ardore, geſta fuiſſe. Ita Auctor vitæ Alexandri apud Labæum, inquiens: „ Piſas diſcedens, Bononiam ſe recepit: ibique in morbum incidit, ex quo dum ſibi mortem imminere ſentiret, Cardinales ad ſe accerſiri juſſit. Cùmque ad pacem, & concordiam, communemque Eccleſiæ utilitatem eos adhortatus fuiſſet, omnia, quæ in Concilio Piſano decreta erant, ſibi juſta videri dixit. Ad extremum cùm dixiſſet illud Chriſti, *Pacem meam do Vobis, pacem relinquo Vobis*, ſpiritum Deo reddidit v. Nonas Maii, Anno MCCCCX. poſtquam octo menſes Eccleſiam rexiſſet. *Hæc ille*. Addens, ſepultum fuiſſe in Eccleſia Sancti Franciſci Bononiæ. De ejus porrò moribus, hæc pauca ſubjungit; *Pauperes unicè diligebat, plurimum humanus erat, & in quemvis liberalis: adeout interdum, omnibus exhauſtis, per jocum dicere ſoleret, ſe divitem Epiſcopum fuiſſe, Cardinalem pauperem, Pontificem verò mendicum eſſe*: S. Antoninus 3. par. titul. 22. cap. v. §. III. in fine tradit, Alexandrum non ſine veneni ſuſpicione ſublatum. *Tandem*, inquit, *migravit à Sæculo, ut dicitur, toxicatus in Cliſterio*.

268 De ejuſdem Alexandri obitu ex antiquis monumentis Joannis XXIII. Tabulario inſertis, Raynaldus ad Ann. Dñi MCCCCX. ſub num. 17. infraſcripta exhibet: „ Eſt ſciendum, quòd fœlicis recordationis Dominus Alexander Papa V. qui Piſis poſt Concilii Generalis celebrationem contra Petrum de Luna & Angelū Corariū de Papatu contendentes, ſeù potius colludentes, celebrati, & ex ipſius Concilii auctoritate Dominis Cardinalibus attributa, electus fuit die xxvi. menſis Junii, Anno à Nativitate Domini MCCCCIX. poſt diem ſabbati tertia menſis Maii, Anni MCCCCX. in Palatio Apoſtolico, Bononienſi videlicet, poſt v. horam noctis ſequentis, diei Dominicæ, quæ computata fuit iv. Maii, incipiendo dictas horas die ſabbati ab occaſu Solis, diem ſuum clauſit extremum. Quo tempore erant in Collegio Reverendiſſimorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinaliū xxiii. Domini Cardinales. *Quibus nominatim recenſitis, ſubjungitur*; die autem Lunæ v. Maii corpus ſivè cadaver dicti Domini Alexandri, poſt xxiv. horam, portatum fuit cum intorciis honorificè ad Eccleſiam Fratrum Minorum, in qua ſepulturam ſuam elegerat: & in craſtinum, quę fuit Martis vi. dicti menſis Maii, fuit incepta novena, & ſucceſſivis diebus continuata, & fecit dicto die officium dictus Dominus Henricus Sabinenſis Epiſcopus, & Magiſter Generalis Fratrum Prædicatorum ſermonem, die verò Mercurii xiv. die menſis Maii fuit prædicta novena completa, & ipſius novenæ Miſſa ultima per præfatum Dominum Militenſem dicta, immediatè Miſſa Sancti Spiritus fuit in prædicta Eccleſia Minorum incepta & celebrata per prælibatum Dominum Oſtienſem, & ſermo factus extitit per Magiſtrum Sacræ Theologiæ, & Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, & ipſa die Mercurii de ſero, videlicet poſt xxii. horam, præfati Domini Cardinales inceperunt intrare conclave, & intraverunt omnes eadem nocte, Domini Præneſtino de Tureyo, de Barro de Saluciis, Ultramontes, de Fliſco in Terra ſua, & Aquilejenſi Bononiæ infirmo, exiſtentibus dumtaxat exceptis quinque. *Hactenus ibi*. Et ex his conſtat, non obiiſſe Alexandrum v. Nonas, idest die iii. Maii, ſed iv. Nonas, nimirum iv. die præfati menſis: unde ſediſſe ſequitur in Pontificatu menſes x. & dies viii. à xxvi. Junii præcedentis anni, ad diem iv. Maii ſequentis, tot menſes, totque dies interſunt. Ac ita corrigendus eſt auctor Alexandri vitæ apud Labæum, qui ſcribit ſediſſe menſes viii.

269 Itaque Dominis Cardinalibus Conclave ingreſſis actum eſt primùm inter eos de promovendo Cardinale Melitenſi, qui, etſi aliunde vir bonus, illiteratus tamen & ad Papatum ineptus viſus eſt. Sed ex induſtria Balthaſſaris de Coſſa Cardinalis S. Euſtachii nuncupati Bononienſis, id factum eſſe ſcribunt, qui, ut à Pontificatus ambitu, quem tamen maximè optabat, alienum ſe eſſe ſimula-

la-

laret, Dominos Cardinales, ut ad Melitenſem
animum inclinarent rogaverat: „ Poſtquam,
„ *ait Niemius*, dictua Alexander Papa infra
„ panca tempora, ſcilicet in principio menſis
„ Maii, Bononiæ deceſſiſſet, dictus Balthaſ-
„ ſar ſimulans, ſeù fingens ſe non curare, quòd
„ eligeretur in Papam (etſi ex induſtria, &
„ qua intẽtione hoc proceſſit, etiam incertum
„ eſt) unde rogabat pleroſque eiſdem Domi-
„ nis Cardinalibus, quòd Romæ D. Car-
„ dinalem Tituli S. Chryſogoni Presbyterum
„ Cardinalem, Melitenſam vulgsriter nomi-
„ natum natione Neapolitanum, in Papam
„ eligerent: qui licèt eſſet in ſe bonus, erat
„ tamen quaſi omnino illiteratus, nacnon
„ valdè groſſus, & indiſpoſitus ad Papatum.
Hæc ille. Secretam verò intelligentiam ha-
bniſſe Balthaſſarem cum Ludovico, qni Rex
Siciliæ dicebatur, apparuit ex eo, quòd pre-
fatus Ludovicus audita Alexandri morte,
Legatos ad Dominos Cardinales Bononiam
deſtinaverat, rogaturus eos, ut præfatum
Dominum Balthaſſarem in Papam eligerent.
Cùm autem contra Ladislanm Regem Sici-
liæ claſſem in Mari paraſſet Regnum præfa-
tum conquiſiturus, ſperabat, promoto in
Pontificem præfato Balthaſſare, illius auxi-
lio poſſet de facili intentum conſequi, utpote
qui in rebus bellicis ſatis expertns erat. Hinc
proſequitnr idem Theodoricus Niemius in
Joanne XXIII. ſcribens: „ Et quia tunc Do-
„ minns Ludovicua Rex Siciliæ nominatus
„ magnam paravit claſſem in Mari, causà
„ Regnum Siciliæ antedictnm, quod tunc
„ præſatus Rex Ladislaus tennit, acquirendi,
„ quàm per Mare de Marſilia par ripariam Ja-
„ nuenſem tunc temporis deſtinabat, perci-
„ piens, qnòd dictus Alexsnder Papa obierat,
„ & ſncceſſoris electio inſtanter imminebat,
„ quemdam Ambaſſiatorem ad Bononiam de-
„ ſtinavit, recommendando dictum Balthaſ-
„ ſarem præſatis Dominis Cardinalibus, &
„ præſertim de Gallia oriundis, & rogando
„ quòd illnm in Papam eligerent, qnia ſpe-
„ rabat ſe in acqniſitione dicti Regni cum
„ adminicnlo ipſius Balthaſſaris, ſi efficere-
„ tur Papa, indubiè proſperari. *Hactenus Niemius*.

270 Pancis ergo poſt diebus ab eorum
ingreſſn, omiſſo tractatu de promovendo Car-
dinale Melitenſi, ad ipſum Balthaſſarem,
permaximè concnrrentibus Cardinalibus Gal-
lis, attenta præfata Ludovici Regis inſtan-
tia, vota ſna inclinarunt, qui communi con-
cordia electus eſt in Papam die xvii. menſis
Maii, Anni Doimini MCCCCX. Corona-
tus die xxv. ejusdem menſis, indito ſibi no-
mine Joannis XXIII. De cujus electione Go-
bellinus in Coſm. æt. 6. cap. 90. ait: „ Anno
„ Domini M C C C C X. menſis Maii Ale-
„ xander nnper in Papam electus in Civitate
„ Bononienſi, ad qnam ſe cum Curia tranſtu-
„ lerat, deceſſit. Et poſt ejus obitum Domi-
„ nna Balthaſſar de Coſſa, natione Neapo-
„ litanus, Cardinalis Bononienſis vulgariter
„ nuncupatus, electus in Pspam viii. Kal.
„ Jnnii coronatus, Joannes XXIII. eſt appel-
„ latns. In cujus electione multi ſcandalizati
„ ſunt, quia ut Tyrannus Bononiam, &
„ vitæ mundanæ deditus dicebatur. *Hæc ille*.
Et S. Antonin. 3. psr. titul. 22. cap. 6. in princ.
Defuncto Alexandro V. Bononiæ, ait, *Cardi-
nales in Conclavi adunati, ut moris eſt, ele-
gerunt in Romanum Pontificem, qui Balthaſſar
Coſſa dicebatur, Cardinalis Diaconus S. Eu-
ſtachii, vocatus in ſua obedientia Joan. XXIII.
de Regno Apuliæ oriundus; Vir quidem fuit
in temporalibus magnus, in Spiritualibus nul-
lus omninò atque ineptus, ut ſcribit Leonardus*.
Ex monumentis Petri Tillii Raynaldus ad
hnnc annum, ſub nnm xx. hæc tranſcripſit:
„ Sic igitur Domini Cardinales nnm. xvii.
„ fuerunt in dicto Conclavi uſque ad diem
„ ſabbati inde ſequentis, videlicet xvii. men-
„ ſis Maii. Qua adveniente inter x. & xi.
„ horas, præfatus Reverendiſſimus in Chri-
„ ſto Pater & Dominus, Dominns Balthaſ-
„ ſar S. Euſtachii, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ Diaconns Cardinalis, Legatus & Vicarius
„ Generalis Bononienſis in dicto conclavi,
„ & de numero dictorum xvii. Cardina-
„ lium exiſtens, in Summum Pontificem con-
„ corditer extitit electus, ſicuti ipſi Domini
„ Cardinales toti orbi nunciare verbo, &
„ ſcriptis curaverũt, & in Eccleſia Bononienſi
„ more ſolito ſtatim per eos inthronizatns,
„ qui Joannes XXIII. voluit nominari. Et
„ in craſtinum coram eo Dominis Cardina-
„ libus, qui in Conclavi fuerunt præſenti-
„ bus, prædictus Dominus Oſtienſis Miſſam
„ in Pontificalibns ſolemniter celebravit,
„ ipſo in Cappella magna dicti Palatii Apo-
„ ſtolici Bononienſis in Cathedra, in ſtatu
„ & habitu Papalibus exiſtente. Deinde die
„ ſequenti, dic ſabbati, quæ fuit xxiv. dicti
„ menſis Maii, in Presbyterum per dictum
„ Dominum Oſtienſem ordinatus extitit, &
„ die Dominica ſequenti xxv. ejuſdem men-
„ ſis fuit per eundem D. Oſtienſem cõſecratus
„ in Eccleſia Sancti Petronii Bononienſis, &
„ demum ante & extra dictam Eccleſiam in
„ ſcadaſalco ligneo alio, per eum dicta ſivè
„ celebrata per dictum Dominum de Bran-
„ caciis primum Diaconum Cardinalem,
„ abſente prædicto Domino de Saluciis, pu-
„ blicè & ſolemniter coronatus extitit. Poſt-
„ quam quidem Coronationem in ſtatu, &
„ habitu Papalibns, comitantibus ipſum
„ dictis Dominis Cardinalibns, multis Præ-
„ latis, Nobilibus, & Civibus Bononienſibna,
„ & aliis ſine numero, honorificè & ſolemni-
„ ter per Civitatem Bononienſem more ſoli-
„ to equitavit, & demum ad Palatium rediit
„ Bononienſe. *Hæc ibi*.

271 De illius moribus non eſt quod di-
cam, quoniam in Generaii Conſtantienſi Sy-

nodo de pluribus ac graviſſimis exceſſibua, delictis, & criminibus, accuſatus extitit: quæ in ſeſſione xi. coram univerſa Synodo lecta & publicata fuere in quinquaginta tria capita diſcreta, in quorum primo, quis fuerit in ſua exprimitur juventute, homo ſcilicet malæ indolis, inverecundus, impudicus, mendax, parentibus ſuia rebellis, & inobediens, pleriſque vitiis deditus; In ſecundo accuſatus eſt de veneno propinato Alexandro V. ac Danieli de Sancta Sophia artium & Medicinæ Doctori: Idve machinatum contra Alexandrum, ut eo ſublato, in Pontificia ſuccederet ipſe Cathedra. In tertio diffamatus eſt de inceſtu cum uxore fratris ſui, ac ſacris commiſſo cum Monialibus, ac cum Virginibus ſtuprum, cum conjugatis etiam adulterium. In aliia porrò Articulis etiam de ſimonia moltimodis commiſſa de alienatione bonorum Eccleſiaſticorum, de acquiſito pecuniâ & malis artibus Cardinalatu, de contemptu univerſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac de aliis compluribus enormibus, ut homicidio, veneficio, turpi lucro, & ſimilibus fuit accuſatus, ut videre eſt in Actis præfatæ ſeſſionis xi. apud Labæum tom. 12. Concilior. ac in eum ſententia Concilii lata depoſitus, & exauctoratus ſuit, inde captus, & in cuſtodia traditus.

272 Cæterùm cùm per Concilium Piſanum, & Alexandri V. electionem Schiſma magis auctum, quàm extinctum fuiſſet, inſignia Pontificia adhùc Gregorio XII. & Benedicto XIII. Angelo ſcilicet Corario, & Petro de Luna retinentibus, Joannes, qui Alexandro ſucceſſerat, ab exordio ſui Pontificatus, edita conſtitutione contra præfatos, conatus eſt quot illis parebant, ab illorum obedientia avellere. Extat illius conſtitutio edita Bononiæ xii. Kalendas Auguſti, ſui Pontificatus Anno I. apud Raynaldum ad hunc annum ſub num. 23. qua Univerſas Concilii Piſani cenſuras in eoſdem, ſuoſque adhærentes latas renovavit: Egitque inde cum Carolo de Malateſtis quantùm potuit, variiſque promiſſis uſus, & pollicitationibus, ut à Gregorio diſtraeret, ſibique adhæreſceret, ſed fruſtra; & quoniam Ladislaus Rex Siciliæ plurimùm Gregorio favebat, ac in illius permanebat obedientia, junctus Ludovico Andegavenſi per Alexandrum V. Siciliæ Regi appellato, & cujus favore, ut præfati ſumus, Pontificiam obtinuerat dignitatem, contra Ladiſlaum prædictum manu militari procedere decrevit: nam ipſe Rex Romam iterum ſibi ſubiicere moliebatur.

273 Interea Gregorius XII. Angelua Corarius, data Carolo de Malateſtis Æmiliæ Præfecturâ, ſeceſſit Cayetam ſub Ladislai Regis tutela: ibique cùm eſſet in die Cœnæ Domini, currente ab ejus electione Anno V. Domini MCCCCXI. publicare juſſit Bullam, qua ſolent hæretici, ſchiſmatici, alliique diverſorum Criminum rei excommunicari, publicari, ac per eam excommunicatos pronunciavit Petrum de Luna Benedictum XIII. Balthaſſarem de Coſſa Joannem XXIII. omneſque Cardinales uni, vel alteri adhærentes, & quidem nominatim, generaliter verò univerſos de illorum obedientia; ſed & Ludovicum Andegavenſem pariter nominatim, ac illius ſequacea. Et cùm paulò poſt accepiſſet, præfatum Carolum de Malateſta nonnullas Urbea, qui Joanni parebant armata manu eripuiſſe, ac ſibi ſubegiſſe, conceſſit Gregorius Indulgentiaa, ac ſpiritualia præmia univerſis Chriſtifidelibus arma ſumentibus, ac ſub Caroli præfati vexillis militantibus, datis literis Cayetæ ſub die xii. Kal. Maii. Scripſit inde alias literas adhùc Cayetæ conſiſtens, ſub datis vi. Idus Auguſti ejuſdem anni Antonio Epiſcopo Thirazonenſi, mandans, ut per viros pios, & verbi Dei Concionatores, ſuam cauſam pro concionibus defendere, ac patrocinare curet.

274 Joannes verò, ut conſilia de inferendo bello Ladislao Regi executioni demandare facilius poſſet, Romam proficiſci decrevit, ſperans ſua vicinitate validiùs inimicum aggredi poſſe. Sed antea Concilium Generale celebrandum, juxta ſancita in Synodo Piſano per Alexandrum V. in loco poſtea deſignando indixit, edita Bulla Bononiæ iv. Nonas Februarii, ſui Pontificatus Anno Primo. Inde commiſſo nonnullarum Civitatum regimine aliquibus Cardinalibua de ſua obedientia, Romam profectus eſt: ſtatimque Ducem & Capitaneum Generalem copiarum Eccleſiaſticarum contra ſæpefatum Ladislaum Regem conſtituit Petrū, aliàs Pierum de Urſinia, ut eidem indicant literæ datę apud S. Petrum in ipſis Idib. Aprilis ejuſdē Anni MCCCCXI. Inde compoſitis quæ ad hujuſmodi expeditionem neceſſaria erant, ipſe Ludovicus cunctis ſibi Franciſco Sfortia, Paulo Urſino, ac Gentili Monterano Nobilibus Ducibus, cum præfato Petro de Urſinia Capitaneo Generali Pontificio profectus eſt cum copiia, & ſuperato Vado ad Ceperanum, irruptio facta eſt in Regnum Neapolitanum, ſed occurrente Ladislai milite die xix. Maii apud Roccam Siccam, incerto utique ab initio morte commiſſum eſt prælium, indeque prævalentibua Regiis, & Pontificiis copiis, ſuccubuere Regniculi, profligato Ladislao cum univerſo exercitu ſuo: ſed quoniam non rectè Ludovicua, & præfati Pontificii uſi ſunt victoria, fructum optatum haud conſecuti ſunt, ut notat Antoninus loco ſupra citato, ubi ait: *Commiſſo in finibus Regni prælio, Ladislaus profligatur: quod ſi Duces militiæ, qui erant pro parte Pontificis, & Ducis Andegavenſis, & alii ſequi voluiſſent, aut ſciviſſent uti victoria, actum fuiſſet de Regno: ſed immorando ac tempus terendo, recipiendi ſeſe, ac reparandi vires, facultatem victo Regi dederunt.* Romæ

acta

Digitized by Google

actæ ſunt gratiæ pro parta victoris, vexillumve à Ludovico miſſum, expoſitum primùm à Joanne in alta Turri, ut ab omnibus conſpiceretur, facta per Urbem pro gratiarum proceſſione, retro trahi juſſum eſt per terram in Gregorii XII. & Ladislai contemptum, ut Theodoricus Niemius ſcribit in vita Joannis XXIII.

275 Sed reparatis à Ladislao viribus, prout ex Antonino præfati ſumus, ultrò non ceſſit Romanorum victoria, abruptisque à præfato Rege Regni aditibus, Ludovicus, cùm exercitum ex præda hoſtili ſuſtentare minimè valeret, coactus eſt illam Romam reducere. Joannes verò ad prorsùs evertendum Ladislaum, die XI. Auguſti in publico Conſiſtorio excommunicatum, ac Eccleſiaſticis irretitum pronunciavit, citavitque ad comparendum, non comparentem, die 9. Decembris iterum damnavit, ac Regno Hieroſolymitano, & Neapolitano privavit, ſubditosque ejus ab omni juramento ſoluit: ac denique adversùs eum ſacrum bellum indixit, Crucemque prædicari juſſit in Galliis, Italia, Anglia, Germania, Ungaria, Dania, Svæcia, Norvergia, Pruſſia, Polonia, Lituania, Cypro, ac aliis in partibus.

276 E'converſo Gregorius XII. ut labentes in dies res ſuas inſtauraret, diverſos deſtinavit in Germaniam Legatos, ac plura diplomata adversùs Joannem XXIII. publicavit, quibus ab illius obedientia diſtrahi populos, & ad ſuam reduci conatus eſt: datæ ſunt hujus argumenti literæ Cayetæ univerſis Chriſtifidelibus IX. Kal. Septembris: ſed non diù poſt ipſe Gregorius ab ipſo Ladislao Rege deſertus eſt, qui res ſuas in incertum poſitas, propter indictum à Joanne ſacrum bellum adverſum ſe, cùm conſpiciſſet, ſtuduit eum ſibi devinci, & datis literis in Caſtronovo Neapolis ſub die XVI. Octobris Anni Domini MCCCCXII. omnimodam obedientiam & reverentiam eidem Joanni promiſit: licèt Niemius in Joannis vita ſcribat, non ſponte Ladislaum Joanni acceſſiſſe, ſpreto Gregorio, ſed pecunia magis ejuſdem Joannis corruptum, recepta ſumma centum millium florenorum, quam per quendam Florentinum præfatus Joannes ſolvi fecerat. Cùm ergò Gregorius ſe à Ladislao derelictum vidiſſet, arrepta fuga, nè fortaſſe aliqua proditione in manus æmuli traderetur, Ariminum iterum ſe contulit, quamvis Antoninus Gregorio maximè affectus, aliam Gregorii ſeceſſus cauſam adducat. Cæterùm intimatum ei à Rege, ut à Regno ſecederet, ipſe Gregorius teſtatur in literis datis Arimini poſt ejus receſſum à Cayeta & Regno, ſub IX. Kal. Aprilis, quibus etiam conqueritur de iniqua pactione Joannis inita cum præfato Rege: & quæ in præfato ſuo receſſu, ac itinere ei acciderant, univerſis Chriſtifidelibus palàm facere conatur.

277 Ad hæc porrò Joannes, cùm per alias literas datas Romæ apud S. Petrum III. Kal. Maii, poſt ejus à Bononia receſſum, pro loco celebrandi Generale Concilium ipſam Urbem Romam deſignaſſet, tempusque præfixiſſet ad Kal. Aprilis Anni MCCCCXII., expleto bello, & rebus pro tunc cum Ladislao Rege, modo quo præfati ſumus, compoſitis, ad extremum prædicti anni Concilium inchoavit, ſed parvo cum Patrum numero, adeout Generale eſſe haud poſſet. In eo verò hæreſis Wicleffi & Huſſitarum, olim proſcripta Romæ pariter ſub Urbano VI. Londini ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, Pariſiis ab Accademia Sorbonica, & in Bohemia à ſua quoq; Accademia iterũ damnata & proſcripta eſt, damnati quoque libelli ejuſdem Wicleffi, ſub nomine Dialogi, & Trialogi, aliisque pariter proſcripti, ac citati ad comparendum omnes & ſinguli, qui memoriam jam defuncti Joannis Wicleffi tueri voluiſſent, nè, licèt defunctus, de hæreſi damnaretur, aſſignato tempore novem menſium, ut literæ, ſive damnationis ſententia per eundem Joannem in prefato Concilio lata, incipien. *In Generali Concilio*, ſub die IV. Nonas Februarii, Anni MCCCCXIII. indicant, Gobellinus verò in ſua Cosmod. ætat. 6. cap. 9. refert in eodem Concilio ſtatutum eſſe, ut nullus eorum, qui tempore ſchiſmatis de Papatu contenderant, in literis Pontificiis appellaretur abſolutè & ſimpliciter Papa, ſed cum hac limitatione, videlicet, in ſua obedientia: „ Cùmque his temporibus, *inquit*, „ nonnunquam literæ Apoſtolicæ, in quibus de Urbano, Bonifacio, Innocentio, „ Gregorio, Clemente, vel Benedicto per „ tempora ſchiſmatis præterea ſuper Papatu „ contendentibus ſupradictis fuit mentio facienda, ſtatutum fuit, ut nullus eorum in „ dictis literis Papa ſimpliciter, ſed ſub hac „ determinatione, *in ſua obedientia*, nominaretur. *Hæc ille.* Cùm porrò nec ipſi Joanni viſum eſſet præfatum Concilium ex parvo Patrũ numero tale eſſe, ut œcumenicum dici potuiſſet, alias literas incipientes: *Ad regimen Univerſalis Eccleſiæ*, ſub datis V. Nonas Martii, in prædicto Concilio publicavit, quibus œcumenicum & Generale Concilium in loco infra tres menſes ab eo deſignando, iterum indixit: „ Sed cùm fideles ipſi, *inquit in præfatis literis*, per nos ſolemniter con„vocati, requiſiti & expectati, nec indicto „ tempore per nos ſecundùm determinatio„nem Piſani Concilii præfati aſſignato, nec „ poſtea in aliis ſeſſionibus ſæpius proroga„tis in tanta multitudine, quantam magni„tudo rerum gerendarum exigebat, in ipſa „ Urbe conveniſſent; nos propterea nequa„quam à proſecutione tanti boni deſiſten„dum arbitrantes, habita ſuper hoc dili„genti deliberatione, ipſo approbante Con„cilio, ſtatuimus, & ordinamus, Venerabi-

les

Digitized by Google

„ les Fratrea noſtroa Patriarchas , Archie-
„ piſcopos , Epiſcopos , necnon alios Præla-
„ tos, & cæteros , qui adeſſe debent , & poſ-
„ ſunt, & ad quos pertinet, in principio men-
„ ſis Decembris proximè ſuturi , debere ad
„ hujuſmodi Concilium , juxta morem , con-
„ venire in loco decenti & idoneo infra tem-
„ pus trium menſium à data præſentium per
„ alias noſtras literas , & publicationem de-
„ clarando . *Hactenus ibi* .

278 Synodo abſoluta Anno Domini MCCCCXIII. Ladislaus Rex Siciliæ, rupto cum Joanne fœdere , armato milite in ditionem Eccleſiaſticam irrupit , & captis nonnullis Civitatibus , & Caſtris , Romam proficiſci feſtinavit : hujua facinoris ſuſcepta notitia Joannis , cùm ſe tutum Romæ eſſe non exiſtimaret , majori, qua potuit feſtinatione, conſcenſo equo , versùm Sutrium fugam arripuit , compluribua Cardinalibus , Curialibus , & aliis ipſum ſequentibus , quorum nonnulli defecerunt in vla , ut Niemius in Joannis vita ſcribit , etiam ex Cardinalibus . Noctu porrò Sutrio Viterbium ſe contulit , exinde ad Faliſcos , proſequens iter uſque Florentiam , ubi in Hoſpitio Archiepiſcopi extra Urbis mœnia manſit ad initia uſque menſis Novembris , declinans Civitatem propter diverſas factiones inibi exiſtentes , aliis Pontifici , aliis Regi adhærentibua . Ladiſlaus verò potitus eſt Urbe , ac arce Sancti Angeli , licèt proditoriè , ſuæque ditioni ſubjecit Sutrios , Viterbienſes , & Faliſcos . Qua de re Joannes duos Cardinales , Antonium Caluncum Presbyterū titnli Sanctæ Cæciliæ , & Franciſcum Zabarella Diaconum tituli Sanctorum Coſmæ & Damiani, deſtinavit ſuos Legatos ad Sigiſmundum Regem Romanorum , tunc in Italia moram trahentem , imploratnrus auxilia contra præfatum Ladislaum , & ut cum eo agerent de loco futuri Concilii deputando , ut Gobellinua , Antoninus ex Leonardo , & alii Scriptores tradunt : & licèt non juxta mentem Pontificis , ut Leonardus apud S. Antoninum notat , attamen Legati cum Romanorum Rege Sigiſmundo præfato , convénerunt , celebrandum eſſe Conſtantiæ : de qua conventione hæc habet Gobellinus : *Duos Cardinales ad Regem Romanorum , tunc in Italia moram trahentem , ad concordandum de loco deſtinavit , qui ſimul in Civitatem Conſtantienſem convenerunt* . Accidiſſe contra Pontificis mentem , tradit Leonardus, dicens Joannem ad boneſtatis ſpeciem ampliſſima mandata , & poteſtatem dediſſe , ſecretò tamen certa loca eis deſignaſſe , in quibus poterant convenire . Non diù poſt Joannes Bononiam ſe contulit , ſed cùm congreſſum Imperatoris peteret , profectus in Galliam Ciſalpinam , Placentiæ reperto Imperatore , ibi piimò congreſſns eſt cum eo : *inde* , ait Leonardus , *ad Laudenſem Urbem profecti ambo, menſe ferè toto in ea Urbe fuere* , in qua quidem de celebrando Concilio Conſtantiæ conſenſerunt . *Et poſt hoc* , ait Gobellinus mox cit. *Papa & Rex in Laudenſi Civitate convenientes , locum eundem pro Concilio Generali celebrando approbarunt* : Ex qua porrò Civitate literas Indictionis Joannes exaravit , tenoris videlicet ſequentia .

Joannes Epiſcopus &c. Ad futuram rei memoriam .

279 Ad pacem & exultationem Eccleſiæ,
„ & tranquillitatem Chriſtiani populi prom-
„ pto corde , & efficaci deſiderio intenden-
„ tes , ea libenter ordinamus & quærimus ,
„ per quæ hujuſmodi pax & exaltatio tran-
„ quillitatis meritò valeat promoveri . Du-
„ dùm ſiquidem fœlicis recordationis Ale-
„ xander Papa V. anteceſſor noſter in ſacro
„ Piſano Generali Concillo tunc præſidens ,
„ ex quibusdam magnia , & arduis cauſis
„ eundem moventibus , ipſo approbante
„ Concilio , inter cætera decrevit iterum
„ Generale Concilium ex tunc ad terminum
„ per ſe, vel ſucceſſorem ſuum in loco, de quo
„ ſibi , vel eidem ſucceſſori videretur , fore
„ ſolemniter convocandum , idemque præ-
„ deceſſor ad ea, quę circa reformationem Ec-
„ cleſiæ expedienda reſtabant , pro tunc ſuſ-
„ pendit ipſum Concilium , uſque ad tem-
„ pua triennii præſatum continuandum ſta-
„ tuit & prorogavit .

280 Poſtmodùm verò ipſo Alexandro
„ prædeceſſore noſtro , ſicut Deo placuit ,
„ vita functo , nobisque, divina favente cle-
„ mentia , ad apicem ſummi Apoſtolatus aſ-
„ ſumptis , dum tempus trlennii ejuſdem jam
„ advenerat , & nos per veſtigia ejuſdem
„ prædeceſſoris incedere , & ordinationem
„ præſatam ab eo in Concilio , ut præfertur ,
„ factam puro corde & recta voluntate ad-
„ implere properaremus , quibusdam ratio-
„ nibus tunc expreſſis animum noſtrum mo-
„ ventibus , Concilium hujuſmodi in Roma-
„ na Urbe , quæ paulò ante de manibus ho-
„ ſtium recuperata præſentiam noſtram pro
„ ipſius conſervatione plurimùm flagitabat ,
„ debito tempore convocavimus . Verùm
„ quia veniente poſtea tempore conſtituto
„ Prælati , & cæteri qui hujuſmodi Concilio
„ intereſſe debebant , nequaquam in tanto
„ numero convenerunt , quantùm rerum
„ agendarum pondus & mugnitndo require-
„ re videbatur , nos poſt alias prorogationes
„ per nos factas tandem Concilinm ipſum
„ ad menſem Decembris nunc præſentem ſo-
„ lemniter prorogavimus , ac celebrandum
„ ſtatuimus , locum autem infra certum tem-
„ pus reliquimus declarandum , ut interim
„ ſuper eo maturiùs conſuleremus .

281 Poſt hæc verò infra dictum tempus
„ nondùm elapſum , per literas chariſſimi in
„ Chriſto filii noſtri Sigiſmundi electi in
Re-

,, Regem Romanorum, & Ungariæ Regis
,, Illuſtris inſtantiſſimè requiſiti, ut non pro-
,, peraremus in declaratione loci pro Con-
,, cilio faciendo, ſed tam in declaratione lo-
,, ci prædicti, quàm etiam in tempore dicti
,, Concilii celebrandi ſuperſedere vellemus,
,, donec ipſe Nuncios ſuper hoc inſtructos
,, ad noſtram præſentiam deſtinaret; nos vo-
,, tis ejuſdem Regis, quæ ex zelo devotio-
,, nis & puritatis fidei emanare conſpicieba-
,, mus, annuentes, adventum præfatorum
,, Nunciorum, de Venerabilium Fratrum
,, noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Car-
,, dinalium, & Prælatorum, qui Romæ in
,, Generali Conſiſtorio ad hoc vocati fue-
,, rant, voluntate, conſilio, & aſſenſu du-
,, ximus expectandum.

282 Deinde cùm poſt Romanæ Urbis
,, miſerabilem caſum ad nos tunc apud Flo-
,, rentiam exiſtentes, ejuſdem Regis Nuncii
,, accerſiſſent,& ex parte ejuſdem Regis mul-
,, ta nobis circa materiam ſuggeſſiſſent, eo-
,, rum auditis relatibus pro pleniori expe-
,, ditione dilectos filios noſtros Antonium
,, tituli S. Cæciliæ,Presbyterum, & Franci-
,, ſcum tituli Sanctorum Coſmæ & Damia-
,, ni Diaconum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
,, Cardinales cum plena poteſtate ſuper hu-
,, juſmodi electione loci, & deputatione tem-
,, poris, ac ſimul cum eis filium noſtrum no-
,, bilem Virū Emmanuelem Chryſolaram mi-
,, litem Conſtantinopolitanum ad præſen-
,, tiam ejuſdem Regis tranſmiſimus, qui ad
,, eum venientes, tandem de ipſius Regis
,, Conſilio & aſſenſu Civitatem Conſtan-
,, tienſem Provinciæ Moguntinenſis pro loco
,, hujuſmodi Concilii celebrandi concordi-
,, ter elegerunt, ac tempus ad initiandum
,, hujuſmodi Concilium ſtatuerunt diem pri-
,, mum menſis Novembris proximè ven-
,, turi.

,, 283 Deinde verò nos, qui pro quibus-
dam arduis & magnis negotiis cum eodem
,, Rege, juxta noſtrum & ipſius deſiderium,
,, perſonaliter convenientes, certificati ab
,, eo de habilitate, capacitate, & ſecuritate
,, Civitatis Conſtantiæ antedictæ, quam ſe-
,, curitatem ipſe Rex ſe præſtiturum, & in
,, ipſo Concilio perſonaliter affuturum pol-
,, licetur, volentes & ab intimis cupientes,
,, ut præfata celebratio Concilii ſalubriter
,, impleatur, & optatum conſequatur effe-
,, ctum, hujuſmodi electionem loci, & tem-
,, poris, ut præfertur, factam auctoritate
,, Apoſtolica tenore præſentium, de eorun-
,, dem Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſen-
,, ſu ratificamus, approbamus, & confirma-
,, mus, ac ei Apoſtolici roboris adiicimus
,, firmitatem: præfatumque Concilium in
,, Civitate prædicta Conſtantienſi, die pri-
,, ma menſis Novembris proximè venturi
,, initiandum, & auctore Domino, exinde
,, celebrandum, eadem auctoritate, & con-
,, ſenſu, harum ſerie ſtatuimus, pronuncia-
,, mus, & decernimus Venerabiles Fratres
,, noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epi-
,, ſcopos, & dilectos filios electos, Abba-
,, tes & cæteros Eccleſiarum & Monaſterio-
,, rum Prælatos requirentes, hortantes, &
,, monentes, ac in virtute præſtiti juramenti
,, & ſanctæ obedientiæ eiſdem mandantes,
,, quatenus perſonaliter, necnon chariſſimos
,, in Chriſto Reges, & Nobiles Viros, Du-
,, ces, Principes, Marchiones, & alios, qui
,, hujuſmodi Concilio intereſſe debent, vel
,, qui prodeſſe poſſunt quoquomodo, per
,, viſcera charitatis Domini noſtri Jeſu Chri-
,, ſti invitantes & exhortantes, quatenus pro
,, pace Eccleſiæ, & omnium Chriſtianorum
,, etiam perſonaliter, vel ſi perſonaliter non
,, poſſint, per ſolemnes Oratores congruo
,, tempore Concilio dicto debeant intereſſe,
,, ut ſic congregata fidelium multitudine co-
,, pioſa, ea, quæ in eodem Concilio agenda
,, incumbūt,Deo auctore,& adjutore,ſalubri-
,, ter ordinētur. Nulli ergò omninò hominum
,, liceat hanc Paginam noſtræ ratificationis,
,, approbationis, confirmationis, pronuntia-
,, tionis, & Decreti infringere, vel ei auſu
,, temerario contraire. Si quis autem hoc
,, attentare preſumpſerit, indignationem
,, Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri &
,, Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incur-
,, ſurum. *Datum Laude* v. *Idus Decembris*,
,, *Pontificatus noſtri Anno IV.*

284 Hac publicata Bulla, Joannes unà cum Sigiſmundo Placentiam ſe contulit, inde Cremonam, ubi agitata ſunt conſilia de Ladiſlao Rege Neapolitano ex Etruria, ac Eccleſiaſtica ditione pellendo: Profectus poſtea Mantuam, accepit, quòd Avenionenſes excuſſo Petri de Luna jugo, ac ab eo inductis in arce præſidiariis ejectis, ad ſuam devenerant obedientiam, & commiſſa illius comitatus cura Archiepiſcopo Narbonenſi Mantua Bononiam unà cum univerſa Curia ſua ſe recepit: Sigiſmundus verò tranſactis Alpibus, in Germaniam ſeceſſit. Joannes porrò cùm adhùc Bononiæ conſiſteret, de Ladiſlai Siciliæ Regis infœlici morte Nuncium recepit, ſtatimque propoſuit iterùm Romam petere, recuperaturus univerſam illam Eccleſiaſticam ditionem, quam præfatus Rex tyrannicè occupaverat: verùm Cardinales ſuſpicantes, Joannem, ſi Romam adiret, nequaquàm ad Concilium reverſurum, reſtiterunt illi, ac fortiter inſtiterunt verbis & ſcriptis, negotia ſpiritualia & Eccleſiaſtica per ſeipſum agere oportere, temporalia verò per Legatos; quare Joannes haud præfatis importunis inſtantiis reſiſtere valens, licèt invitus, annuit, & commiſſo regimine Urbis Romæ Agri Romani, Campaniæ, Maritimæ, Sabinæ, & Patrimonii Sancti Petri in Tuſcia, D. Jacobo tituli S. Euſtachii Diacono Cardinali, iter Conſtantiam versùs cum præ-

præſata Curia ſua arripuit; Ladislaum obiiſſe correptum morbo ex illito genitalibus á Scorto Peruſino, tradunt aliqui; Theoricus autem Niemius de præfata morte agens in vita Joannis XXIII. poſtquàm apparatum bellicum ipſius contra Pontificem, quem Bononiam uſque militarI manu decreverat, deſcripſerit, hæc ſubjungit: „ Dùm ſic omnes „ apud nos nutarent, timerentque, valdè „ multis diebus ipſi Curiales, ecce gratum „ novum recepimus, ſcilicet, quòd ipſe Rex „ Ladislaus exiſtens tunc in eodem Exercitu „ gravi & incurabili infirmitate tactus, „ retrocedere propterea, & ad Urbem ipſam „ redire diſpoſuiſſet, prout & ſecit, & propè „ Urbem intrans navim, necnon ſecum „ ducens captivum Paulum de Urſinis, quem „ habebat valdè exoſum, & interficere nitebatur, „ per Mare versùs Neapolim, ubi poſtquàm „ cum vehementibus doloribus; quibus „ torquebatur in corpore, & præcipuè „ igne ſacro in membro virili, juſto Dei judicio, „ pervenerat, infœliciter obiit antequàm „ dimidiaret dies ſuos. *Hæc ille*. Ladislao ſucceſſit Joanna ejus ſoror, quam exturbare meditabatur Joannes, ut Regnum in poteſtatem Ludovici Andegavenſis deveniret.

285 Interea Joannes iter ſuum proſequens, Conſtantiam appulit die XXVIII. menſis Octobris, currente Anno Dom. MCCCCIV. Sigiſmundi Romanorum Regis Anno IV. Emmanuelis Secundi Græcorum Imperatoris Anno XXXI. Inditione VII. ubi á Patribus, qui illùc convenerant, & aliis honorificè, & cum magna pompa ſuſceptus eſt. Inde adveniente die V. menſis Novembris habitæ ſunt, ex more, ſolemnes ſupplicationes pro Concilio Generali inchoando, quibus peractis, ipſe Joannes indixit ſeſſionem primam habendam die XVI. ejuſdem excurrentis menſis, ut notat Raynaldus ad eundem Annum ſub num. 7. ut Acta ipſa apud Labæum produnt. In qua quidem ſeſſione præfixa die celebrata, ipſomet Joanne Papa præſidente, lecta eſt Bulla convocationis Concilii, ſupra á nobis recitata: Inſuper Notarii, Scribæ, aliique Miniſtri inſtituti & deputati ſunt pro rebus in Synodo agendis, & indicta eſt ſecunda ſeſſio ad diem XVII. menſis Decembris, ſed nonnullis ſupervenientibus impedimentis, & propter exiguum adhùc Patrum numerum prorogata eſt ad menſem Martii proximi futuri; ac interea Joannes per alias literas Conſtantiæ datas VIII. Idus Decembris Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, cæteroſque Galliarum Prælatos ad intereſſendum præfato Concilio ſolicitavit: „ Cùm mora „ veſtra, *inquit in eis*, hujuſmodi rebus nunc „ in ipſo Concilio, Domino dirigente, agendis „ magnum impedimentum afferat, vos, & „ veſtrum quemlibet denuò tenore præſentium „ hortamur, requirimus, & monemus, „ ac vobis, & veſtrum cuilibet in virtute „ prædicti juramenti, & ſanctæ obedientiæ „ Apoſtolica auctoritate mandamus, quatenùs „ omni mora & occaſione ſepoſita, hùc ad „ præfatum Concilium celeriter veniatis. *Hæc ibi*. Scripſit porrò alias literas ſub datis in ipſis Kalendis Decembris Sigiſmundo Romanorum Regi, nuper Aquiſgranæ coronato, gratulatorias de illius coronatione literas, quibus etiam ad intereſſendum Concilio excitavit, inquiens: „ Hic ſumus cum „ copioſo numero Prælatorum tuam Celſitudinem „ expectantes, ſine qua nihil ponderis „ cupimus ordinare, Serenitatem tuam „ rogamus, & quanta poſſumus charitate „ requirimus, ut quantùm celeriter fieri poteſt, „ hùc velis accedere.

286 Sigiſmundus verò hiſce ſolicitatus literis, quamcitiùs Conſtantiam adire decrevit, diſpoſitiſque rebus iter arripuit, ac circa mediam noctem, ſuperveniente feſtivitate Natalitiarum Domini, Conſtantiam appulit. ac eadem nocte interſit Miſſarum ſolemniis Diaconi indutus habitu, ac Evangelium alta legit voce, ut ſcribit Joannes Cochlæus lib. 2. Hiſtor. Huſſitarum, inquiens: „ Sigiſmundus „ Rex in vigilia Nativitat. Chriſti Uberlingam „ veniens cum conjuge ſua, per Lacum „ Conſtantienſem navigio properavit, „ inde ad Civitatem, ut intereſſet Miſſarum „ ſolemniis. Sub mediã igitur noctem Conſtantiam „ ingreſſus, primam Miſſam celebrante „ Papa, ipſe Diaconi habitum indutus, „ legit Evangelium alta voce: Exit edictum „ á Cæſare Auguſto. *Hæc ille*. Poſt cujus adventum alii quoque Principes & Prælati advenère, & in tanta frequentia, ut aliquandò triginta millia equorum uno, eodemque tempore Conſtantiæ fuiſſe ſcribant. Hinc Sanctus Antoninus 3. part. tit. 22. cap. 6. §. 2. ait: *Incredibili Principum, Prælatorumque frequentia cæpit Concilium celebrari, itaut eſſent in eo loco equorum ſupra triginta millia, ex quo multitudinem hominum licet conjectari*. Cochlæus verò mox relatus addit, Concilio illi interfuiſſe Cardinales XXIX. Archiepiſcopos XLVII. Epiſcopos CLX. Patriarchas verò IV. Abbatum autem, Præpoſitorum, Priorum, & omnis generis Clericorum ingentem numerum: ſecularium denique Principum, qui Conſtantiam confluxerunt, Comitum, Baronum, Nobilium, Oratorum, maximam multitudinem: hinc præfatus Antoninus conſona iis, quæ tradit Cochlæus, ait: *Prælati autem in Concilio congregati innumerabiles ex omni natione, quæ ſub Cælo eſt Chriſticolarum*.

287 Itaque cùm Concilium præcipuè congregatum eſſet ad abolendum ſchiſma, in tanta Patrum frequentia, actum eſt ut procederetur per viam Ceſſionis, ac ideo permaximè neceſſarium exiſtimarunt Patres, ut Joannes Concilio præſens Papatui cederet, cujus exemplum ſectaturos Gregorium XII.

ac

Digitized by Google

ae Benedictum XIII. de Papatu contendentea, ſperabant: proinde die prima menſis Martii Anni Domini MCCCCXV. ineuntis in magna aula inferioris Palatii Apoſtolici hora xi. ante meridiem, exiſtentibus in ea Joanne XXIII. Sigiſmundo Imperatore, ac quatuor congregatis nationibus, Patriarcha Antiochenua nomine totius Concilii quandam ſchedulam formulam ceſſionis faciendam à Joanne continentem eidem exhibuit, rogans, quatenus eam acceptare benignè dignaretur. Qua perlecta, profeſſua eſt illam ſe acceptare, conteſtans, ſe non vi, nec metu compulſus, nec quidem coactus, ſed liberaliter & ſua ſponte eidem Concilio viam ceſſionis obtuliſſe, & nunquam alterius ſuiſſe intentionis: quibus prolatis, alta voce ſchedulam legit, & ſe virtute verborum illorum cedere Papatui oſtendit: ac denique indixit Generalem ſeſſionem habendam in craſtinum. Ac ita die ſecunda menſis Martii, eodem Joanne præſidente, poſt Miſſam de Spiritu Sancto per eundem Papam celebratam, habita eſt ſecunda ſeſſio, in qua idem Joannes ſuæ ceſſionis editam conſtitutionem publicavit, tenoris ſequentis.

Joannes Epiſcopus &c. Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

288 „ Pacis bonum omnium bonorum
„ excellentiſſimum eſſe Jsaiaa Propheta de-
„ monſtrat, qui Salvatorem venturum pacis
„ Principem appellavit, unde etiam in ejua
„ ortu Chorus Angelorum decantans, *Pax*,
„ inquit, *in terra hominibus bonæ voluntatis*.
„ Sicut autem & de ipſo Salvatore vox pro-
„ phetica nunciavit, ita in ipſo fuit poſtmo-
„ dum adimpletum; pacem enim docuit ver-
„ bo, pacem docuit per exemplum, pacem
„ inter Deum ac hominem proprio ſanguine
„ firmavit, ſeipſum in ara Crucis pro no-
„ bis offerens, ut ejus merito propitiatus
„ Deus non ad æternæ pacia gratiam reſti-
„ tueret, à qua primi hominis peccatū exules
„ noa effecerat. Quę omnia intra mētis aciem
„ revolventes, ac ejuſdem Salvatoris, cu-
„ jus vices, licèt immeriti, gerimus in ter-
„ ris, cupientes quantùm nobis ex alto con-
„ ceditur imitari veſtigia, decrevimus om-
„ nea noſtros conatus ad illa dirigere, per
„ quæ integra pax Eccleſiæ catholicæ reddi
„ poſſit.
289 „ Eapropter de conſilio Venerabi-
„ lium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ
„ Eccleſiæ Cardinalium, communicato con-
„ ſilio cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro
„ Sigiſmundo Rege Romanorum, & Unga-
„ riæ Illuſtri, generale Concilium in Civi-
„ tate Conſtantienſi Provinciæ Maguntinæ,
„ certo tempore ad hûc deputato convocan-
„ dum curavimus, ac poſtmodum venientes
„ dicto tempore, licèt noviter multa emer-
„ gentia præſentiam noſtram in Italia flagi-
„ tarent: tamen omnibus poſthabitis pro
„ tanti boni confectione unà cum eiſdem fra-
„ tribus, non ſine magnis difficultatibus, ad
„ ipſum locum pervenimus. Et nè voluntas
„ noſtra, nobis à Deo inſpirata, in occultu
„ lateret; ſed tanti boni, quantùm ad nos
„ attinet, ſequeretur effectus, licèt certiſſi-
„ ma jura, ac univerſalem quaſi obedien-
„ tiam, & omnia temporalia Dominia Ro-
„ manæ Eccleſiæ, paucia exceptis habea-
„ mus, tamen pro conſequenda pace, viam
„ ceſſionis, quam omnibus conſideratis
„ promptiorem & aptiorem credimus, com-
„ plecti decrevimua, confidentes indubiè,
„ quòd quantò plura relinquimus, tantò ma-
„ jua apud Deum præmium aſſequemur.
„ Hac igitur conſideratione inducti, in pu-
„ blica ipſius Concilii ſeſſione, ipſo Rege
„ præſente, & perſonaliter aſſiſtente, necnon
„ præſentibus pluribus Principibus, ac Ora-
„ toribus multorum Regum, Principum, ac
„ Univerſitatum Studiorum, poſt Miſſam
„ Sancti Spiritus per nos ſolemniter cele-
„ bratam, ipſo ſacro approbante & laudante
„ Concilio, hanc viam ceſſionis obtulimus,
„ & tenore præſentium offerimus in his
„ verbis.
290 „ Ego Joannes Papa XXIII. propter
„ quietem totius populi Chriſtiani profi-
„ teor, ſpondeo, & promitto, voveo, & juro
„ Deo, & Eccleſiæ, & huic ſacro Concilio
„ ſpontè & liberè dare pacem ipſi Eccleſiæ
„ per viam meæ ſimplicis ceſſionis Papatus,
„ & eam facere, & adimplere cum effectu
„ juxta deliberationem præſentis Concilii,
„ ſi & quando Petrua de Luna Benedictua
„ XIII. & Angelua Corarius Gregoriua XII.
„ in ſuis obedientiis nuncupati Papatui,
„ quem prætendunt, per ſe, vel Procurato-
„ rea ſuos legitimos ſimiliter cedant, & etiam
„ quocumque in caſu ceſſionis, vel deceſſus,
„ aut alio, in quo per meam ceſſionem pote-
„ rit dari unio Eccleſiæ Dei ad extirpatio-
„ nem præſentis Schiſmatia.
291 „ Quocirca univerſitatem veſtram
„ requirimus, & hortamur in Domino, qua-
„ tenus hanc noſtram ſpontaneam & liberam
„ oblationem grato ſuſcipientes affectu, ac
„ pro confirmatione, & complemento tanti
„ boni, Petrum de Luna Benedictum XIII. &
„ Angelum Corarium Gregorium XII. in ſuis
„ obedientiis nuncupatos, eorumque obe-
„ dientes ad dictam pacem invitantes, ad
„ viam ceſſionis celerius exequendæ ſimiliter
„ inducatis, & effectualiter induci procure-
„ tis; & nihilominus pias veſtras orationes,
„ & preces Altiſimo in humilitate cordis ef-
„ fundere non poſtponatis, ut per ſupernam
„ gratiam Mundus pacem optatam, & Ec-
„ cleſia in integram recuperet unitatem. *Da-*

„ *tum Conſtantiæ* VI. *Nonas Martii*, *Ponti-*
„ *ficatus noſtri Anno V.*

292 Cæterùm, ut Acta indicant Concilii, Joannem, primùm ſchedulam ceſſionis in ipſa inſerta Conſtitutione, nimirum, *Ego Joannes &c.* ad illa uſque verba, *ad extirpationem præſentis ſchiſmatis*, legiſſe, conſtat, indeque Bullam ſuper prædicta ſchedula confici juſſiſſe. Addunt inſuper prædicta Acta, eundem Pontificem ad illa ſchedulæ verba, *ſpondeo*, *promitto*, *voveo*, *& juro Deo*, genua versùs altare flexiſſe. Imperatorem inde de Cathedra ſua ſurgentem, gratias eidem Joanni nomine ſuo, ac totius egiſſe Concilii, genua flectendo, deponendo coronam, ac pedes ejuſdem deoſculando: Idemque nomine pariter ejuſdem Concilii præſtitiſſe Dominum Patriarcham Antiochenum, quibus peractis cantatum fuiſſe *Te Deum*, ac denique inſtante Procuratore Concilii Joanne de Scribanis, de præmiſſis factum fuit publicum inſtrumentum, ac ſeſſio ſoluta eſt.

293 Hac itaque abſoluta ſeſſione curarunt Concilii Patres unà cum ipſo Imperatore de iis, quæ per ipſum Joannem in ea acta fuerant certiorem reddere Gregorium XII. Angelum Corarium, & Petrum de Luna Benedictum XIII. ut Joannis exemplum ſectati, idem, & ipſi præſtarent, prætenſo juri & Papatui cedendo: Et quoniam major difficultas videbatur ex parte Petri de Luna, cujus pertinacia ſatis cognita erat, & propter clientelam Ferdinandi Aragonorum Regis, qui adhùc ei parebat, conſultum eſt, univerſis aſſentientibus Patribus, ut ipſe Imperator perſonaliter veniret in colloquium cum præfato Ferdinando, & Petro de Luna. Acta res eſt cum antedicti Ferdinandi Oratoribus Concilio præſentibus, ac firmatum, ut Sigiſmundus liber à quadam ſua indiſpoſitione proximo menſe Junio Niciam ſe conferret, Ferdinandus verò cum Petro de Luna eodem menſe proficiſcerentur Villamfrancam, recepta fide à Rege Galliarum, & Duce Sabaudiæ pro ſecuritate anteſatorum Regis Aragoniæ, & Petri de Luna. Acceſſit & Joannis conſenſus exhibitus per literas eidem Imperatori datas, incipientes, *Cum tua Serenitas*, quibus etiam mandavit, nihil in Synodo novandum eſſe, quòd paci Eccleſiaſticæ inſtaurandæ adverſaretur, donec id colloquium ſolutum foret; dummodo viciſſim Petrus de Luna nil contra Eccleſiam novaret. Alias porrò literas datas Idibus Martii, incipientes, *Supremis exoptantes affectibus*, dedit Comiti Sabaudiæ, quibus rogavit, ut ſtudia ſua ad perficiendum præfatum congreſſum conferrat. Sed hæc omnia ſimulatè agebat Joannes, nam clàm diſſolvere Concilium totis viribus nitebatur; Sed cùm Patres conſtanti mente Concilium continuare intenderent, donec Eccleſiarum conjunctio redintegraretur, videns Joannes ſuas artes deluſas, noctu, & clàm à Concilio ceſſit, & Scaphuſan ſub ditione Friderici Ducis Auſtriæ ſe contulit: *Die Mercurii vigeſima Martii*, inquiunt Acta Concilii apud Raynaldum, *Dominus noſter Papa prædictus de nocte receſſit, aut veriùs fugit de Civitate Conſtantienſi in habitu ſimulato ad modum ruſtici, & ivit uſque Scaphuſen Conſtantienſis Diœceſis, prope Conſtantiam ad quatuor milliaria Theutonicalia, ad Terram illuſtris Principis Domini Friderici Ducis Auſtriæ pro prima ſua Dieta.*

294 Hac ſecuta fuga variæ turbæ in Concilio exortæ, miſſi ſunt ex ejuſdem Concilii nomine ad ipſum Legati, ſed nonniſi ambigua retulerunt, cùm reverà mens ejus ad ſolutionem Concilii verſaretur: quare Patres decreverunt procedendum ad aliam ſeſſionem, quæ habita fuit die XXVI. Martii, ſexta à receſſu Joannis, in qua præſuit Dominus Petrus Cardinalis Cameracenſis tituli Sancti Chryſogoni, interfuitque & ipſe Romanorum Rex, ac in ea ſequentia firmata & decreta fuere I. Quòd ipſa Synodus fuit ritè, & rectè, ac juſtè convocata, & initiata II. Quòd per receſſum Domini Papæ Joannis de loco Conſtantienſi, vel aliorum quorumcumque, non intelligeretur, nec eſſet ſolutum Concilium, ſed remaneret in ſua integritate, & auctoritate. III. Quòd præfatum Concilium non debere diſſolvi uſque ad ſchiſmatis extirpationem, & Eccleſiæ reformationem. IV. Ut ipſum Sacrum Concilium non transferretur ad alium locum niſi ex rationabili cauſa, & de ipſius Concilii aſſenſu. V. Ut nullus Prælatus recederet à Concilio, & loco Concilii, niſi ex cauſa rationabili approbata per deputatos, & de ejuſdem Concilii licentia. De quibus omnibus inſtante Henrico de Piro Promotore, & Concilii Procuratore factum eſt publicum inſtrumentum.

295 Seſſione ipſa ſoluta, cùm aliqui Cardinales ad Joannem ſe contuliſſent, ac habito cum eo colloquio, rediiſſent, in quadam Congregatione coram Sigiſmundo habita ſex ex illis Cardinalibus, *ample multùm*, ut ait Niemius, *locuti ſunt contra ipſum Concilium, ſcilicet, quòd diſſolutum eſſet propter abſentiam & receſſum dicti Balthaſaris: & eis reſponſum fuit acriter per plures de dicto Concilio viros magnæ auctoritatis & ſcientificos, ſcilicet, quòd Papa non eſſet ſupra Concilium, ſed eſſet ſub Concilio; & facta illic contentio magna hinc inde.* Hac itaque attenta controverſia, habita eſt ſeſſio IV. die XXX. Martii, præſente Romanorum Rege habitu Imperiali induto, in qua celebrata Miſſa de Spiritu Sancto per D. Patriarcham Antiochenum, præſidente Domino Cardinali Florentino, in qua inter alia emanavit Decretum de ſuperioritate Concilii ſupra Papam tenoris ſequentis, videlicet: *Quòd ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans,* po-

poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem Generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.

296 Sed hoc Decretum in magna diſcordia editum, & quibuſdam dumtaxat de Joannis XXIII. obedientia, reclamantibus aliis, refert Thomas Campegius de Poteſtate Roman. Pontific. cap. 23. §.6. inquiens: *Decretum illud præter id, quod factum fuit à ſola obedientia Joannis XXIII. nec etiam concorditer factum ab omnibus ejuſdem obedientiæ, cùm reclamaverint complures S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, complures Prælati, & Doctores, affirmantes, Decretum minus juridicum fore, doturumque quandoque occaſionem ſchiſmatis; contradixerit & ipſe Joannes XXIII.* Et quidem Joannem conqueſtum de præfato Decreto cum Oratoribus Caroli Francorum Regis, qui ipſum convenerant, ſcribit Turrecrem. in Summa de Eccleſia, cap. 95. ubi ait: *Cùm poſt receſſum ſuum à Conſtantia, Scaphuſæ conſtitutus audiret præfatam declarationem concluſam, Dominis Oratoribus Chriſtianiſſimi Regis Franciæ viſitantibus eum, videlicet Domino Duci Bavariæ, Domino Nicolao de Calavilla, aliiſque eorum Collegis, amaro animo conqueſtus eſt, falsa quædam & erronea adversùs auctoritatem Romani Pontificis decreta per æmulos ſuos, poſt receſſum ejus, eſſe concluſa.*

297 Eſt porrò permaximè advertendum, præfatum Decretum non abſolutè editum, ut velit ſimpliciter, & abſolutè Concilium eſſe ſupra Papam, adeout quodlibet Generale Cōcilium ſit ſupra quemlibet Romanum Pontificem: benè verò limitatè, declarans Concilium illud Conſtantienſe, quòd pro abolendo ſchiſmate tunc habebatur fuiſſe ſupra Papam, cujus cauſa tunc agebatur. Exorta namque controverſia, ut præfati ſumus, an per receſſum Papæ Joannis XXIII. diſſolutum eſſet, aliis contendentibus eſſe diſſolutum propter defectum Pontificiæ auctoritatis, quæ unicè robur dat œcumenico Concilio, nonnullis verò contrarium defendentibus, examinata controverſia, ac redacta ad limites præſentis caſus, in quo agebatur de ſchiſmate abolendo, & de Pontifice dubio, ac de tribus Pontificibus contendentibus de Papatu, viſum eſt ſaltem majori parti Patrum in caſu illo, Concilium fuiſſe ſupra Papam, quoniam ſi ſecus præcluſa fuiſſet omnis via dandi Eccleſiæ pacem, & viſa fuère in præſatu caſu militare jura *in cap. ſi duo. diſt. 79. & cap. Anaſtaſius diſt. 19. Et cap. ſi Papa diſt. 40.* Et quòd præfatum Decretum limitatum fuerit ad præſentem caſum, tùm antecedentia, tum ipſius Decreti verba, conſequentia quoque ſatis oſtendunt: nam in antecedentibus dicitur: *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens, pro extirpatione præſentis ſchiſmatis &c. ad conſequendum faciliùs, ſecuriùs, liberiùs, & uberiùs unionem & reformationem Eccleſiæ Dei, ordinat, diſponit, ſtatuit, decernit, & declarat, ut ſequitur.* Deinde ſubiecta ſunt Decreti verba ſic concepta: *Et primò, quòd ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata &c.* Ubi dum dicit *ipſa Synodus*, loqui demonſtrat de ſola Conſtantienſi Synodo, in cauſa ſchiſmatis congregata, non de quocumque œcumenico Concilio congregato præter cauſam Schiſmatis. Unde ſubſequitur: *Item quòd Sanctiſſimus Dominus noſter Papa Joannes XXIII. Romanam Curiam & officia publica illius, vel illorum Officiarios, ab hac Civitate Conſtantienſi ad alium locum non mutet, aut transferat &c.* Et ita in eum, tanquam in Pontificem dubium, vel unum ex contendentibus, nè effectus unionis per eum, vel diſſolvendo Concilium, vel translatando, vel quovis alio modo fruſtraretur, ſuam exercet auctoritatem. Et ita apparet, univerſa Acta, & Decreta in præſata ſeſſione unicè fuiſſe ordinata ad abolendum ſchiſma præſens, & omnia removenda obſtacula, quæ tantum bonum impedirent.

298 Conſona huic doctrinæ tradit supra-relatus Campegius, in opere de Romano Pontifice, ubi de præſato Decreto loquens, ait: „ Putamus, Decretum illud robur obti-
„ nere, nec eo imminutam auctoritatem
„ Romani Pontificis, quoniam ſi is (quod
„ Deus avertat) in hæreſim lapſus ſit, non
„ in eum habet Concilium poteſtatem, qui
„ ſit Pontifex, ſed in eum, qui fuerit Ponti-
„ fex, quod hæreſis omni eum auctoritate
„ & poteſtate ſpoliaverit: In caſu verò ſchiſ-
„ matis, cum ſcilicet duo, vel plures de Pa-
„ patu contendunt, cùm ignoretur quis eo-
„ rum ſit Pontifex, Concilium in eos habet
„ poteſtatem, qui pro Pontificibus non ha-
„ bentur: Sicut enim quod neſcitur conſe-
„ cratum, pro non conſecrato habetur, &
„ conſecratione eget, *cap. veniens, de Presby-*
„ *tero non baptiz. cap. ſolemnitates, de conſe-*
„ *crat. diſt.* 1. ſic, qui ignoratur, an verus ſit
„ Pontifex, habendus eſt pro non Pontifice,
„ & in eum habens poteſtatem, non cenſetur
„ habere poteſtatem in Pontificem. His aſti-
„ pulantur verba *cap. ſi duo fortè contra fas,*
„ *diſt.* 79. & Decreti, de quo nobis eſt ſermo:
„ ex quibus perſpicuè colligi poteſt illis
„ duobus caſibus Concilio tribus poteſtatem
„ in Romanum Pontificem. Hæc te deterreant
„ verba: *Cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel*
„ *dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obe-*
„ *dire tenetur*: Quoniam is Papa præmiſſis
„ caſibus inquam Concilium poteſtatem obti-
„ net, ſic Papa nuncupatur, ut homo mor-
„ tuus, aut pictus, homo appellatur, quod
„ ſatis ex præmiſſis colligitur. Præterea, illi
„ Patres Decretum illud locum habere vo-
„ luerunt tempore ſchiſmatis, non autem
„ cùm fuerit unus verus, & indubitatus Pon-

„ tifex, quod dicitur in ſecunda parte De-
„ creti: Item declarat, *quòd quicumque cujuſ-*
„ *cumque conditionis, ſtatus, vel dignitatis,*
„ *etiam ſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis,*
„ *ſeu ordinationibus hujus Sacræ Synodi, &*
„ *cujuſcumque alterius Concilii Generalis le-*
„ *gitimè congregati &c.* Super præmiſſis, re-
„ ferendum eſt ad ſimilem caſum ſchiſmatis,
„ aut hæreſis Romani Pontificis, quo rectè
„ Concilio ſubiicitur; nec quòd dicitur, *ad*
„ *reformationem dictæ Eccleſiæ in capite & in*
„ *membris*, referendum eſt, niſi ad reforma-
„ tionem astione ſchiſmatis aut hæreſis, cùm
„ deſit vetus Pontifex, cujus eſt Eccleſiam
„ reformare; ſic quod dicitur, *in capite & in*
„ *membris*, interpretandum de capite dubio
„ & incerto, cùm ſuper eo Concilium ha-
„ beat jurisdictionem, non autem ſi certum
„ fuerit, & indubitatum. *Hactenus Cam-
pegius.*

299 Deinde hujus, & noſtræ expoſitionis veritas comprobari poteſt ex doctrina ipſius Concilii Piſani, cujus continuatiuum fuiſſe Conſtantienſe Concilium declararunt Patres in præludiis ad ipſam primam ſeſſionem, ubi dicitur, Joannem XXIII. *Continuando ſacrum Piſanum Concilium Generale*, Conſtantienſe indixiſſe: nec potuit in hac parte, ubi agitur de ſuperioritste Concilii ſupra Papam, alia mens fuiſſe Patrum Concilii Piſani, ac Conſtantienſis: ſemel quod eadem fuit cauſa congregandi Piſanum, & continuandi, ſive congregandi Conſtantienſe, pro ſcilicet fœdo & antiquato abolendo ſchiſmate; atqui in Concilio Piſano Concilii auctoritas ſupra Papam limitata fuit ad caſum præſentis ſchiſmatis, prout acta ipſa relata à Raynaldo ad Annum Domini MCCCCLX. ſub num. 71. indicant, cùm in eis dicatur:
„ Hæc ſancta & univerſalis Sy-
„ nodus, univerſalem Eccleſiam repreſen-
„ tans, decrevit & declaravit Collegium
„ Cardinalium ex utraque parte congrega-
„ tum, & per ipſum Concilium unitum, ip-
„ ſum Concilium convocare potuiſſe, & hu-
„ juſmodi convocationem addictum Sacro-
„ ſanctum Collegium ſpectaſſe, & perti-
„ nuiſſe, & ſpectare & pertinere hac vice in
„ hac cauſa deteſtandi & antiquati ſchiſma-
„ tis & fidei. *Hæc ibi.* Quod quidem Decretum, aliaque plura, quæ in vulgatis Piſani Synodi editionibus deſiderantur, habentur inſerta apud Labæum tom. 11. par. 2. pag. 2253. Porrò cùm ex parte Gregorii XII. opponeretur Cardinalibus Piſanum Concilium convocantibus, Papam eſſe ſupra Concilium, non Concilium ſupra Papam, præfati Cardinales, ut pariter idem Raynaldus ex Piſanis actis refert loco cit. ſub num. 42. reſponderunt:
„ Quòd in caſu, de quo
„ agitur, quando ſcilicet ſunt duo conten-
„ dentes de Papatu, ut eſt in caſu præſenti,
„ Concilium Gen. eſt Judex ordinarius, & ſu-
„ perior utriuſq; nam clarum eſt, quòd pro-
„ pter dubium unus non eſt ſuperior altero,
„ nec ambo ſimul, cùm non poſſint eſſe duo
„ capita, & eſſet contra articulum fidei: *&*
„ *unam ſanctam catholicam & Apoſt. Eccleſiam.*
„ Nec alter ipſorum per ſe habet in iſta ma-
„ teria aliquam jurisdictionem, nec con-
„ vocandi, nec ordinandi, nec aliquid ſta-
„ tuendi: nam aliàs quilibet eſſet Judex in
„ cauſa in propria de titulo ſui Papatus, nec
„ unus cum parte ſibi obediente, obediret
„ ſeu determinationi alterius, itaquod opor-
„ tet de neceſſitate, quòd ſit dare tertium,
„ qui judicet inter eos, & nullus eſt, niſi
„ univerſalis Eccleſia, quæ eſt ſuperior &
„ mater utriuſque. *Hæc & alia* Domini Car-
„ dinales pro Concilio Piſano.

300 Itaque hæc controverſia de ſuperioritate Concilii ad Papam primùm mota fuit in Concilio Piſano, nec reperitur antea ullibi excitatam, vel in quovis alio ex œcumenicis celebratis Conciliis, Græcis, ſive Latinis, agitatam, immò nec verbum unum habitum: quoniam univerſa priora Concilia ſub certo & indubitato Pontifice celebrata fuere: nemoque in dubium revocaverat certum & indubitatum Pontificem non ſubiici Concilio, niſi fortè in cauſa hæreſis, ut *in cap. ſi Papa, diſt.* 40. à qua, divina favente gratia, quotquot anteceſſerunt Romani Pontifices, immunes extiterunt, quidquid de Honorio primo nonnulli ſcribant, quem nos ſuo loco ab hæreſis labe luculenter expurgavimus: ac ita occaſione ſchiſmatis, quo Eccleſiam ſcindente, de vero & certo Pontifice dubitabatur, in præfato Concilio Piſano agitata hæc primùm controverſia fuit, ac validiſſimis attentis rationibus, viſum eſt Patribus, Concilium eſſe ſupra duos contendentes de Papatu, quia ſupra Pontificem incertum & dubium: quam regulam ſecuti Patres Synodi Conſtantienſis, eadem de cauſa, exiſtentibus pariter tribus de Papatu contendentibus, decreverunt, Concilium eſſe ſupra Papam, ideſt ſupra Papam contendentem tunc de Papatu ſecundùm ſubjectam materiam, ſupra Joannem XXIII. tunc Pontificem dubium, ſe illi opponentibus Gregorio XII. & Benedicto XIII. & ſupra hos etiam duos contendentes. Quod quidem Decretum viſum fuit Patribus neceſſarium ad effectum procedendi contra eoſdem contendentes, & abolendi ſchiſma: quoniam Joannes, ut fati ſumus, receſſerat à Concilio, & illud diſſolvere conabatur in maximum Eccleſiæ univerſalis detrimentum. Non eſt ergò Decretum illud extendendum ad Pontifices certos, indubitatos extra cauſam ſchiſmatis, ut quidam contendunt. Hanc porrò præfati Concilii Conſtantienſis Decreti intelligentiam, ac genuinam explicationem, roborat Frater Paulus Fabulottus in libello de Poteſtate Papæ ſupra Concilium, §. *nimius ad Argumen-*

tum

tum 5. ubi de hoc Decreto verba ſaciens, ex Turrecremata, Campegio, Sandero, & aliis, ait: „ Concilium Conſtantienſe, quando „ decrevit Concilium eſſe ſupra Papam, lo„ cutum eſſe de ſchiſmatico præſumpto, & „ non legitimo electo, non de vero & indu„ bitato Papa, quem nos oſtendimus eſſe ſu„ pra Concilium. Nam cùm eo tempore „ tres eſſent Pontifices, Joannes XXIII. Gre„ gorius XII. & Benedictus XIII. ea contro„ verſia agitabatur, an Concilium eſſet ſu„ pra Papam dubium? In eo igitur ſenſu lo„ qui debuit Concilium, in quo eo tempore „ hæc quæſtio agitabatur, in quo ſenſu De„ cretum hoc nihil facit contra ea, quæ ha„ ctenus docuimus. *Hæc ille*. Idem pariter tradit Jacobatius de Conciliis, lib. 10. de ſuperioritate Papæ ad Concilium §. *reſtat nunc reſpondere*. In reſponſione ad xxv. de Decreto Conſtantienſi.

301 Id porrò, quod aſſerunt, præfatum Decretum confirmatum fuiſſe à Martino V. negat Jacobatius loco cit., immò aſſerit, nec à Martino, nec à quovis ſucceſſore ſuiſſe confirmatum. Et Paulus Fabulottus idem tradit, aitque; *Conſtat hoc Decretum factum fuiſſe repugnantibus Pontificibus, qui tunc ſedebant, ſine ulla examine. Non continetur ergo ſub approbatione dicti Martini V. Præterea Martinus ea ſolùm approbat, quæ fuerunt decreta contra Joannem Hus, & Joannem Wicleff: nullam hujus Decreti mentionem facit.* Hæc ille. Sed damus quòd in Generali illa approbatione, expreſſa ſeſſione ultima per illa verba: „ Sanctiſſimus Dominus noſter „ Papa dixit reſpondendo ad prædicta, quòd „ omnia & ſingula determinata, concluſa, & „ decreta in materiis fidei per præſens „ Concilium conciliariter tenère & invio„ labiliter obſervare volebat, & nunquam „ contraire quoquomodo. Ipſaque ſic con„ ciliariter facta, approbat, & ratificat, & „ non aliter, nec alio modo. *Damus* inquam, quòd per præfata verba voluerit comprehendere tale Decretum, dicimus illud approbaſſe, *non alio modo*, ſed eodem, quo à Concilio editum fuit, adeout vigorem habeat in cauſa ſchiſmatis, ſive tempore ſchiſmatis, quando plures ſunt contendentes de Papatu, prout erant tempore editi Decreti, & non adeſt certus & indubitatus Papa.

302 Deinde tantùm abeſt, ut Martinus V. in confirmando Conſtantienſi Concilio, ſive in approbandis illius Decretis, intellexerit approbare Decretum de ſuperioritate Concilii ad Papam, ſumpto Papa certo & indubitato, quod cùm in Concilio Senenſi proximè habito, ortæ eſſent turbæ & lites, de præfata Pontificis auctoritate ſupra Concilium, vel è converſò, conantibus quibusdam, Decretum Concilii Conſtantienſis extorquere in pravum ſenſum, ac proinde eſſe intelligendum de ſuperioritate Concilii etiā ſupra Papam certum & indubitatum, ipſe miſſis Senas Leonardo Datho, & Dominico è Capranica, curavit Concilium ipſum Senenſe diſſolvere, illudque Baſileam transferre: Hinc Joannes Baptiſta Poggius in Vita Cardinalis Firmani, facta hujus rei mentione, ait, Legatos prædictos ſumma prudentia effeciſse, ut omiſsa diſputatione præfatæ controverſiæ, aquieſcerent, ut Concilium ſeptennio poſt Baſileæ haberetur, *Eo igitur, ubi ventum eſt*, ait, *ſua prudentia effecerunt, ut omiſſa ejus rei mentione, id in Civitate Germaniæ Baſileæ ſeptennio poſt conventurum indicerent*. Cùm porrò Baſileæ conveniſsent, ſeſs. 2. decreverunt id quod meditati ſuerant in Concilio Senenſi, nimirum Concilium Generale eſse ſupra Papam, confirmantes totidem verbis ipſum Conſtantienſis Concilii Decretum. At Eugenius Papa IV. videns ab initio ſic procedere Patres Baſilienſes, adhùc exiguo numero, aliisque de cauſis, Concilium ipſum diſsolvit: at illi diſsolutioni minimè aſsentientes, plura contra Pontificem auſi ſunt actitare, ut acta ipſa produnt: ſed & inter cætera, has ſtatuerunt propoſitiones. I. *Veritas de poteſtate Concilii Generalis universalem Eccleſiam repreſentantis ſupra Papam, & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe, & hoc Baſileenſe Generalia Concilia eſt veritas fidei catholicæ.* II. *Veritas hæc, quod Papa Concilium Generale universalem Eccleſiam repreſentans, actu legitimè congregatum, ſuper declaratis in præfata veritate, aut aliquo eorum, ſine ejus conſenſu nullatenus auctoritate poteſt diſſolvere, aũt ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locũ transferre, eſt veritas Fidei catholicæ.* III. *Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, eſt cenſendus hæreticus.* Quas propoſitiones Eugenius IV. in Synodo œcumenica habita Florentiæ, in publica ſeſſione celebrata Pridie Nonas Septembris, Anno MCCCCXXXIX. edita Conſtitutione, quæ incipit, *Moyſes vir Dei*, apud Labæum tom. 13. Conciliorum, par. 3. Concilii Florentini, pagina 1185. damnavit & proſcripſit, declarans Decretum Concilii Conſtantienſis à Baſileenſibus in pravum ſenſum extortum. Verba Eugenii ſunt: „ Decernentes etiam „ nunc & declarantes, quæcumque per di„ ctos impios homines Baſileæ exiſtentes, „ facta, & attentata &c. tanquam ab impiis „ hominibus, & nullam poteſtatem habenti„ bus, ſed à Deo abjectis & reprobatis, ſuiſ„ ſe & eſſe nulla, caſſa, & irrita, & de facto „ præſumpta, ac nullius penitùs effectus, „ roboris, vel momenti. Ipſasque propoſi„ tiones ſuperius deſcriptas, juxta pravum „ ipſorum Baſileenſum intellectum, quem „ facta demonſtrant, veluti Sacroſanctæ „ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, & ipſius „ Conſtantienſis Concilii ſenſui contrarium, „ necnon præfatam aſſertam declarationis,

ſeu

„ ſeu privationis ſententiam, cum omnibus „ inde ſecutis, & quæ in futurum ſequi poſſent, tanquam impias, ſcandaloſas, necnon „ in manifeſtam Eccleſiæ Dei ſciſſuram, ac „ omnis Eccleſiaſtici Ordinis & Chriſtiani „ Principatus confuſionem tendentes, ipſo „ ſacro approbante Concilio, damnamus & „ reprobamus, ac damnatas, & reprobatas „ nunciamus. *Hactenus Eugenius*. Ex quo videns, non licuiſſe, nec licère Decretum Concilii Conſtantienſis extendi ad alios caſus, locumvè dumtaxat habuiſſe, & habere quando ſunt plures Pontifices dubii ſchiſma inferentes in Sanctam Dei Eccleſiam, & de Papatu contendentes, ſecus verò dum certus habetur Indubitatus Pontifex, ſicut erat tempore Concilii Baſileenſis. Sed de hoc Decreto ſatis.

303 Porrò Patres omni via conati ſunt revocare Joannem ad Concilium, ipſum verò renuëtem hortati ſunt ſaltem, nè Scaphuſa diſcederet; verùm ille contrarium egit recedens Scaphuſa, ac pergens Leſſembergh, ut Ducis Auſtriæ patrocinio tutus deliteſceret: *In quo itinere*, ut ait Niemius, *dum eſſet extra Scaphuſam, accerſivit Tabellionem, & teſtes, & coram illis publicè proteſtabatur, quòd quidquid ipſe Conſtantiæ juravit, vovit, & promiſit, illud vi & metu feciſſet, & non aliàs, ac propterea illud efficere non teneretur: & eandem proteſtationem poſtea pluries repetiit in aliis locis, ad quæ devenit*. Hoc porrò per literas datas Lambſemberk Pridie Nonas Aprilis univerſis Chriſtifidelibus innoteſcere voluit: „ Univerſitati veſtræ, *inquit*, & ve- „ ſtrum ſingulis præſentibus innoteſcat, cùm „ propter metum, qui meritò cadere pote- „ rat in conſtantem, de Civitate Conſtan- „ tienſi diſceſſimus, & ad terram Scaphuſen- „ ſem Conſtantienſis Diœceſis pervenimus, „ credentes exinde poſſe omnia & ſingula „ practicare, quæ forent ad pacem & unio- „ nem Eccleſiæ Sanctæ Dei, quam de die in „ diem cordialiùs expectamus, cauſante „ humani generis hoſte impedimenta, ſu- „ perveniunt talia, quòd exinde feria ſexta „ majoris hebdomadæ poſt celebratum Offi- „ cium, ingraveſcente aeris tempeſtate per- „ maximè, oportuit nos abinde diſcedere „ etiam propter metum, qui cadere poterat „ in conſtantem, & loco & tempore con- „ gruis & ſecuris etiam in Generali Conci- „ lio, ubi & quando tutus patebit acceſſus „ luce clariùs oſtendetur. *Hæc Joannes, in præfatis literis tamen in quibuſdam fuit Epiſtolis*, ait Niemius, *hinc inde directis ſcripſit oppoſitum*. Verùm Patres alias Encyclicas fecerunt literas, incipientes, *Dudum Piſis*, quibus fraudolentiam Joannis, univerſis Chriſtifidelibus patefecerunt.

304 Et exinde die VI. Aprilis habuerunt ſeſſionem V. in qua primùm ad infringendos vanos Joannis conatus, iterum renovata ſunt anterioris ſeſſionis Decreta, de præſentis Concilii ſupra Papam ſuperioritate, & de adempta ipſi Joanni poteſtate transferendi, aut diſſolvendi Concilium; & ulteriùs decretum eſt, & declaratum: „ Quod Domi- „ nus Joannes Papa, & omnes Prælati, & „ alii ad hoc Generale Concilium vocati, „ & alii in eodem Concilio exiſtentes, in „ plenaria libertate fuerunt, exiſtunt, ut „ viſum eſt dicto ſacro Concilio, nec ad „ notitiam dictorum vocatorum, ſeu dicti „ Concilii contrarium deductum eſt: & hoc „ teſtificatur dictum ſacrum Concilium co- „ ram Deo, & hominibus. *Inſuper* Decretum eſt, quòd præfatus Joannes, tenetur renuntiare Pontificatui, non ſolùm in caſu contenta in ſchedula, ſed in quovis caſu, quo ſua renuntiatio afferre poſſet evidentem utilitatem ad bonum unionis: quòd ſi requiſitus à Concilio, renuntiare detrectaret, auctoritate præfati Concilii haberetur pro abjecto à Papatu. Declaravit quoque receſſum Joannis à Civitate Conſtantienſi fuiſſe illicitum, ac bono unionis Eccleſiæ Dei præjudicialis & nocivus. Editum etiam Decretum fuit pro aſſecuratione præfati Joannis, ſi voluiſſet redire, promittens ipſum Concilium ei omnem ſecuritatem.

305 Interea Joannes, neſcitur qua de cauſa, tribus dumtaxat ſtipatus comitibus Laſſembergio ſe Friburgum tranſtulit, inde Briſacum, poſtea Nuemburg, ac iterum Friburgh; quæ itinera Niemius deſcribit, in- „ quiens: „ Poſtquam dictus Balthaſar per „ aliquot dies manſit in Friburgh, tranſtu- „ lit ſe ad oppidum Briſacum etiam ſuper „ dictum flumen conſiſtens, conſiſus ibi tra- „ ctatus facere per medias perſonas cum „ Duce Burgundiæ, qui habet terras non „ multùm ab inde diſtantes, ut eum abdu- „ ceret, ſeu abduci faceret de Alemania, „ conduceretque per partes Galliæ uſque ad „ Avenionem; & ſuper hoc jam erant con- „ ducti plures ſtipendiarii in propinquo exi- „ ſtentes; & adventum dicti Balthaſaris ad „ ipſos pluribus diebus & noctibus præſto- „ lantes: Sed res interim detecta fuit qui- „ buſdam fidelibus dicti Domini Regis po- „ tentibus in partibus illis. Quod eùm ſci- „ ret ipſe Balthaſſar, non audebat ſe com- „ mittere ipſis conductis gentibus; ſed fu- „ git etiam tunc habitu mutato conſueto ad „ Oppidum Nuenburgh ſuper eodem flumi- „ ne conſiſtens: Sed illicò ſuperveniente „ rumore, falſo tamen, quòd prædicti fideles „ ejuſdem Domini Regis Romanorum præ- „ fatum Balthaſſarem, & ſuos Curiales tunc „ ſecum exiſtentes in eodam Oppido Nuen- „ burgh obſidione conſtringere vellent, ipſi „ timore vano perculſi, nullo per eos ordine „ ſervato, ſicut oves errantes, fugerunt ab „ eodem Oppido, ambulantes illa die & no- „ cte immediatè ſequente, ab invicem di- „ ſperſi iter agentes iterùm ad dictum Ca-

ſtrum

„ ſtrum Friburg, ad quod ſic fugientes, tan- „ dem reverſi fuerunt. *Hæc Niemius*.

306 Sed Concilii Patres, quibus in corde erat Eccleſiæ unio, ac ſchiſmatis abolitio, cùm accepiſſent, Joannem iterum Friburgum reverſum, ſolemnem illi totius Concilii nomine Legationem deſtinarunt, munus præfatæ Legationis exercentibus duobus Cardinalibus unà cum diverſis Epiſcopis, qui ejuſdem Concilii nomine poſtularent à Joanne, quòd conſtitueret Procuratores in ipſo Concilio ad cedendum pro eo Papatui, & ipſe eligeret, ſi vellet, aliquem alium locum, in quo ſtaret, quouſq; dictum Concilium aliud de ipſo pro publica auctoritate Chriſtianitatis ordinaret, aut dictum Concilium contra eum ad privationem procedere vellet, prout in terminis idem Niemius refert. Verùm ingrata admodùm hujuſmodi Legatio viſa fuit Joanni, qui præfatorum Legatorum poſtulationi de Procuratoribus conſtituendis, qui nomine ipſius Papatui cederent, acerbè ſatis reſpondit; nè tamen videretur palàm unioni contradicere, exarata quadam abdicationis formula, per Bertholdum Urſinum Comitem Conſtantiam miſit, quæ Patribus non ſufficiens, nec idonea viſa fuit: Proinde habita quadam particulari Congregatione, die 13. Aprilis actum eſt de ſponſionibus faciendis Joanni, ut faciliùs induci poſſet pro pacis bono ad cedendum Papatui; ac nonnullæ pactiones ab Archiepiſcopo Januenſi propoſitæ fuerunt, quæ, ut præfatus adnotat Niemius, à Concilio præſtari non poterant: Concepta inſuper fuit in eadem Congregatione formula de abdicanda à Joanne Procuratoris opera Pontificiâ dignitate eidem Joanni mittenda.

307 Hinc die XVII. menſis Aprilis habita eſt VI. generalis ſeſſio, eodem Romanorum Rege Regalibus Inſignibus ornato præſente, ac in ea præſidente Joanne Epiſcopo Hoſtienſe Cardinali Vivarienſi, ac Vice-Cancellario. Ac in eadem ſeſſione declaratum fuit, Procuratorium ſuper renunciatione Papatus facienda per Dominum Joannem XXIII. per quatuor Nationes Concilii deliberatum, & ordinatum, fuiſſe bonum, utile, ac pro unione Sanctæ Matris Eccleſiæ expediens;& quòd dictus Joannes XXIII. teneretur dare, & facere dictum Procuratorium ad cedendum Papatui pro bono unionis, & Eccleſiæ pacis, juxta formulam præſcriptam ab eodem Concilio: Quæ quidem formula habetur inſerta in hujus ſeſſionis Actis, incipitque, *Pridem ad laudem omnipotentis Dei*. Cùm porrò univerſum Concilium ab exordio in quatuor Nationes fuiſſet diviſum, nimirum in Gallicam, Italicam, Anglicanam, ac Germanicam, in hac eadem ſeſſione præſcriptum fuit Joanni, ut ex qualibet Natione ad cedendum Papatui, certos viros ab eodem Concilio deſignatos, præter alios, quos pro ſuo libitu vellet, ſeligeret. Deinde etiam de qualibet ex quatuor Nationibus deſignati ſunt ab eodem Concilio Legati deſtinandi ad ipſum Joannem ad petendum & requirendum, ut infra, duos dies à facta requiſitione, conſtitueret præfatos Procuratores ad cedendum Papatui; atque inſuper ad exhortandū præfatum Joannem, quatenus Conſtantiam repeteret, vel ſaltem ſe conferret ad Villam Ulmæ, aut ad Villam Ravenſpurgh, aut ad Civitatem Baſileæ, ad effectum tractandi, & perficiendi per eum, & quantum in eo, omnia & ſingula, quæ expedire viderentur pro unione, & Eccleſiæ reformatione, data eidem ad hoc ſecuritate tam Concilii nomine, quàm Regis Romanorum. Si porrò Joannes hujuſmodi poſtulationi annuere voluiſſet, quod teneretur jurare infra duos dies à facta requiſitione locum eligere, infra decem verò dies ad locum electum ſe conferre, nec ab eo inde recedere, niſi de conſenſu Concilii. Ac denique decretum fuit, ut his rebus pendentibus, donec haberetur Joannis reſponſio, ſuperſederetur à proceſſu formando contra ipſum, & in caſu quòd præmiſſa adimplere ceſſaretur à citatione. Poſt hæc verò nonnulla acta ſunt in caſu hæreſis Joannis Hus, pro qua decreti ſunt Commiſſarii, ac inde decreta eſt citatio Hieronymi de Praga hæreſis infecti. Alia, quæ in eadem ſeſſione agitata fuere, recenſentur à Raynaldo ad Annum MCCCCXV. ſub num. 16. quem quiſque conſulere poteſt.

308 At Joannes fretus patrocinio Friderici Ducis Auſtriæ Concilii mandata, decreta, monita, & quævis hortamenta contempſit: cujus rei causâ die ſecunda menſis Maji celebrata fuit VII. generalis ſeſſio, eodem Romanorum Rege præſente, ac ſupradicto Joanne Cardinali Vivarienſi, & Epiſcopo Hoſtienſi in eadem præſidente: in qua quidem ſeſſione decretum formiter, ac juridicè procedendum contra Joannem XXIII. fuitque pronunciata, ſive lecta, & inde approbata formula citationis contra eundem, incipiens: *Pridem poſt clandeſtinum receſſum Domini Joannis Papæ XXIII. ab hac Civitate Conſtantienſi*, cujus vigore tam ipſi, quàm ipſius fautores citati ſunt ad comparendum Conſtantiæ perſonaliter infra novem dies computandos à die executionis præfatæ citationis, & ſiſtendum Concilio in publica ſeſſione immediatè habenda ex actis præfatis novem diebus. Deindè relata fuit executio citationis contra Hieronymum de Praga, ac decreta altera ſeſſio habenda in cauſa Fidei contra hæreſes Joannis Hus, ac Joannis Wicleff. Quæ quidem ſeſſio VIII. in ordine celebrata fuit die IV. menſis Maii coràm eodem Romanorum Rege, ac præſidente in ea præfato Cardinali Vivarienſi Epiſcopo Hoſtienſi; in qua univerſa impia doctrina Joannis Wicleff reda[illegible] XLV. Articulos damnata & proſcripta [illegible] memoria quoque ejuſdem Wicleff

Digitized by Google

cleff, jam defuncti, damnata fuit; damnati inſuper ejus libri, ac comburi ubique juſſi ſunt. Nec aliud actum eſt in ea ſeſſione.

309 Interea, dùm hæc in Synodo agerentur, Sigiſmundus Romanorum Rex per ſuoa Duces bello urgebat Fridericum Auſtriæ Ducem, ſub cujus clientela degebat Joannea, & cujus auxilio receſſerat Conſtantiâ, & juraverat nec pacem, nec treguam ſe velle habere cum præfato Duce: At ille non valens Imperiali potentiæ reſiſtere, pacem ſibi dare ab Imperatore poſtulabat. Hinc Rex, ſive Imperator poſt celebratam antedictam octavam ſeſſionem, die ſequenti, videlicet v. menſis Maji in particulari Congregatione Deputatorum quatuor Nationum, ſedens in medio, cauſam belli moti contra Fridericum propoſuit, eamque fuiſſe dixit: „ Quòd Fridericus ſcandalizaſſet Eccleſiam, & Concilium Conſtantienſe in hoc, quod abduxit Joannem Papam XXIII. noctis tempore, quod non remanſit per eos, quin totaliter Concilium per talem abductionem, & Papæ fugam fuiſſet diſſolutum. Item ex eò quòd nonnullos Epiſcopos de Sedibus ſuis expuliſſet, & Abbatea de eorum Monaſteriis, retinens Abbatias, & Epiſcopatus in manibus propriis. Item ex eò quòd Viduas, & Orphanos ſpoliaſſet bonis hæreditariis, quorum multi propter hoc irent mendicatu per Mundum. *Hæc Sigiſmundus*, ut habetur in Actis Concilii Conſtantien. apud Labæum poſt ſeſſionem octavam, ubi ſubſequitur, eundem Sigiſmundum petiiſſe, an attento juramento, quòd nunquam vellet facere pacem, vel treguam cum præſato Duce, veniam poſcenti, pacem dare, ſalvo juramento, poſſet. Re in controverſiam poſita, ac diligenter examinata, concluſum fuiſſe, inquiunt præfata Acta, Regem poſcenti veniam, ſi daret pacem, nullum incurrere perjurium, ipſum recipiena ſimpliciter ad miſericordiam, & tanquam hominem captivum, & Dominium ejus captivum. Hac formata deliberatione, miſſi ſunt quatuor Prælati ad aſſociandum Fridericum, ipſumque ad præſentiam Regis ducendum, ut ipſis actis ſubjungitur, & cùm veniſſet ad prædicti Regis præſentiam, poſtulatam humiliter de offenſis veniam recepit, promittens, Papam Joannem XXIII. ſe velle reducere, *ſalvo tamen honore ipſius, quod eidem Papæ, neque ſuis ſecum venientibus, non inſerretur vis in eorum propriis perſonis, ſive bonis, quæ ſecum apportaverint.*

310 Habita inde eſt ſeſſio IX. die XIII. ejuſdem menſis Maii, eodem Rege præſente, ac pariter eodem D. Cardinale Vivarienſi Oſtienſi Epiſcopo præſidente: ac in ea ſeſſione inter alia facta eſt relatio de executione citationis contra Joannem XXIII. decretæ in ſeſſione VII. Rejecti fuerunt Petrus Cameracenſis, Guillelmus Sancti Marci Presbyteri Cardinales, & Franciſcua Florentinus Diacon. Cardinalis, ad dicendam cauſam pro Joãne procuratorio nomine, ſicut ipſe Joannea ſtatuerat, ac decretũ, inſtante Cauſarum Promotore, eam cauſam non eſſe agendam procuratorio nomine, ſed ipſum Joannem ad purganda impoſita crimina perſonaliter producendum: hinc in valvis Eccleſiæ Conſtantienſis judiciario ritu, ad comparendum poſtulatus eſt, formula hiſce verbis concepta: *Auctoritate ſanctæ Synodi Conſtantienſis requirimus Joannem Papam XXIII. citatum, & ſequaces ſuos, & fautores, ſi ſint hic, veniant coram dicta ſancta Synodo, reſponſuri ſuper contentis in citatorio.* Trina voce ſonora, voce eadem repetita verba, & nemine comparente, facta relatione, in publica acta id redactum eſt: exinde deputati ſunt Judicea ad cognoſcendam Joannis cauſam. Deputati pariter fuerunt ſelecti viri ex quatuor nationibus in Commiſſarios, ut inquirerent ſuper crimina, de quibus Joannes fuerat accuſatua & diffamatus: ac denique auctoritate Concilii prorogatum eſt Joanni tempus ad comparendum uſque ad ſequentem diem, hoc edito Decreto: „ Auditis, & intellectis præpoſitis, & petitis per Procuratores hujua ſacri Concilii Generalis contra Dominum Joannem Papam XXIII. Intendentes in hac cauſa cum maturitate & manſuetudine, & charitate in Spiritu Sancto procedere, præfatum Dominum Joannem, quo ad præmiſſa contra eum præpoſita & petita, uſque ad diem craſtinum hora, qua celebrabitur ſeſſio, de ſolita benignitate expectandum decernit, & ſuper jam propoſitis, ſeu potiùs pro parte ejus fore reſpondendum.

311 Adveniente prædicta die decimaquarta ejuſdem menſis Maii coram eodem Romanorum Rege habita eſt ſeſſio X. præſidente in ea prædicto Cardinale Vivarienſi, in qua repetitis ſolemnitatibus juris, iterum citato Joanne, ut in ſeſſione præcedenti, & non comparente, factaque relatione, quod eſſet de variis exceſſibus & criminibua per idoneoa teſtes, & ex facti etiam notorietate convinctus, lata eſt in eum ſententia ſuſpenſionis à Papatu, & ab adminiſtratione Papali, hiſce verbis, poſt enarratam facti ſeriem, concepta.

In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

312 Quia nobis legitimè conſtat, Dominum Joannem Papam XXIII. à tempore, quo fuit aſſumptus ad Papatum uſque nunc, Papatum ipſum, & politiam Eccleſiæ, in ſcandalum notorium ipſiua Eccleſię, malè adminiſtraſſe, rexiſſe, & gubernaſſe, vitaque ſua damnabili, ejuſque nefandis moribus, populis exemplum vitæ malæ præ-

Digitized by Google

,, præbuiſſe & præbère , & inſuper Eccleſias
,, Cathedrales , Monaſteria , Prioratus Con-
,, ventuales , & cætera beneficia Eccleſiaſti-
,, ca præcio appreciato ſimoniacè notoriè
,, diſtribuiſſe , Bonaque , & jura Romanæ &
,, aliarum Eccleſiarum plurium notoriè dila-
,, pidaſſe ; quòdque charitativè monitus , à
,, præmiſſis deſiſtere noluit, ſed continuè per-
,, ſeveravit , & perſeverat , Eccleſiam Dei in
,, præmiſſis notoriè ſcandalizando : Eapro-
,, pter per hanc noſtram ſententiam pronun-
,, tiamus , & decernimus , & declaramus ,
,, dictum Dominum Joannem Papam ab omni
,, adminiſtratione Papali , ſpirituali & tem-
,, porali , ex cauſis præmiſſis fore ſuſpenden-
,, dum , & ſuſpendimus , eique adminiſtra-
,, tionem ipſam interdicimus in his ſcriptis,
,, criminaque præmiſſa contra eum ſuper
,, mala adminiſtratione ſimoniaca , & dilapi-
,, datione notoria , ac ejus mala vita Eccle-
,, ſiam ipſam ſcandalizante (ut præmittitur)
,, propoſita , notoria exiſtente , ac & ſuper
,, eis , tanquam de & ſuper notoriis proce-
,, dendum fore , & procedi debere ad finem
,, eiiciendi eum à Papatu , prout juris fuerit,
,, declaramus . Quocirca vos , & quemlibet
,, veſtrum in Domino exhortamur , vobiſque
,, & Veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obe-
,, dientiæ , & ſub pœna fautoriæ dicti ſchiſ-
,, matis tenore præſentium diſtrictè inhibe-
,, mus , nè vos , ſeu aliquis veſtrum , cujuſ-
,, cumque conditionis , ſtatus , gradus , ſeu
,, dignitatis, etiamſi Regalis, Cardinalatus ,
,, Patriarchalis , Archiepiſcopalis , Epiſco-
,, palis , ſeu alterius cujuſcumque Eccleſia-
,, ſticæ , vel ſæcularis exiſtat , dicto Domino
,, Joanni Papæ ab omni adminiſtratione Pa-
,, pali per nos (ut præmittitur) juſtè ſuſpen-
,, ſo , contra dictam noſtram ſuſpenſionis
,, hujuſmodi ſententiam de cætero directè ,
,, vel indirectè obediat , pareat , Intendat ,
,, aut de bonis , rebus , juribus , ſeu aliis
,, emolumentis Romanę Eccleſiæ ex quacum-
,, que cauſa debitis , & ad eum, ac papatum
,, pertinentibus & ſpectantibus quovis modo
,, reſpondeat , decernentes ex nunc contra-
,, facientes ſcienter contrarium , tanquam
,, contra fautores dicti ſchiſmatis , ejuſque
,, Domini Joannis Papæ fautores & ſequaces,
,, ad pœnas juris , & alias (ut fuerit rationis)
,, auctoritate Sanctæ Synodi fore proceden-
,, dum ; necnon irritum & inane quidquid à
,, quoquam quavis auctoritate ſcienter , vel
,, ignoranter in contrarium contigerit atten-
,, tari . *Datum Conſtantiæ Provinciæ Mogun-*
,, *tinenſis , in ſeſſione publica in Eccleſia Maio-*
,, *ri ſolemniter celebrata , die Martis ,* XIV.
,, *Menſis Maii , Anno Domini MCCCCXV.*
,, *Indictione* VIII. *Pontificatus Domini Pa-*
,, *pæ Joannis XXIII. Anno V.*

313 His contra Joannem peractis à Concilio , Fridericus Auſtriæ Dux , ut ſacramento promiſerat , ipſum Joannem à fuga revocatum , ad Cellam Oppidum Agri Rodulhpi Conſtantienſis, perduxit diſtans duo Germaniea Milliaria à Civitate Conſtantiæ, ut exinde in Concilii poteſtatem deveniret : ,, Die
,, XXI. menſis Maii , *ait Niemus* , præfati ,
,, prædictus Balthaſar , tunc Papa pervenit
,, ad oppidum Celle,diſtans à Conſtantia per
,, duo Milliaria Alemanica : Illùc deductus
,, de Friburgh de mandato , & ordinatione
,, Concilii prædicti , & ipſe Rex Romano-
,, rum recepit in ſuam poteſtatem dictum
,, Oppidum Friburg cum octo aliis ſibi adja-
,, centibus Oppidis , ſivè caſtris , quæ erant
,, priùs Ducis ſupradicti, & in eodem Caſtro
,, Celle benè fuit cuſtoditus die noctuque
,, dictus Balthaſſar , prædicto Concilio diſ-
,, ponente . *Hæc ille* .

314 Itaque ſub cuſtodia conſtitutus Joannes in prædicto oppido , habita eſt ſeſſio XV. celebrata die XXV. ejuſdem menſis Maii coràm præfato Romanorum Rege , eodem , qui ſupra , Cardinale Vivarienſi Epiſcopo Oſtienſi præſidente : in qua quidem ſeſſione facta eſt relatio coram univerſa Synodo , de univerſis criminibus , exceſſibus , & delictis, de quibus fuerat accuſatus prædictus Joannes , redactis in quinquaginta tres Articulos, quoſdam per teſtes idoneos , quoſdam publica fama , & notorietate facti probatos , prout in Actis hujus ſeſſionis apud Labæum : Inſtante porrò Henrico de Piro Promotore commiſſum fuit Deputatis , ut præfatos Articulos , ſic probatos deſerrent eidem Domino Joanni Papæ XXIII. ad effectum reſpondendi , & ſe defendendi : ac inſuper , & ipſum citarent ad audiendam definitivam ſententiam pronunciandam in proxima ſeſſione .

315 Hujuſmodi mandata exequentibus Dominis Deputatis , acceſſerunt ad D. Joannem die XXVII. menſis Maii , exhibentes eidem prædictos Articulos , & offerentes ex parte Concilii, ſi quid vellet opponere, quòd liberè poſſet : ac inde intimato ei termino ad proferendam ſententiam , reſpondit , ut habent Acta : ,, Se pro Dei Eccleſia & ejus
,, unione plura feciſſe , etiam antequam fuiſ-
,, ſet in Papam aſſumptus , & ante dicti
,, Concilii Conſtantienſis inchoationem ,
,, in quo etiam obtulit liberam Papatus ſui
,, ceſſionem . Et quòd turpiter ab inde receſ-
,, ſerat ; maluiſſetque illa die ſine animæ ſuæ
,, præjudicio mortuus eſſe , quàm ita tur-
,, piter receſſiſſe : quodque contra proceſſum
,, Sacri Concilii nullam defenſionem facere
,, volebat , ſed prout per ſchedulam ſua manu
,, ſubſcriptam , continebatur , quam Cardi-
,, nalibus ad eum venientibus dederat , vo-
,, vebat , & preſentialiter promittebat ſtare,
,, ac ſe in omnibus conformare ordinationi ,
,, declarationi , & determinationi dicti Sacri
,, Concilii ; ac inſuper omnimodum proceſ-
,, ſum per idem Concilium contra eundem
,, habitum ratificavit , aſſerens quòd non

„ aliter voluit prædictis articulis reſponde-
„ re, affirmans, Concilium Conſtantienſe
„ ſanctiſſimum eſſe, errareque non poſſe,
„ ac Concilii Piſani continuativum; Et quòd
„ ipſi Sacro Concilio nunquam contradicere
„ vellet, etiamſi in Bononia, aut aliàs quo-
„ vis loco ſibi magis accepto perſonaliter jã
„ eſſet, cùm id ſibi minus non eſſet, quàm
„ publicè fateri, ſe in Papatu nullum jus ha-
„ bere. De ſentẽtia autem ferenda, *reſpondit*,
„ quòd ſummè ſibi placeret, ut quàm citò
„ lata foret, eidem referretur, quam omni
„ reverentia, etiam cum bireti ſui depoſitio-
„ ne reciperet, & eam, quantùm in ſe foret,
„ confirmaret, ratificaret, approbaret, &
„ emologaret, prout dictum proceſſum, ac
„ omnia contra ipſum in Concilio geſta, ex
„ tunc ratificare, approbare, & confirmare,
„ promittens contra ea, ſe aliquo proceſſu
„ temporis non venire. *Hactenus ex Concilii
Actis*, Factum inſuper eſt per eundem Joannem in eodem oppido Cellis publicum Inſtrumentum ratificationis præfatorum Articulorum, quod habetur inſertum poſt Acta ſeſſionis XI. apud eundem Labæum. Scripſerat denique Joannes ſub datis XXVI. Maii ex eodem Oppido, mente conſternatus, placabiles literas Sigiſmundo Romanorum Regi, quibus rogat, obſecrat, & ſe illi maximè commendat, ut pro ſe apud Concilium intercedat: „ Potes itaque, *ait in fine earundem*,
„ ſi velis, & ut velis depoſcimus, erga Sa-
„ crum Concilium, quod tua ſapientia
„ tuaque potentia tanquam firmiſſimum fun-
„ damentum cum ſuffultis tuis interceſſioni-
„ bus operari, ut tui contemplatione hono-
„ ris, perſonam noſtram habeat recommen-
„ datam; & unione Eccleſiæ ſemper ſalva,
„ famam & ſtatum noſtrum, poſt dimiſſionem
„ Papatus, quàmpridem obtulimus, atque
„ dudùm aliquoties in manibus tuis po-
„ ſuimus, quantùm poſſibile fuerit, ſalvare,
„ & cuſtodire, dignetur, & alia ſalutem no-
„ ſtram reſpicientia proſequatur magnifico
„ cum effectu. *Hæc ibi Joannes*.

316 Poſt hæc celebrata eſt Generalis ſeſſio XII. die XXIX. menſis Maii, præſente Romanorum Rege, ac ſæpefato Cardinale Vivarienſi præſidente, In qua facta eſt relatio à Legatis & Nuntiis miſſis ad Joannem Papam, de iis omnibus, quæ ſupra recenſuimus; ac inde Henricus de Piro Promotor, inſtitit, & petiit, deveniendum eſſe ad ſententiam diffinitivam contra præfatum Joannem: Ac primum firmato Decreto, quo ordinatum eſt, ut ſi contingat Sedem Apoſtolicam quovis modo vacare, in prima illius vacatione ad electionem futuri Summi Pontificis nullo modo procedatur ſine deliberatione, & conſenſu ejuſdem Sacri Generalis Concilii Conſtantienſis, pronunciata, lecta, & publicata fuit ſententia diffinitiva contra prædictum Joannem Papam, tenoris videlicet ſequentis,

In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

317 „ Sacroſancta Generalis Synodus
„ Conſtantienſis in Spiritu Sancto legitimè
„ congregata, univerſalem Eccleſiam repre-
„ ſentans, invocato Chriſti nomine, & ſo-
„ lum Deum præ oculis habens, viſis arti-
„ culis in hac cauſa contra Dominum Joan-
„ nem Papam XXIII. formatis & oblatis,
„ ac probationibus eorundem factis, ejuſdem
„ ſubmiſſione ſpontanea, unà cum toto pro-
„ ceſſu hujus cauſæ habita matura delibera-
„ tione ſuper eiſdem per hanc ſententiam
„ diffinitivam, quàm fert in his ſcriptis, pro-
„ nunciat, decernit, & declarat, receſſum
„ per præfatum Dominum Joannem Papam
„ XXIII. ab hac Civitate Conſtantienſi, &
„ dicto Sacro Conſtantienſi Generali Con-
„ cilio, clandeſtinè, & de nocte, hora ſuſpe-
„ cta, in habitu diſſimulato & indecenti fa-
„ ctum, fuiſſe, & eſſe illicitum, Eccleſiæ
„ Dei & dicto Concilio notoriè ſcandalo-
„ ſum, pacis & unionis ipſius Eccleſiæ tur-
„ bativum, & impeditivum, ſchiſmatis in-
„ veterati nutritivum, à voto, promiſſione,
„ & juramento per ipſum Dominum Joan-
„ nem Papam Deo & Eccleſiæ & huic Sacro
„ Concilio præſtitis deviativum: ipſumque
„ Dominum Joannem ſimoniacum notorium,
„ bonorumque & jurium rudum Romanæ,
„ ſed aliarum Eccleſiarum plurium, & alio-
„ rum locorum piorum dilapidatorem noto-
„ rium, malumque ſpiritualium & tempora-
„ lium Eccleſiæ adminiſtratorem, & diſpen-
„ ſatorem fuiſſe & eſſe, ſuis deteſtabilibus
„ inhoneſtis vita & moribus Eccleſiam Dei,
„ & populum Chriſtianum notoriè ſcanda-
„ lizaſſe aate ejus aſſumptionem ad Papa-
„ tum, & poſt uſque ad iſta tempora; ip-
„ ſumque per præmiſſa Eccleſiam Dei, & po-
„ pulum Chriſtianorum notoriè ſcandali-
„ zaſſe, poſtquam monitiones debitas &
„ caritativas iteratis & crebris vicibus eidem
„ factas, in præmiſſis malis & arrogantia
„ pertinaciter perſeveraſſe, ſeque ex hoc
„ notoriè incorrigibilem reddidiſſe, ipſum-
„ que propter præmiſſa & alia crimina in
„ proceſſum dictæ cauſæ contra eum deducta
„ & contenta, tanquam indignum & inuti-
„ lem & damnoſum à Papatu & omni ejus
„ adminiſtratione ſpirituali, & temporali
„ amovendum, privandum, & deponendum
„ fore. Et cum hoc dicta Sancta Synodus
„ amovet, privat, & deponit, univerſos &
„ ſingulos Chriſticolas, cujuſcumque ſtatus,
„ dignitatis, vel conditionis exiſtant, ab
„ ejus obedientia & fidelitate & juramento
„ abſolutos declarando. Inhibendo inſuper
„ univerſis Chriſtifidelibus, nè eundem (ut
„ præmittitur) à Papatu ſic depoſitum, de
„ cætero in Papam nominent, aut illi tan-
„ quam Papæ adhæreant, ſeù quoquo modo
„ obediant. Et nihilominus ex certa ſcien-

tia

„ tia, & de plenitudine poteſtatis ſupplet
„ dicta Sancta Synodus omnes & ſingulos
„ defectus, ſi qui forſan in præmiſſis, aut
„ aliquo præmiſſorum intervenerunt, cum-
„ que ad ſtandum, & morandum in aliquo
„ bono loco & honeſto, ſub cuſtodia tuta
„ Sereniſſimi Principis Domini Sigiſmundi
„ Romanorum, & Ungariæ &c. Regis, &
„ univerſalis Eccleſiæ advocati, & defenſo-
„ ris devotiſſimi, nomine dicti Sacri generalis
„ Concilii, quamdiù dicto Sacro Concilio
„ Generali pro bono unionis Eccleſiæ Dei
„ videbitur condemnandum fore, & eadem
„ ſententia condemnat. Alias verò pœnas,
„ quæ pro dictis criminibus & exceſſibus in-
„ ferri deberent, juxta Canonicas ſanctiones,
„ dictum Concilium arbitrio ſuo reſervat
„ declarandas & infligendas, ſecundùm quòd
„ rigor juſtitiæ, vel miſericordiæ ratio ſua-
„ debit. *Hactenus Sententia diffinitiva*.

318 Hac in Concilio pronunciata, & publicata ſententia, decretum fuit pro bono unionis, quòd nullo unquam tempore Balthaſſar Coſſa nuper, Joannes XXIII. nec Angelus de Corario Gregorius XII. nec Petrus de Luna Benedictus XIII. reeligerentur in Papam. Jtem quòd quatuor Generales Judices deputati deberent vocare Prælatos abſentes ad Synodum, & punire non venientes, prout eis de jure, & ſecundùm Deum videretur expedire. Miſſi ſunt denique Joannes Epiſcopus Vivarienſis, Gaſpar S. Joannis Eremitæ de Peruſio, Decretorum Doctores, & Thomas Sanctæ Mariæ extra Muros. Eboracenſes Monaſteriorum Abbates, cum Dominis Jacobo Rhodini de Janua, & Thoma Polcon de Anglia Prothonotariis, aliiſque Notariis publicis, ad oppidum de Cellis, ad intimandam coràm teſtibus eidem Domino Joanni Papæ XXIII. præſatam definitivam ſententiam. Quæ quidem per eoſdem eidem Domino Joanni lecta & intimata fuit die XXXI. & ultima menſis Maii, quam præſatus Joannes acceptavit, & ratam habuit, prout liquet ex publico Inſtrumento ſuper hac re facto, inſerto in Actis Synodi Conſtantienſis apud Labæum ad calcem ſeſſionis XII Inde die prima menſis Julii, ipſo Sacro jubente Concilio, Dominus Balthaſſar de oppido Cellis translatus fuit ad Caſtrum Gotlenen propè Conſtantiam ſub cuſtodia prędicti Concilii per aliquot dies, ut ait Niemius, & licentiati fuerunt ſui familiares, nè illis cooperantibus evadere poſſet, qui ſe Conſtantiã contulerunt.

319 His peractis habita eſt XIII. ſeſſio, die XV. menſis Junii, præſente Romanorum Rege, & eodem Epiſcopo Oſtienſi præſidente; ac in ea actum fuit ſuper materia Communionis in utraque ſpecie conferendæ Laicis, ac decretum non eſſe conferendum, impoſita excommunicationis pœna Presbyteris impoſterum Laicos in utraque ſpecie communicantibus: Doctrina porrò aſſerentium conſuetudinem jam in Eccleſia introductam communicandi Laicos in una tantùm ſpecie eſſe ſacrilegam, & illicitam, damnata fuit ut erronea, pertinaciter verò eam defendentibus, ſubiecit pœnis latis contra hæreticos, ac Inquiſitorum hæreticæ pravitatis judicio. Pro hæreſum extirpatione, ac Eccleſiæ reformatione, ex qualibet natione electi ſunt Judices, & ita abſoluta hæc ſeſſio fuit.

320 Deinde die IV. menſis Julii celebrata eſt ſeſſio XIV. in præſentia præſati Sigiſmundi Romanorum Regis, aliiſque nobilibus viris, ſub præſidentia pariter Cardinalis Vivarienſis Epiſcopi Oſtienſis, in qua admiſſi ſunt D. Carolus de Malateſta Domicellus Ariminenſis, Joannes Dominiens tituli Sancti Xiſti Cardinalis Raguſinus, Procuratores D. Angeli de Corario Gregorii XII. ab eodem deſtinati ad effectum renunciandi Papatui, & ſua etiam auctoritate confirmandi Concilium. Et primùm lecta fuit Gregorii XII. Bulla, eujus virtute præfatis Procuratoribus data fuit poteſtas auctorizandi prædictum Concilium per hæc verba in præſata Bulla contenta, nimirum: „ Et ut poſſitis
„ in prædictis proficere melius & valère, quo
„ efficaciorem poteſtatem à nobis conſtiterit
„ vos habere, vobis, ſeu illis ex vobis, quod
„ ubi illi interfuerint, congregationẽ ipſam
„ in quantum per dictam Serenitatem Re-
„ giam, & non Balthaſſarem, ſe nuncupari
„ facientem Joannem XXIII. vocatam, vice
„ noſtra ad prædictorum effectum convocan-
„ di & auctorizandi Generale Concilium,
„ remota tamen omninò dicti Balthaſſaris
„ præſidentia, & præſentia ab eiſdem: nec-
„ non omnia, quæ poſtquam ſi feceritis,
„ diſponentur pro vera redintegratione ac
„ unione Eccleſiæ, ac præfatorum ſchiſma-
„ tum extirpatione, per Congregationem
„ eandem, remotis, ut præmittitur, præſi-
„ dentia & præſentia dicti Balthaſſaris, vice
„ noſtra ſimiliter auctorizandi, approbandi,
„ & confirmandi, plenam & liberam de ple-
„ nitudine poteſtatis concedimus præſen-
„ tium facultatem. *Datum Arimini* III. *Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno IX.* Poſtea lecta eſt altera Bulla eidem Carolo de Malateſtis data, qua idem Gregorius majorem poteſtatem fecit prædicto Carolo, quam ex Actis Concilii Conſtantienſis integram damus, tenoris ſcilicet ſequentis.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilecto Filio Nobili Viro Carolo de Malateſtis Domicello Ariminenſi, in Provincia noſtra Romandiola pro nobis, & Sancta Romana Eccleſia Rectori. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

321 „ Cùm ad laudem omnipotentis Deĩ
„ & bonum Eccleſiæ ſuę Sanctæ, prò unionis
„ redintegratione, & pace Chriſtianorum, &

„ ſchiſmatum extirpatione, proh dolor!
„ nunc vigentium, ultra alios Nuntios no-
„ ſtros te tanquam perſonam noſtram ad
„ Majeſtatem Regiam Conſtantiam perſona-
„ liter deſtinemus, nos volentea pariter &
„ optantes, ut eò perfectiùs perficere valeas
„ in præmiſſis, quò majori fueris auctorita-
„ te munitus; Tibi cùm ſubordinata ſit re-
„ nunciatio canonicæ, & certæ electioni
„ unici futuri Pontificis, & alia etiam ne-
„ ceſſaria habeant intervenire, pro prædi-
„ ctorum effectu ſalubriter conſequendo, tibi
„ conveniendo, aut illis, cum quibus tuæ
„ providentiæ videbitur expedire, modis
„ congruis & opportunis tractandi, practi-
„ candi, & concludendi, quæ tibi viſa fue-
„ rint utili a & neceſſaria ad prædicta, etiamſi
„ forent talia, quæ mandata alia, & tibi data
„ excederent, quantumcumque mandatum
„ exigerent ſpecificum & ſpeciale, & ſi vide-
„ bitur tibi aliqua magis convenire Perſonæ
„ Eccleſiaſticæ, illa expediri faciendi per
„ perſonam Eccleſiaſticam, quam elegeris,
„ & ei ſic electæ, & juxta tuam depoſitionem
„ facturæ, præſentium tenore de plenitudi-
„ ne Apoſtolicę poteſtatis plenam & liberam
„ concedimus facultatem. *Datum Arimini*
„ III, *Idus Martii, Pontific. noſtri Anno IX.*

322 Abſoluta hujus Bullæ lectura, idem D. Carolus de Malateſtis majorem habens auctoritatem, commiſit D. Joanni Dominico Cardinali vices ſuas ad auctorizandum & approbandum dictum Concilium, qui vigore mandati & Commiſſionis prædictæ, ipſum auctorizavit, & confirmavit per hæc verba;
„ *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-*
„ *cti, Amen.* Auctoritate ipſius Domini no-
„ ſtri Papæ, quantùm ad eundem ſpectat,
„ ut prædicta ſancta unio, reformatio, &
„ hæreticæ pravitatis extirpatio, Deo au-
„ ctore, meliorem ſortiantur effectum, &
„ ut ſub diverſorum profeſſione Paſtorum
„ diſſidentes Chriſtiani in unitate Sanctæ
„ Matris Eccleſiæ & charitatis vinculo con-
„ jungantur, iſtud ſacrum Concilium Ge-
„ nerale convoco, & omnia per ipſum agen-
„ da auctorizo & confirmo, juxta modum
„ & formam, prout in literis Domini noſtri
„ Papæ. *Hæc ille.* Concilium porrò per organum D. Bartholomæi Archiepiſcopi Mediolanenſis, dixit; „ Cùm principium cujuſ-
„ libet rei potiſſima pars ſit, ut principium
„ decens & amabile Deo, & poſſibilis Ec-
„ cleſiæ redintegratio fiat, Sacroſancta Ge-
„ neralis Synodus Conſtantienſis in Spiritu
„ Sancto legitimè congregata, Eccleſiam
„ catholicam repreſentans, ut iſtæ duæ obe-
„ dientiæ, videlicet illa, quæ profitetur Joan-
„ nem XXIII. olim fuiſſe Papam, & illa, quæ
„ profitetur, Dominum Gregorium XII, eſſe
„ Papam, uniantur una alteri, & altera al-
„ teri conjungantur ſub capite Chriſto, di-
„ ctas convocationem, auctorizationem,
„ approbationem, & confirmationem nomi-
„ ne illius Domini, qui in ſua obedientia di-
„ citur Gregorius XII. nunc factas, quan-
„ tùm ad ipſum ſpectare videtur, quia abun-
„ dans ad certitudinem pro bono, cautela
„ nemini nocet, ſed omnibus prodeſt, in om-
„ nibus & per omnia admittit, & amodò has
„ ſupradictas obedientias conjunctas & uni-
„ tas eſſe decernit & declarat, in uno Cor-
„ pore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & hujus
„ ſacri univerſalis Concilii Generalis, in
„ nomine Patris, & Filii, & Spiritus
„ Sancti.

323 His peractis, receptus eſt ad oſculum Pacis Cardinalis Joannes Dominicus Raguſinus, qui fuerat de obedientia Gregorii, & nondùm priùs ad Concilium acceſſerat. Decretum inde eſt, ut ex tunc in Inſtrumentis conficiendis nulla fieret mentio de Romano Pontifice, vel de Sede Apoſtolica, ſed de anno dumtaxat Regnorum Sigiſmundi Regis. Inde ſententiæ omnes latæ in ſchiſmate tum à Gregorio XII. vel Joanne XXIII. Decreto Concilii fuerunt caſſatæ. Lecta poſtea eſt altera Gregorii Bulla, cujus vigore D. Carolus de Malateſtis conſtitutus fuerat Procurator ipſius Gregorii ad effectum renunciandi, ſive cedendi Papatui, vel juri Papatus. Et moto dubio ab eodem Carolo, ſi utile & expediens videretur, quòd ejuſmodi renunciatio nomine Domini Gregorii fieret Conſtantiæ, an expectare, ſi Petrus de Luna, dictus Benedictus XIII. vellet & ipſe renunciare, & ſuo prætenſo juri cedere, Decretum fuit, quòd utile & expediens eſſet, ut non expectata ceſſione Petri de Luna fieret ex parte Gregorii in ipſa Civitate Conſtantiæ renunciatio. Ad hæc iterum editum eſt Decretum, quòd non procedatur ad electionem Romani Pontificis, niſi de aſſenſu Concilii, & quòd hujuſmodi electio fieret, loco, forma, modo, & tempore, ab ipſomet Concilio ordinandis; nec Concilium poſſet diſſolvi ante Romani Pontificis electionem. Imperator verò ſcripto promiſit, à Concilio rogatus, operam dare, ut hujuſmodi Decreta ſuum haberent vigorem. Approbavit inſuper omnia à Gregorio in ſua obedientia alias canonicè & rationabiliter geſta, & pariter declaravit Decretum factum, nè in Papam iterum Gregorius reeligeretur, non fuiſſe factum propter Gregorii inhabilitatem, quaſi non eſſet capax, ſed dumtaxat pro bono pacis Eccleſiæ. Admiſit etiam, firmato decreto, omnes Cardinales de Gregorii obedientia: Poſt hæc verò, & alia decreta, quæ habentur in Actis, Dominus Carolus de Malateſtis procuratorio nomine, pro præfato, & ipſius Gregorii nomine ſolemniter Papatui, ſive juri Papatus ceſſit, & renunciavit, infraſcripta uſus formulà,

324 „ Ego Carolus de Malateſtis, Ari-
„ mini, & nonnullarum aliarum Terrarum
in

Digitized by Google

„ in temporalibus Vicarius, necnon Provin-
„ ciæ Romandiolæ Rector pro Sanctiſſimo
„ in Chriſto Patre Domino Gregorio Divi-
„ na providentia Papa XII. & Sanctæ Roma-
„ næ Eccleſię Generalis, atque ejuſdem San-
„ ctiſſimi Domini noſtri Papæ Procurator,
„ habens ad infraſcripta ſpeciale & irrevoca-
„ bile mandatum, quemadmodum conſtat
„ per Bullam authenticam Sanctiſſimi Do-
„ mini noſtri prædicti proximè lectam nullą
„ oppreſſus, aut coactus violentią, aut nul-
„ lo ductus errorę, ut omnibus apertè pa-
„ teat per effectum, quanta ſinceritate, quan-
„ taque cordis affectione ſacram unionem
„ & redintegrationem Chriſtianorum in uni-
„ tate Sanctæ Matris Eccleſiæ proſecutus
„ ſuit, proſequaturque per viam etiam re-
„ nuntiationis incluſivè, purè, libere, &
„ ſincerè procuratorio nomine ipſius Sanctiſ-
„ ſimi Domini noſtri Domini Gregorii Pa-
„ pæ XII. In Nomine Patris, & Filii, &
„ Spiritus Sancti renuntio, & cedo expreſsè
„ in his ſcriptis, realiter, & cum effectu,
„ juri, titulo, & poſſeſſioni, quod, quem &
„ quam ipſe habet in Papatu; & reſigno
„ nomine præfati Domini noſtri Papatum,
„ & omne jus Papatus, titulum & poſſeſſio-
„ nem, quod, quem, & quam habet coram
„ Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui Eccleſiæ
„ ſuæ Sanctæ eſt caput & ſponſus, in hac
„ Sacroſancta Synodo, & univerſali Conci-
„ lio, Sanctam Romanam & univerſalem
„ Eccleſiam repręſentante. *Hactenus ſchedula renunciationis*. Qua pronunciata, ex parte Concilii, Archiepiſcopus Mediolanenſis reſpondit,

325 „ Sacroſancta Generalis Synodus
„ Conſtantienſis in Spiritu Sancto legitimè
„ congregata, univerſalem Eccleſiam Catho-
„ licam repręſentans, ceſſionem, renuncia-
„ tionem & reſignationem pro parte illius
„ Domini, qui in ſua obedientia dicebatur
„ Gregorius XII, juri, titulo, & poſſeſſioni,
„ quod, quem, & quam habuit in Papatu,
„ vel ſi quod, quem, vel quam nunc habet
„ in papatu, nunc per magnificum & poten-
„ tem Dominum Carolum de Malateſtis hic
„ pręſentem, ejuſque ad hoc Procuratorem
„ irrevocabilem, pro eodem Domino, qui
„ dicebatur Gregorius XII. factas, admitit,
„ approbat, & collaudat, in nomine Patris,
„ & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. *Hæc ibi*. Denique decretum fuit, Petrum de Luna, ex ſuperabundanti tamen, per Procuratores Sacri Concilii ad hoc ſpecialiter conſtituendos, loco, & tempore opportunis, fore ſolemniter requirendum, ut infra ſpatium decem dierum, requiſitionem præfatam ſequentium, omni juri Papatus, quod ſe prætendit habere, necnon titulo & poſſeſſioni, ſeu detentioni ejuſdem cedat, & renuntiet totaliter & abſolutè: Quod ſi facere contempſerit, habendum ex nunc, prout ex tunc ut notorium ſchiſmaticum, antiqui ſchiſmatis nuntritorem, defenſorem, fautorem, approbatorem, incorrigibilem, & pertinacem, hæreticum à Catholica Fide devium, promiſſionum, votorum, juramentorum ſuorum tranſgreſſorem, & Eccleſiam Dei notoriè ſcandalizantem, ac propterea omni honore & dignitate etiam Papali indignum, ipſumque per ſacros Canones abjectum eſſe, ejectum, & privatum, atque præciſum ab omni jure, ſive poſſeſſione & detentione prætenſis ſuper Papatu: ac ità ab omnibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus perſonis quacumque dignitate ſulgentibus, ut ejectum, abjectum, præciſum, ac privatum habendum eſſe. Et ſic rebus ſtabilitis ſoluta eſt ſeſſio: In qua, ut ait Turrecremata, accedente etiam auctoritate Gregorii XII. cœpit Concilium majorem habere auctoritatem, quàm antea, ſummam poſtea recepiſſe ait poſt creatum Martinum V. qui cæteris præfuit ſeſſionibus.

326 Deinde Patres proceſſerunt ad diſcutiendam, & terminandam cauſam Joannis Hus, qui Wicleff jam in ſeſſione VIII. damnatos Articulos pertinaciter ſuſtinere conabatur, alioſque etiam peſtiferos de ſuo adiiciens, prædicans inſuper Joannem Wicleff, cujus memoria damnata pariter fuerat in præfata ſeſſione, eſſe inter Beatorum agmina receptum. Hic ergo Joannes Hus Doctor Pragen. qui, ut præfati ſumus, errores & hæreſes Joannis Wicleff, ante etiam hoc Concilium damnatos Romę in Synodo habita ſub Joanne XXIII, In Anglia ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Eboracenſi, in Boemia ab Archiepiſcopo Pragenſi, & ab ipſa Pragenſi Univerſitate, ſicut & ab Oxonienſi Univerſitate in prædicto Regno Angliæ, damnatos, anathematizatos, & proſcriptos, ut innuit Decretum damnationis eorundem; habitum in præfata ſeſſione VIII. hujus Concilii, renovaverat, docuerat, & prædicaverat, adiectis aliis de ſuo contra Fidem Catholicam, cum peſtifera doctrina contra Clerum, Religioſos, ac univerſas Eccleſiaſticas perſonas, hic, inquam, ab exordio hujus Synodi opera Sigiſmundi Regis, cui in corde erat Bohemicum Regnum, quod de jure poſt Wenceslai obitum ad ſe pertinebat, ab omni hæreſis labe purgare, & ſub ejus ſalvo conductu, Conſtantiã venerat ineunte Menſe Novembris anni præteriti, ſperans fortè in tantorum Patrum Cœtu ſuam poſſe impiam licet oſtentare doctrinam; Nec eſt veritus ibi etiam in proprio hoſpitio, quamvis excommunicatus, Divina peragere, Conventus facere, docère denique & prædicare, non ſine magni populi frequentia, in contemptum etiam Epiſcopi Conſtantienſis, qui expreſsè talia agere eidem interdixerat, ut teſtis præſens & oculatus ſcribit Ulricus Reichental; verùm paulatim comperiens rem aliter agi in Concilio, ac ſibi præfixerat, ut propriæ ſaluti conſu-

le-

Digitized by Google

leret, de fuga conſilia inire cœpit; ac ita ca-
pta opportunitate, curru quendam Henrici
Latzemboch, ſub cujus ſervabatur cuſtodia,
conſcenſo, ac fœno & ſtramine cooperto, ipſam
egreſſus eſt Civitatem. Hanc fugam ſic deſ-
cribit Joannes Cochlęus lib. 2. hiſtoriæ Huſ-
ſitarum: „ Hus, ubi Conſtantiam venit, *in-*
„ *quit*, & vidit longè aliam ſibi diſceptandi
„ rationem eſſe in Cœtu doctiſſimorum ex
„ omni natione hominum, quam Pragæ in
„ Cappella Bethleem coram laicis novarum
„ rerum cupidis, aut in aula coram nobili-
„ bus Eccleſiaſticorum cenſuum avidia, aut
„ etiã in foro coram Monacis & Clero infe-
„ ſta Plebe. Vidit item notos & ſibi jam
„ diù infenſos è Clero Bohemico adverſarios
„ ad accuſandum paratos & inſtructos cœpit
„ de fuga circumſpicere, facilè conſiderans
„ ſe Patribus de tot excitatis in Bohemia
„ adversùs Clerum & omnem Religionem
„ malis ſatiaſacere non poſſe, niſi per pu-
„ blicam revocationem & pœnitentiam, ubi
„ adverſariis ſuis liceret liberè & abſque omni
„ metu & furentis plebis terrore dicere, ac
„ teſtari contra ipſum de omnibus injuriis
„ Clero, Templiſque, & univerſæ Catholicę
„ Religioni per ejus prædicationes illatis.
„ Ut igitur fuga omne periculum evaderet,
„ hanc fugiendi rationem adinvenit: quippe
„ conduxit currum ruſticanum, in quem
„ clàm aſcendens, abdidit ſeſe ſtraminibus
„ undiquè tectus. *Hæc Cochlæus*.

327 Cùmq; præfatus Henricus, cui illum
obſervandi cura, ut fati ſumus, commiſſa erat,
cognoviſſet Hus in fugam lapſum, nulla in-
terpoſita mora rem detulit Conſuli Civitatis,
qui ſuo ſtipatus forenſi ſatellitio ſtatim in-
ſecutus eſt fugientem, quem in ſtramine
latitantem deprehendit: Cùmque captus, &
equo impoſitus ad Palatium Epiſcopale du-
ceretur, & acceptam à Rege fidem prætexe-
ret, reſpondente Henrico Latzemboch præ-
dicto: *Ita decretum eſt, ut cauſam tuam juſti-*
fices, nè ſit hæretica, aut moriaris, ni revoces;
ipſe Hus ex equo deſiliens, iterum in fugam
ſe conjecit, ac turbæ Bohemorum conſertæ
immiſcuit; ſed iterum à forenſibus apparito-
ribus abreptus, in Prædicatorum ædibus
cuſtodiæ traditus fuit. Ibidem conſiſtens, à
multis piis & doctis viris viſitatus, atque ad
deteſtandum errores, hæreſeſque abjurandas
ſæpè monitus & hortatus, promiſit ſe id fa-
cturum, ſicut & alter ſodalis ejus eadem labe
infectus Hieronymus de Praga: pro qua re
concepta lætitia, loco Cantici pulſatæ ſunt
in ipſa Civitate Conſtantienſi campanæ, ut
idem Chochlæus ſcribit lib. 2. cit. inquiens:
„ Ulricus Reichental teſtis ocularis & civis
„ Conſtantienſis affirmat, & Joannem Hus &
„ Hieronymum Pragenſem promiſiſſe Docto-
„ ribus, qui eos in carcere viſitaverant, vel-
„ le ſè & hæreſes revocare, & contrarium
„ prædicare; ob id itaque compulſatum fuiſ-
„ ſe ter omnibus in urbe Campanis, in ſignum
„ lætitiæ, loco Cantici: Te Deum lauda-
„ mus. *Hæc ille*. Statimque Patres, hac
ſpe concepta, conſilia inierunt aſſignandi eis
locum honeſtum ad convivendum pro reli-
quo vitę tempore, dummodo propria manu
& in ſcriptis, etiam in lingua Bohemica fa-
terentur ſe erraſſe, erroreſque retractarent.
Sed quoniam non erat cor eorum rectum,
renuerunt retractationem lingua Bohemica
exarare: „ Deinde, *ſubiungit Cochlæus*;
„ cùm celebraretur ſeſſio, concluſum fuiſſe,
„ ut ambo retinerentur in Suevia, nè unquam
„ reverterentur in Bohemia, utrique autem
„ provideretur honeſtè in aliquo Suevię Mo-
„ naſterio, ubi ſinguli adaretur ſumptus pro
„ ſenis perſonis; ita tamen, ut uterque manu
„ propria conteſtaretur ſe erraſſe, & à recta
„ fide declinaſſe, idque ſcriberent ambo in
„ lingua quoque Bohemica: illi verò dixe-
„ runt ſeſe facturos cætera libenter omnia,
„ verùm ſcripturam Bohemicam nollent
„ mittere.

328 Poſt hæc, ut huic cauſæ finis impo-
neretur, celebrata eſt ſeſſio xv. generalis,
die vi. menſis Julii, eodem præſente Impe-
ratore, ac pariter præſidente Domino Car-
dinali Vivarienſi Epiſcopo Oſtienſi, in quo
introductus eſt Joannes Hus accuſatus, &
convictus tanquam hæreſiarcha, & poſt ſer-
monem habitum per Epiſcopum Laudenſem
ex Prædicatorum Ordine ſub themate: *De-*
ſtruatur corpus peccati, ex Epiſtola Pauli ad
Romanos cap. 6. deprompto, publicatum
fuit Decretum de ſervando ſilentio in præ-
fata ſeſſione, tenoris ſequentis: „ Sacroſan-
„ cta Synodus Conſtantienſis &c. præcipit
„ & mandat ſub pœna excommunicationis
„ latæ ſententiæ, quam contravenientes in-
„ currere uult ipſo facto, & ſub pœna car-
„ ceris duorum menſium, & fautoriæ hære-
„ ſis, nè aliquis cujuſcumque ſtatus, aucto-
„ ritatis, gradus, ordinis, præeminentiæ,
„ aut conditionis fuerit, etiamſi Imperiali,
„ Regali, Cardinalatus, Archiepiſcopali,
„ aut Epiſcopali præfulgeat dignitate, in
„ hac præſenti ſeſſione, Deo auctore, hodie
„ celebranda, ipſam ſeſſionem, ſeu pronun-
„ tiantes, & loquentes in eadem, pertur-
„ bet, murmuret, impediat, aut quemvis
„ ſtrepitum voce, vel manibus, aut pedibus
„ faciat. Et quia jam materia, Deo annuente,
„ tractanda per omnes nationes, & Sanctos
„ Patres, Spiritu Sancto dirigente, unani-
„ miter & concorditer concluſa eſt, prout
„ audietis, prohibet & mandat eadem San-
„ cta Synodus ſub ſimili pœna, ac fautoriæ
„ hæreſis, nè quis clamare, contradicere,
„ aut etiam ſurgere, diſputare, vel defenſa-
„ re, aut alta voce loqui audeat, niſi ad
„ hoc ſit per Sanctam Synodum deputatus:
„ alioquin contrafacientes decrevit eo ipſo
„ excommunicationis vinculo innodatos,

pœ-

Digitized by Google

„ pœnas carceria & duriores expreſſatis mi-
„ nimè evaſuros. *Hactenus Decretum*, quod
per verba *placet*, à Deputatia quatuor Natio-
num nomine univerſæ Synodi fuit appprobatum.

329 Deinde, inſtante Henrico de Piro
Concilii Promotore, & Procuratore, per
Dominum Bertholdum de Wildungen, lecti
ſunt Articuli, formati & dogmatizati per
Joannem Wicleff, & ipſum Joannem Hus:
Quorum abſoluta lectura, pronunciata & la-
ta fuit damnationia eorundem Articulorum
ſententia, immò & librorum unde excerpti
erant: nam aliqui reperti fuere erronei, ali-
qui ſcandaloſi, nonnulli piarum aurium of-
fenſivi, plures temerarii, & ſeditioſi, & qui-
dam notoriè heretici, ſub quibus cenſuris om-
nes præfati articuli reſpectivè proſcripti fue-
re. Interrogatua inde per deputatoa Joannes
Hus præſens, an vellet dictos articuloa de-
fenſari, aut confiteri; reſpondit ſe ſubmitte-
re determinationi Concili; iterum poſt ali-
quod temporis intervallum interrogatus, re-
ſpondit, ut ſupra; Tertio denique interroga-
tus, reſpondit per quandam ſchedulam pro-
pria ſua manu ſcriptam, à ſe exhibitam, te-
noria ſequentis: „ Ego Joannes Hus in ſpe
„ Sacerdos Jeſu Chriſti, timens Deum offen-
„ dere, & timens incidere perjurium, nolo
„ abjurare articulos omnes, & quemlibet
„ ex illis, qui per falſos teſtes in atteſtationi-
„ bus producti ſunt contra me; quia Deo
„ teſte, non prædicavi, nec eos defendi,
„ ſicut dixerunt me eoa defendiſſe, & præ-
„ dicaſſe, & aſſeruiſſe. Item de Articulis ex-
„ tractis de meis libellia, ſaltem qui ſunt de-
„ bitè extracti, dico, quòd quicumque ex
„ illis includit aliquem falſum ſenſum, illum
„ deteſtor. Sed timendo offendere Deum in
„ veritate, & contra Sanctorum ſententlam
„ dicere, non quemlibet eorum volo abju-
„ rare. Et ſi poſſibile eſſet, quòd toti Mun-
„ do vox mea nunc pateret, ſicut omne men-
„ dacium, & omne meum peccatum in die
„ Judicii patebit, libentiſſimè omnem falſi-
„ tatem, & omnem errorem, quem unquàm
„ ad dicendum conceperim, vel dixerim,
„ coram toto Mundo revocarem. Iſta dico &
„ ſcribo liberè & voluntariè, ſcriptum manu
„ mea propria prima die Julii, *Hæc in ſche-
dula Joannis Hus*.

330 Joannes Cochlæus ſæpeſatua in præ-
fata Huſſitarum hiſtoria lib. 2. eadem refert,
ſed & quoſdam particulares articulos recen-
ſet, quoa ſe non poſſe abjurare faſſus erat
Joannes Hus; „ Igitur, *inquit*, per Epiſ-
„ copum Rigenſem è carcere ad Principem
„ Eccleſiam Conſtãtienſem ſexta menſis Ju-
„ lii eductus & introductus in majorem Ec-
„ cleſiam Conſtantienſem, ubi erat ſeſſio ple-
„ na Concilii &c. admonitus eſt iterum, ite-
„ rumque, ut erroneos Wicleffi articulos,
„ præſertim illos XLV. qui toties, & in tam
„ multis locis damnnati fuerant, revocaret
„ & abjuraret. Ipſe verò poſt longas amba-
„ ges & excuſatorias tergiverſationes ſtultè
„ in perniciem ſuam fatebatur, ſe non poſſe,
„ renitente conſcientia ſua, condemnare, præ-
„ ſertim tres iſtoa Wicleffi articulos: *Silve-
„ ſter Papa, & Conſtantinus Imperator erra-
„ verunt, quòd dotaverunt Eccleſiam*. Item,
„ *Si Papa, aut Sacerdos in mortali exiſtat pec-
„ cato, non ordinat, non conſecrat, non ba-
„ ptizat*. Item, *Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ*.
Hæc Cochleus, qui & plura alia antecedenter
geſta à Patribus, ut revocaretur in rectum
infœlix ille, recenſet; Attenta verò illius
pertinacia, pronunciata eſt in eum finalis ſen-
tentia, quæ habetur in Actis hujus ſeſſionis,
incipiens: *Quia teſte veritate*; ubi poſt dam-
nationem Articulorum Joannis Wicleffi, ac
ejus librorum, & editorum, quos igne cre-
mandos adjudicavit, procedens ad ipſina
Joannia Hus damnationem definiendo ait:
„ Viſis inſuper Actis, & actitatis in cauſa
„ inquiſitionis de & ſuper hæreſi contra pre-
„ dictum Joannem Hus habitis, & factis,
„ habita per prius fideli & plenaria Commiſ-
„ ſariorum in hujuſmodi cauſa deputatorum
„ relatione, aliorumque Magiſtrorum in
„ Theologia, ac Doctorum Juris utriuſque
„ in, de, & ſuper actis, actitatis, ac dictis
„ Teſtium fide dignorum, & plurimorum,
„ quæ dicta ipſi Joanni Hus palàm & publicè
„ lecta ſunt coram Patribus & Prælatis hujus
„ Sacri Concilii, per quorum Teſtium dicta
„ apertiſſimè conſtat, eundem Joannem
„ multa mala, ſcandaloſa, ſeditioſa, & pe-
„ riculoſa &c. hæreſes dogmatizaſſe in pu-
„ blico, & per multa annorum curricula
„ prædicaſſe.

331 Chriſti Nomine invocato, hæc Sa-
„ croſancta Synodus Conſtantienſis, ſolùm
„ Deum præ oculis habens, per hanc diſ-
„ finitivam ſententiam, quam profert in his
„ ſcriptis, pronuntiat, decernit, & declarat,
„ dictum Joannem Hus fuiſſe & eſſe verum
„ & manifeſtum hæreticum, ipſumque erro-
„ res & hæreſes ab Eccleſia Dei dudùm da-
„ mnatas, & plurima ſcandaloſa, piarum
„ aurium offenſiva, temeraria & ſeditioſa
„ dogmatizaſſe & publicè prædicaſſe, in non
„ modicam offenſam Divinæ Majeſtatis, ac
„ univerſalis Eccleſiæ ſcandalum, & Fidei
„ Catholicæ detrimentum, Claves etiam
„ Eccleſiæ & cenſuras Eccleſiaſticas vilipen-
„ diſſe, in quibus per annos multos perſtitit
„ animo indurato, Chriſtifideles per ſuam
„ pertinaciam nimiùm ſcandalizans, cùm ap-
„ pellationem ad Dominum noſtrum Jeſum
„ Chriſtum, tanquam ad Summum Judicem,
„ omiſſis Eccleſiaſticia mediis, interpoſuerit,
„ in qua multa falſa, & injurioſa poſuit &
„ ſcandaloſa, ipſius Sedis Apoſtol., cenſu-
„ ram Eccleſiaſticarum, & clavium in con-
„ temptum.

332

332 „ Idcircò propter præmiſſa & alia
„ plura, præſatum Joannem Hus hæreticum
„ fuiſſe & eſſe hęc Sancta Synodus pronun-
„ ciat, tamquam hæreticum judicandum, &
„ & condemnandum fore judicat & condem-
„ nat per præſentes: dictamque appellatio-
„ nem tamquam injurioſam & ſcandaloſam
„ & illuſoriam juriſdictionis Eccleſiaſticæ
„ reprobando; ipſumque Joannem Hus po-
„ pulum Chriſtianum, maximè in Regno
„ Bohemiæ, in prædicationibus ſuis publi-
„ cis, & ſcripturis per eum compilatis ſe-
„ duxiſſe, ac ejuſdem populi Chriſtiani non
„ veracem prædicatorem Evangelii Chriſti
„ ſecundùm expoſitionem Sanctorum Docto-
„ rum, ſed fuiſſe verlùs ſeductorem verum:
„ quia per ea, quæ hæc Sancta Synodus vidit
„ & audivit, cognovit eundem Joannem Hus
„ pertinacem & incorrigibllem, & adeò ta-
„ liter, quòd non cupiebat ad gremium San-
„ ctæ Matris Eccleſiæ redire, neque hæreſes
„ & errores per eum publicè defenſatos &
„ prædicatos, velle abjurare. Idcircò hoc
„ Sacrum Concilium Conſtantienſe eundem
„ Joannem Hus ab Ordine Sacerdotali, &
„ aliis Ordinibus, quibus extitit inſignitus,
„ deponendum & degradandum fore declarat
„ & decernit: Committens nihilominus Re-
„ verendis in Chriſto Patribus Archiepiſco-
„ po Mediolanenſi, Feltrenſi, Aſtenſi, Ale-
„ xandrino, Bagarenſi & Vaurenſi Epiſco-
„ pis, ut in præſentia hujus Sacroſanctæ
„ Synodi dictsm degradationem, ſecundùm
„ quòd ordo juris requirit, debitè exequan-
„ tur. Hæc Sancta Synodus Conſtantionſis
„ Joannem Hus, attento quòd Eccleſia Dei
„ non habeat ultra quid gerere valeat, judi-
„ cio ſæculari relinquere, & ipſum Curiæ
„ ſæculari relinquendum fore decernit. *Ha-
ctenus Synodi Sententia*.

333 Pronunciata ſententia, inquiunt
Acta Concilii, & præſatæ ſeſſionis: „ Ive-
„ runt ad ipſum Joannem Hus Reverendi
„ Patres Archiepiſcopus Mediolanenſis, Suf-
„ fraganeus Domini Epiſcopi Conſtantienſis,
„ Epiſcopus Bagarenſis pro degradatione
„ ipſius Joannis Hus, ad locum, ubi ipſe Joan-
„ nes Hus exiſtebat, auctoritate & mandato
„ ipſius Sanctæ Synodi Conſtantienſis, ad
„ finem, quòd Curiæ Sæculari tradi poſſet,
„ ipſum Joannem degradarunt, legendo ver-
„ ba ad hoc ordinata de libro Pontificali,
„ incipientia: O'Juda; amovendo ab eo
„ tamquam ab indigno Calicem, & ſubſe-
„ quenter ſolemnitatibus ad quodlibet exhi-
„ bitis, exuebant eum caſula, ſtola, ton-
„ dentes ſibi crines, & ſimiliter amovendo
„ ab eo omnia ſacerdotalia, & clericalia.
„ Quibus factis curia ſęcularis recepit eum,
„ & abduxit eum ad locum Juſtitiæ. *Hacte-
nus Acta*. De tradito Joanne Hus Sæculari
Curiæ, ac ejus juſto ſupplicio, poſt Syno-
dalem definitivam ſententiam, hæc ſcribit
Cochlæus: *Rex ait ad Ducem Bavariæ Ludo-
vicum Electorem, qui pomum aureum tenebat:
Vade, recipe eum: qui recipiens illum, tradi-
dit eum lictoribus capite tonſum, & alto pileo
papyraceo coronatum, cui inſcriptum erat: Hic
eſt Hæreſiarcha*. Subjungit poſt alia, adhùc
palo comburendum alligatum, admonitum
fuiſſe ab eodem Bavariæ Duce, ut reſipiſce-
ret, ac reſipiſcens propriæ parceret vitæ. *Suis
à Lictore, ait, exutus veſtibus, ligatis poſt ter-
gum manibus affixo in terram palo, alligatus
eſt in medio rogi: priuſquam verò rogus incen-
deretur, adequitavit Dux Bavariæ Ludovicus,
& Dominus de Papenheim, admonentes eum,
ut adhùc revocaret, ac ſuæ parceret vitæ*. Sed
fruſtra hæc omnia, deſertus Dei gratia, in
ſua permanſit pertinacia, potius ignominioſè
mori eligens, ac in perpetuum damnari, quàm
ſua impia dogmata revocare.

334 Sic abſoluta infęlicis viri cauſa, cum
ejus Wicleffi, ac Joannis parvi Pſeudotheo-
logi Sorbonici doctrina, pernicioſa emerſerat
opinio, qua Populi ad Principum cædem
concitabantur, aſſerens: *Quilibet Tyrannus
poteſt, & debet licitè, & meritoriè occidi per
quemcumque Vaſallum ſuum, vel ſubditum,
etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blan-
ditias, vel adulationes, non obſtante quocum-
que præſtito juramento, ſeù confœderatione factis
cum eo, non expectata ſententia. vel mandato
Judicis cujuſcumque*: Patres Concilii conſi-
derantes quanti detrimenti eſſet Chriſtianæ
Reipublicæ præſata pernicioſa doctrina, &
quantorum malorum cauſa, maturè diſcuſſa
& examinata, peculiari decreto eam damna-
vit: „ Adversùs hunc errorem, *inquiunt Acta*,
„ ſatagens hæc Sancta Synodus inſurgere,
„ & ipſum funditùs tollere, præhabita deli-
„ beratione matura declarat, & decernit, &
„ diffinit, hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe
„ in fide & in moribus, ipſamque tanquam
„ hæreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, dece-
„ ptiones, mendacia, proditiones, perjuria
„ viss dantem reprobat & condemnat. De-
„ clarat inſuper, decernit, & definit, quòd
„ pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſi-
„ mam aſſerentes, ſunt hæretici, & tanquam
„ tales juxta Canonicas Sanctiones punien-
„ di. *Hactenus ibi*. Publicata denique qua-
dam Conſtitutione, incipiente: *Juſtitiam &
æquitatem exerceri non dubitatur*; ædita contra
invaſores, ſivè ſpoliatores perſonarum ac-
cedentium, vel recedentium ab ipſo Conci-
lio, dimiſſa eſt ſeſſio: poſtquam in platea Pa-
latii Epiſcopalis libri Joannis Hus, videlicet
liber de Eccleſia, & alia ejus opuſcula, pre-
ſentibus Epiſcopis Vaurenſi, & Olorenſi, duo-
bus Legis Doctoribus, ac duobus publicis
Notariis, Teſtibus quoque duobus, igni
traditi fuerunt, & combuſti.

335 Porrò die XI. menſis Julii habita eſt
ſeſſio XVI. pręſidente eodem Epiſcopo Oſtien-
ſi Cardinali Vivarienſi, abſente Imperatore,
ac

ac in ea primùm deputati ſunt Legati, ſivè Ambaſſiatores mittendi in Aragoniam, cum poteſtate agendi & tractandi cum Petro de Luna, ac concordandi cum eo, ad effectum conſequendæ perfectæ unionis Sanctæ Eccleſiæ, ita tamen, ut agenda, tractanda, & concordanda, agerentur tractarentur, ac concordarentur, accedente conſenſu Sigiſmundi Romanorum Regis, ſi præſens adeſſet. Conſtituti ſunt Judices ad citãdum illos, qui clandeſtinè receſſerant à Cõcilio, data eis poteſtate eos puniẽdi, privationis pœna, niſi infra certũ tẽpus reverterentur. Data eſt facultas quatuor Nationum deputatis concedendi licentiam, interveniente juſta & rationabili cauſa, recedendi à Concilio. Proviſum etiam eſt, ad ſuſtentationem Dominorum Cardinalium, & Prælatorum exiſtentium in Concilio, & decretum eſt, ut de neceſſariis & utilibus provideantur de Bonis Cameræ Apoſtolicæ. Ordinatus eſt proceſſus contra Carolum de Dueil, & Henricum de Turre, qui in Ducatu Barenſi armata manu aggreſſi fuerant quoſdam Legatos Caroli Francorum Regis, & Univerſitatis Pariſienſis deſtinatos ad Concilium, lata quoque in eos excommunicationis ſententia. Ac denique decretum eſt, ut ſententia depoſitionis Joannis XXIII. ac ceſſionis, & ratificationis, ac etiam Inſtrumenta ceſſionis Gregorii XII. in Actis Concilii loco congruo inſerantur: Et his peractis, dimiſſa eſt præfati diei ſeſſio.

336 Die inde xv. ſupradicti menſis Julii celebrata eſt xvii. generalis Seſſio ſub eadem Epiſcopi Oſtienſis præſidentia, & ipſo Romanorum Imperatore præſente, qui cùm eſſet profecturus ad Regem Aragonum pro reducendo ad reſignandum, & cedendum prætenſo Papatui Petro de Luna Benedicto XIII. Actæ fuere à Concilio diverſæ preces pro ejus incolumitate eundo & redeundo, ac indictæ ſunt proceſſiones, necnon conceſſæ centum dierum Indulgentiæ tum Sacerdotibus celebrantibus, tum laicis pro præfata incolumitate orantibus; contra verò eos, qui auſu temerario auſi eſſent quovis modo impedire, aut retardare quominùs præfatus Romanorum Rex iter prædictum conficere poſſet, lata eſt excommunicationis ſententia. Et Angelus Corarius, olim Gregorius XII. conſtitutus eſt Legatus Apoſtolicus totius Provinciæ Marchiæ.

337 Interea, nè per Imperatoris abſentiam forſan favore quorundam, Dominus Balthaſſar Coſſa fugam iterùm arriperet, viſum eſt Patribus ipſum commendare cuſtodiæ Domini Ludovici Palatini Rheni, à quo fuit utique cuſtoditus, ſed honeſtè habitus, ut ſcribit Theodoricus Niemius, inquiens: „ Poſt „ hoc traditus & recommendatus fuit cuſto„ diæ Domini Ludovici Comitis Palatini „ Rheni, qui eſt Princeps probus, prudens & „ bonæ famæ, & eſt hic apud nos ad cuſto„ diam prædicti Concilii in abſentia prædicti „ Regis Romanorum, per dictum Dominum „ Regem Romanorum, qui eundem Balthaſ„ ſarem benignè pertractat, ſibique providet „ de omnibus opportunis, & habet duos „ Cappellanos honeſtos ſecum dicentes Offi„ cium, & coram eo celebrantes, & quoſ„ dam honeſtos nobiles ſibi in menſa mini„ ſtrantes in loco ſpatioſo & delectabili, non „ catenatus, non conſtrictus; & ita de aliqui„ bus audivi, qui benè ſciunt. *Hæc Niemius.*

338 Poſt Imperatoris receſſum celebrata eſt ſeſſio xviii. ſub ejuſdem Epiſcopi Oſtienſis præſidentia die xvii. menſis Auguſti: ac in ea data eſt Dominis Piſtorienſi, Uaurenſi, Plocenſi, & Saresberienſi Epiſcopis, & Judicibus poteſtas ad audiendum cauſas & querelas ad ipſum Concilium devolutas, ſeu deducendas, ac ſuper eis ferendi etiam definitivam ſententiam. Deinde decretum eſt, ut literis ſub bulla ipſius Concilii conficiendis, in quibuſcumque cauſis eadem fides adhibeatur, quæ veris literis Apoſtolicis bullatis adhiberi debet & ſolet: Falſificantes verò præfati Concilii bullas, puniantur pœnis latis contra falſificantes literas Apoſtolicas. Confirmatæ ſunt omnes conceſſiones factæ per literas Apoſtolicas, ſecũdum ſtylum Curiæ expeditas à Joanne XXII. ante latum Decretum ſuſpenſionis ſuæ adminiſtrationis, ideſt ante diem xii. Maii, exorbitantibus dumtaxat & gratiis expectativis exceptis. Deſtinati denique ſunt Ambaſſiatores, tum ad Angelum Corarium, olim Gregorium XII. tum ad alias partes Italiæ ſuper factis, & negotiis unionis Eccleſiæ cum inſtructione & facultatibus deliberatis & concluſis.

339 Interea erat examinanda ac terminanda cauſa Hieronymi de Praga, Joannis Hus ſodalis, & ſectator olim, jam incarceratus, qui, cùm ex variis privatis colloquiis cum piis, & doctis viris convictus, & pœnitens ſe oſtendiſſet, paratus quoque ad ſatiſfaciendum univerſo Concilio, & ad retractandum univerſa impia dogmata, habita eſt xix. generalis Seſſio die xxiii. menſis Septembris, eodem, qui ſupra præſidente, nimirum Epiſcopo Oſtienſi, in qua D. Petrus Cardinalis Cameracenſis, unus ex deputatis & Commiſſariis per Concilium in materiis fidei, propoſuit, ut habent acta hujus ſeſſionis apud Labæum in Appendice ad hoc Concilium tom. 12. pag. 1526. qualiter præfatus Hieronymus de Praga, de hæreſi accuſatus, & carceratus, paratus erat cuncta revocare, & retractare, prout in quadam ſchedula ſua propria manu ſubſcripta, ac inſuper lecta conſtabat: & quoniam non fuit in publica ſeſſione, ac ideo non videbatur ſufficiens, proinde, paratus erat iterum in publica ſeſſione id idem repetere, ad quam perſonaliter acceſſerat, ſive conductus fuerat. Ac ita præfatus Hieronymus de Praga conſcenſo ambo-

ne præmiſit, quamdam brevem & ſolemnem proteſtationem, recommendando per eam Reverendiſſimos Patres Dominos deputatos & Commiſſarios ſuper materia fieri de eorum bona atque ſalubri doctrina & pia tractatione, & de aliis bonis ſibi per eos impenſis. Inſuper proteſtatus fuit, quod ſi habuiſſet cognitionem per prius, quàm hodie, nunquam tenuiſſet illos errores; & quòd prædictam revocationem & abjurationem ſua manu ſcriptam non feciſſet propter detentionem, immò ſi in libertate conſtitutus fuiſſet & habuiſſet præfatam cognitionem, quam tunc habebat, idem feciſſet. His, & aliis dictis ſuæ retractationis, revocationis, & abjurationis ſchedulam, quam in manibus habebat, alta, & intelligibili voce legit, ad hunc modum ſe habentem.

Abjuratio Hieronymi de Praga.

340 „ Ego Hieronymus de Praga artium „ liberalium Magiſter, cognoſcens veram „ Catholicam Eccleſiam & Apoſtolicam Fi- „ dem, anathematizo omnem hæreſim, præ- „ cipuè eam, de qua hactenus infamatus „ fui, & quam præteritis temporibus do- „ gmatizaverunt, & tenuerunt Joannes Wi- „ cleff, & Joannes Hus in ſuis opuſculis, „ libellis, ſeu ſermonibus ad Clerum, & ad „ Populum, propter quam cauſam prædicti „ cum ſuis dogmatibus & erroribus damnati „ ſunt ab hac dicta Cōſtantienſi Synodo tan- „ quam hæretici, & eorum doctrina præ- „ dicta ſententialiter damnata, maximè in „ nonnullis articulis expreſſis in ſententiis „ per hoc ſacrum Concilium contra ipſos „ latis.

341 „ Contentio autem Sanctæ Roma- „ næ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi, & huic Sa- „ cro Concilio, & ore ac corde profiteor in „ omnibus, & per omnia, & præſertim de „ Clavibus, Sacramentis, Ordinibus, Of- „ ficiis, & Cenſuris Eccleſiaſticis, Indul- „ gentiis, & Reliquiis Sanctorum, & Eccle- „ ſiaſtica libertate, ac etiam de Ceremoniis, „ & aliis omnibus ad Religionem Chriſtia- „ nam pertinentibus, prout ipſa Romana „ Eccleſia & Apoſtolica Sedes, & hoc Sa- „ crum Concilium profitentur: & ſpeciali- „ ter, quòd prædictorum articulorum plures „ ſunt notoriè hæretici, & dudùm à Sanctis „ Patribus reprobati: quidam verò blaſphe- „ mi, alii erronei, alii ſcandaloſi, quidam „ verò etiam piarum aurium offenſivi, & „ ipſorum nonnulli temerarii & ſeditioſi; & „ & pro talibus fuerunt prædicti articuli per „ hoc Sacrum Concilium, & nuper conde- „ mnati, & inhibitum omnibus & ſingulis „ Catholicis ſub anathematis interminatio- „ ne, nè de cætero dictos articulos, ſeu eorum „ aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, „ vel tenère præſumeret.

342 „ Item Ego Hieronymus antedictus, „ quia in nonnullis artibus ſcholaſticis ad „ perſuadendum opinionem de Univerſali- „ bus realibus, & quòd una communis gene- „ ris eſſentia eſſet homo, Leo, Bos &c. quòd- „ que una eſſentia ſpecifica; ſed plura „ ejuſdem ſpeciei ſuppoſita, & quodlibet „ eorum, ut Ambroſius, Hieronymus, Au- „ guſtinus, & ſic de ſingulis; & ad hoc in- „ ducendum velut exemplo ſenſibili deſcri- „ pſi quandam triangularem figuram, quam „ *ſcutum fidei* nominavi, ideò excludendum „ intellectum erroneum, & ſcandaloſum, „ quem fortaſſis aliqui ex hoc accipere po- „ tuerunt, dico, aſſero, & declaro, quòd „ dictam figuram non feci, nec eam nomina- „ vi *ſcutum fidei* ea intentione, quòd vellem „ dictam opinionem de Univerſalibus extol- „ lere ſuper opinionem contrariam, ſic quaſi „ eſſet *ſcutum fidei*, quod ſine ejus poſitione „ fides aut Catholica veritas protegi & de- „ fendi, cùm nec dictæ poſitioni velim per- „ tinaciter adhærere: Sed hoc ideo dixi, „ quia de dictæ figuræ triangularis deſcri- „ ptione ponebam exemplum, quod Divina „ eſſentia eſt tria differentia ſuppoſita, & „ quodlibet eorum, ſcilicet Pater, & Fi- „ lius, & Spiritus Sanctus, qui quidem „ Trinitatis articulus eſt, & præcipuum „ *ſcutum fidei*, & veritatis Catholicæ fun- „ damentum.

343 „ Prætereà, ut cunctis pateat, quæ „ fuerunt cauſæ, quare fui reputatus ad- „ hærere, & favere dicto quondam Joanni „ Hus, notum facio per præſentes, quòd cùm „ multoties audiviſſem eum in prædicationi- „ bus & ſcholis, credidi eum virum bonum „ eſſe, nec in aliquo obviare traditionibus „ Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac Sanctorum „ Doctorum. Immò etiam cùm nuper in hac „ Civitate mihi fuiſſent oblati articuli per „ eum poſiti, & per hoc Sacrum Conci- „ lium damnati, prima fronte non credidi „ ſuos eſſe, ſaltem in ea forma; Cumque ab „ aliquibus egregiis Doctoribus, & Magi- „ ſtris in ſacra pagina audiviſſem affirmari, „ quòd ſui erant poſtulavi pro mea plena in- „ formatione mihi oſtendi libros manus ſuæ, „ in quibus dicti articuli contineri diceban- „ tur. Quibus mihi oſtenſis, manu propria „ ejudem ſcriptis, quam ut meam propriam „ benè cognoſco, dictos articulos omnes, & „ ſingulos in ea forma, quam damnati ſunt „ reperi eſſe conſcriptos. Unde non imme- „ ritò comprehendi, & comprehendo ipſum „ & ſuam doctrinam cum eorum ſequacibus „ per hoc Sacrum Concilium damnatam, & „ reprobatam fuiſſe, tanquam hæreticam & „ inſanam. Et hæc omnia ſupradicta dico „ purè, & ſine conditione, ut jam plenè, & „ ſufficienter informatus de prædictis ſenten- „ tiis latis per hoc Sacrum Concilium con- „ tra doctrinam dictorum quondam Joannis

Wi-

„ Wicleff & Joannis Hus, & contra ipſorum
„ perſonas; quibus ſententiis tamquam de-
„ votus Catholicus io omnibus & per omnia
„ humiliter conſentio, atque adhæreo.

344 „ Item ego idem ſupradictus Hie-
„ ronymus, qui aliàs coram Reverendiſſimis
„ Patribus Dominis Cardinalibus, ea Vene-
„ randis Dominis Prælatis & Doctoribus,
„ & aliis Venerabilibus perſonis hujus Sacri
„ Concilii, in iſto eodem loco voluntariè,
„ liberè & ſpontaneè exponens & declarans
„ intentionem meam, inter alia loquens de
„ Eccleſia, eam trifariè diſtinxi, ut percepi
„ poſtea, tunc à quibuſdam intellectum eſt,
„ quod vellem dicere, quòd in Eccleſia
„ triumphante eſſet fides, cùm tamen cre-
„ dam firmiter, quòd ibi ſit beatifica viſio,
„ ænigmaticam cognitionē excludens: nunc
„ dico, affero, & declaro, quòd nunquam
„ fuit intentionis meę dicere, quòd ibi eſſet
„ fides ſub ratione fidei, ſed cognitio fidem
„ ſubæquivalenter excedens. Et generaliter
„ quidquid ibi, vel antea dixerim, refero &
„ ſubiicio humili corde determinationi hujus
„ Sacri Coocilii Conſtantienſis.

345 „ Inſuper juro, & per Sanctam Tri-
„ nitatem, & per hæc Sacroſancta Evange-
„ lia, me in veritate Eccleſiæ Catholicæ
„ ſemper & ſine dubio permanſurum, & om-
„ oes, qui contra hanc fidem venerint, cum
„ dogmatibus ſuis æterno anathemate dignos
„ eos pronuntio. Et ſi ego ipſe aliquando
„ (quod abſit) aliquid contra ſentire, aut
„ prædicare præſumpſero, Canonum ſeve-
„ ritati ſubjaceam, & æternæ pœnæ obli-
„ gatus inveniar. Haoc autem Profeſſionem
„ & profeſſionis meæ paginam coram hoc ſa-
„ cro Concilio Generali liberè & voluntariè
„ porrigo, & eidem me propria manu ſub-
„ ſcripſi, & hæc ſingula conſcripſi. *Hactenus Abjuratio*.

346 Hac abſoluta abjurationa promul-
gata eſt quædam ejuſdem Concilii conſtitu-
tio, incipiens, *ſupplicationibus perſonarum*, in
favorem quorundam Religioſorum de Mino-
rum Ordine, qui Divina cooperante gratia,
ſtrictè S. P. N. Franciſci Regulam obſervare
cupiebant: ac in præfata conſtitutiooe pro
eadem purlori ejuſdem Regulæ obſervantia
plura ſalubriter ſancita fuêre. Deinde edito
Decreto, declaravit Sancta Synodus ex quo-
vis ſalvo conductu per Imperatorem, Reges,
& alios ſæculi Principes, hæreticis, vel de
hæreſi diffamatis, putantes eoſdem ſic à ſuis
erroribus revocare, quocumque vinculo ſe
adſtrinxerint, conceſſo, nullum Fidei Catho-
licæ, vel juriſdictioni Eccleſiaſticæ præju-
dicium generari, vel impedimentum præſtari
poſſe, ſeu debere quominna, dicto ſalvo con-
ducto non obſtante, liceat Judici competenti
& Eccleſiaſtico de hujuſmodi perſonarum er-
roribus inquirere, & aliàs contra eos debitè
procedere, eoſdemque punire, quantùm ju-
ſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores revocare perti-
naciter recuſaverint, etiamſi de ſalvo con-
ductu confiſi, ad locum venerint Judicii, aliàs
oon venturi, oec ſic promitteotem, cùm fe-
cerit, quod in ipſo eſt, ex hoc io aliquo re-
maoſiſſe obligatum. Item maodatum fuit, ut
ſtatuta concernentia libertatē Eccleſiaſticam
maximè ædita in Concilio Lateranenſi, cum
adiectis à Friderico Secundo approbatis per
Honorium III. ac etiam per Carolum IV.
prout continentur in libro Cancellariæ Ro-
manæ Eccleſiæ, per Dominum Vice Cancel-
larium inſererentur io executoriis literis,
per ipſum expediendis. Ad Hæreſes extir-
pandas in Bohemiæ Regno, ac in Moravia, in
eadem ſeſſione deputati, & conſtituti ſunt
Judices. Præterea ſtatutum eſt, ut Beneficiati
Concilio præſentes, oon obſtante eorum ab-
ſentia à loco reſidentiæ, fructus valeant,
& poſſint recipere. Proviſiones denique ad
Patriarchales, Metropolitanas, & alias Eccle-
ſias factas per Joannem XXIII. ante ſuam ab
adminiſtratione ſuſpenſionem, ipſum Conci-
lium confirmavit, & bulla ſuper iis expediri
juſſit.

347 Cùm porrò delata eſſet querela per
Georgium Epiſcopum Tridentinum contra
Fridericum Auſtriæ Ducem, quod poſt Ca-
nonicam præſatæ Eccleſiæ & Civitatis, alio-
rumque oppidorum, Caſtrorum & Villarum,
Terrarum, & locorum, per annos ſexdecim,
& pacificam poſſeſſionem fuiſſet à novem jam
exactis annis ſpoliatus per eundem Ducem
Fridericum, Patres cauſa priùs privatim exa-
minata & diſcuſſa, ad ſententiam definitivam
venire cupientes, habuerunt ſeſſionem xx.
die xxi. menſis Novembris, eodem Cardi-
nale Oſtienſi præſidente, in qua attenta cauſa
juſtitiæ militantis in favorem præfati Epiſco-
pi, conſtito de injuſta ſpoliatione & detentio-
ne, ut per Decretum incipiens: *Gravem querelam*, declaravit, juſſit Sacra Synodus
expediri monitorium contra prædictum Au-
ſtriæ Ducem, cum termino peremptorio ad
reſtituendum omnia & ſatisfaciendum, ſub
diverſis cenſuris & pœnis latis per ſacros Ca-
nones, ac in conſtitutione Caroli IV. per
Apoſtolicam Sedem approbata: Quo perlecto
monitorio, ſoluta eſt ſeſſio.

348 Dum hæc à Patribus Conſtantiæ age-
rentur, Sigiſmundus Romanorum Rex, & Sa-
cri Concilii Legati apud Petrum de Luna
plurimùm laborabant, ut ipſum reducerent
pro perfecta Eccleſiæ unione, ad cedendum
pretenſo ſuo Papatui, licèt univerſa ipſius
Regis, ac eorundem Oratorum ſtudia in
caſſum abierint. Ingreſſi erant Perpinianum
dei xxi. Septembris, nec unquam inducere
potuerunt præſatum Petrum de Luna ad
ſpontè deponendum Pontificalia inſignia,
uſum ad eludendas poſtulationes, ac præſati
Regis, & Oratorū preces ambagibus reſpon-
ſis, dolo plenis, immò & petitionibus talium
& adeo-

& adeo exorbitantium conditionum, quæ ei nullo pacto ſalvo Concilii & Eccleſiæ honore concordari poterant; Acceſſerunt & preces Domini Ferdinandi Aragonum Regis, ac aliorum de ſua obedientia Principum, qui & honeſtas conditiones ei propoſuere, dummodo Pontificalia inſignia dimitteret, quas acceptare renuit: ac iterum per eundem Regem requiſitus, conſuetis uſus ambagibus, noluit acquieſcere; quare Sigiſmundus Rex attenta illius pertinacia, cùm eſſet Narbonæ, ſecedere decrevit, ac iterum ad Concilium reverti; verum Hiſpaniæ Aragoniæ, & Navarræ Reges, necnon Fuxi, & Armeniaci Comites, atque Ambaſſiatores Regis Scotorum, miſſis Oratoribus ad ipſum Romanorum Regem, ſtrictiſſimè rogarunt, nè ita repentè, re infecta ſecederet; ſed ſuos Oratores mitteret, ut ſcribit Niemius, cum quibus ſperabant invenire modum pro dicta conſequenda unione, & quòd ipſum Petrum de Luna cedere ſuo Papatui oporteret; quod ſi non faceret, ſibi obedientiam in Regnis & partibus illis ſubtrahere, eumque terra, marique perſequi vellent. Sunt ipſius auctoris verba. Quo audito gratulatus Imperator, ſtatim quoſdam ſuos ſolemnes Oratores miſit ad Perpinianum: quibus illùc advenientibus, & cum magno deſiderio nobilium popularium receptis, ordinatum, & concluſum fuit, quòd daretur dilatio xv. dierum præcisè ipſi Petro, infra quos haberet cedere, aut ut hæreticus in perſona, & rebus ſuis perſequi deberet.

349 Subjungit inde Niemius cit. in vita Joannis XXIII. „ Ipſe verò Petrus hoc ſentiens, quoſdam illarum partium potentes
„ donis & promiſſis ſophiſticavit pro ſe more
„ ſuo creando quatnor eorum charos in
„ magnos Antiſtites, & unum eorum in Car-
„ dinalem, & quibuſdam eiſdem potentibus,
„ qui pro ſe, aut ſuis nolebant tales Eccle-
„ ſiaſticos honores, dedit aliquas pecunia-
„ rum ſummas in promptu, quod eum juva-
„ rent, ut tutus ab inde per mare recedere
„ poſſet, prout fecerunt. Et poſtquam per-
„ venit cum galeis ſuis ad Caſtrum Colibriæ
„ maritimum, inſecuti fuerunt eum Ambaſ-
„ ſiatores illarum Civitatum, ſcilicet Barcel-
„ lonæ, Cæſerauguſtæ, Valentiæ, Majoricæ,
„ Dertuſæ, Geronæ, Perpiniani, & quarun-
„ dam aliarum magnarum Civitatum ſecus
„ mare conſiſtentium uſque ad dictum Ca-
„ ſtrum Colibriæ, & ibi obſederunt eum, &
„ realiter ſpoliarunt, ſeu nudarunt ipſas Ga-
„ lea remis, & aliis inſtrumentis inibi re-
„ pertis, quod ab inde ulterius recedere non
„ poterat. Quid autem ſubſecutum ſit, igno-
„ ramus. Sed quòd dicti Ambaſſiatores ea-
„ rundem Civitatum in hoc concluſiſſent &
„ eſſent concordes, quòd nollent amplius
„ ſtare ſub obedientia dicti Petri, ſivè cede-
„ ret, ſivè non, ipſi nihilominùs huic Con-
„ cilio intenderent adhærere, dictūq; perſequi
„ pro eo, quod toties ſponte juraſſet & voviſ-
„ ſet Deo, & Sanctis ejus ſolemniter & in ſcri-
„ ptis, ante perverſum ejus Papatum, & in
„ illo etiam, quod ipſe ſemper paratus eſſet,
„ velletque ſpontè cedere dicto ejus Papa-
„ tui, quotieſcumque ſuper hoc requirere-
„ tur, & ſibi adhærentibus, & alter, vel alii
„ alterius, & aliarum obedientiæ, vel obe-
„ dientiarum nominatus ſeù nominati in
„ ejus, vel eorum obedientia, ſeù obedien-
„ tiis, Papa, vel Papæ etiam ſponte cedere
„ vellet, vel vellent; & iterum contra jura-
„ menta & vota ſua prædicta temerè veniret
„ ad nolendum adimplere, ſubterfugia quæ-
„ rendo, & nè ipſa unio fieret fugendo. *Hactenus Theodoricus Niemius.*

350 Poſt hanc fugam, miſſis Oratoribus Raimundo de Plano, Bonanato Petri Legum Doctore, & Petro Serra Decretorum Doctore, ipſe Ferdinandus Aragoniæ Rex iterum inſtitit, ut Papatui, cederet, adductis pluribus, ſolidiſque rationibus, ſed fruſtra: unde Paniſcolam ſe recepit tanquam in loco ſibi tutiore, ubi conſtitutus, tertio per Ambaſſiatores Aragonæ, Caſtellæ, & Navarræ Regum, Comitumque Armaniaci, & Fuxi fuit requiſitus, ut depoſito pſeudopontificatu concordiam Eccleſiæ reſtitueret: Cùmque adhùc in duritia cordis ſui conſiſteret, immo & contra Concilium Conſtantienſe multa temerè affutiiſſet, ſuperbè dicens in exitium Eccleſiæ congregatum, Ferdinandus Aragonum Rex requiſivit S. Vincentium Fererium, quid in tanta rerum perturbatione agendum eſſet; qui Divino lumine illuſtratus, reſpondit, deſerendas illius partes, ſi trina vice poſtulatus voluntaria abdicatione Eccleſias in priſtinam concordiam deducere detrectaret, Nam ipſe ſanctus Vir, ſermonibus, verbo, & ſcriptis, pro Pontificatu ipſius Petri de Luna hactenus certaverat; *Sed videns noviter*, Theodoricus Niemius, *quod dictus Petrus fidem verbis, & promiſſis ejus hujuſmodi non daret, in eodem tempore opportuno, totaliter declinavit ab ipſo, prædicando publicè per dictum Regnum in diverſis Provinciis, & locis, per quæ tranſitum ex tunc fecit & facit, contra eundem Petrum, quòd ſit Vir pravus, & fallax, fictus decipiendo populum Dei.*

351 Attenta ergò pertinaci contumacia Petri de Luna, conſilio habito Perpiniani à Ferdinando Aragonum Rege cum Oratoribus Regum Caſtellæ, Navarræ, & Fuxi Comitis, qui hactenus Petro è Luna adhæſerunt, unanimes decreverunt, juxta S. Vicentii conſilium, ſpreta ejus contumacia incumbendum ad Eccleſiarum conjunctionem redintegrandam, hac inita ratione, ut Patres Conſtantiæ congregati Petri Sectatores, atque hi viciſſim Conſtantienſes appellarent de habenda Conſtantiæ Synodo, cujus cogendæ hæ deſignarentur cauſæ ad unicum Paſtorem univerſæ

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ præficiendum, moresque Chriſtianorum emendandos: prius tamen Petrum de Luna honore vel ſponte, vel à Concilio & ſacris legibus deiiceretur: in quem cùm ferenda eſſet ſententia, vel ii, qui ex ipſius Sectatoribus ad Concilium profecturi eſſent, vel ſaltem major eorum pars aſſentirentur, dandam operam, ut anathematiſmi ab adverſarum partium Pontificibus promulgati abrogarentur, & geſta à Petro in conferenda Eccleſiarum adminiſtratione confirmarentur; & ſi ii, qui Cardinalitiam Purpuram gerebant, conjunctique eidem Petri de Luna erant diſcederent ab ejus obſequio, in cæterorum Cardinalium numerum admitterentur; prout hæc omnia ex publicis actis, incipientibus; *Pro extirpando ſchiſmate*, quæ habentur inſerta poſt ſeſſionem xx. ſub titulo: *Tenor Capitulorum concordatorum*, apud Labæum. tom. 12. pag. 178. ubi & nonnulla alia concordata leguntur: Et quidem Narbonæ in Turri Epiſcopalis Palatii ſub die XIII. menſis Decembris.

352 Cùm porrò hujus concordati delata eſſet notitia ad Patres Conſtantienſes, univerſi magno gaudio perfuſi ſunt; ſignaque lætitiæ præbentes, etiam cum gratiarum actione, ut ſcribit Niemius, inquiens: „ In „ feſto Sancti Thomæ Cantuarienſis infra „ feſta Natalis Domini. *Et infra*. Perlectis „ dictis literis, ſtatim fuit facta lætitia magna præſentibus, & ipſa nova grata audientibus, & Campanæ Eccleſiarum Conſtantienſium in augmentum letitiæ hujuſmodi pulſabantur, fuit etiam tunc magnus „ concurſus illicò ad magnam Eccleſiam per „ ipſam germanicam & alias nationes hic „ etiam exiſtentes pro celebratione Concilii „ memorati, quorum valdè multi præ nimio „ gaudio plorabant, cæteri verò una voce, „ *Te Deum laudamus*, devotiſſimè concinebant. Retulerunt etiam in pub'ico, ſive „ coram ipſius nationibus Bajuli earundem „ literarum, quod non poterant ore promere, aut dicere, quàm ingens & celebre gaudium factum fuit in partibus Hiſpaniæ & „ Aragoniæ, necnon vicinis regionibus toti „ populo, & omnibus habitatoribus in partibus ipſis de illa jucunda concluſione „ univerſalis pacis & unionis Eccleſiæ prædictæ, ſi datum ſit deſuper, ut ſperamus, „ ſubitò ſubſequenda. Die Lunæ infra eadem feſta Natalis Domini Conſtantiæ ſolita hora facta fuit ſolemnis proceſſio, in „ qua fuerunt Domini Cardinales, & alii „ etiam Prælati inferiores illic ad Generale „ Concilium congregati, qua peracta, fuit „ celebrata in majori Eccleſia cum non „ modica frequentia, ac lætitia Cleri, & populi Conſtantienſis Miſſa de Spiritu Sancto, multis etiam tunc præ gaudio florentibus illic, ac eis, & aliis pro tanto bono „ Deum collaudantibus. *Hæc Theodoricus Niemius*.

353 Firmatis, ut fati ſumus, Perpiniani antedictis concordiæ Capitulis, Petro de Luna corde indurato in ſua continuante contumacia & perfidia, Ferdinandus Aragoniæ Rex ab illius prorsùs ſe ſubtraxit obedientia, datis etiam publicis literis, quibus univerſis ſibi populis ſubjectis tum Eccleſiaſticis tum ſæcularibus præcepit, ut præfato Petro de Luna nullo pacto parerent, nec ut Papam ampliùs recognoſcerent. Datæ ſunt literæ Perpiniani, ineunte An. Dñi MCCCCXVI. die VI. Januarii, incipientes: *Nos Ferdinandus Rex Aragonum. Per terrenum Regnum ſæpe cæleſte proficit*. In quibus narrata ſerie geſtorum, & quomodo Petrus de Luna reiteratis pluries ejus ſupplicationibus, ut pro pace Eccleſiæ Inſignia dimitteret Papalia, aquieſcere renuerit; & quòd ultimæ ſupplicationi reſponderit, ſe convocaturum omnes Prælatos ſuæ obedientiæ ad Concilium celebrandum per totum menſem Februarii, deliberaturi in eo quomodo deberet Requiſitionibus ſibi factis reſpondère, volens hac via eludere, ac divertere, nè Prælati de ſua obedientia Conſtantiam irent, ac ita unionem Eccleſiæ Dei manifeſtè impedire, ſubjungit: „ Quamobrem prædictis omnibus, „ & aliis plurimis plenè attentis, quæ apertè demonſtrant, quòd tam ſalutifero & „ evidenti progreſſui Sanctæ Matris Eccleſiæ, & in ejus inveterati ſchiſmatis æmulatione obedire dicto Domino Benedicto, „ aut ejus parère mandatis, notorium impedimentum adiiciat, de multorum Prælatorum, Comitum, Baronum, militum, Doctorum, & proborum, ac Nunciorum hic „ præſentium diverſorum Regnorum, & „ Civitatum noſtrarum conſilio, providemus & ordinamus per nos & noſtros ſucceſſores, necnon per quoſcumque Eccleſiarum, Prælatos, Duces, Barones, Comites Principes, ac quaslibet alias perſonas tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares, „ cujuſcumque dignitatis, gradus præeminentiæ, aut conditionis exiſtant, nobis „ quomodocumque ſubditos, aut intra Regna, ſeu ditionem noſtram degentes, præfato Domino Benedicto obediendum non „ eſſe aliquatenus, nec parendum: ac præcipimus diſtrictius & mandamus eiſdem, „ quatenus dicto Domino Benedicto minimè „ tanquam Papæ obedire, adhærere, ſeu in „ aliquo parere præſumant. *Hæc & alia ibi*. In quarum fine legitur. *Datum Perpiniani, & propter indiſpoſitionem perſonæ noſtræ ſignatam manu noſtri Primogeniti*. Subſcriptio ſic ſe habet. *Alphonſus Primogenitus*. Adjectum eſt & nomen Pauli Nicolai earundem literarum ſcriptoris; *D. Rex mandavit mihi Paulo Nicolai*. Ut videre eſt apud Labæum in Appendice ad Concilium Conſtantienſe tom. 12. pag. 1532.

354 Hac facta ſubtractione, ſcripſit Si-
giſmundo Romanorum Regi, ipſum de ea cer-
tiorem reddens, inquiens: „ Vobis præſen-
„ tibus intimamua, quòd hodie datæ hujus,
„ Dei nomine invocato, ad finem, quòd Dei
„ Eccleſia unico nupta ſponſo, Chriſtianua-
„ que populus, qui totis penè temporum
„ naufragavit circulia, in pace quieſcat,
„ ſubtrsximus & ſubtrahi juſſimus, ubique
„ ditionia noſtræ obedientiam Domino be-
„ nedicto, dictamque ſubtractionem hìc
„ ſignanter, & per alias etiam partes noſtræ
„ dictionis, juxta ipſius formam, quam Se-
„ renitati veſtræ mittimus cum præſenti,
„ ſolemniter fecimua publicari, credentes
„ indubiè id idem uno eodem die factum
„ fuiſſe per Illuſtriſſimos Reges Caſtellæ
„ Nepotem, & Navarræ avunculum nobis
„ chariſſimos, ac etiam Comites Arminiaci
„ & Fuxi, in eorum Regnis & Terris & Ci-
„ vitatibus, prout extiterat concordatum.
„ Super aliia verò, quæ remanent exequenda
„ tam vigili ſtudio procedere curabimua
„ quantùm in nobis erit &c. ſignatum manu
„ primogeniti VI. dic Januarii. *Hactenus
literæ*, quæ integræ habentur in præfata Ap-
pendice apud eundem Labæum pag. 1537.

355 Interea Conſtantiam reverſi ſunt
Oratores, quos ad Petrum de Luna, & Re-
gem Aragonum idem deſtinaverat, ferentes
ſuprafata Capitula concordata Perpiniani:
De quorum adventu hæc ſcribit Niemius,
*Die XXVIII. menſis Januarii reverſi fuerunt
Conſtantiam Oratores, ſeu Nuncii dudum per
prædictum Concilium cum præfato Rege Ro-
manorum ad Regem Aragonæ, & Petrum de
Luna deſtinati*. Hinc à Patribus habits eſt
Gener. Congregatio die 30. ejuſdem menſis
Anni Domini ineuntis MCCCCXVI. Indi-
ctione IX. in Eccleſia majori Civitatis Con-
ſtantiæ, in qua Dominus Jacobus Epiſco-
pus Turonenſis, aſcenſo ambone, univerſa
Capitula concordata, alta & intelligibili vo-
ce perlegit, qua abſoluta lectura, unanimi
conſenſu recepta, & approbata fuere. Inde
die IV. menſis Februarii, habita altera Gener.
Congregatione idem D. Archiepiſcopus Tu-
ronenſis, ut ad celerem negotii concluſio-
nem deveniretur, ſupplicavit Patribus ibi-
dem exiſtentibus, ut juxta concordata in
prædictis Cspitulis, medio juramento illa
approbarent: cui poſtulationi annuentes,
univerſi Patres juraverunt corporali jura-
mento ea approbare, ac fideliter obſervare.
De quibus omnibua factum eſt publicum
inſtrumentum.

356 Scripſerunt inſuper Concilii Patres
ad univerſos Archiepiſcopos, Epiſcopos,
cæteroſque de obedientia Benedicti XII.
Prælatos, incipientes literas, *quamquam mo-
dum Domino*, ſub datis III. Nonas Febr. ejuſ-
dem Anni MCCCCXVI. quibus ad intereſ-
ſendum ſacro Concilio Conſtantienſi advo-
cabant, ac enixè rogabant: „ Hinc Pater-
„ nitates & Nobilitates ac circumſpectiones
„ veſtras obſecramus per viſcera miſericor-
„ diæ Dei noſtri, per aſperſionem ſui pre-
„ tioſiſſimi Sanguinis & pretium redemptio-
„ nis noſtræ exoramus, requirimus, & mo-
„ nemus, quatenus ob Dei reverentiam,
„ ad tractandum ſuper infraſcriptis unà no-
„ biſcum veniatis, quo ad hoc voa & ve-
„ ſtrum quemlibet per præſentes convoca-
„ mus, ut infra tres menſes immediatè ſequen-
„ tes præſentationem Perpiniani, aut Bar-
„ chinone de præſentibus faciendā, concords-
„ ta in Capitulis die XIII. Decemb. proxi-
„ mè lapſi Narbonæ ſuper materia unionis
„ firmatis atque factis, de quidem præſen-
„ tatione certificamur, in Conſtantia com-
„ pareatis ob ſchiſma ſedandum &c. *Hæc in
literis*. Sed & Ferdinandus Rex Aragonum
ad hoc eidem operam dabat, atque per Ora-
torem ſuum intimare fecit Patribus Concilii
congregatis in Generali Congregatione ha-
bits die XX. Februarii, *quòd non tæderet eos
modicum expectare, cùm indubiè Prælati illo-
rum partium, & ad minus Ambaſſiatores illo-
rum Regnorum venturi eſſent ad præſens Con-
cilium, juxta concordata in Perpiniano*. Ve-
rùm non diù poſt viam univerſæ carnis in-
greſſus Ferdinandus, hoc eſt, die prima
menſis Aprilis, Alphonſus filius ejus primo-
genitus Regnum ſuſcepit, qui Patris moni-
ta, quod conſtanter & firmiter proſequere-
tur negotium unionis univerſalis Eccleſiæ,
ſectatus, receptis literis Patrum, quibus
Prælatoa de Benedicti XIII. obedientia ad
Concilium vocabant, de quibus fati ſumus,
illas miſit Pſeudocardinalibus de Benedicti
obedientia, indeque adjecit ſequentes, per-
lectss in Congregatione habita die ultima
menſis Aprilis, literas.

*Reverendis in Chriſto Patribus Dominis San-
ctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ami-
cis noſtris chariſſimis, Alphonſus Dei
gratia Rex Aragonum, Siciliæ
&c. ſalutem & ovili ſub
uno pacem Eccleſiæ
contemplari.*

357 „ Quia in concordia inter Sereniſ-
„ ſimum Romanorum Regem Congregatio-
„ nis Conſtantiæ, diverſoſque Regum &
„ Principum chriſtianitatis Ambaſſiatores,
„ multoſque Prælatoa obedientiarum voca-
„ torum olim Gregorii, olim Joannia ex
„ una parte, & Reges nos, ac Principes, ſeu
„ eorum Ambaxiatores obedientiæ Domini
„ Benedicti, ex altera in & ſuper factia
„ unionis Sanctæ Matris Eccleſiæ, & ſedan-
„ do inveterato jamque marceſcibili ſchiſ-
„ mate, auxiliante Spiritus Sancti gratia,
„ poſt multos labores juxta facta pariter &
„ firmata inter alia eſt proviſum, quod per
di-

„ dictos congregatos in Conſtantia tanquam
„ majorem partem chriſtianitatis fiat voca-
„ tio ad Concilium Generale de omnibus
„ illis obedientiæ dicti Domini Benedicti,
„ qui Concilio Generali intereſſe poſſunt &
„ debent, ſub forms quam vobis novimus
„ eſſe miſſam; ecce quod à dicta Congrega-
„ tione unà cum ſalvis conductibus neceſſa-
„ riis dictæ vocationis literas ſuſcepimus,
„ quas cum iſta Paternitatibus veſtris mit-
„ timus præſentandas. Ideò Paternitates
„ eaſdem rogamus, & per viſcera miſericor-
„ diæ Jeſu Chriſti requirimus & monemus,
„ & quo ſtrictius poſſumus, dicimus & hor-
„ tamur, quatenus omni more diſpendio re-
„ ſecato die dictis literis aſſignata in dicta
„ Civitete Conſtantiæ compereatis pro cau-
„ ſis in eiſdem literis expreſſatis, tractan-
„ dis, complendis, & efficaciter èxequen-
„ dis; abſit enim, in Chriſto Patres, quòd
„ aliquid, quàm magis legitima ratio acceſ-
„ ſum veſtrum differat, ſeu excuſet; cùm
„ ibi de tanta ſalute fidelium agitur anima-
„ rum; vobis, qui earum curam geritis, non
„ ſit fas trahere à laboris quantumcumque
„ gravis horrore pedes veſtros; immò omni
„ depoſita ſomnolentia, totis conatibus inſu-
„ dare, nè dicat vobis Chriſtus; *Non potui-*
„ *ſtis una hora vigilare mecum?* Ipſe quidem
„ miſericors, miſerator, & juſtus ſuo com-
„ patiens populo Chriſtiano, nunc vigilat,
„ & pro pace ſuæ Eccleſiæ jam opera, ut vi-
„ detis, quæ non cadunt in homine, magna
„ & mirabilia operatur, circa quæ, ſi ſegni-
„ ter vos geſſeritis, in die illa tremenda de
„ vobis calculum magis exigit rationis. Præ-
„ ſentatio verò dictarum literarum fuit facta
„ Barchinone IV. die menſis, & anni infra-
„ ſcriptorum. *Datum in Villa Aquilate die*
„ *quarta Aprilis, Anno à Nativitate Domini*
„ *MCCCCXVI.* Subſcriptio. Rex Alphon-
„ ſus.

358 Cæterùm Pſeudoilli Cardinales re-
ceptis literis, tantùm abfuit, ut parere vel-
lent, quòd cauſam Benedicti contra Conci-
lium Conſtantienſe prolixa declamatione co-
nati ſunt defenſare, ipſumque Regem Al-
phonſum lenociniis mulcere, ut in ſuam ſchiſ-
maticam traherent partem, concludentes in
fine literarum eidem Regi datarum, his ver-
bis: „ Finaliter itaque concludendo dicimus
„ quòd ad Congregationē Conſtantię irę non
„ poſſumus, nec debemus, nec fas eſt nos
„ dimittere locũ, ubi in ceſpite terra fæcun-
„ da Dominici ſeminis puritatem centeno
„ fructu refert, & ad illum pergere, ubi ſul-
„ cis obruta frumenta in jolium, avenaſque
„ degenerant; imò fugere nos oportet ab ol-
„ la ſuccenſa, cujus faciem cernimus à facie
„ Aquilonis, ex qua (niſi Deus avertat)
„ pandetur omne malum. Vos autem, qui
„ vexillarius Romanæ Eccleſiæ eſtis, Prin-
„ ceps Sereniſſime, levare debetis vexil-
„ lum ſuper hæreditate, quia malum viſum
„ eſt ab Aquilone, & confuſio magna nimis,
„ quod ut faciatis, Sedem ſcilicet Apoſto-
„ licam in ſtricto Regni veſtri ſcopulo con-
„ ſtitutam, & crudeliter coarctatam, ſe-
„ cundùm quod obgligati eſtis, ſpeciali-
„ ter protegendo, & vero Chriſti Vicario
„ debitos honorem, & reverentiam impen-
„ dendo, & vias cum practicis per ſuam
„ Sanctitatem apertis pro unione Eccleſiæ
„ veraciter conſequenda magnanimiter pro-
„ ſequendo, veſtræ Regiæ Majeſtati, ſuppli-
„ camus &c. *Datum Peniſcolæ Dertuſenſis*
„ *Diœceſis, die* III. *Maii, Pontificatus San-*
„ *ctiſſimi Domini Papæ Benedicti XIII. Anno*
XXIII. Hæc ille: Quorum intentio erat, ut
œcumenicum Concilium in Aragonia habe-
retur, vel Benedictus pro unico Pontifice ab
omnibus deſignaretur, & reciperetur. Alphon-
ſus verò ſinit ſe decipi, & adhærens illorum
lenociniis, Patris monita contemnens, ſchiſ-
ma inde fovere incœpit, quod ſua auctoritate
momento abolere poterat.

359 Dum hæc tractarentur, Hieronymus
de Praga poſt ſuam abjurationem adhuc Con-
ſtantiæ in cuſtodia detentus, quoniam animo
magis decipiendi, quàm vera pœnitentiâ du-
ctus, abjuraverat, lapſus eſt iterum in eandem
hæreſim: nec quæ promiſerat adimplevit;
nam cùm promiſiſſet literas facere ad Wen-
ceslaum Bohemiæ Regem, ad Reginam, &
Accademiam Pragenſem, quibus Joannem
Hus, & Wicleffum unà cũ ipſo cum impia do-
ctrina jure damnatos profiteretur, nedum
non fecit, verùm ipſum Joannem Hus elogio
commendavit. Quare in Congregatione Ge-
nerali habita die XXVII. menſis Aprilis, à
Concilii cauſarum actore plura crimina ſunt
ei objecta: inde Henricus de Piro fidei pro-
motor hæc adjecit: „ Pro parte inſtigatoris
„ humiliter exponitur, quòd dictus Hiero-
„ nymus in dicta cuſtodia ſic tentus, com-
„ meſſationibus & crapulis ſe ingurgitat, &
„ & epulis vitam plus exorbitantem, quàm
„ ſi liber exiſteret ducit. *Et infra.* Reſpondeat
„ ſufficienter articulis, quibus nondum ſuffi-
„ cienter reſpondit, & articulis ſibi de novo
„ datis, reſpondeat per verbum credit, vel
„ non credit ſub tortura, ne ſub hypocriſi
„ fugam, vel relaxationem conſecutus tan-
„ quam Pharao induratus, plus ſuos ſequaces
„ in ſuis erroribus confortet, cùm de omni-
„ bus & ſingulis ſupradictis rationabiliter
„ poteſt convinci, vel ſaltem probatio infer-
„ ri, quod meritò ſufficere poterit, quod
„ ſi negaverit feciſſe, aut commiſiſſe aliquid
„ de præmiſſis, quod legitimè probetur, &
„ probatum fuerit, & contumaciter perſe-
„ veraverit in negotio hujuſmodi, tunc ſine
„ more diſpendio tanquam pertinax hæreti-
„ cus incorrigibilis, relinquatur curiæ ſæcu-
„ culari, juxta ſacrorum Canonum conſtituta.
Hæc ille. Crimina porrò illi objecta, de qui-
bus

Digitized by Google

bus perſonaliter conſtitutus, & interrogatus, unà cum ſuis reſponſionibus habentur in actis relatis à Labæo in ſæpe cit. Appendice ad Concilium Conſtantienſe à pag. 1550. & ſeq. Cùmque in duabus aliis Congregationibus habitis die XXIII. & die XXVI. menſis Maii facta fuiſſet relatio ſuper reſponſionibus datis ad objecta, crimina, & articulos ab eodem Hieronymo, ac dictum fuiſſet, ipſum poſtulaſſe audientiam publicam, viſum fuit Patribus non eſſe illi denegandam, ſed concedendam poſtulatam publicam audentiam.

360 Itaque introductus eſt ad publicam audientiam in præſata Congregatione habita die XXVI. Maii, ut acta relata à Raynaldo ad Annum MCCCCXVI. ſub num. 20. referunt, in quibus hæc habentur: „ Lectis ipſis articulis & reſponſionibus, Reverendus „ Pater Dominus Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus ex voluntate collegarum „ ſuorum reſumpſit materias generaliter „ propoſitas contra ipſum Magiſtrum Hieronymum quadrupliciter de hæreſi convi- „ ctum, ſed ex quo petiiſſet ſæpè ſæpius audientiam publicam ſibi dari, ideo fuiſſet „ generaliter adviſatum & conceſſum, quòd „ audiri deberet ipſe Hieronymus in publico ad convincendum omnem oblocutionem „ inanem; quapropter dixit ipſi Magiſtro „ Hieronymo, ſi aliquid vellet dicere, in „ in præſentia Concilii poſſet, cùm præſens „ Cõgregatio non propter aliud fuerit facta, „ & ſi aliqua vellet dicere, proponere, ſive „ allegare pro defenſione juris ſui, poſſet „ etiam, ſi vellet, revocare errorem ſuum, „ Concilium tanquam pium, & miſericorditer procedens, eum vellet recipere ad „ gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ, cùm „ multi hæretici fuiſſent in Eccleſia, qui revocaſſent eorum errores, & emendarunt „ eorum vitam, & receperunt pœnitentiam „ de peccatis, quæ peregerunt: & in caſu, „ quo hujuſmodi vellet facere & talia ſpernere, oporteret, quòd juxta juris diſpo- „ ſitionem procederetur contra eum. *Hactenus acta*. Impetrata ergo dicendi libertate, tantùm abſuit, ut voluerit errores revocare, quod eoſdem prius per ſuam abjurationem revocaverat, publicè profeſſus eſt, & quidem præter omnium expectationem: laudavit Joannem Hus, Wicleffum etiam de vitæ ſanctitate, morum honeſtate, Doctrinæ quoque veritate, & in ipſos Dominos Cardinales invexit ob divitiarum ſplendorem, ut refert Niemius: plura per eum commiſſa facinora invereeunda fronte jactavit, palàm dicens ſe plures manibus ſuis ſubmerſiſſe atque interemiſſe, & ſauciaſſe alios, qui ipſius ſententiæ adverſati eſſent: arcanis artibus Wenceslaum impuliſſe, ut Germanos Doctores nolentes ſuis, & Joannis Hus erroribus adhærere, Bohemia pelleret: & præter alia multa proteſtatus fuit ſe contra conſcientiam egiſſe, adhærendo damnationi Joannis Hus, & Wicleff, errores illorum & ſuos abjurando, ac proinde velle eis, ac doctrinæ illorum firmiter adhærere. His non ſine ingenti Patrum ſtupore auditis, remiſſus eſt in cuſtodiam pertinax hæreticus, & ſoluta congregatio.

361 Die verò XXX. Maii habita eſt ſeſſio Generalis XXI. pro ferenda deffinitiva ſententia contra prædictum Hieronymum de Praga illic introductum ad audiendam præſatam ſententiam: ac in ea inter omnia primum Sermonem fecit D. Jacobus Epiſcopus Laudenſis, aſſumpto themate: *Exprobravit Deus incredulitatem eorum, & duritiam cordis, Marci cap. 16.* Quem recitat Joannes Cochlæus lib. 3. Hiſtor. Huſſitarum: in quo quidem Sermone inter plura de ingentibus perpetratis malis à præfatis Joanne Hus, & Hieronymo, atque Bohemiæ, & Eccleſiæ illatis, hæc adjecit: „ Attendite, *inquiens*, quæſo, Catholici „ Domini quanta fuit horum virorum, ſcilicet Joannis Hus, & Hieronymi hujus „ præſumpta temeritas, ut homines viles, ple- „ bei, infimi, ortuque ignoti, auderent nobi- „ le Regnum Bohemiæ totum concutere, „ Barones & Principes ad lites & diſſenſio- „ nes incitare, milites provocare, regimina „ antiqua immutare, convocare cohortes, „ dividere populos, inter Cives diſſenſiones „ maximas commovere, catervas ducere, „ ſatellites habere, armatos tenere, homicidia perpetrare, vel procurare, ſpoliare „ Eccleſias, Altaria prophanare. O' Beatum „ Regnum Bohemiæ, ſi natus non fuiſſet homo iſte! *Hæc in præſato ſermone*. Quo abſoluto, perlecta eſt formula, ex qua ipſe Hieronimus Wicleffi, & Joannis Hus errores damnarat. Verùm in ſua adhuc perfidia perſiſtente, urgente Synodi cauſarum actore per Reverendiſſimum Dominum Patriarchã Conſtantinpolitanum, unum de Commiſſariis Synodi, dicto Hieronymo, ut præſati ſumus, præſente, audiente, prænunciata eſt in eum ſententia definitiva, tenoris ſequentis,

In Nomine Domini. Amen.

362 „ Chriſtus Deus & Salvator noſter „ vitis vera, cujus Pater Agricola eſt, Diſci- „ pulos, cæteroſque fideles in illis inſtituens, „ inquit: *Si quis in me non manſerit, mittetur* „ *foras ſicut palmes, & areſcet*. Cujus ſummi „ Doctoris & Magiſtri doctrinam ſequens, & „ præcepta exequens hæc ſancta Conſtantien- „ ſis Synodus, in cauſa inquiſitionis hære- „ ticæ pravitatis per eandem Sanctam Syno- „ dum motam, famâ publicâ referente, & „ clamoroſâ inſinuatione demonſtrante, con- „ tra Magiſtrum Hieronymum, dictum de „ Praga, dictum Magiſtrum in artibus, lai- „ cum ex cujus cauſæ actis & proceſſibus con- „ ſtat, eundem Hieronymum tenuiſſe, aſſeruiſ-

,, ruiſſe , dogmatizaſſe nonnullos articulos
,, hæreticos & erroneos, dudum à Sanctis
,, Patribus reprobatos: quoſdam verò blaſ-
,, phemos , & alios ſcandaloſos , & alios pia-
,, rum aurium offenſivos, temerarios, ſeditio-
,, ſos , dudum per damnatæ memoriæ viros
,, Joannem Wicleff, & Joannem Hus aſſertos
,, prædicatos, dogmatizatos, ac in nonnullis
,, eorum libris & opuſculis inſertos . Quique
,, doctrina , & libri prædictorum Joannis
,, Wicleff, & Joannis Hus , ac Vicleff me-
,, moria , dictique Joannis Hus perſona , per
,, eandem Sanctam Synodum & ejus ſenten-
,, tiam de hæreſi damnatæ fuerunt. Quamque
,, damnationis ſententiam idem Hieronymus
,, poſtmodum, pendente hujuſmodi inquiſitio-
,, nis cauſa, in eadem Sancta Synodo , co-
,, gnoſcens & profitens veram , Catholicam
,, & Apoſtolicam fidem approbavit , eidem
,, conſenſit , anathematizavitque omnem hæ-
,, reſim , præcipuè eam , de qua erat infama-
,, tus, & ſe confitebatur infamatum , & quam
,, prætcritis temporibus dogmatizaverunt,&
,, tenuerunt Joannes Wicleff, & Joannes Hus
,, in ſuis opuſculis , ſermonibus , & libellis ,
,, & propter quam , ſeu quas , cum ſuis do-
,, gmatibus , & erroribus ab eadem Sancta
,, Synodo damnati fuerunt tanquam hæretici,
,, & eorum doctrina ſimiliter damnata ; præ-
,, miſſorumque omnium damnationem pro-
,, feſſus , & juravit ſe in hac fidei veritate
,, permanſurum . Et ſi ipſe quidquam contra
,, ſentire , prædicare præſumpſerit, canonum
,, ſeveritati ſubjacere , & æternæ pœnæ voluit
,, obligari . Necnon ſuam profeſſionem ma-
,, nu ſua conſcriptam eidem Sanctæ Synodo
,, obtulit atque dedit .

363 ,, Poſtquam profeſſionem , & ab-
,, jurationem multis diebus tranſactis , ſi-
,, cut canis ad vomitum rediens , ut virus
,, peſtilentiſſimum , quod in ſuo latitabat
,, pectore , publicè evomeret , audientiam
,, publicam ſibi dari in eadem Sancta Synodo
,, poſtulavit . Qua ſibi conceſſa, coram eadem
,, Synodo publicè congregata, aſſeruit, dixit,
,, & profeſſus eſt in effectu , quòd præfatæ
, ſententiæ damnationis dictorum Joannis
,, Wicleff, & Joannis Hus iniquè conſenſe-
,, rat , & illam ſententiam approbando men-
,, titus fuit . Nec verebatur ſe confiteri men-
,, titum , quinimmò confeſſionem , approba-
,, tionem , & profeſſionem ſuam ſuper illo-
,, rum damnatione revocabat nunc & in æter-
,, num ; aſſerens ſe in libris Joannis Wicleff,
,, & Joannis Hus nullam unquam hæreſim ,
,, vel errorem legiſſe , licèt antea fuerit con-
,, feſſus, & probatum ſit evidenter , ipſum
,, libros eorum diligenter ſtuduiſſe , legiſſe ,
,, & dogmatizaſſe , & in quibus conſtat plu-
,, res errores , & hæreſes contineri . Unde
,, idem Hieronymus de Sacramento altaris
,, & tranſubſtantiatione panis in corpus pro-
,, feſſus eſt ſe tenère & credere,quod Eccleſia
,, tenet ; dicens , ſe plus credere Auguſtino
,, & cæteris Eccleſiæ Doctoribus , quàm
,, Joanni Wicleff, & Joanni Hus ; conſtat in-
,, ſuper ex præmiſſis , eundem Hieronymum
,, prædictis Wicleff , & Hus damnatis & eo-
,, rum erroribus adhærere , illorumque fau-
,, torem fuiſſe & eſſe : propter quæ eadem
,, Sancta Synodus eundem Hieronymum pal-
,, mitem putridum , aridum , in vite non ma-
,, nentem, foràs mittendum decernit , ipſum-
,, que hæreticum , & in hæreſim relapſum ,
,, excommunicatum , anathematizatum pro-
,, nunciat , & declarat , atque damnat . *Ha-
ctenus Sententia* .

364 Hac pronunciata , & lecta Sententia,
& univerſaliter à Sancta Synodo approbata ,
idem Hieronymus de Praga traditus eſt po-
teſtati ſæculari , & combuſtus fuit , ut ipſa
hujus ſeſſionis acta tradunt : De qua conde-
mnatione , ſententia , traditione brachio ſæ-
culari , ejuſque combuſtione hæc ſcribit
Theodoricus Niemius in Joannis XXIII. vita:
,, Tandem ipſe Hieronymus dignis digna re-
,, cipiens , hic finaliter condemnatus de hæ-
,, reſi , & etiam curiæ ſæculari traditus , &
,, ipſo die , qui fuit ſabbati xxx. menſis Maii
,, hora x. ſpiritum igne combuſtus miſer effla-
,, vit : Et dum ligatus duceretur ad mortem,
,, cantavit publicè Symbolum , videlicet :
,, *Credo in unum Deum &c.* licèt tardè & con-
,, cinnè loquebatur , quouſque deceſſit , ſeù
,, os ad loquendum potuit aperire , obſtina-
,, tiſſimus in prædictis ſuis erroribus in vita
,, & in morte præſumptione diabolica , & da-
,, mnabili perſeverans. *Hactenus Niemius*. Et
ita finis cauſæ præfati hæreſiarchæ Hieronymi
de Praga .

365 Quibus peractis , die immediatè ſe-
quenti , videlicet xxxi. Maii, ſperantes Con-
cilii Patres quamprimùm Hiſpaniæ Præſules
acceſſuros ad Concilium, atque eidem aggre-
gandos , Decreto publico , iterum abſentes
Præſules ad Concilium vocavere , quatenus
aut perſonaliter convenirent , aut Oratores
ſuos mitterent , ad effectum procedendi *contra
ipſum Benedictum ſecundùm canonicas Sanctio-
nes , de Papatu , quem prætendit , dejectionem ,
& damnationem , ut exinde de unico Paſtore
Chriſti Vicario Eccleſiæ ſuæ ſanctæ , provide-
retur , & ad alia , quæ pro pace & tranquillita-
te ac reformatione ipſius Eccleſiæ viſa fuerint
ſtatuenda* , prout in præſato Decreto inci-
piente . *Quantùm Eccleſia Sancta Dei* , in pro-
priis terminis habetur , in cujus fine hæc
leguntur : ,, Omnes igitur & ſingulos Pa-
,, triarchas , Archiepiſcopos, Epiſcopos, Ab-
,, bates , & cæteros Eccleſiarum & Monaſte-
,, riorum Prælatos , necnon & ipſos & ali-
,, quos , licèt paucos , Romanæ Eccleſiæ
,, Cardinales , ab hac Synodo abſentes , ex
,, abundanti & ſine præjudicio prioris voca-
,, tionis , ſeu potius eam confirmando hor-
,, tamur in Domino , eoſque requirimus &

„ monemus, ac ejus in virtute S.Obedientiæ „ auctoritate Sacri Concilii tenore præſen- „ tium præcipimus, & mandamus, quatenus „ perſonaliter, Illuſtriſſimos verò Principes, „ Reges, Duces, Marchiones & alios, quos „ hujuſmodi Concilio adeſſe æquum eſt, vel „ qui in eo prodeſſe poſſunt quoquomodo, „ per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti invi- „ tamus & hortamur, quatenus per ſe, vel „ ſolemnes ſuos Oratores, infra certum men- „ ſium ſpatium, ipſi Conſtantienſi Concilio „ interſint præſentes, ut ſic congregata fide- „ lium multitudine, quæ in eodem Concilio „ decernenda, diſponenda, expediendaque „ ſuerint, adjutore Deo, ſalubrius ordinen- „ tur. *Hæc in præfato Decreto*, ſignato ſecundo Kalen. Junii Anno MCCCCXVI.

366 Interea plures Congregationes Conciliares, dum Oratores Regum & Principum, qui hactenus de Obedientia Benedicti ſuere, ac Prælati, & nonnulli, licèt perpauci, de eadem obedientia Cardinales expectarentur, habitæ ſunt, in quibus diverſæ cauſæ agitatæ, ac negotia expedita ſuère. Non diù poſt acceſſerunt Oratores Regis Luſitaniæ, qui honorificè ſuſcepti, atque recepti ſunt in Generali Congregatione habita die v. Junii. Cùm obſtinata durities Petri deLuna,ac ſibi adhęrētium Cardinalium, retardaſſet expeditionem Oratorum Aragonæ Regis, nè in aliquam ſuſpicionem ipſemet Rex apud Concilii Patres deveniret, quaſi promiſſio & concordata contemnere videretur, viſum eſt ei exeuſatorias literas ad Concilium mittere, quæ in publica Congregatione, celebrata die IV. Julii, lectæ fuere, in quibus hæc habentur: „ Cùm jux- „ ta capitula concordiæ inita & firmata in- „ ter Sereniſſimum Romanorum Regem, & „ Ambaſſiatores veſtros ex una parte, & nos, „ alioſque Reges, Principes, & Prælatos & „ cęteros hujus partis ex altera convocati ad „ Generale Concilium pro unione in Ec- „ cleſia Dei habenda, dictiſque negotiis, & „ aliis cauſis legitimis irretiti Ambaſſiatores „ noſtros in numero pleniori, prout depræ- „ ſenti mittimus, deſtinare neqnivimus, eò „ quòd exiſtimemus, quòd infra terminum „ jam præfixum ob ipſius proximitatem, „ attingere non poſſent, ad ibidem compa- „ rendum, hoc idem Paternitatihus veſtris, „ ut excuſationi conſulere valeamus, duxi- „ mus intimandum, rogantes, ut ſi dictorum „ Ambaſſiatorum adventus tam celer eſſe non „ poterit, velint prædictas legitimas cauſas „ intuentes, cum patientiæ manſuetudine „ tolerare. Datum Barchinone ſub noſtro „ ſigillo ſecreto die x. Junii, Anno à Nativi- „ tate Domini MCCCCXVI. *ſubſcriptio*. „ Rex Alphonſus. *Hactenus literæ*. Hæc porrò excuſationes admiſſæ ſuerunt à Concilii Patribus. In Congregatione Generali exinde habita die x. Septembris recepti fuerunt præfati Aragonæ Regis Oratores, & auditi. In altera Congregatione celebrata die XVI. ejuſdem menſis, actum eſt de excipiendis Oratoribus Jacobi Regis Neapolitani ac Joannæ Reginæ, & exorta controverſia propter titulos, quibus ſe intitularunt, prætenſos partim à Romanorum Rege, & partim à Ludovico Andegavenſi, decretum eſt: *quòd per quoſcumque actus nominationis, intitulationis, honoris, exhibitionis, tam in ſede quàm in aliis quibuſcumque dictis, & factis, dicendis, & fiendis in hoc Sacro Concilio per quoſcumque Prælatos, vel eorum, aut Regum, Principum, ac univerſitatum quorumcumque, Nuntios, vel Legatos, ſeu ipſis, aut de ipſis, vel eorum altero in eodem Sacro Concilio, nullum jus, ſeù poſſeſſum de novo acquiratur; nulliuſque præjudicium generetur, nulliuſque jus quodcumque in proprietate, vel poſſeſſione lædatur, & per præmiſſa, vel hujuſmodi Legatorum admiſſionem, jus, vel titulum alicujus approbare minimè intendit*.

367 „ Expeditis multis negotiis in præfatis, & aliis Congregationibus, celebrata eſt ſeſſio XXII. die XV. menſis Octobris, poſt adventum Legatorum Concilii, ſivè reditum ad Reges Aragonæ, Caſtellæ, & Navarræ, atque Comites Armeniacenſem, & Fuxenſem, olim, ut ſati ſumus, amandatorum. In qua ſeſſione Oratores Regis Aragonæ, repudiato jam antea Petro de Luna, ex pactionibus Narbonæ initis, Concilio adhæſerunt, quibus locum conſignatum eſt inter Medios Regis Francorum Oratores. Editum ſuper hoc etiam Decretum deſignans ordinem ſedendi. Facta inſuper eſt per prçſatos Aragonię Regis Oratores, juxta concordatos Narbonæ articulos, Concilii convocatio, à cæteris Patribus acceptata, ac ita & unio cum iis, quæ de Obedientia ſuerant Domini Benedicti XIII. Deinde prædictis Aragoniæ Regis Legatis, Caſtellæ quoque, Portugalliæ, & Navarræ ex gratia, ac ſingulari dumtaxat privilegio, pro ea vice conceſſum eſt privilegium, ut in Synodo haherent ſuffragium tantæ auctoritatis, quantum omnium Epiſcoporum ſuarum Provinciarum valeret. Ad hæc denique impleta ſunt ea omnia, quæ in Capitulis Narbonenſibus concordata fuerunt, & dimiſſa eſt ſeſſio.

368 Die verò v. menſis Novembris habita eſt ſeſſio XXIII. eodem Cardinali Vivarienſi Epiſcopo Oſtienſi præſidente, in quo Synodali Decreto conſtituti ſunt duodecim Judices Commiſſarii cum poteſtate procedendi contra Petrum de Luna Benedictum XIII. uſque ad perfectam ſchiſmatis extirpationem. Die porrò VIII. ejuſdem menſis celebrata eſt ſeſſio XXIV. ac in ea tantùm publicatum eſt Decretum citationis Petri de Luna ad comparendum Concilio intra ſpatium centum dierum: *Intimando*, inquiunt acta, *eidem per eaſdem literas, quod ſive venerit, ſive non, nos etiam ipſius abſentia divinitùs* re-

repleta præſentia, contra eum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, uſque ad definitivam ſententiam incluſivè procedemus. Qua citatione per Synodi Patres acceptata, abſoluta eſt ſeſſio. Porrò die xiv. Decembris habita eſt ſeſſio xxv. in qua admiſſi ſunt Oratores Comitis de Fuxo, & per eos dictus Comes receptus eſt eo modo, quo Aragoniæ Rex. Et adminiſtratio Eccleſiæ Olomenſis vacantis per obitū Wenceſlai Patriarchæ Antiocheni, uſq; ad novi Pontificis electionem, cōmiſſa & commendata eſt Joanni Epiſcopo Lutomuslenſi. Sed & in ſeſſione xxvi. habita die xxiv. Decembris, per Procuratores & Legatos receptus eſt pariter Rex Navarræ eodem modo, quo Rex Aragoniæ: ac inſuper Decretum editum eſt de non derogando juri alicujus nationis quomodocumque Principum & Regum Legati Concilio præſentes, in eo ſederent, vel ſuffragium ferrent.

369 Anno inde Domini MCCCCXVII. Indictione x. die xx. menſis Februarii celebrata eſt ſeſſio Generalis xxvii. In qua facta eſt relatio executi Monitorii nuper contra Fridericum Auſtriæ Ducem in cauſa Eccleſiæ Tridentinæ per ipſum, expulſo Epiſcopo, occupatæ: & Decretum eſt ad ulteriora procedendum. Sub die porrò iii. Martii & in ſeſſione xxviii. eodem die celebrata, poſt ulteriores citationes reproductas, ac præfati Friderici contumaciā graviſſimè accuſatam, lata eſt in eum excommunicationis ſententia, commendata ipſi Romanorum Regi Sigiſmundo præfatæ ſententiæ executione, ut nimirum vi & armis cogeret præfatum Auſtriæ Ducem ad reſtitutionem præfatæ Eccleſiæ, cæterorumque bonorum Eccleſiaſticorum injuſtè per eum occupatorum. Die verò viii. Martii in ſeſſione Generali xxix. conſtituti ſunt Procuratores, & Notarii in cauſa Petri de Luna: cùmque ſemel, atque iterum vocatus non compareret, Synodali Judicio declaratus eſt contumax, ac ulteriores citationes contra eundem decretæ ſunt. Die poſtea x. Martii in ſeſſione Generali xxx. comparuerunt Nuntii, & Concilii Legati, qui fuerant miſſi ad Petrum de Luna cum monitorio, aſſerentes ſe in Caſtro Paniſculæ citaverant, juxta formam citatorii & tenorem ab ipſo Concilio Decreti: ſuperbas item Petri de Luna contra Sacroſanctum Concilium Conſtantienſe reſponſiones retulerunt, quī veritùs non fuerat dicere, quòd Patres congregati in Conſtantia, non erant Generalis Synodus, nec repreſentabant univerſalem Eccleſiam, cùm eſſent excommunicati, ac omnibus Eccleſiaſticis dignitatibus, gradibus, auctoritate, & juriſdictione privati, ac per conſequens nullas partes Judicii potuiſſe aſſumere, nullamque exercere jurisdictionem, maximè in Papam, ſicut non poteſt minor in majorem; & plura alia. In eadem ſeſſione approbatum eſt Edictum Aragoniæ Regis Ferdinandi, quo clientes ſuos olim abduxerat ab obſequio ejuſdem Petri de Luna. Edictum denique ipſius Petri de Luna editum Maſſiliæ apud S. Victorem xiv. Kal. Junii, ſui Pſeudopontificatus Anno XII. incipiens, *In dierum ſucceſſu*, utpotè redintegrandæ unionis penitus adverſativum, ſancta Synodus Decreto Synodico caſſavit, abolevit, & annullavit.

370 Die xxx. menſis Martii celebrata eſt xxx. ſeſſio, in qua, inſtante Epiſcopo Aſtenſi, promulgatum eſt Decretum & Monitorium contra Philippum Comitem Virtutum, qui præfatum Epiſcopum vi armata, & manu ſacrilega captum, carceribus mancipaverat. Deinde pro Eccleſia Bajonenſi, quæ tempore ſchiſmatis duos habebat Epiſcopos, unum à Joanne XXIII. alterum à Benedicto XIII. conſtitutos, proviſum eſt Synodali Decreto, ne in locum Petri defuncti, à Joanne prædicto conſtituti, alius ſufficiatur per electionem, ſed ſuccedat Guillelmus, quem Benedictus nominaverant, eidem, eidemque ut legitimo Epiſcopo pareant. In xxxii. ſeſſione habita die prima Aprilis, accuſata Petri de Luna contumacia, viva voce iterum eſt citatus, ac nemine comparente, demandata eſt cauſæ diſcuſſio Judicibus Commiſſariis, data eis poteſtate eundem peremptoriè citandi, ac teſtes examinandi, ac contra eundem procedendi uſque ad diffinitivam ſententiam. Die verò xii. in ſeſſione xxxiii. Judices Commiſſarii retulerunt, quod prævia debita citatione, contra Petrum de Luna quoſdam oblatos articulos recepiſſent, eoſq; probari feciſſent: ad effectum verò iſta videndi neminem comparuiſſe. At publicatis teſtium dictis, necnon communicata illi teſtimoniorum, actorumque copia, terminum peremptorium contradicendi illi præfixerunt. Poſtea die v. Junii in ſeſſione xxxiv. facta eſt relatio Actorum in præfata cauſa Petri de Luna, ac dilata eſt ſententia, ut prius debita haberetur conſultatio in aliam ſeſſionem.

371 Habita inde eſt ſeſſio xxxv. die xviii. menſis Junii, in qua recepti fuere Ambaſſiatores Regis Caſtellæ, qui exhibito Regis mandato, ac publicè lecto, juxta Capitula Narbonenſia, ſchedulam convocationis Concilii ac unionis in eadem ſacroſancta Synodo publicarunt, approbantes & laudantes omnia acta & geſta poſt unionem Regis Aragoniæ in eodem Concilio, & per idem Concilium contra Petrū de Luna: ac inde univerſa geſta per præfatos Ambaſſiatores, & Procuratores ſolemniter receperunt, & approbarunt alii Oratores & Procuratores Infantis Henrici, & Magiſtri militiæ Sancti Jacobi, univerſa ſecundùm concordata Narbonæ peragentes, quæ Capitula Synodali Decreto lecto & publicato, fuerunt confirmata & approbata: indeque editum eſt decretum, quod

declaratum eſt, licuiſſe quovis, non obſtante juramento recedere ab obedientia Petri de Luna, publicata poſtea per unum ex præfatis Oratoribus, nomine omnium ſubtractionis præfatæ ab obedientia Petri de Luna ſchedula.

372 Die autem XXIX. menſis Junii habita eſt ſeſſio XXXVI. ac in ea per Antonium Epiſcopum Concordienſis lecta eſt ſchedula citationis Petri de Luna, ad comparendum, aſſignato termino peremptorio ad diem XXVI. ejuſdem menſis: deinde juſſum eſt, ut iterum legeretur infra Miſſarum Solemnia, & tandem ad valvas Eccleſiæ affigeretur. Ad hæc porrò altero Decreto lecto & publicato, caſſatæ ſunt, & annullatæ pœnæ pronunciatæ & cenſuræ per quandam Conſtitutionem editam ab eodem Petro de Luna contra Dominos Oratores Regis Caſtellæ, & ita ſoluta eſt ſeſſio.

373 Adveniente die XXVI. prædicti Julii, celebrata eſt ſeſſio XXXVII. præſidente eodem Dño Cardinali Vivarienſi Epiſcopo Oſtienſi, ac præſente Sigiſmundo Romanorum Rege, jam reverſo: & in ea accuſatus eſt de contumacia præfatus Petrus de Luna, inde ad valvas Eccleſiæ ter alta & intelligibili voce citatus ad comparendum, ad audiendam ſententiam diffinitivam; cùmque nec per ſe, nec per alium comparuiſſet, per Dominum Guillelmum tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem pronunciata eſt ſententia diffinitiva, tenoris ſequentis,

Sententia contra Benedictum Papam XIII. in ſua obedientia nuncupatum.

374 „ De vultu ejus hoc judicium pro-
„ deat, qui ſedet in Throno, & ex ejus ore
„ procedit gladius bis acutus, cujus ſtatera
„ juſta eſt, & æqua ſunt pondera, qui ven-
„ turus eſt judicare vivos & mortuos, Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti. Amen: *Juſtus*
„ *eſt Dominus, & juſtitias dilexit, æquita-*
„ *tem vidit vultus ejus. Vultus quidem Do-*
„ *mini ſuper facientes mala, ne perdat de*
„ *Terra memoriam eorum. Pereat*, inquit
„ S. Propheta, *memoria illius, qui non eſt*
„ *recordatus facere miſericordiam, & qui per-*
„ *ſecutus eſt hominem inopem & mendicum*:
„ quantò magis pereat illius, qui omnes ho-
„ mines & Eccleſiam Univerſalem perſecutus
„ eſt, & perturbavit, Petri de Luna, Bene-
„ dicti XIII. à nonnullis nuncupati, memo-
„ ria? qui quantùm in Eccleſiam Dei, & uni-
„ verſum populum Chriſtianum peccaverit,
„ ſchiſma & diviſionẽ Eccleſię fovens, nutriens
„ atq; continuans: quantis quàmq; frequenti-
„ bus, devotis & humilibus Regum, Princi-
„ pum, & Prælatorum precibus, exhortatio-
„ nibus, & requiſitionibus charitativè, juxta
„ doctrinam Evangelicam admonitus fuerit,
„ ut pacem daret Eccleſiæ, & illius ſanaret
„ vulnera, ac ejus partes diviſas in unam
„ compaginem, corpus unum reficeret, quem-
„ admodum ipſe juraverat, & diù fuit in ſua
„ poteſtate; quos tamen charitativè corri-
„ piens, nullatenus voluit exaudire: quot
„ ſint poſtmodum teſtes adhibiti, quibus
„ etiam minimè exauditis, neceſſe fuit ſe-
„ cundùm prædictam Chriſti Evangelicam
„ doctrinam dicere Eccleſiæ, quam quia etiã
„ non audivit, habendus ſit tanquam Eth-
„ nicus & publicanus. Capitula in cauſa
„ inquiſitionis Fidei & ſchiſmatis coram
„ præſenti ſancta Synodo generali ſuper præ-
„ miſſis & aliis contra eum edita, ac eo-
„ rum veritas & notorietas declarant mani-
„ feſtè.

375 „ Super quibus ritè ac canonicè pro-
„ ceſſo, & omnibus ritè actis, diligenter in-
„ ſpectis, habitaque ſuper illis deliberatione
„ matura, eadem ſancta Synodus Generalis
„ univerſalem Eccleſiã repræſentans, in dicta
„ inquiſitionis cauſa pro Tribunali ſedens,
„ pronuntiat, decernit, & declarat per hanc
„ diffinitivam ſententiam in his ſcriptis, eun-
„ dem Petrum de Luna, Benedictum XIII.
„ (ut præmittitur) nuncupatum, fuiſſe &
„ eſſe perjurum, univerſalis Eccleſiæ ſcanda-
„ lizatorem, fautorem, & nutritorem ſchiſ-
„ matis & inveteratæ ſciſſuræ & diviſionis
„ Eccleſiæ Sanctæ Dei, pacis & unionis
„ ejuſdem Eccleſiæ impeditorem, & turba-
„ torem, ſchiſmaticum & hæreticum, ac à
„ fide devium, & articuli fidei, *unam ſanctam*
„ *Catholicam Eccleſiam*, violatorem perti-
„ nacem, cum ſcandalo Eccleſiæ Dei incor-
„ rigibilem, notorium & maniſeſtum, ac
„ omni titulo, gradu, honore & dignitate
„ ſe reddidiſſe indignum, à Deo ejectum &
„ præciſum, & omni jure eidem in Papatu,
„ & Romano Pontifici, ac Romanæ Eccleſiæ
„ quomodolibet competente, ipſo jure pri-
„ vatum, & ab Eccleſia Catholica tanquam
„ membrum aridum præciſum. Ipſumque
„ Petrum, quatenus de facto Papatum ſe-
„ cundùm ſe tenet, eadem ſancta Synodus
„ Papatu & ſummo Eccleſiæ Romanæ Pon-
„ tificio, omnique titulo, gradu, honore,
„ dignitate, beneficiis, & officiis quibus-
„ cumque ad omnem cautelam privat, depo-
„ nit, & abiicit, eidemque inhibet, nè dein-
„ ceps pro Papa, aut Romano & Summo Pon-
„ tifice ſe gerat.

376 Omneſque Chriſticolas ab ejus obe-
„ dientia & omni debito obedientiæ ipſius
„ atque juramentis, & obligationibus eidem
„ quomodolibet præſtitis abſolvit, & abſo-
„ lutos eſſe declarat, ac omnibus & ſingulis
„ Chriſtifidelibus inhibet ſub pœna fauto-
„ riæ ſchiſmatis, & hæreſis, atque privatio-
„ nis omnium beneficiorum, dignitatum &
„ honorum Ecclæſiaſticorum, & mundano-
„ rum, & aliis pœnis juris, etiam ſi Epiſco-
„ palis & Patriarchalis, Cardinalatus, rega-

lis

Digitized by Google

„ lis ſit dignitatis, ant Imperialis; quibus,
„ contra hanc inhibitionem ſecerint, ſint
„ auctoritate hujus Decreti ac ſententiæ
„ ipſo facto privati, & alias juris incurrant
„ pœnas, nè eidem Petro de Luna ſchiſma-
„ tico & hæretico incorrigibili, notorio de-
„ clarato & depoſito, tanquam Papæ obe-
„ diant, pareant, vel intendant, aut eum
„ quovis modo contra præmiſſa ſuſtineant,
„ vel receptent, ſibique præſtent auxilium,
„ conſilium, vel favorem. Declarat inſuper
„ & decernit omnes & ſingulas inhibitiones,
„ omnesque proceſſus & ſententias, conſti-
„ tutiones & cenſuras, & alia quæcumque,
„ per ipſum factos, factas, & facta, quę poſſent
„ præmiſſis obviara irritos, irritas, irrita,
„ atque irritat, & revocat, & annullat: cæ-
„ terisque pœnis, quas in præmiſſis caſibus
„ jura ſtatuunt, ſemper ſalvis. *Hactenus ſententia*. Qua ſic publicata & recepta, dimiſſa eſt præfata ſeſſio.

377 Die XXVIII. ejuſdem menſis Julii celebrata eſt ſeſſio XXVIII. ſub eodem Epiſcopo Hoſtienſi præſidente; In qua primùm pœnæ latæ contra Ambaſſiatorea Henrici Infantis à prima die menſis Aprilis, Anni MCCCCXVI. & citra, caſſatæ ſunt, ac irritatę, & annullatæ, præfatique Ambaſſiatores, ipſorum conſanguinei, & familiares, in priſtinum ſunt reſtituti, ac ſi privationes, collationes, proceſſus & alię ſententiæ minimè contra eoa latæ fuiſſent. Poſtea, propter quærelas Ambaſſiatorum Regis Portugallię, & Caſtellæ, revocatæ ſunt Synodali Decreto Ambaſſiatoribua Regis Aragoniæ voces eis in alia ſeſſione conceſſæ, quæ eſſent tantæ virtutis, quantæ eſſent voces omnium Prælatorum & Eccleſiaſticarum perſonarum Regnorum & Terrarum præfati Regis Aragoniæ, tam citra, quàm extra mare exiſtentium, quæ ad Generale Concilium convenire debuiſſent, ſive convenire conſueviſſent: & ſolùm conceſſa eſt vox illorum Prælatorum abſentium, Regnorum dumtaxat & Dominiorum ſuorum, quæ habebat in Hiſpanica natione. De cujus Decreti nullitate proteſtavit unus ex præfati Regia Aragonæ Orator, quaſi ante hanc publicationem propoſitum non fuiſſet quatuor nationibua: verùm atteſtantibus earundem quatuor nationum præſidentibus fuiſſe eis propoſitum: ab univerſali Synodo fuit receptum & approbatum.

378 In ſeſſione porrò XXXIX. habita die IX. menſis Octobris, emanavit Decretum de frequentia Conciliorum Generalium celebrandorum, & remedio erga futura ſchiſmata: ac ideo decretum eſt, ut à fine præfati Concilii in quinquenniū immediatè ſequens alterum celebraretur, quo abſoluto poſt ſeptennium iterum aliud haberetur, & deinde de decennio perpetuis temporibus haberetur Concilium Generale, indicendum ſemper in fine Concilii: nec licere Romano Pontifici terminum præfixū prorogare, benè verò juſtis de cauſis de Cardinalium conſenſu abbreviare: ſimiliter nec ei licère deſignatum locum mutare, niſi juſtis de cauſis, & hoc de prædictorum Cardinalium, ſaltem duarum partium, conſilio & aſſenſu.

379 Pro futuris ſedandis ſchiſmatibus hæc decreta ſunt, primò, quòd ſi duo, vel plures pro Summia Pontificibus ſe gererent, à die, qua ipſi duo, vel plures inſignia Pontificatus publicè aſſumpſerint, ſeu miniſtrare cœperint, intelligatur ipſo jure terminus Concilii tunc fortè ultra annum pendens, ad annum proximum abbreviatus, ad quod accedere teneantur perſonaliter Imperator, Regea, & Principes, vel per ſolemnes Nuncios, quemadmodum & univerſi Eccleſiaſtici, quorum eſt ad Generalia Concilia convenire. Secundò, ut quilibet ipſorum pro Romano Pontifice ſe gerentium, infra menſem à die, qua ſcientiam habere potuit, alium, vel alioa aſſumpſiſſe Papatus inſignia, vel in Papatu adminiſtraſſe, teneatur Concilium ipſum ad terminum anni prædictum in loco deputato priùs indicere, & publicare ad celebrandum, & per ſuas literas certis Prælatis, & Principibus intimare, ut præfixo termino, ad locum deſignatum ſe tranſferant, nec inde diſcedant, donec per Concilium cauſa ſchiſmatis finita ſit plenariè. Tertiò, ut in præſato Concilio nullus ipſorum contendentium de Papatu, ut Papa præſideat, ſed poſtquam ipſum Concilium incœptum eſt, ipſi contendentes ipſo facto ab adminiſtratione Papali ſint ſuſpenſi, donec cauſa per Concilium terminata fuerit.

380 Item ſancitum eſt, quòd ſi fortè electionem Romaui Pontificis per metum, qui caderet in conſtantem, ſeu impreſſionem de cætero fieri contingat, nullius eſſe efficaciæ, vel momenti, nec poſſe per ſequentem conſenſum, etiam metu prædicto ceſſante, ratificari, vel approbari: & quòd non liceat per hoc Cardinalibus ad aliam electionem procedere, niſi ille ſic electus renunciet, vel decedat, donec per Generale Concilium de electione illa fuerit judicatum. Cardinales porrò, qui per metum elegerunt, teneantur ſe transferre ad locum tutum, ac inibi coram publicis Notariis juſtam metus cauſam exponere, ac inde ſic ab eis electum, ad Concilium Generale provocare teneantur celebrandum ad annum, juxta ſuperius dicta: & ipſe pariter electus, ſicut ſuperiùs ſancitum eſt, teneatur Concilium ipſum indicere: quod ſi detrectaret, teneantur Prælati ad Concilium accedere per convocationem ab ipſis Cardinalibus factam. Hæc & alia ſalubria ſub certia pœnis, quæ in Ipſo Decreto legi poſſunt, conſtituta & ordinata ſunt, providendo adversùa futura ſchiſmata. Deinde edita eſt in eadem ſeſſione formula confeſſio-

nis

Digitized by Google

nis fidei emittendæ à Pontifice noviter electo, tenoris ſequentis..

In nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

381 „ Anno à Nativitate Domini mille-
„ ſimo &c. Ego N. electus in Papam, Om-
„ nipotenti Deo, cujus Eccleſiam ſuo præ-
„ ſidio regendam ſuſcipio, & Beato Petro
„ Apoſtolorum Principi corde & ore profi-
„ teor, quamdiù in hac fragili vita conſti-
„ tutus fuero, me firmiter credere & tenère
„ ſanctam fidem catholicam, ſecundùm tra-
„ ditiones Apoſtolorum, Generalium Con-
„ ciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum,
„ maximè autem Sanctorum octo Concilio-
„ rum univerſalium, videlicet primi Niceni,
„ ſecundi Conſtantinopolitani, tertii Ephe-
„ ſini, quarti Chalcedonenſis, quinti, &
„ ſexti Conſtantinopolitanorum, ſeptimi
„ item Nicæni, & octavi quoque Conſtan-
„ tinopolitani, necnon Lateranenſis, Lug-
„ dunenſis, & Viennenſis Generalium etiam
„ Conciliorum: & illam fidem uſque ad
„ unum apicem immutilatam ſervare, & uſ-
„ que ad animam, & ſanguinem confirma-
„ re, defenſare, & prædicare; ritum quo-
„ que pariter Sacramentorum Eccleſiaſtico-
„ rum Catholicæ Eccleſiæ traditum, omni-
„ modè proſequi, & obſervare. Hanc autem
„ proſeſſionem & confeſſionem meam per
„ Notarium Scrinarium Sanctæ Romanæ Ec-
„ cleſiæ me jubente ſcriptam, propria manu
„ ſubſcripſi, & tibi Omnipotenti Deo, pura
„ mente, devota conſcientia, *ſuper tali Alta-*
„ *ri &c.* & ſinceriter offero, in præſentia *ta-*
„ *lium &c.* Datum &c. *Hactenus formula.*

382 Denique in eadem ſeſſione ſancitum eſt, nè Eccleſiarum Prælati inviti transferantur de una in aliam Eccleſiam, niſi abſque magna & rationabili cauſa, quæ,vocata parte, cognita fuerit & deciſa de conſilio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, vel majoris partis eorundem, & cum ſubſcriptione de cætero fieri non debere. Emanavit inſuper Decretum de ſpoliis, & Procurationibus, ad quoſdam ſubintroductos abuſus tollendos. Et denique conceſſa eſt Epiſcopis Pacenſi, Piſtorienſi, & Vaurenſi facultas & poteſtas deveniendi ad ſententiam definitivam in cauſa controverſa ſuper poſſeſſorio Epiſcopatus Eccleſiæ Cumanenſis, & ſic abſoluta eſt ſeſſio.

383 Die xxx. ejuſdem menſis Octobris celebrata eſt ſeſſio xl. ſæpeſato Cardinali Vivarienſi Epiſcopo Oſtienſi in ea præſidente, in qua quidem ſeſſione ante omnia lecta ſunt quædam Capitula regulanda in præſenti Concilio antequam diſſolvatur. Deinde decretum eſt, ut non obſtante abſentia Cardinalium Petri de Luna, procedatur ad electionem Romani Pontificis; In qua porrò electione pro hac vice dumtaxat, ſic procedendum decernitur; ut nimirum numero Cardinalium electorum adjungantur ſex Prælati, vel Eccleſiaſticæ perſonæ de qualibet natione in ipſa Synodo exiſtentes, ſeligendæ ab ipſis nationibus infra decem dies, quibus Concilium ſuffragandi poteſtatem cum Dominis Cardinalibus tribuit: & ille in Papam cenſeatur electus,in quem duæ Cardinalium partes, & ſimul duæ partes adjunctorum Prælatorum conſenſerint: mandans & præcipiens eadem ſancta Synodus, ut præſati electores infra decem dies in ipſa Civitate Conſtantienſi in majori Domo Communitatis ad hoc ſelecta & ordinata, Conclave intrent. Quæ omnia fuere ab ipſa ſancta Synodo & Patribus approbata & recepta.

384 Die inde viii. menſis Novembris in præſentia Sigiſmundi Romanorum Regis, ſub ejuſdem Epiſcopi Oſtienſis præſidentia, celebrata eſt ſeſſio xli. in qua primùm recitata eſt Conſtitutio Clementis Papæ VI. incipiens: *Licèt in Conſtitutione*. Data Avenione viii. Idus Decembris, ſui Pontificatus Anno X. ſuper modo & forma tenendis ſuper victualibus Cardinalium in Conclavi exiſtentium: quam Conſtitutionem ſervandam eſſe in præſenti Conclavi ſancitum eſt. Inde recitata ſunt decem Capitula juranda & obſervanda per electores Romani Pontificis, & cuſtodes Conclavis, primò videlicet, quòd hac eadem die, circa occaſum ſolis Electores intrent Conclave. Secundò, quòd Electores nonniſi duos ſervos ſecum habeant. Tertiò, quòd in Conclavi ſimul habitent, nullo medio pariete,vel velamine: poſſe dumtaxat uti cortina,dum dormiunt vel quieſcunt. Quartò,quòd claudatur Conclave, reſervato aditu ad ſacram Cameram; quo recluſo, nemini pateat egreſſus, vel ingreſſus, immo neque acceſſus ad colloquendum, niſi de conſenſu omnium electorum. Quintò, ut nemini liceat ad Electores Nuncios, vel ſcripturas mittere. Sextò, quòd una ſit in Conclavi competens feneſtra,per quam alimenta ſubminiſtrari poſſint.Septimò,ut Electoribus pro cibo præter panem,vinum, & aquam,unum ferculum, & unum potagium ſubminiſtretur, de carnibus, vel piſcibus, vel ovis. Octavò, ut nemo compellatur intrare Conclave, niſi omnes recuſarent, in quo caſu eſſent compellendi. Nonò, quòd volentibus exire, permittatur, ſed ampliùs intrare non poſſint, niſi exierint cauſâ infirmitatis, vel ſi omnes exirent non electo Pontifice, ſint cogendi ad intrandum. Decimo, exeuntes in cauſa infirmitatis, ac etiam abſentes, ut ſi ſupervenerint re integra, antequam de Papa ſit proviſum, ut admittantur in Conclavi, in ſtatu quo erit electionis negotium. Ultra hæc ad alia non eſſe coarctandos Electores decretum eſt.

385 Ad hæc porrò nominati ſunt Conclavis cuſtodes, qui præmiſſa jurare tenentur,

tur. Et ſubſequenter nominati ſunt ex omni natione ſex illi Prælati, ſive Eccleſiaſtici ad ſuffragandum pro hac vice Dominis Cardinalibus adjuncti. Decretũ inſuper eſt, nè quisq; audeat res, vel bona eligendi, vel electi in Pontificem invadere, aut rapere graviſſimis ſub pœnis. Deniq; ut liberiùs ad electionẽ Romani Pontificis procederetur Decreto Synodali annullatæ ſunt, & caſſatæ omnes conventiones, pactiones, promiſſiones, obligationes, juramenta, condicta, & intendimenta circa materiam electionis factas, & facta, fiendas, & fienda: præterea audientiam, & omne cauſarum, & litium exercitium in eadem ſancta Synodo, & illius auctoritate conſtitutam, & conſtitutum, præter audientiam Curiæ Cameræ Apoſtolicæ, uſque ad aſſumptionem Romani Pontificis incluſivè, eodem Decreto ſuſpendit & probibuit.

386 Hac ſoluta ſeſſione, eadem die poſt meridiẽ Domini Cardinales numero XXIII. cum XXX. ſpectatiſſimis viris ex univerſis Nationibus in ipſa Synodo exiſtentibus ſelectis, ingreſſi ſunt Conclave, ac unanimi omnium conſenſu quarta ab ingreſſu die, nimirum die Jovis in feſto Sancti Martini, XI. menſis Novembris (ingreſſi namque ſunt die Lunæ VIII. ejusdem menſis) renunciarunt Romanum Pontificem D. Odonem de Columna tituli Sancti Georgii ad Velum Aureum Diaconum Cardinalem, natione Romanum, qui Martinus Papa V. nominari voluit. Et ſic, *ut inquiunt acta*, per Sereniſſimum, & invictiſſimum Principem Dominum Sigiſmundum Romanorum Regem, unà cum ſancta Synodo apud prædictam Eccleſiam majorem hujus Civitatis Conſtantienſis maximis cum ſolemnitatibus, & lætitia fuit inthronizatus: Initiatus inde Sacerdotalibus, & Pontificalibus ſacris ab Epiſcopo Oſtienſi, & poſtea à Cardinali Amadeo Salviato, ſpectante populo, ſacra eſt redimitus corona die XXI. prædicti menſis: de cujus coronatione hæc acta Synodalia produnt: „ Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, Domini Martini, „ Divina Providentia, Anno I. die Dominica „ XXI. prædicti menſis Novembris, idem „ Sanctiſſimus Dominus noſter more ſolito, „ & in Coronationibus Romanorum Pontificum hactenus obſervari conſueto, fuit „ apud Eccleſiam Conſtantienſem honorificè „ coronatus, & demùm per Dominos Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, „ Abbates, alioſque Prælatos, Ambaſſiatores, & Romanæ Curiæ Officiales in Sacroſancta Synodo præſentes, necnon Illuſtriſſimum Principem Dominum Sigiſmundum Romanorum Regem &c. à dextro, & „ Illuſtriſſimum Principem Dominum Fridericum Marchionem Brandeburgenſem, ſacri Romani Imperii Archicamerarium & „ Electorem à ſiniſtro, lateribus ejuſdem „ Domini noſtri Papæ per equi frenum, in „ quo ſedebat, unà cum populoſa multitudine proceſſionaliter ab Eccleſia Conſtantienſi prædicta uſque ad Monaſterium Sancti Auguſtini conductus, & per circuitũ ad „ Conſtantienſem Eccleſiam prædictam fuit „ ſolemniſſimè reductus. *Hactenus Acta*.

387 Fama per Orbem evulgata de Pontificis electione, univerſi fideles plurimùm gratulati ſunt, ac nonnulli Duces, & Principes gratulatorias ſcripſerunt literas, miſſis ad eundem Oratores, inter quos Palatini Comes, Raynaldus Juliacæ & Geltriæ Dux, quorum literarum fragmenta recitat Raynaldus ad Annũ Domini MCCCCXVII. num. 4. & alii Proceres. Cùm verò Petrus de Luna adhùc in Paniſcula conſiſtens, Conventiculum ſuorum, ſub nomine œcumenici Concilii ageret, ac pertinaciter ſchiſma foveret, viſum eſt Præſidibus Aragoniæ ipſum monere, ut reſipiſceret, datis ad hoc literis, quorum fragmentum pariter idem Raynaldus recitat ſub num. 3. monitum etiam, ut reſipiſceret à tribus ex ipſius Pſeudocardinalibus, Carolo tituli S. Georgii, Alphonſo tituli S. Euſtachii, & Petro tituli S. Angeli: alterum illorum literarum fragmentum, apud eundem Raynaldum, quod collegialiter ad præfatum Petrum de Luna ſcripſerunt, demonſtrat, ſed, divinâ deſertus gratiâ, corde obduratus remanſit.

388 Deinde labente An. MCCCCXVII. die verò XXVIII. menſis Decembris, Præſidente ipſo electo Pontifice Martino V. celebrata eſt ſeſſio XLII. in qua Pontifex Sigiſmundi Romanorum Regis, & Ludovici Ducis Bavariæ precibus adductus, edito Apoſtolico diplomate, incipiente: *Dudum præſens ſacrum Concilium*, Balthaſſarem Coſſam, Joannem XXIII. antea nuncupatum, decretoria Synodi ſententia Pontificatus honore dejectum, & in Regia & Ducali cuſtodia detentum, Pontificiis adminiſtris tradendum eſſe, Regemque & Ducem omni onere cuſtodiæ ſolutos, ac liberos futuros pronunciavit.

389 Anno verò MCCCCXVIII. Indictione XI. ipſomet Martino V. præſidente, in qua quidem ſeſſione ad Eccleſiæ reformationem nonnulla ſancita ſunt; & primò, omnes exemptiones conceſſas poſt obitum Gregorii XI. tam perſonis, quàm Eccleſiis, Monaſteriis, aliiſque locis piis, in grave ordinariorum præjudicium, reſcidit, & annullavit, ac in eum ſtatum redigi voluit, ſub quo erant ante præfati Gregorii XI. obitum. Secundò, uniones & incorporationes factas à tempore obitus ejuſdem Gregorii XI. ſive conceſſas, revocavit. Tertiò, fructus & proventus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum, vacationis tempore obvenientes reliquit diſpoſitioni juris & conſuetudinis, vel Privilegii, prohibens nè Cameræ Apo-

Apoſtolicæ applicarentur. Quartò, decrevit nullas & irritas quaſcumque proviſiones, vel electiones ſimoniacè factas, declarans ſimoniacè ordinatos ipſo jure remanere ſuſpenſos ab executione ſuorum Ordinum. Quintò, omnes diſpenſationes à quibuſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentibus conceſſas quibuſcumque electis, confirmatis, ſeu proviſis ad Eccleſias, Monaſteria, Prioratus Conventuales, &c. præter illas, quæ ſecundùm Conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, *Cùm ex eo*, factæ ſunt, revocavit. Sextò, præcepit diſtrictius obſervari jura, quæ prohibent inferioribus à Papa decimas, & alia onera Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis imponi. Denique abuſus Eccleſiaſticorum, tam perſonarum Sæcularium, quàm Regularium, in ſumptuoſitate veſtium, & in forma earundem, ſinodali Decreto abolendum, ac reformandum voluit. Declarans poſtea per ejuſmodi Decreta ſatisfactum eſſe Decreto ſuper Articulis de reformatione, edito & promulgato in ſeſſione habita die ſabbati xxx. menſis Octobris præteriti.

390 Die inde xix. menſis Aprilis habita eſt ſeſſio xliv. in qua juxta Decretum editum ſuper frequentia celebrandorum Conciliorum in ſeſſione xxix. Concilium futurum celebrandum indictum eſt ab eodem Martino V. præſente, & præſidente in Civitate Papienſi: *Eodem conſentiente*, inquit, *& opprobante Concilio, Civitatem Papienſem tenore præſentium deputamus, & etiam aſſignamus, ſtatuentes & etiam decernentes, quod Prælati, & etiam alii, qui ad Generalia Concilia debent convocari, tempore prædicto Civitatem ipſam Papienſem accedere teneantur.*

391 Denique ultima & xlv. ſeſſio celebrata eſt die xxii. ejuſdem menſis Aprilis, eodem Papa præſidente, ac Sigiſmundo Romanorum Rege præſente, in qua quidem ſeſſione Martinus Decreta omnia fidem concernentia approbavit; nam, ut Acta ipſa hujus ſeſſionis inquiunt: *Sanctiſſimus Dominus noſter Papa dixit reſpondendo ad prædicta, quòd omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei, per præſens Concilium, conciliariter tenère & inviolabiliter obſervare volebat; ipſaque ſic conciliariter facta approbat, ratificat, & non aliter, nec alio modo.* Inde pro Concilii abſolutione ſequentem edidit Conſtitutionem.

Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum
Dei ad perpetuam rei memoriam.

392 „ Hoc etiam requirente præſente
„ Sacro Concilio, ex certis rationabilibus ac
„ juſtis cauſis ipſum Concilium abſolvimus,
„ omnibuſque & ſingulis in eo exiſtentibus
„ ad propria remeandi, ipſo approbante Con-
„ cilio, licentiam impartimur. Item aucto-
„ ritate Dei omnipotentis, & Beatorum Petri
„ & Pauli Apoſtolorum ejus, & noſtra, con-
„ cedimus omnibus, & ſingulis, qui in hoc
„ Sacro Concilio & cauſa ipſius interfuerunt,
„ abſolutionem plenariam ſemel in vita, ita-
„ quod quilibet de prædictis infra duos men-
„ ſes, poſtquam ad ejus notitiam conceſſio
„ hujuſmodi pervenerit, poſſit dictum bene-
„ ficium abſolutionis aſſequi in forma: Simi-
„ lem conceſſionem facimus in mortis Arti-
„ culo, & intelligimus tàm de Dominis,
„ quàm de familiaribus eorundem: ſic tamen,
„ quòd à die notitiæ præſentium pro abſolu-
„ tione in vita jejunent per annum ſexta feria;
„ & pro abſolutione in mortis articulo per
„ alium annum, niſi legitimè fuerint impe-
„ diti, quo caſu habeant alia pietatis opera
„ peragere. Poſt ſecundum verò annum de-
„ beant etiam uſque ad finem vitæ feria ſexta
„ jejunare, vel aliqua opera pietatis pera-
„ gere. Nulli ergo hominum liceat hanc pa-
„ ginam noſtræ abſolutionis infringere, vel
„ ei auſu temerario contraire. Si quis autem
„ hoc attentare præſumpſerit, indignatio-
„ nem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri
„ & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit in-
„ curſurum. Datum & actum Conſtantiæ
„ in loco ſeſſionis publicæ dicti Concilii, x.
„ Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno
„ primo.

393 Abſoluta Synodo, Martinus V. receſſit Conſtantiâ, cujus iter deſcribit Felix Contelorius, inquiens „ Die xvi. Maii, An-
„ ni MCCCCXVIII. Martinus V. Conſtan-
„ tia receſſit, ac die v. Junii per Liernum
„ Caſtrum Lauſannenſis Diœceſis tranſiens,
„ in Monaſterium Fratrum Prædicatorum ali-
„ quot diebus quievit. Die verò xi. Julii
„ ſolemni pompa, & acclamante Populo, in
„ Civitatem Gebennenſem eſt ingreſſus, ubi
„ Oratores Avenionenſes obviam profecti,
„ fidelitatis præſtitère juramentum. Hinc
„ die iii. Septembris abiens, ac Saguſium,
„ & Taurinum iter faciens, Mediolanum in-
„ greditur, ubi perbenignè, ac ſplendidè
„ ſuſceptus, Altare majus Eccleſiæ Metro-
„ politanæ conſecravit, & die Martis, xxi.
„ Octobris, xi. Cardinalibus comitantibus,
„ Mantuam pervenit. *Hæc Contelorius* apud Raynaldum ad hunc Annum MCCCCXVIII. num. 36. Hæſit Mantuæ uſque ad diem vii. menſis Februarii, qua inde receſſit: „ Die vii.
„ Februarii, *inquit idem Contelorius*, Mantua
„ egreditur, Ferrariam tranſiit, ac Monaſte-
„ rium Sancti Salvi prope Florentiam adve-
„ nit, ubi Capitanei partis Guelfæ album
„ equum ſerico rubro tegmine coopertum
„ cum frænis aureo, argentoque lucentibus
„ obtulerunt. Hinc ad Sanctum Gallum
„ obviam habuit delectos Reipublicæ Floren-
„ tinæ primates, ſupra ejus caput mappulam
„ ſuſtollentes, ac Reipublicæ adminiſtratores
„ cum maxima equitum multitudine, Judi-
„ ces mercatorum ſocietatem, cæteroſque ci-

Digitized by Google

„ cives & Populum. Ubi verò die Dominica
„ XXVI. Februarii prope Urbem ſtetit Do-
„ mini Civitatis ſub alia mappula, auro ditiſ-
„ ſima armellinis pellibus ornata, Pontificem
„ equitantem receperunt. Præcedebat Civi-
„ tatis Clerus ſolemni cultu Reliquias defe-
„ rens, ſubſequebantur Cives equites, Judi-
„ ces, cæteraque nobilitas; Hinc Crux Pon-
„ tificia & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacra-
„ mentum deferebatur: poſt Cardinales Pon-
„ tifex medius inter Cives nobilitate præ-
„ ſtantes, ætate fervidos, inceſſu graves,
„ vultu decoros, veſtitu ſplendidos, capita
„ laureatos, olivam manu deſerentes equita-
„ bat. Progrediens igitur per Burgum Sancti
„ Laurentii, & prope flumen Paleæ in Eccle-
„ ſiam S. Mariæ de Flore per tabulatum pan-
„ nis ornatum ſericis ob dignitatẽ Pontificis
„ à Civibus erectum congreditur: factaque
„ oratione Populum benedixit. *Hæc ille.*
Id idem habetur in Diario Florentino.

394 Florentiæ porrò cùm eſſent AntiCardinales Petri de Luna, quos Martinus in ea dignitate confirmaverat, dummodo ad unionem venirent, ſibique debitam præſtarent obedientiam, deſerto Petro de Luna, ad ipſum venerunt, eique ſe conjunxerunt: „ Ex par-
„ tibus etiam Aragoniæ, *inquit idem Scriptor*,
„ relicto Petro de Luna, venère Florentiam
„ XVII. Martii MCCCCXIX. Joannes Mu-
„ rillius Abbas Montis Aragonum, tituli San-
„ cti Laurentii in Damaſo, Presbyter Carolus
„ de Urries S. Georgii ad Velabrum, Alphon-
„ ſus Carillus S. Euſtachii, Petrus Fonxeca
„ Sancti Angeli Diaconi antiCardinales
„ Kalendis Auguſti, Anni MCCCCXVIII.
„ Gebennis in Sanctæ Romanæ Eccleſię Car-
„ dinales recepti ſeu confirmati. *Hactenus
Contelorius.*

395 Interea Pontifex, nè quid fortè novi moliretur à Joanne olim XXIII. Balthaſſare Coſſa in Germania, licèt ſub cuſtodia detento, conſilium iniit, pro majori ſecuritate, ut ad ſe adduceretur, cogitans ſic adductum, perpetuo mancipari carceri: Ac ita illum à Duce Bavariæ, ſub cujus cuſtodia tenebatur, ſoluta ei ſumma triginta millium aureorum pro expenſis factis, repetiit, data commiſſione eundem à præfato Duce recipiendi, & ad ſe ducendi Joanni Epiſcopo Lubecenſi: verùm in itinere cùm ad Petrum Rubeum amicum ſuum diverteret, timens, nè in perpetuum à Pontifice detruderetur carcerem, noctu arrepta fuga, præfato inſcio Epiſcopo, in Galliam ſe contulit, ubi cùm ibi in tuto ſe non eſſe conſpiceret, rursùs aufugiens, in Ligures abiit. Sed exinde meliori inito conſilio ſponte Florentia ſe contulit, atque in Pontificis manus ſe tradidit, à quo benignè receptus, ac accedentibus Nobilium Civitatis precibus, primus Cardinalis effectus eſt. Rem deſcribit S. Antoninus 3. part. titul. 22. cap. 7. §. 2. ex Leonardo Aretino in hiſtoria rerum Italicarum, inquiens: „ Per hæc ipſa tem-
„ pora, poſtquam Martinus venit Florentiam,
„ Joannes, qui depoſitus à Papatu fuerat in
„ Concilio Conſtantienſi, & Balthaſſar nun-
„ cupatus, venit & ipſe Florentiam. Poſt
„ captivitatem enim illam de eo factam, &
„ abdicationem, in Bavaria ſervabatur in car-
„ cere. Erat autem ſcrupulus quidam apud
„ multos, quoniam depoſitio, abdicatioque
„ illius violenta fuerat, non jure ſubſiſtere,
„ quod ſi illa dubia Martini quoque electio
„ in ambiguum veniebat, quoniam non va-
„ canti Eccleſiæ provideri de novo Paſtore
„ non potuerat. Ob hunc timorem, & ſimul
„ nè Germaniæ Principes hoc habentes Ido-
„ lum per eam occaſionem aliquid, quando-
„ que molirentur, redimendum Joannem, ſeu
„ Balthaſſarem, & in Italiam reducendum
„ providit. Igitur per hunc modum exem-
„ ptus carcere, cùm in Galliam perveniſſet,
„ conſilio Martini cognito (id erat, ut per-
„ petuo carceri Mantuæ ſervaretur) ante-
„ quam Mantuam veniret, rursùs aufugiens,
„ in Ligures abiit, adjutus ab aliis. Hic cùm
„ eſſet liber, & ſui juris, ſivè conſcientia
„ ductus, ſivè quia deſperabat aliquid poſſe
„ proficere, ſivè quia periculum illis erat, qui
„ juvarant fugam: ſua ſponte Florentiam
„ venit, ac ſeſe Martini pedibus ſubiiciens,
„ eum ut Pontificem verum & unicum reco-
„ gnovit. In adventu ejus tota Civitas obvia
„ profuſa multis lacrymis & incredibili com-
„ miſeratione reſpexit hominem è tantæ di-
„ gnitatis faſtigio in tantas calamitates pro-
„ lapſum. Ipſe quoque miſerabili prope ha-
„ bitu incedebat, omnis commiſeratio Po-
„ puli augebatur. Suſceptus à Martino, tan-
„ dem interceſſione Civitatis primus Cardi-
„ nalis efficitur; nec tamen annum inte-
„ grum ſuperſtes è vita migravit: & ſecun-
„ dùm aliquos veneno adjutus. Solemniſ-
„ ſimæ Eccleſiaſticæ exequiæ ſunt ei exhibi-
„ tæ: ſepultuſque ſolus eſt in Oratorio Beati
„ Joannis Baptiſtæ in Sepulchro partim ęneo
„ ſeù auricalco, partim marmoreo. *Hactenus Antoninus.*

396 Sic ergo in gratiam recepto Balthaſſare Coſſa, ac inde è vivis ſublato, ſolùm remanſit ad perturbandam Sanctam Dei Eccleſiam obſtinatiſſimus ille Petrus de Luna, inſignia Pontificia in Paniſcola adhùc retinens, licèt à ſuis deſertus Cardinalibus, quem Martinus recurrente Sacræ Cœnæ Dominicæ die, cum cæteris hæreticis & Schiſmaticis excommunicavit, conſtitutione, ſivè Bulla ædita Florentiæ ſecundo Idus Aprilis, ſui Pontificatus Anno II., ubi ait: „ Item
„ excommunicamus, & anathematizamus
„ iniquitatis alumnum Petrum de Luna, Be-
„ nedictum XIII. auſu ſacrilego ſe nomi-
„ nare præſumentem, juſto Dei judicio, ac
„ per proceſſus Sacri Generalis Concilii
„ Conſtantienſis, & noſtros, ejus demeritis

,, exigentibus, hæreticum atque ſchiſmati-
,, cum, & ab Eccleſia præciſum ſententialiter
,, condemnatum, & omnes adhærentes, com-
,, plices, & ſequaces ipſius, & dantes ei auxi-
,, lium, conſilium, vel favorem, cujuſcum-
,, que preæminentiæ, dignitatis, vel ordinis,
,, etiam Pontificali, regali, reginali, vel
,, quavis alia, ut præmittitur, Eccleſiatica,
,, vel mundana præſulgeant dignitate, *Hacte-
nus in Bulla*,

397 Cæterùm fruſtrà Martinus omnes adhibuit conatus, ut Petrus de Luna inſignia Pontificia dimiteret; nam fretus patrocinio Alphonſi Regis Aragonię, qui cùm adverſaretur Martino eò quòd comperiſſet favère Ludovico Andegavenſi, cum quo bellum in Italia gerebat, Idolum illud in præfatI Martini odium ſuſtinere ſatagebat. Obiit tandem miſer ille Anno Domini MCCCCXXIII. in ſchiſmate, & hæreſi, ætate jam nonagenarius, in ipſa Paniſçola, ſparſo rumore, quòd ante ejus obitum plures Cardinales creaſſe, nimirum Dominicum è Bon?fide, Euximum Dachiæ, Julianum è Laba, qui Ægidium Munionem Canonicum Barchinonenſem; ſecuto Petri de Luna obitu, eodem favente Rege Alphonſo, in Antipapam crearunt, ſub nomine Clementis VIII. Et hic Theatricus Papa inſignia retinuit Pontificia uſque ad Annum Domini MCCCCXXIX. quo Alphonſus Martino V. reconciliatus, juſſus eſt cedere, & Pontificia inſignia dimittere, cooperante Alphonſo Borgia ad hunc effectum delecto, Hæc omnia M. S. Vaticano refert Raynaldus ad Annum Domini MCCCCXXIII. ſub num. 7. ubi legitur: ,, Petrus de Luna VII.
,, annos poſt Synodum Conſtantienſem vixit,
,, numquamque Pontificis nomen depoſuit;
,, immò cùm eodem tempore Alphonſus Ara-
,, goniæ Rex bellum graviſſimum in Italia
,, cum Ludovico Andegavenſi gereret, Marti-
,, nuſque in partes Ludovici propendere vi-
,, deretur, iratus Pontifici Alphonſus dedit
,, operam, ut duo Cardinales, qui reliqui
,, erant, poſt obitum Benedicti Pontificem
,, deſignarent. Delegerunt ipſi Ægidium Mu-
,, nionem Canonicum Barchinonenſem, qui
,, Clemens VIII. fuit nominatus, Cardinaleſq;
,, creavit, & alia munera Pontificia geſſit.
,, Sedpoſtea cùm idem Alphonſus in gratiam
,, cum Martino rediiſſet, facilè ipſum ſchiſma
,, fuit omninò ſublatum; nam Alphonſus
,, Borgia vir optimus, & prudentiſſimus, qui
,, paucis poſt annis fuit Pontifex Maximus,
,, tunc ad hoc negotium delectus, egit cum
,, hoc Clemente, & deinde Petrus Cardina-
,, lis Fuxenſis, tantumque uterque apud
,, illum ſua opera & auctoritate potuit, ut
,, ipſe Clemens ſe ſponte Pontificatu abdica-
,, ret *Hæc ibi*.

398 Anno igitur Dñi MCCCCXXIX. Sigiſmundi Romanorum Regis Anno XIX. Joannis VII. Palæologi Græcorum Imperatoris Anno VI. Pontificatus Martini V. Anno XII. Indictione VII. in univerſum teterrimum ſchiſma, quod initium habuit die XXI. menſis Septembris, quo contra Urbanum VI. in ſchiſmate electus fuerat Robertus Gebennenſis, Clemens VIII. nuncupatus, Anno Domini MCCCLXXVIII. perduravitque uſque ad diem XXVI. menſis Julii prædicti Anni MCCCCXXIX. Annis L. menſibus X. diebus verò V. Divina favente gratia, prorſus ſublatum eſt, cedente liberè & ſpontè Ægidio Munione, nuncupato Clemente VIII. de cujus ceſſione Acta Cardinalis Fuxenſis apud Raynaldum ad Annum Domini MCCCCXIX. hæc produnt: ,, Dominus Ægidius in ceſſio-
,, ne publica indutus Papalibus inſigniis in
,, Caſtro Paniſcolæ die Sanctæ Annæ præ-
,, dicta, primitùs & ante omnia pro ſereni-
,, tate conſcientiæ ſuæ, & ſuorum ſequacium,
,, ut dixit, publicè & ſolemniter omnes pro-
,, ceſſus, ſententias, fulminationes, & cen-
,, ſuras, depoſitiones, inhabilitationes per
,, ſuum prædeceſſorem, olim Benedictum Pa-
,, pam XIII. in ſua obedientia nuncupatum,
,, & ipſum in ſuo pretenſo Pontificatu contra
,, omnes, & ſingulas ei non obedientes, &
,, & ſpecialiter contra Dominum Odonem
,, de Columna, quem ſecundùm eorum opi-
,, nionem reputabant Antipapam & ſchiſma-
,, ticum, & omnes ſibi adhærentes factos,
,, pronuntiatos, & fulminatos verbo, & in
,, ſcriptis, per ſuas literas, & ſuas prætenſas
,, Bullas plumbeas, expreſsè, & ſpeciliter
,, revocavit, & omnes illos, qui præſato
,, Domino Odoni adhæſerant, & obedierant,
,, & ſpecialiter ipſum Dominum Odonem de
,, Columna, ad omnes dignitates & honores
,, ſpecialiter ad Papatum, motu ſuo proprio
,, habilitavit, reſtituit, & redintegravit.

399 ,, Deinde idem Dominus Ægidius
,, ibidem ſolemniter propoſuit coram omni-
,, bus, qualiter poſt obitum ſui prædeceſſoris
,, Benedicti XIII. electus ab ibidem præſenti-
,, bus ſuis Fratribus prætenſia Cardinalibus
,, Papatum recepit non ad alios fines, quàm
,, ad hoc principaliter, ut per ejus medium
,, Dei Eccleſiæ vera & indubitata unio ſeque-
,, retur, & extirparetur omne ſchiſma; &
,, jam à primis diebus ſuæ novæ aſſumptionis
,, ad Apoſtolatum veraciter geſſit in animo,
,, & diſpoſuit, ac firmavit pro tanto bono
,, Eccleſiæ Dei ſponte & liberaliter ſe velle
,, renuntiare dignitati, officio, ac honori
,, Papali, quod utique jamdiù feciſſet, ut
,, aſſeruit, ſi impeditus non fuiſſet, & aſti-
,, tiſſet ſibi plena & libera facultas opportu-
,, na. Nunc verò, ut ibidem aſſeruit, dixit
,, plenam & liberam optatam facultatem &
,, opportunitatem complendi deſideratam re-
,, ſignationem, & renuntiationem ſibi adeſſe,
,, cõfitens expreſsè viam renuntiationis hujuſ-
,, modi eſſe viam planiorem, utiliorem, ſe-
,, curiorem, & breviorem ad conſequendum

ve-

„ veram, & indubitatam unionem Eccleſiæ
„ Dei.

400 His dictis coram Alphonſo Borgia Oratore Regio, ſe Papalibus exuens inſigniis, prætenſo Papatui ceſſit, exaratis ſuæ ceſſionis ad perpetuam rei memoriam publicis literis, ad quarum calcem, legitur: „ Nè
„ de hujuſmodi ceſſione, renunciationeque,
„ ut præmittitur, factis impoſternm hæſite-
„ tur, quin potius conſtet authenticè de
„ eiſdem, præſentes literas motu proprio,
„ non ad alicujus inſtantiam expeditas ad
„ rei geſtæ memoriam in futnram juſſimus
„ publicari &c. Datum Paniſculæ Deturtenſis
„ Diœceſis VII. Kal. Auguſti, Pon-
„ tificatus noſtri Anno V. *Hæc ibi*. Illius porrò exemplum ſecuti, Julianus Franciſcus, & Ægidius Munio junior antiCardinales, & ipſi prætenſæ antiCardinalitiæ digaitati ceſſerunt, confecto publico ſuæ Ceſſionis Inſtrumento conſignato ſub Anno Domini MCCCCXXIX. Indictione VII. die XXVI. menſis Julii, in die feſtivitatis S. Annæ: Eximinus Dahæ, & Dominicus è Bonafide Carthuſianus pariter Anticardinales, quoniam adhùc ſchiſma fovere tentabant, in vinculis conjecti fuere: qui poſtea ad cor reverſi, ſoluti, ac in libertatem redacti, pariter Pſeudocardinalitiæ dignitati renuntiarunt, ac Martinum V. verum, & unicum Sanctæ Eccleſiæ Dei Pontificem profeſſi ſunt. Porrò Ægidio Munioni collata eſt dignitas Archiepiſcopalis Inſularum Balearii, quemadmodum Martinus cum Rege Alphonſo convenerat: prout literæ eidem Regi datæ Romæ apud Sanctos Apoſtolos VI. Idus Novembris, ſui Pontific. Anno XII. indicant, recepta prius, cùm adhùc eſſet Paniſculæ abſolutione à Cenſuris, & rehabilitatione ad gradus, officia & Eccleſiaſticos honores, auctoritate Apoſtolica, & ipſius Martini V. data per Apoſtolicum Legatum, quam abſolutionem, diſpenſationem idam Legatus cæteris, qui ſchiſmati adhæſerant, ipſiſmet petentibus, pariter tribuit. Hic ergò inveterati ſchiſmati finis, cujus Hiſtoriā nos in hoc opere de Græcorum ſchiſmate agentes, prεterire noluimus, quamvis extra principale inſtitutum noſtrum videatur: aliquando namque licet ab inſtituto digredi, dum gravitas materiæ præcipuè id exigere videtur; quod ſæpè in Hiſtoricis narrationibus accidit, cum eò jucundior legenti appareat Hiſtoria, quò copioſioribus eſt factis referta.

CAPUT VIII.

De Martini V. ſtudio pro abolendo Græcorum Schiſmate; ac ea de re Tractatu habito in Synodo Senenſi.

401 Sedato igitur, ut præfati ſumus, ſchiſmate, quod per multos annos Sanctam Romanam Eccleſiam divexaverat, licèt nondum univerſæ avulſæ eſſent radices, maximè in Aragonia, Martinus animum adjecit ad Græcorum unionem procurandam, capta occaſione à Turcarum præliis, & incurſionibus, qui ſub Amurathe Rege, univerſorum Græcorum Imperium ſibi ſubiicere conabantur: quare literas fecit ad Emmanuelem Imperatorem Græcorum, quibus hortatus eſt aum, ut Græcos ſuos ad damnandum vetus ſchiſma urgeret, ut unione Eccleſiarum ſecuta, faciliùs Latini Principes ad ſubveniendum labenti Imperio contra Turcas valida ſubmitterent auxilia: intereaque certiorem fecit, ſe rogaſſe Venetos, qui in Hadriatico mari claſſem habebant inſtructam, ut eam in Thraciam in Græcorum auxilium mitterent; Rhodiis inſuper Equitibus in mandatis dediſſe, ut vires maritimas Græcis jungerent: præcipiſſe item Philippo Mariæ de Vicecomitibus, ut Januenſes, qui tunc ei parebant, è Turcicò exercitu, cui indignè ſola auri cupiditate ducti, ſe junxerant, revocaret, ac denique ſe dedigiſſe Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, atque Eccleſiæ Pariſienſis adminiſtratorem ad Henricum Anglorum Regem, ut inito cum Gallis fœdere, arma verteret in Turcas. Literæ verò, prout à Raynaldo exhibitæ ad annum Domini MCCCCXXII. ſub num. 2. ſic ſe habent.

Chariſſimo in Chriſto filio Emmanueli Romæorum Imperatori Illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

402 „ Jam pridem audiebamus terribilē
„ illum tuo minitantem Imperio cum ma-
„ gnis copiis ex Aſia in Europam beneficio
„ mercenariæ Claſſis trajeciſſe, & (quod
„ modo magis multo nos angit) noviſſimè
„ ſignificatum eſt nobis, eundem Terra &
„ mari prævalentē, Caſtris ante Urbem Con-
„ ſtantinopolitanam poſitis, te & tuos gravif-
„ ſima obſidione conſtrictos intra mœnia cō-
„ tinere, non ſine ſummo tui ſtatus periculo &
„ dedecore nominis Chriſtiani. Quæ rerum
„ novitas nos commovit ad commiſeratio-
„ nem calamitatis tuæ, & animum noſtrum
„ intentum ad ſananda quædam alia vulnera
„ Chriſtianæ Reipublicæ verſùs Septentrio-
„ nem & Occidantem, ſtatim avertit ad

„ Græciam, & ad tota pericula conſideranda, & etiam, ſi qua via poſſemus noſtris „ & fidelium auxiliis repellenda ob Chriſtiani nominis reverentiam, quod unum tibi „ eſt commune nobiſcum: atque ita continuò mandavimus dilectis filiis Magiſtro & „ Fratribus Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, ut de Rhodo Inſula omnibus, quibus poſſent, opibus, te juvarent; „ poſſe enim eos aliquid cogitavimus, & „ propter locorum vicinitatem, & opportunitatem maris; debere autem eos ſcimus „ ex inſtituto religionis ſuæ contra perfidos „ abnegantes Chriſtum Filium Dei decertare, ut ferventius ea facere velint, quæ poſſunt & debent, ipſos mandatis noſtris obſtrinximus.

403 „ Venetos inſuper devotos homines „ & potentes, qui etiam ipſa valent celeritate ſuccurrendi, propterea quod in Adriatici maris ſinu claſſem hoc tempore inſtructam habent, ex conſueta ſuæ Reipublicæ diſciplina rogamus, ut tibi in hac „ neceſſitate, prout ipſis videretur expediens, „ ſubvenirent, nec paterentur illud Imperium, te ſic oppreſſo, in poteſtatem Infidelium devenire: quod propter eorum ſingularem fidem erga nos, & Eccleſiam Dei, „ & propter eam, quam exercent erga omnes Chriſtianos homines charitatem jam „ promptè feciſſe, & noſtra rogamina prævenisse cognovimus.

404 „ Rogamus etiam de re ſimili Januenſes, & eorum nomine dilectum filium „ Nobilem Virum Philippum Mariangelum „ Ducem Mediolanenſem, eoſque monuimus, ut à Turcarum præſidio revocarent „ quoſcumque Januenſes cum eorum Claſſe „ & ſtipendiis infidelium navigantes.

405 „ Sed ut aliquando tibi, fili chariſſime, demonſtremus veram & certam rationem defenſionis, & ſecuritatis tuæ non „ ad tempus exiguum implorandæ, ſed in „ perpetuum conſervandæ, fac, ut non videaris membrum abſciſſum ab Eccleſia Dei, „ & corpore chriſtianitatis; ſed te non tantùm nomine Chriſtiano, verùm omni cultu, fide, Religione, doctrina conjunge „ nobiſcum: nam ut acriorem illam diſquiſitionem legis, veritatiſque divinæ, qua „ teneris, in præſentiarum omittimus, quæ „ his literis explicanda non eſt; & deſcendamus ad rerum humanarum opportunitates, unde ſibi, & filiis tuis & Imperio, „ quod vix anxiè cuſtoditur ab oppreſſione „ Turcorum, firmius & certius præſidium „ parari non poteſt, quam repetendo gremium Eccleſię Matris tuę omnium chriſtianorum: quantùm enim putas nomen & „ Imperium tuum venerabile & formidandum magis apud eos ipſos hoſtes Fidei „ chriſtianæ eſſe futurum, ſi te ſenſerint cum „ reliqua chriſtianitate eſſe conjunctum, „ cum qua tota, ſi te unum invaſerint, ſibi „ eſſe pugnandum exiſtimabunt, qui nunc „ Imperium tuum, velut viliſſimam & poſtremam partem à cahtolicis derelictam, & eorum objectam faucibus, aſſiduis vexationibus, & contumeliis inquietant.

406 „ Quantùm etiam tibi alacriori ſtudio & voluntate ſuccurreret Latina chriſtianitas, ſi non alienos à catholicæ Fidei „ diſciplina, ſed ſe veros Fratres defendere „ cogitaret? Cùm modo ſint, qui ut tibi verum fateamur, omninò negent ſuccurrendum eſſe ſchiſmaticis, quos, inquiunt, „ malle ab Infidelibus per hæc perpetua „ prælia pati, quàm ſe eum fratribus una „ fide & voluntate conjungere. Quòd ſi tibi, & tuis aliquando Deus Omnipotens „ hoc ſalutare conſilium inſpirabit, ut de „ Chriſtiana Religione nobiſcum etiam concorditer ſentiatis, & uni catholicæ Eccleſiæ obediatis, præter ſempiterna præmia, „ quę parata ſunt beatis Animabus in Cœlo, „ quanta inde ſtatui tuo, & univerſæ Græciæ præſidia, & ornamenta provenient; „ quare, fili chariſſime, non eſt ampliùs hæſitandum, nec tam ſanctum propoſitum „ differendum, quod quamprimùm exequi „ te velle ſenſerimus, delegare curabimus „ ad id munus homines divinorum ſcientia „ peritiſſimos, & Nuncios Sedis Apoſtolicæ „ auctoritate, ut nihil ex parte noſtra deficiat, quin & te, & tuos ad veritatis viam „ reducamus, & te Imperatorem non Turcarum ludibrio deditum, ſed cum gloria „ dominantem videamus. Unum poſtremò „ tacere non volumus, finem hujus inveterati ſchiſmatis per tuam ſapientiam & cognitionem catholicæ veritatis, ſublato „ ſchiſmate, quod pro jure Summi Pontificatus Latinam vexabat Eccleſiam, de tuis „ manibus expectamus, & credimus Deum „ Omnipotentem hanc tibi uni gloriam reſervaſſe: quod ſi nos & Eccleſiam ſpes iſta „ fefellerit, non videmus, à quo amplius „ homine ſperare poſſimus. Datum Romæ &c. *Hactenus literæ*.

407 De Urbis Regiæ Conſtantinopolis obſidione ſub Amurathe Turcorum Rege, quemadmodum præfatæ Pontificiæ indicant literæ, Scriptores Græci communiter agunt, hinc, ut alios omittamus, Laonicus Chalcocondylas lib. 5. de Rebus Turcicis, non longè ab initio, enarrata infœlici morte Muſtapha, qui filius Bajazetis putabatur, & cujus partes contra Amurathem Macmetis filium ſecuti erant Græci, ſtatim ſubjungit: „ Amurathes, ubi utramque continentem in „ poteſtatem redigit, Rex creatus eſt. Nec „ multò poſt expeditionem ſumpſit adverſùs Byzantium & Græcos. Præmiſit Ducem Michaloglen, qui Judicis, & Ducis „ partes in Europa gerebat. Hic aſſumptis „ Europæ exercitibus, incurſionem fecit in By-

„ Byzantii regionem, & poſtea ibi caſtra-
„ metatus eſt. Hunc illicò ſequutus eſt
„ Amurathes Mecmetis filius, ducens ſecum
„ Peregrinos & Januæ Milites, necnon reli-
„ quos omnes, qui belli tempore Regem
„ comitari aſſolent. Adduxit ſecum & Aſia-
„ num exercitum, Caſtraque poſuit, quæ
„ ab una parte maris initium ſumentia, ex-
„ currebant uſque in alteram partem maris.
Hæc Chalcocondylas. Cæterùm Pontifex ad confirmandum in Conſtantia Emmanuelem, ſuſceptaque abolendi ſchiſmatis conſilia ad exitum adducenda, Jacobum Porci Clericum Metenſem ad eundem miſit; tum etiam Emmanuelem ipſum monuit, ut Theodorum Peloponenſi Deſpotam ad ſervandam pacem, quam cum Archiepiſcopo Patracenſi pepigerat, hortaretur, nè Chriſtiani mutuis ſe præliis obtererent, cum finitimi Turcæ tàm Græcis, quàm Latinis immineret, datis eidem Emmanueli ſequentibus literis.

Chariſſimo in Chriſto filio Emmanueli Romæorum Imperatori Illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

408 Quamvis non dubitemus, dilectum
„ filium noſtrum natura tuum excellentem
„ Principem Theodorum Deſpotam Moreæ,
„ & ſua benignitate, & noſtris hortationi-
„ bus ſervaturum eam pacem, quam nuper
„ fecit cum Venerabili Fratre noſtro Stepha-
„ no Archiepiſcopo Patracenſi, tamen cupi-
„ mus, ut ad hoc etiam tuæ Serenitatis au-
„ ctoritas intercedat: hoc enim ſuperiori
„ tempore, cùm Patracenſis Eccleſia ab eo-
„ dem tot bellicis cladibus vexaretur, dole-
„ bamus certè pro detrimento Eccleſiæ, ſed
„ etiam longè magis, quod ea quieta ab In-
„ fidelibus & abnegantibus nomen Chriſti,
„ quibus finitima eſt, tot mala ſuſciperet à
„ Principe Chriſtiano & filio tuo: nunc ve-
„ rò gaudemus in Domino, quod intelleximus
„ mus eos certis pacis fœderibus conveniſſe,
„ quæ ut perpetua ſint, è nè quid in futurum
„ à parte Archiepiſcopi in contrarium atten-
„ tetur, ei ſcripſimus atque præcepimus ſub
„ pœnis gravibus comminantes, ut nulli
„ Domino, ſive genti bellum inferat ſine no-
„ ſtra ſpeciali licentia, nè propter hoc ejus
„ Eccleſia, cujus nobis præcipua cura eſt,
„ læſionem aliquam patiatur, & præfatum
„ filium tuum Deſpotam charitativè roga-
„ mus, ut pacem velit perpetuam conſerva-
„ re, & ſi quid fiet per ipſum Archiepiſco-
„ pum, quod exiſtimet factum eſſe contra
„ dignitatem ſuam, non continuò bellum
„ moveat Eccleſiæ nociturum, ſed nos Nun-
„ ciis & literis ſuis informet ſtatim pro ejus
„ indemnitate, & contra perſonam inferentis
„ injuriam ſine Eccleſiæ læſione proviſuros.
„ Tuam verò ſublimitatem Imperatoriam
„ obſecramus, ut eundem filium tuum in
„ ſententiam noſtram adducas tuis præceptis
„ & auctoritate, ut in regionibus illis, quæ
„ infidelibus ſunt vicinæ, ſeſe invicem non
„ oppugnent Chriſtiani, quos omnes, Deo
„ favente, ſperamus temporibus noſtris vi-
„ dere per manum tuam in ſincera unione &
„ recta Religione conjunctos. Datum Ro-
„ mæ &c. *Hactenus literæ ad Emmanuelem.*

409 Cùm porrò nonnulli Chriſtianæ profeſſionis immemores, avaritia, ac lucri cupiditate obcæcati, veriti non fuerint, licèt Chriſtiani, licèt catholici, nedùm perfido Amurathi res bellicas vendere, & Naves quoque ad traiiciendum in Europam exercitum commodare, ut Adurnius Januenſis fecerat, verùm etiam illius ſigna ſequi, ac Turcis ſociati, cum eis militare, indignatus meritò tanti ſceleris pius Pontifex, adversùs talia attentantes, & perpetrantes, ſequentem edidit Conſtitutionem.

Martinus Epiſcopus &c. Ad perpetuam rei memoriam.

410 „ Angimur ſiquidem, & maximo
„ dolore confodimur, quòd nonnulli perdi-
„ tionis & iniquitatis filii baptiſmatis fonte
„ renati, Chriſtianum nomen contemnentes,
„ eorumq; ſalutis immemores, dudum accepto
„ ab Infidelibus ſtipendio Turcos ab Aſia in
„ Europam traiicientes, & infideles ipſos po-
„ tentia primùm diſunitos unientes mariti-
„ ma tandem Claſſe Civitatem Conſtanti-
„ nopolitanam unà cum perfidis Turcis ob-
„ ſederunt, & variis calamitatibus moleſta-
„ runt, atque perturbarunt in magnam no-
„ minis Chriſtiani ignominiam; ob quod eò
„ majori doloris aculeo cruciati ſuimus, quò
„ hujuſmodi obſeſſio magnum Chriſtiano
„ generi periculum miniſtrari videbatur.

411 „ Proinde nos, qui ad defendendam
„ Civitatem prædictam noſtros & Apoſtoli-
„ cæ Sedis favores & operam dare, Deo au-
„ ctore, efficacem intendimus, tam graves
„ & deteſtabiles exceſſus ulteriùs ſuſtinere
„ nolentes, fœlicis recordationis Nicolai
„ Papæ IV. & nonnullorum Romanorum
„ Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ve-
„ ſtigiis inhærentes, qui deferentes infide-
„ libus arma, equos, ferrum, lignamina,
„ victualia, & alia quæcumque mercimo-
„ nia, in nonnullas pœnas & ſententias in-
„ cidere ſtatuerunt, tenore præſentium ſta-
„ tuimus & decernimus, ut nullus in ſub-
„ ſidium ipſorum infidelium contra & ad-
„ versùs Chriſtianos, preſertim contra Ci-
„ vitatem Conſtantinopolitanam perſonali-
„ ter accedere, aut aliàs auxilium, vel favo-
„ rem in Chriſtianorum diſpendium pręſtare
„ quoquo modo præſumat.

412 „ Nos verò illos, qui contra hujuſmo-
„ di Cōſtitutionem noſtram auſu temerario
„ venire præſumpſerint, eo ipſo excommu-
ni-

„ nicationis ſententiæ ſubjacere, à qua etiam „ abſolvi nequeant, niſi tantùm de bonis „ propriis iu dictæ Civitatis, & aliarum „ Civitatum, terrarum, & locorum, quibus „ damna intulerunt, ſubſidium converten- „ dum exſolverint, quantùm detrimenti & „ damni prædictis partibus attulerint, nec- „ non etiam ab eadem, præterquàm in mor- „ tis articulo, abſolvantur ſententia abſque „ mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali: & ni- „ hilominus ſi perſonarum earum aliquam „ capi contingat, in ſervitutem & captivita- „ tem eorum eſſe volumus, in quorum ce- „ ciderint captionem; auctoritate inſuper „ Apoſtolica ſtatuentes, ut illi, qui contra „ hujuſmodi ſtatutum noſtrum venire præ- „ ſumpſerint, præter pœnas infames, & ine- „ ſtimabiles habeantur; ita quòd neque te- „ ſtari, neque legata eis, ſeu relicta perci- „ pere valeant: Et inſuper ad ſucceſſiones „ tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, ſint „ prorsùs & reddantur inhabiles, nec ad pu- „ blica quælibet admittantur officia, ſintque „ illis omnes actus legitimi penitùs interdi- „ cti, & tanquam excommunicatos, hoſtes- „ que catholicæ Fidei, poſtquam de ipſorum „ hujuſmodi temeritate conſtiterit, diebus „ Dominicis & feſtivis publicè nuntientur, „ & in Fiſcum bona omnia devolvantur. „ Volumus autem, & harum ſeriè decerni- „ mus, ut non ſolùm illi, qui in futurum „ contra præfatam Conſtitutionem, ſed etiã „ qui præteritis temporibus auſu temerario „ prædicta patrare præſumpſerint, omnibus „ ſupradictis pœnis & ſententiis eo ipſo „ ſubiiciantur &c. *Datum Romæ apud San- „ ctam Mariam Majorem* VII. *Idus Novem- „ bris, Pontificatus noſtri. Anno V.*

413 Dudum jam tum Imperator Emmanuel, & Joſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus delegerant ad Martinum Papam Nicolaum Eudemonem, & Olenium Theodorum Epiſcopum, pro tractando unionis negotio, quos Pontifex, cùm adhùc Florentiæ conſiſteret, honorificè exceperat Legatum ad præfatum negotium perficiendum ad eundem Imperatorem, ad Patriarcham, & Græcos univerſos, adhùc in Curia Pontificia morantibus prædictis Nicolao, & Theodoro, deſtinaverant Petrum Fonxecam, quem & Cardinalem tituli S. Angeli tunc creaverat. Sed quoniam adhùc urgebat negotium evellendi univerſas radices Occidentalis ſchiſmatis, quæ adhùc in Aragonia vigebant, foventibus illud nonnullis, qui partes Petri de Luna tenebant; cùm & ipſe Petrus Fonxeca eaſdem partes tutatus eſſet, ac poſtea agnita veritate, ſub obedientia Martini ſua ſponte ſe commiſiſſet, cogitaverat Pontifex eundem, antequam iter in Græciam eſſet arrepturus, mittere in Hiſpaniam, ut operam daret, quatenus cæteri, qui in ſchiſmate Petri de Luna adhùc inſordeſcebant, ad obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & unici ac veri Pontificis revocarentur: quo abſoluto negotio, Conſtantinopolim proficiſceretur. Ne tamen ex dilatione tractandi cum Græcis, præfatum unionis negotium detrimentum aliquod pateretur, præmiſerat illùc Fratrem Antonium de Maſſa, ſeu Maſſanus, ex Ordine Fratrum Minorum Apoſtolicæ Sedis Nuncium, data ei inſtructione agendi cum Græcis. Sed cùm poſtea præfatus Cardinalis Sancti Angeli gravi infirmitate preſſus, iter Conſtantinopolim perfici minimè valuiſſet, ſumma totius negotii remanſit penès præfatum Fratrem Antonium, qui univerſa ſibi à Sancta Sede præſcripta, tùm Imperatori, tùm Patriarchæ, Clero quoque univerſo Conſtantinopolitano, fideliter expoſuit: ac inde expoſita, & acta per eundem, in publicum Inſtrumentum redacta, unà cum reſponſione Imperatoris Joannis VII. Palæologi primogeniti Emmanuelis, qui tunc temporis Apoplexia tactus, diem clauſerat extremum, ſecum ferens eidem Apoſtolicæ Sedi obtulit. Præfatum porrò inſtrumentum antedicta acta & geſta continens, recitatum in Concilio Senenſi, ac in ejus Actis inſertum, ad hunc modum ſe habet.

In Individuæ Sanctæ Trinitatis nomine. Amen.

414 „ A' Chriſti Nativitate Anno mille- „ ſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo, „ Indictione quintadecima, die decimaquarta „ Novembris, Conſtantinopoli Urbe Regia „ in præſentia Domini Imperatoris Romæo- „ rum, præſentibus teſtibus infraſcriptis, „ ad hæc omnia & ſingula vocatis & roga- „ tis, Reverendiſſimus & integerrimus vir, „ atque Clementiſſimus Sacræ Theologiæ „ Profeſſor Magiſter Antonius Maſſanus, „ qui dicitur Orator & Nuncius Apoſto- „ licus in partibus Græciæ, ad diem deci- „ mũ Septembris milleſſimi ſupradicti Con- „ ſtantinopolim applicuit: qui majori ſuæ „ honeſtati conſulens, divertit in Peram ad „ Conventum Ordinis Fratrum Minorum; „ ſtatimque per Reverendos & honeſtiſſimos „ Viros Fratrem Guillelmum Confeſſorem „ Excelſæ & Chriſtianiſſimæ Imperatricis, & „ Magiſtrum Joannem præſati Oratoris So- „ cium; Et Sereniſſimo Principi Domino „ Emmanueli Dei gratia Romæorum Impera- „ tori idem ſignificavit, primò ſe eſſe Nun- „ cium Apoſtolicum miſſum ad ſuam Maje- „ ſtatem Imperialem; deinde ubi, & quo in „ loco eidem gerens morem ſeceſſerat. Ter- „ tio verò, quandocumque ſua Imperialis „ Majeſtas pro eo mitteret, ipſe ſemper pa- „ ratiſſimus eſſet. Cui quidem Domino Ora- „ tori lo . . . . . Dominus Imperator per „ eosdem Dominos Venerabiles Fratres ad „ ſuam Serenitatem tranſmiſſos, hujuſmodi „ reſponſum dedit.

415

415 ,, Primùm, lætari ſe plurimum de
,, ipſius adventu: de loco autem in quo erat,
,, vehementer congratulari, & ita meliorem
,, eligere non potuiſſet: demum, quod pro-
,, pediem pro eodem mittet, quò volunta-
,, tem Beatiſſimi Pontificis audiret. Poſtea
,, verò cùm ad diem decimum ſextum ejus-
,, dem menſis Septembris ipſe Dominus Im-
,, perator miſit, idem Reverendiſſimus Pater
,, Dominus Nuncius Apoſtolicus ad Impe-
,, riale Palatium profectus eſt, honorificen-
,, tiſſimè aſſociatus, & ab honorabili Domi-
,, no Bajulo Illuſtriſſimi Ducalis Dominii
,, Venetorum, & alia multitudine Nobilium
,, copioſa, tàm Græcorum, quàm Latino-
,, rum: ibique facta Majeſtati Imperiali de-
,, bita reverentia, eidem Bullas Sanctiſſimi
,, in Chriſto Patris & Domini Martini Divi-
,, na Providentia Papæ Quinti, præfatus
,, Dominus Orator propriis ipſius manibus
,, porrexit, atque benedictione Sanctitatis
,, appoſita aſſignata, dixit habere ſe ex man-
,, dato Apoſtolicæ ipſius Sanctitatis, & ſuæ
,, Serenitati, & Reverendiſſimo in Chriſto
,, Patri Domino Patriarchæ novem quæſtio-
,, nes exponere, quibus Dominus Imperator
,, reſpondit ſuo loco & tempore ad illas ex-
,, ponendas iterum ſe pro eodem Domino
,, Oratore miſſurum.

416 ,, Ad diem autem tertium Octobris
,, cùm idem Illuſtriſ. Imperator Emmanuel
,, mittere inſtituiſſet, velut antea direxerat,
,, ut ipſe unà cum Domino Patriarcha eas
,, novem concluſiones attenderet, graviſſima
,, infirmitate oppreſſus eſt, & adeò oppreſſus
,, repente, ut & loquelam omnem, ac ſenſus
,, omnes penitùs amiſerit. Quamobrem die
,, decima ejuſdem menſis Octobris idem
,, Reverēdiſſimus Dominus Orator & Nun-
,, cius Apoſtolicus, per ſupradictos Fratres
,, Guillelmum Confeſſorem, & Magiſtrum
,, Joannem tranſmiſſos ad Illuſtriſſimū Prin-
,, cipem Dominum Joannem ejus Sereniſſi-
,, mi D. Emmanuelis filium primogenitum
,, atque Romæorum Imperatorem in prædi-
,, ctis deſignatum, primò apud ipſius Maje-
,, ſtatem condoluit de adverſa & . . . . . va-
,, letudine Excellentiſſimi Patris ſui, deinde
,, modeſtiſſimè ac ipſi ſignificavit, quòd Le-
,, gatio Beatiſſimi Summi Pontificis in lon-
,, giuſculum trahebatur.

417 ,, Ad diem verò decimam quintam
,, ejuſdem menſis Octobris idem Illuſtriſſi-
,, mus Dominus Joannes Imperator junior,
,, advocato in ſuum Imperiale Palatium præ-
,, ſato Reverendiſſimo Patre Magiſtro Anto-
,, nio Maſſano, digniſſimo Nuncio Apoſto-
,, lico, illam Sacratiſſimam Pontificis Sum-
,, mi Legationem in novem Concluſiones di-
,, ſtributam in ſecreto audivit, rejectis ac
,, remotis omnibus præter ſuorum aliquos.
,, Quibus quidem novem Concluſionibus
,, accuratiſſimè auditis, poſt plerumque verba
,, dixit, uſque ad dies paucos ad ea ſe reſpon-
,, ſurum, quæ ipſi Domino Oratori placita
,, fierent.

418 ,, Vigeſima autem die ejuſdem men-
,, ſis Octobris, Reverendiſſimo in Chriſto
,, Patre & Domino, Domino Patriarchæ
,, Conſtantinopolitano ſupradicto publicè
,, in Eccleſia Sancti Stephani coram ſuis
,, Metropolitanis, Calogeris, Papatibus,
,, atque aliis multis tàm Græcis, quàm La-
,, tinis hominibus, idem Dominus Nuncius
,, Apoſtolicus, eaſdem novem Concluſiones
,, expoſuit, quibus, & ipſe Reverendiſſimus
,, quoque Dominus Patriarcha uſque ad dies
,, paucos reſponſurum affirmavit. Ipſe verò
,, Concluſiones, quas Illuſtriſſimo Domino
,, Imperatori, atque Reverendiſſimo in Chri-
,, ſto Patri Domino Patriarchæ, præſatus
,, Dominus Orator retulit, hæc habent de
,, verbo ad verbum.

419 ,, Sanctiſſimus & Beatiſſimus, qui
,, habet Cœleſte arbitrium, qui eſt Domi-
,, nus in Terris, Succeſſor Petri, Chriſtus
,, Domini, Dominus univerſi, Regum Pater,
,, Orbis lumen, Summus Pontifex Papa
,, Martinus, Divina Providentia Papa Quin-
,, tus, mandat mihi Magiſtro Antonio Maſ-
,, ſano Ordinis Minorum Oratori & ſuo
,, Nuncio in partibus Græciæ & Moreæ vo-
,, bis Reverendo in Chriſto Patri & Domi-
,, no, Domino Joſeph Patriarchæ digniſſi-
,, mo Conſtantinopolitano, & Sereniſſimis
,, Principibus Emmanueli & Joanni Romęorū
,, Imperatoribus Palæologis, novem nuntia-
,, re maximas ſententias.

420 ,, Quarum prima ſundatur in Do-
,, mini noſtri Papæ ad unionem ardentiſſimo
,, deſiderio. Cùm enim omne ex natura ſua
,, tendat ad unionem, quia non vult totum
,, à ſuis partibus ſeparari, nec partes à ſuo
,, toto, ut unio ſervetur; poſtea quoniam
,, virtus unita fortior eſt diſperſa, Sanctiſſi-
,, mus Dominus Papa non tantùm deſiderat
,, unionem ex natura, ſed etiam ultra natu-
,, ram inclinatam. Tantùm optat ratione
,, bonitatis Pontificatus Domini noſtri fœ-
,, liciſſimam videre diem illam Eccleſiarum
,, Latinæ, Græcæque unionis, ut præter
,, Deum nihil ſupra. Deinde intendit pro
,, hac totum Eccleſiæ Romanæ licitum, ju-
,, ſtum apponere atque honeſtum: & quòd
,, felicius hac in vita ſuæ Sanctitati occurrat,
,, certè ei non venit in mentem: & totum
,, Collegium Dominorū Cardinalium, omiſ-
,, ſis omnibus, quaſi de re alia non pertra-
,, ctat, quàm de iſta ſanctiſſima unione. Sed
,, quid dicam de Domino Legato Reveren-
,, diſſimo Cardinale Sancti Angeli, qui, ut
,, inferius explanabo, ad mortem ſe poſuit
,, in horrendo mari contra omne Medicorum
,, conſilium? Tam accenſa harum Eccleſia-
,, rum Græcæ & Latinæ deſiderio ardebat
,, concludendi unionem, ut ecce dicamus,

de-

Digitized by Google

„ deſiderio deſideravit Chriſti Vicarius cum
„ ſuis Cardinalibus hoc Paſcha unionis,
„ Communionis, & pacis facere vobiſcum
„ Græcis unica in Eccleſia Catholica & Apo-
„ ſtolica rugam non habente, ſchiſma, neque
„ dolos.

421 „ Secunda concluſio, in ſuum habet
„ jus malis periculis, quæ ex hoc ſchiſmate,
„ & quotidie proveniunt, tam ſpiritualiter,
„ quàm temporaliter. Quæ lingua, Pater
„ Patriarcha & Romæorum Imperator, ſuficit
„ explicare ex hac peſtiſera diviſione ſangui-
„ nis effuſionem, hominum ſtragem, ſuccenſio.
„ nes, ſurta, adulteria, homicidia, & ſimi-
„ lia mala ineffabilia? Propter hoc peſſimum
„ malum Græcia Nobilis, tam florida, per-
„ didit proprietatem Dominii, ſæcularem
„ Sapientiam, ac morum ſtrenuitatem, Prin-
„ pum Nobilitatem, plenitudinem populo-
„ rum, mercatorum affluentias, maris pote-
„ ſtatem, in præſenti verò Græcia omnis,
„ amiſſa utriusque hominis pace, guerris
„ inimicorum Chriſti undique premitur, &
„ in ſervitutem redigitur. Quid ſceleſtius
„ dici poſſet, quàm quòd infideles fideles
„ Chriſtianos ſuppeditantes, ac arma mo-
„ vere cogunt utplurimùm contra Chriſtia-
„ nos? Quid inhoneſtius, quàm ut pudicæ
„ Dominæ Græcorum, aliàs timore, nunc
„ amore per viros ſuos nunc admittantur ad
„ tortorum conjugium, immò per parentes
„ ad diſpenſationem, ſi deſponſatio habet
„ diei? Nos utique Latinos abominantes,
„ & vocantes nos ſchillos Francos, cùm ſimus
„ ejuſdem fontis renati baptiſmate, ejuſdem-
„ que Cœleſtis Patris filii, atque hæredes &
„ fratres. Sed quod deterius eſt, niſi iſta
„ ceſſet ſciſſura, omnes nunc tam Tartaris,
„ quàm Turcis obedient, & renuntiabunt
„ Evangelio Chriſti, & jam ſervi fient Ma-
„ hometis ex carentia Prædicatorum, pa-
„ cem, unionem, & ſalutem annuntiantium
„ eis. Sed circa periculum, nè pareat præſtò
„ ex toto Græciæ Monarchia irrecuperabi-
„ liter dari ſorſan conſilium nulliter ſalu-
„ brius, quàm ſe nobiſcum unire charitatis
„ vinculo, ut fiat velut antea unum ovile &
„ unus Paſtor; & ut filii Dei Græci, qui
„ ſunt aliqui in Græcia, aliqui in Armenia,
„ aliqui in Syria, aliqui in Bulgaria, aliqui
„ in Turchia &c. & congregentur in unum
„ Eccleſiæ Romanæ conſenſum: aliàs omnia
„ per brachium infidelium remedia periculo-
„ ſa certè ſunt.

422 „ Tertia concluſio ſolvatur in requi-
„ ſitione promiſſi; quoniam Reverendus
„ Pater & Dominus Epiſcopus Solmenſis, &
„ Dominus Nicolaus Eudæmon Joannes,
„ obtulerunt, & dixerunt apertè, diſtinctè,
„ & clarè omni ſemota obſcuritate, Domi-
„ no & Sanctiſſimo Papæ Martino Quinto,
„ voluntatem eſſe Reverendiſſimi Patriarchæ
„ Conſtantinopolitani, & Sereniſſimi Ro-
„ mæorum Imperatoris, procurare, ac jura-
„ re ſine fraude, & dolo ſanctiſſimam unio-
„ nem Eccleſiæ Græcorum cum Eccleſia
„ Latina, ſub illa fide quam Sancta Romana
„ Eccleſia tenet, & obedientia ad eandem
„ Eccleſiam Romanam, ut intendit Dominus
„ noſter Papa in ſuis Bullis credentialibus
„ ad vos Reverendiſſimum Patriarcham, &
„ ad vos Sereniſſimos Imperatores, & ad
„ Prælatos veſtros, ut etiam teſtantur hoc
„ literæ credentiæ Reverendiſſimi Domini
„ Legati ad eoſdem. Ideo Dominus noſter
„ meritò bonus, ut Paſtor, requirit, invitat
„ vos juſtum ad promiſſum ſervandum in
„ Sancta Sede Apoſtolica. Divina voce Græ-
„ ca ait Eccleſia: conſcientiæ noſtræ con-
„ venit ſemper dare operam, nè oves erran-
„ tes culpa noſtra pereant de Eccleſia: & ſi
„ præter intentum noſtrum Dominus Theo-
„ dorus, & dictus Nicolaus Oratores noſtri
„ promiſerunt hæc ſupradicta, modo prædi-
„ cto, oſtendetur evidenter Sanctitati Domi-
„ ni noſtri, eos falsè expoſuiſſe voluntates
„ noſtras, nè dubium remaneat aliqua in parte
„ præfatorum. Veritas quidem non quærit
„ angulos, ſed prædicat in Plateis, in pub-
„ licum dicit, quod narrat omni alethia iidem
„ phobiæ &c.

423 „ Quarta concluſio creatione Le-
„ gati firmitatem habet. Propter quæ præ-
„ miſſa tàm mirifica Sanctiſſimus Dominus
„ noſter Papa illicò Florentiæ creavit dictum
„ Legatum ex Latere, & publicavit Reve-
„ rendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum
„ Cardinalem Sancti Angeli. Qui Domi-
„ nus Cardinalis & Legatus propter nonnul-
„ las Eccleſiæ neceſſitates & ſuas pervenit
„ ad Hiſpaniam de conſcientia ejuſdem Do-
„ mini Nicolai Eudæmon Joannis Oratoris
„ veſtri, eò quòd tunc non erat tempus ido-
„ neum navigandi ad Græciam, nec erant
„ præordinata, quæ de neceſſitate videbantur
„ ordinanda Conſtantinopoli pro Concilio
„ fiendo. Sine enim Concilio viſum fuit,
„ Græcorum & Latinorum præſatam unio-
„ nem ſequi non poſſe: & ipſis ſatis erat ad
„ hæc faciendum. Fuit autem prædictus Do-
„ minus Cardinalis in Hiſpania graviſſima
„ infirmitate detentus, à qua nondum libera-
„ tus, in maris periculo ſe poſuit contra
„ etiam ſalubre conſilium medicorum, ut
„ ad implendum opus ſui officii veniret, &
„ ut non faceret voluntatem ſuam, ſed vo-
„ luntatem ejus Patris Domini Papæ, qui
„ miſit eum.

424 „ Quinta concluſio attenditur penès
„ impedimenta, ex quibus Legatus & Domi-
„ nus Cardinalis non ivit ad Græciam. Cùm
„ enim versùs eandem ſe paraſſet ad iter,
„ literæ ſupervenerunt Epiſcopi Theodori,
„ necnon & aliorum multorum, deportatæ per
„ fratrem Macarium & alios nonnullos: in
„ quibus expreſsè continebatur ex ſententia,

quod

Digitized by Google

" quòd Congregatio pro Concilio fiendo Præ-
" latorum Græcorum iſto tempore fieri non
„ poſſet propter inhumaniſſimam Turcorum
„ guerram, & tranſitum eorundem ad partes
„ Græciæ. Ac etiam in eiſdem literis renun-
„ ciatum eſt Conſtantinopoli eſſe nullum
„ veſtigium præparationis Concilii. Incaſſum
„ ergò ſuperveniſſet Legatus ad impetratam,
„ imò perturbatam, atque inconſideratam
„ omnibus ſuis in partibus...... prudentia
„ enim, ſi aut adiecto ultimo uvlt præce-
„ ptum, judicium medio, & primò conſilium,
„ quorum prudentiæ actuum primus non eſt,
„ ſecundus abeſt, tertius ſubeſt. Venire ergo
„ non debebat Dominus Legatus.

425 „ Sexta concluſio vigorem habet in
„ deſtinatione Nuncii Apoſtolici. Quare nec
„ longum iter diuturna mora Legati eſſet
„ ſine fructu, ſi Dominus noſter Papa, habito
„ maturo, & digeſto conſilio, deliberavit
„ præmittere me Nuncium ſuum Apoſtol. ut
„ prærordinarem Congregationem Prælato-
„ rum & Græcorum, quæ repræſentat totam
„ illorum Eccleſiam, nè in primum incon-
„ veniens incidamus, quando Oratores Impe-
„ ratoris Conſtantinopolitani, in Concilio
„ Ludunenſi ſe Romanæ Eccleſiæ univerunt,
„ &, *Credo in Deum*, prout eadem Eccleſia
„ publicè decantarunt; nec tamen illi redu-
„ ctioni, ut patet, Græcia ſtare voluit, aſ-
„ ſerens, ut fertur, ſine communi Concilio id
„ actum eſſe. Expedit quidem hoc ad tollen-
„ dum vetuſtiſſimum malum. Hoc ſciam
„ quantenus, quò poſſum clariſſimè informare
„ Dominum noſtrum Papam & Legatum,
„ ſcilicet quo tempore fieri debet iſtud Con-
„ cilium, quo loco, & ex quibus Græcorum
„ Prælatis, ad quem finem Concilium, fateor,
„ intendit. Quia cujus finis bonus, ipſum
„ quoque bonum eſt, & cujus finis malus,
„ ipſum quoque malum eſt. Si eſt diſputatio
„ plurimùm grandæva, ſi de fide diſputatio,
„ procul à nobis; ſi ad conferendum per Do-
„ ctores Græcos pariter & Latinos ſummam
„ complacentiam *ad Calvvite Agathon*.

426 Septima concluſio roboratur in cer-
„ titudine promiſſi. Unde quæro, ſi vos Re-
„ verendiſſime Patriarcha, & Sereniſſimi Im-
„ peratores, intenditis realiter operari, quòd
„ unio fiat ſub fide, quam Sacroſancta Roma-
„ na tenet & ſervat Eccleſia, & obedientiam
„ ad eandem Romanam Eccleſiam, eſto etiam
„ quòd alii Græci congregati in Concilio,
„ quia non ſunt ſub Dominio veſtro tempo-
„ rali, non vellent accedere, iſtud idem D. Epi-
„ ſcopus Theodorus, & D. Nicolaus Eudæ-
„ monJoannes obtulerunt Florentiæ pro parte
„ Reverendiſſimi Patriarchæ, & Sereniſſimi
„ Imperatoris Emmanuelis Sanctiſs. Domino
„ noſtro Papæ, & Legato, non quantùm ad
„ intentionem promiſſionis Imperatoris, &
„ Patriarchæ, ſed quantùm ad verba, pro-
„ miſſio indiget, ut fertur examinatione.

426 „ Octava concluſio exiſtit in obla-
„ tione Domini Legati. Promittit enim cer-
„ tiſſimè Illuſtrim. Dominus Cardinalis San-
„ cti Angeli & Legatus ex Latere in parti-
„ bus Græciæ, ubi promiſſi recto animo, &
„ dicto inſtituto veniatis ad ſæpedictam ſan-
„ ctiſſimam unionem promptum adjutorium
„ Regis Aragoniæ, Regis Caſtellæ glorioſiſ-
„ ſimorum, pro fidei triumpho, necnon &
„ aliorum Principum: quamvis coacta Deo
„ non placeant: *Hilarem enim datorem diligit*
„ *Deus*.

427 „ Nona concluſio terminatur in fina-
„ li & ſancto promiſſo Sanctiſſimi Domini
„ noſtri Papæ: Ego Nuntius Apoſtolicus
„ Magiſter Antonius Maſſanus Ordinis Mi-
„ norum, palàm coràm omnibus promitto
„ de mandato Domini noſtri Martini Papæ V.
„ quòd ſi prædicta unio per Reverendiſſimum
„ Dominum Patriarcham, & Imperialem Ma-
„ jeſtatem unà cum modis ſupradictis fiat,
„ quòd Sanctiſſimus Dominus noſter Papa
„ præſtò mittet Legatum abſque mora retar-
„ dationis cum Prælatis & Magiſtris ad hoc
„ ſpecialiter ordinatis, ubi primò, ſicut præ-
„ miſi in ſexta concluſione, ſciam tempus
„ hujus Sacratiſſimi Concilii & locū ejuſdem
„ Congregationis Prælatorum Græcorum
„ ſufficientem & idoneum, & in quem finem
„ intenditis eſſe nobiſcum in Concilio, &
„ quomodo?

Diligentia pro reſponſione à Græcis habenda, & cauſa dilationis.

428 Poſt autem has novem concluſiones,
„ ita ut ſcriptæ ſunt, diligenter expoſitas,
„ idem Reverendiſſimus Pater Dominus Nun-
„ tius Apoſtolicus, Magiſter Antonius Maſ-
„ ſanus, ad diem xxiv. ejuſdem menſis
„ Octobris eundem Reverendiſſimum in Chri-
„ ſto Patrem Dominum Patriarcham ſecundò
„ convenit, & allocutus eſt ſuper concluſio-
„ nibus ſupraſcriptis. Item & die xxvi. ejuſ-
„ dem menſis præfatus Dominus Nuntius
„ Apoſtolicus, ſupranominatos Fratres Guil-
„ lelmum Confeſſorem, & Joannem Socium
„ ſuum ad eundem Sereniſſimum Dominum
„ Imperatorem Dominum Joannem miſit,
„ ut ſuæ Majeſtati placeret reſponſionem ſibi
„ dare ad ea, quæ nomine Beatiſſimi Summi
„ Pontificis ſuæ Serenitati retulerat: die
„ verò xxx. ejuſdem quoque menſis Octo-
„ bris iterum Dominus Imperator apud eun-
„ dem Dominū Patriarcham fuit ad tractan-
„ dum, & colloquendum de modo celebrandi
„ Concilii. Kalendis autem Novembris idem
„ Sereniſſimus Dominus Imperator Joannes
„ miſit ad ipſum Dominum Oratorem quem-
„ dam ex Nobilibus ſuis Cataciſmon ad di-
„ cendum, nè miraretur, ſi tam citò minus
„ reſponſum dabat: quoniam multis & maxi-
„ mis negotiis bellicis impræſentiarum eſſet

„ implicitus. Deinde quoque ad diem III. „ Novembris Dominus Nuntius Apoſtolicus „ miſit ad quemdam Majeſtatis Imperialis „ Calogerum, & ad Cloſeps, ut vellent Illu- „ ſtriſſimum Dominum Imperatorem, ac „ Reverendiſſimum Dominum Patriarcham „ ad hanc unionem Sacratiſſimam excitare. „ Ad diem verò XIV. Novembris præfatus „ Dominus Nuntius Apoſtolicus reſponſio- „ nem habuit ad omnes ſupradictas conclu- „ ſiones, tàm à Reverendiſſimo Domino Pa- „ triarcha, quàm ab Illuſtriſſimo Domino „ Imperatore ſupradicto: quoniam cùm firma „ ac ſolida in ſe eſſe aſſerat, idem Dominus „ Nuntius Apoſtolicus hìc annotari, ſeù ad- „ ſcribi volvit.

„ Scriptum & publicatum Conſtantino- „ poli, quemadmodum retulerunt, & ſuis „ ſic miſſis teſtationibus approbaverunt Ve- „ nerabilis Frater Guillelmus Confeſſor ſu- „ pradictus, Frater Petrus Capinus Cuſtos „ Conſtantinopolitanus, Frater Ludovicus „ de Taraſio, Frater Damianus de Venetiis, „ Dominus Joannes Ariſpa, & Frater Lauren- „ tius de Franciſcis, Teſtes ad hæc omnia „ & ſingula ſupraſcripta vocati & rogati.

„ Et ego Franciſcus Philelphus Civis „ Venetus publica & Imperiali auctoritate „ Notarius, & noſtris in Venetorum Curia „ & Conſtantinopolitana Cancellariis, ex „ relatione, & atteſtatione præfatorum Te- „ ſtium ſupraſcripta omnia & ſingula ſcripſi, „ complevi, & publicavi,

Copia Literarum Reſponſionis Imperatoris Græcorum ad Papam Martinum V. Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino, Domino Martino Sacroſanctæ Romanæ Dei Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Summo Pontifici digniſſimo, Joannes in Chriſto Deo fidelis Imperator & Moderator Romæorum Palæologus ſemper Auguſtus, Reverentiam debitam & devotam,

429 „ Reverendus vir Ambaſſiator veſter „ Antonius Presbyter, Monachus, Theolo- „ giæ Magiſter, venit ad nos in gratia Sancti- „ tatis veſtræ ferens, ac accepimus, & cogno- „ vimus ab ipſis, & à veſtro Ambaſſiatore que- „ cumque nobis ipſe dixit. Ad primos ejus „ ſermones, qui ferè in ſumma fuerunt, quòd „ ex parte mea dixit Nicolaus Eudæmon, & „ Reverendus Epiſcopus Olenis Theodorus, „ quòd volumus unionem ſimpliciter cum „ Romana Eccleſia. Sed quoniam reſpondi- „ mus ipſi Ambaſſiatori ad verbum, à quo „ Sanctitas Veſtra de omnibus agnoſcet, affir- „ mamus etiam per noſtras literas expreſsè, „ quòd non ſolùm aliquid tale commiſimus, „ ſed neque omninò unquam ipſum in mente „ dicere habuimus. Sed quod ſcripſimus in li- „ teris noſtris, iſtud & non aliud noſtri Am- „ baſſiatores impoſitū habuerunt, implere, & „ enucleare propriis ſermonibus, videlicet „ fieri Concilium univerſale, ſecundùm ordi- „ nem, & conſuetudinem Sanctorum ſeptem „ Univerſalium Conciliorum, & quòd con- „ ceſſeris Spiritus Sanctus ad pacem, iſtud „ firmare & tenère.

430 „ Circa ſermones autem ipſius Ma- „ giſtri Antonii Ambaſſiatoris, poſt hoc quod „ quæſivit agnoſcere locum & modum & tem- „ pus Concilii: Reſpondemus, de loco qui- „ dem Conſtantinopolim, cùm Imperium „ noſtrum in præſenti neque aptiorem alium „ locum habeat, neque poſſemus ire aliò „ propter neceſſitates. Verùm in qua magis „ nunc ſumus, quàm aliquando, & etiam „ propter neceſſitatem expenſarum, quibus „ ipſum negotium indiget. De modo, non „ neceſſitatem dicimus eſſe omnes Sanctiſ- „ ſimos Patriarchas, & omnes Epiſcopos „ Provinciarum noſtrarum intereſſe. Concilii „ autem hujuſmodi expenſas omni præterito „ tempore faciebat Imperium; nunc autem „ ſimiliter eſſet opus. Imperium verò nunc „ non poteſt ullo modo, nec facultatem ha- „ bet ad id faciendum. Qua de cauſa Sancti- „ tatem Veſtram rogamus, ut circa hanc rem „ provideatur ſufficienter. De tempore au- „ tem, optamus & deſideramus, ut taliter „ eſſent res, quòd hodie hoc Divinum opus „ placitum principium accipiet. Sed cùm ſint „ circa nos res tales, quales vidit ſuis oculis „ Antonius, qui quaſi penitùs deſtructis „ nobis omnibus, ſunt ſub periculo gladii, „ & hæc Civitas & omnia noſtra: & non eſt „ poſſibile congregare Epiſcopos ab Aſia, „ neque ab Europa, propter guerras infide- „ lium. Dicimus, quòd, Deo dante, pacem „ & firmitatem rebus ſtatim ſcribemus vo- „ bis, & apportatis noſtris literis ad vos, & „ ex vobis Ambaſſiatoribus veſtris ſumenti- „ bus cum exitu, & expenſis circà Concilium „ faciendis ab illa die incipiente, euſque ad „ finitum annum, ut Concilium fiat,

431 „ Verùm hoc magnum deſiderium, „ & ſingularem amorem, quem habemus ad „ tale Divinum opus unionis, dicimus & „ hoc, quòd etiam exiſtente guerra infide- „ lium, ſi Sanctitas veſtra fecerit talem pro „ ſecuritate noſtrorum neceſſariorum loco- „ rum, & feceritis excommunicationem ter- „ ribilem, & inſolubilem contra quoſcumque „ veſtros homines, ut non relinquant nos ſolos „ in guerra infidelium, & ipſi in pace ſint cum „ ipſis, ſed auxilientur nobis contra Infide- „ les, itaquòd ipſi infideles non habeant fa- „ cultatem inſerre contra nos armatos nave „ ipſorum. Et hoc portet nobis Reverendiſ- „ ſimus Cardinalis, habens ex nobis genera- „ lem auctoritatem & vim ſuper iſtis: Placet „ nobis incipere unionis opus ab ipſa die, „ quo hùc advenerit prædictus Reverendiſ- „ ſimus Cardinalis: Et tunc conveniente „ Sacro Concilio, ſecundùm antiquum ſan- cto-

„ ctorum univerſalium ſeptem præteritorum „ ordinem, & conſuetudinem, & veritate „ ſine contentione quæſita, quidquid reve- „ latum fuerit, inſpirante Spiritu Sancto, „ in hoc Sancto Concilio, utrique parti pla- „ citum ſit, & ſubſequatur omnis terminus „ Mundi. Itaque fiat univerſalis unio & in- „ frangibilis & firma Eccleſiarum. Datum „ in Urbe noſtra Conſtantinopolitana, milleſi- „ mo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo, „ die ſabbati quartadecima menſis Novem- „ bris, ſub noſtra Imperialis ſigilli impreſſio- „ ne, & noſtra ſolita rubea ſubſcriptione.

432 Ex hactenus allegatis ſequitur in primis, Emmanuelem II. Græcorum Imperatorem obiiſſe Anno prædicto MCCCCXXII. menſe Octobris, ac ei ſucceſſiſſe Joannem, hujus nominis VII. Eccleſiam Conſtantinopolitanam moderante Joſepho Patriarcha. Ut autem ſcribit Chalcocondylas lib. 4. de Rebus Turcicis, Emmanuel plures filios habuit, Joanem nimirum primogenitum, Andronicum, Theodorum, Conſtantinum, Demetrium, & Thomam: Joanni verò utpote cæteris ſeniori, ante ejus obitum Imperium conceſſit, immo ipſo vivente, conſortem Imperii fecit, ac Imperialibus inſignibus condecoravit, adeout ſecuta ipſius morte abſque alia ſolemnitate, penès ipſum tota ſumma remanſit Imperii. Sed Emmanuele ſuperſtite, cum eo principaliter negotium unionis Pontifex agebat: ac ideo Oratores ad Martinum pro eodem negotio Emmanuel deſtinaverat, qui eis in commiſſis dederat, ut exponerent ſe ſimpliciter velle unionem cum Eccleſia Romana, prout Frater Antonius ait in tertia concluſione. Verùm Joannes Imperator, quoniam jam cum Patre res agi non poterat, vel propter graviſſimam illius infirmitatem, vel poſtea propter ſecutum obitum, negavit datum fuiſſe Legatis in commiſſis, ut unionem ſimpliciter peterent, benè verò ut præfatum negotium tractaretur in Concilio Generali. Et quod mirabile eſt, tota Græcia in conſternatione poſita, & propter cruentiſſima Turcorum bella undique exagitata, adhùc Concilium petit Conſtantinopoli celebrandum, & expenſis Romani Pontificis magna ſanè Græcorum ſuperbia.

433 Reverſus eſt in Italiam Frater Antonius Anno Domini MCCCCXIII. ſuæ Legationis rationem redditurus, ac Summo Pontifici Martino V. omnia geſta & in præfatum Inſtrumentum redacta Summo Pontifici unà cùm Imperatoris reſponſivis ſupra recenſitis obtulit literis: qui univerſa examinanda Patribus Concilii Generalis Senenſis commiſit. Tunc namque inchoatum erat Concilium Senenſe: quoniam Martinus ex Civitate Papiæ, ubi juxta Decretum Concilii Conſtantienſis celebrandum erat, occaſione epidemici morbi, tranſtulerat in Civitatem Senarum, prout ex Decreto Papiæ edito, ac in Actis inſerto, manifeſtum eſt. Licèt ergo Martino viſum eſſet Concilium Conſtantinopoli celebrandum, prout Græci poſtulabant, attamen diſſenſerunt plures ex Patribus: quoniam cùm jam Græci dogmata diſcuti in Concilio Oecumenico vellent, in quo ſummam poteſtatē, utpotè Conſtantinopoli celebrando, forent ſchiſmatici habituri, timendum erat, rem Catholicam in diſcrimen adductum iri: qua ſtante ratione, Martinus diſtulit illùc Legatum, & Præſules mittere, ſicque negotium unionis præfatæ protractum eſt ad annos plures, ut viſuri ſumus.

434 Cæterum quoad Concilium Senenſe, inceptum eſt celebrari die XXII. Auguſti, Anni præfati, videlicet MCCCCXXIII. Pontificatus Martini V. Anno VI. Indictione I. Præſidentibus ex Pontificis conceſſa poteſtate Donato Archiepiſcopo Cretenſi, Jacobo Epiſcopo Spoletanô, Petro Abbate Roſatio Ordinis Benedictini, & Leonardo Magiſtro Ordinis Prædicatorum, iiſdem ipſis, quos Martinus conſtituerat Præſides in Synodo Papienſi, undè, ut ſati ſumus, peſtis causâ, auctoritate Pontificia prædictis Præſidibus attributa, translatum fuerat Senas: In eo namque nil aliud actum legitur, niſi Decretum contra Huſſitas, conceſſio Indulgentiarum perſecutoribus hæreticorum, & aliud Decretum ratificās condemnationem Petri de Luna, juxta ſententiam latam in Concilio Conſtantienſi: Ac denique, ut præfati ſumus, lecta ſunt geſta Fratris Antonii cum Græcorum Imperatore, ac Patriarcha Conſtantinopolitano, ac ejuſdem Imperatoris recitatæ ſunt literæ. Deinde auctoritate Martini Papæ diſſolutum eſt Concilium, indictum ad futurum ſeptennium œcumenicum Concilium celebrandum in Civitate Baſilienſi, prout conſtat ex ejuſdem Martini literis, incipientibus: *Ad ſacram Petri Sedem*, ſub datis Romæ apud Sanctum Petrum IV. Idus Martii, ſui Pontificatus Anno VII. quæ habentur apud Labæum, tom. 12. poſt Acta Concilii Senenſis, pag. 378. & apud Raynaldum ad Annum Domini MCCCCXXIV. ſub num. 5.

CAPUT IX.

De Martini V. obitu, Eugenii IV. electione, ac de Concilio œcumenico Baſilienſi, & Tractatu in eo habito pro Græcorum unione.

435 INſtabat jam celebrandi Concilii Generalis Baſileæ ex Decreto tum Conſtantienſis, tum Senenſis Synodorum tempus conſtitutum, adveniente Anno Domini MCCCCXXXI. Pontificatus Martini V. Anno XIV. Sigiſmundi Romanorum Regis Anno XXI. Joannis VII. Palæologi

Græcorum Imperatoris Anno VIII. Indictione IX. cùm præſatus Martinus Papa adverſa jam tentatus valetudine, tactus Apoplexia, x. Kalend. Martii, die videlicet xx. menſis Februarii viam ingreſſus eſt univerſæ carnis, cùm ſediſſet Annos XIII. menſ. III. dies verò 12. prout apparet ex ipſa inſcriptione appoſita ejus æneo ſepulchro in Baſilica Lateranenſi, quæ ſic ſe habet: *Martinus Papa V. ſedit Annos XIII. menſis III. dies XII. obiit Anno MCCCCXXXI. die xx. Februarii temporum ſuorum fœlicitas*. Deinde juſtis ex more perſolutis eidem Pontifici funebribus, DD. Cardinales, qui tunc præſentes Romæ aderant, ingreſſi Conclave in ædibus Dominicanæ Familiæ apud Eccleſiam Sanctæ Mariæ ſuper Minervam paratum, brevi habito de ſucceſſoris electione tractatu, mira conſenſione convenerunt in perſonam Cardinalis Senenſis, qui vocabatur Gabriel Condulmerius, ipſum in Romanum Pontificem eligentes v. Nonas Martii ejusdem Anni, qui Eugenius IV. appellari voluit. Fuit hic Natione Venetus, ex Canonico in Alga à Gregorio XII. in Cubicularium aſſumptus, inde ab eodem Epiſcopus Senenſis, poſteaque Cardinalis factus, ac denique, ut dictum eſt, creatus Romanus Pontifex.

436 Agit Sanctus Antoninus de Martini V. obitu, & Eugenii electione in 3. parte titul. 12. cap. 10. in principio, inquiens: *Siquidem Martino de hac vita ſubtracto, qua die Eclipſim naturaliter paſſus eſt Sol. Poſt ſolemnes exequias ejus, Dominis Cardinalibus in Conclavi conſtitutis in Conventu Minervæ Ordinis Prædicatorum, infra pauciſſimos dies creatus eſt Summus Antiſtes Dominus Gabriel Cardinalis Senenſis, natione Venetus, Eugenius IV. in Papatu nuncupatus*. Corrigendus tamen eſt in eo, quod ſubjungit ſcribens, Eugenium electum Anno MCCCCXXX. cum, ut dictum eſt, ejus electionem incidiſſe in Annum MCCCCXXXI. quo obiit Martinus, Deſcribens inde Eugenii dotes, ſubnectit: Hic
„ ſtatura fuit procerus, gratioſus aſpectu,
„ nec animo minor; liberaliſſimus ad paupe-
„ res, ad reparationem Eccleſiarum munifi-
„ cus, Religioſos Deum timentes eximie
„ fovebat affectu pariter & effectu; cultus
„ divini & Chriſtianæ Religionis dilatandæ
„ zelator præcipuus. Ipſe ab adoleſcentia
„ bonis ſuis pauperibus erogatis, ſtatum
„ Clericorum Regularium religioſè & com-
„ muni viventium (qui Cœleſtini dicuntur)
„ Venetiis devotus apprehendit, Ex quo
„ poſt Annos plures à Gregorio XII. in Epi-
„ ſcopum Senenſem aſſumptus eſt, & inde
„ ad Cardinalatum; demum in Præſulem
„ Summum. *Hæc Sanctus Antoninus*.

437 Porrò Æneas Sylvius, poſtea Pius II. in ſua Europa, cap. 58. tradit, Patri illius prænunciatum fuiſſe filii Pontificatum à quodam Eremita: *Hujus Pater*, inquit, *cùm in Ægypto negotiaretur cum Patre Franciſco Foſcari, ab Eremita, quem pariter ſciſcitandum adorti ſunt, non minus lætum vaticinium, quàm ille accepit. Ille enim filium, quem habebat futurum Patriæ Principem, hic ſuum inter Sacerdotes ad ſummum evaſurum didicerat*. Proſequitur inde, enarrans prima ſuæ adoleſcentiæ inſtituta, inquiens: „ Eugenio verò Gabrieli
„ nomen in Baptiſmo inditum fuit, qui cùm
„ adoleviſſet conditis parentibus, Evangelii
„ non ſurdus auditor, patrimonium, quod
„ ab illis non tenuè acceperat, inter Chriſti
„ pauperes erogavit. Ex in Antonio Corario
„ Comite ejusdem ſervoris adoleſcente Re-
„ ligionem intravit, in qua ſumma cum lau-
„ de verſatus, tamdiù cum illo vixit, donec
„ Angelus Corarius Gregorius XII. appel-
„ latus, Sedem Petri ſortitus, cùm alter ab
„ altero ſeparari non poſſet, ambos ad ſe
„ vocans, Senenſi eum, Bononienſi Anto-
„ nium præfecit Eccleſiæ; nec diù moratua
„ utramque Cardinalatus honore dignatua
„ eſt, in quo ambo claruerunt: ſed hic Sum-
„ mum Pontificatum conſecutus, magis eni-
„ tuit. *Hæc ille*.

438 Ab Apoſtolis inſuper Petro & Paulo per viſum, eidem, cùm adhùc in Monaſterio eſſet, graviter ægrotanti, prænunciatum Pontificatum fuiſſe, ſcribit Franciſcus Philelphus in Oratione ad Jacobum Antonium Marcellum Patritium Venetum, inquiens: „ Ga-
„ briel Condulmerius (qui poſtea Eugenius
„ nominatus ſumma cum dignitate & gloria
„ Romano Pontificatui præfuit) cùm vehe-
„ menter ægrotaret, eſſetque de ejus ſalute
„ à Medicis omnibus deſperatum, illi jam de
„ morte non tam ſolicito, quàm nihil tertina
„ expectanti, Petrus & Paulus Apoſtoli ap-
„ paruerunt in ſomnis, utque bono animo
„ eſſet, hortati ſunt, nam & bonam valetu-
„ dinem ei redditam eſſe, & propediem fore,
„ ut Summus Pontifex crearetur: quod qui-
„ dem utrumque ſecutum eſt; nàm tum ſimul
„ cum ſomno illum reliquit febris, tùm non
„ multò poſt, cùm Martinus Columna, pru-
„ dentiſſimus ille, & ampliſſimus Pontifex,
„ quàm fortunatiſſimè, & cum mirifico Ec-
„ cleſiæ Romanæ incremento egerat, vitam
„ finiſſet, Pontificatui ille præfectus eſt.
Hactenus Philelphus.

439 Itaque Eugenius ſic electus IV. Idus Martii apud Vaticanã Baſilicam ſacra Thiara redimitus eſt, ac Encyclicas ſuæ electionis literas fecit, in quibus per id, quod ad præſatam ſui electionem in Pontificem pertinet, ait: „ Cùm fœlicis recordationis Mar-
„ tinus Papa V. Prædeceſſor noſter, ſicut
„ Domino placuit, nuper, videlicet x. Kal.
„ Martii ab hac mortali lacrymarum valle
„ ad immortalem vitam migravit, poſt fu-
„ neris ipſius, ac ſolemnium exequiarum,
„ ut moris eſt, celebrationem, Venerabiles
„ Fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ

Car-

„ Cardinales, de quorum numero tunc era-
„ mus, in Conclavi pro electione futuri
„ Summi Pontificis celebranda modo ac tē-
„ pore congruis, ac debitis in virtute Altiſſi-
„ mi convenerunt: ubi variis conſiliis & de-
„ liberationibus maturè præhabitis, prout
„ tantæ rei, qua nulla major agitur in terris,
„ gravitas poſtulabat; tandem Spiritus San-
„ cti gratiâ eorum mentibus cœlitùs infuſa,
„ licèt in alios majoribus meritis inſignes
„ convenire potuiſſent, certo tamen Dei ju-
„ dicio, cujus conſilia ſunt inſcrutabilia, nos
„ tunc tituli Sancti Clementis Presbyterum
„ Cardinalem in Sponſum, Paſtoremque Ec-
„ cleſiæ ſuæ Sanctæ unanimi voluntate, &
„ coneordia elegerunt. *Hæc ibi*.

440 Cùm verò, ut ſati ſumus, tempus celebrandi Generalis Concilii in Civitate Baſileæ inſtaret, causâque illud celebrandi, nimirum Boemorū, & Huſſitarum hæreſis, quæ tunc maximè Eccleſiam Sanctam dilacerabat, plurimùm urgeret, Julianus Cardinalis Sancti Angeli Legatus Apoſtolicus in partibus Ungariæ & Boemiæ, jam auctoritate Martini V. Præſes præfati Concilii conſtitutus, datis literis ad Eugenium Papam, poſtulavit, quatenus prædicto Concilio initium daretur, cui dictus Eugenius facultatem, ſeù auctoritatem præſidendi, ac illud inchoandi, confirmavit, per ſeqnentes literas.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Juliano Sancti Angeli Diacono Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

441 „ Certificati tam per literas tuas,
„ quàm alias de ſolicitudine, & circumſpe-
„ cta diligentia, quam habes in proſequendo
„ cauſam fidei contra Boemos hæreticos,
„ tuam prudentiam commendamus, & te ad
„ perſeverandum hortamur, quantùm cum
„ decentia fieri poteſt. Præterea cùm fœlicis
„ recordationis Martinus Papa V. Prædeceſ-
„ ſor noſter inter cætera tibi injunxerit præ-
„ ſidere debere auctoritate Apoſtolica in
„ Concilio Generali in Baſileenſi Civitate
„ celebrando, ſi talis eſſet coneurſus & con-
„ gregatio Prælatorum, quòd meritò & ra-
„ tionabiliter celebrari debuiſſet, & debe-
„ ret, & (ſicut accepimus) uſqne nunc pau-
„ ci, aut nulli convenerunt, & propterea
„ non ſit opus alium deſtinare, ſed ſit potiua
„ expectandum, placet nobis, & volumus,
„ tibique mandamus, quatenus expedito ne-
„ gotio Bohemorum, cujus finis expectatur
„ in brevi, tuos greſſus dirigas ad prædictam
„ Civitatem Baſilecnſem, & tibi (prout opus
„ videris eſſe) juxta tibi injuncta, & ordi-
„ nata in Concilio Conſtantienſi, optimè
„ provideas, prout in tua prudentia, & cir-
„ cumſpectione plenè confidimus. Datum
„ Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnatio-
„ nis Dominicæ MCCCCXXXI. ſecundo
„ Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Pri-
„ mo. *Hactenus literæ*.

442 Inchoatum eſt Concilium hoc ſub præſidentia Domini Joannis Polmar Summi Pontificis Cappellani, & Sacri Palatii Auditoris, & Magiſtri Joannis de Raguſio Doctoris Pariſienſis, ac inclyti Prædicatorum Ordinis Procuratoris Generalis, die Jovis XXIII. Julii, Anno Domini MCCCCXXXI. ex mandato Cardinalis Juliani tituli Sancti Angeli, qui tunc perſonaliter intereſſe haud poterat, prout acta ipſa produnt: „ Die Jo-
„ vis, *inquiunt*, XIX. Julii, de Anno Domi-
„ ni MCCCCXXXI. applicuernnt Baſileæ
„ Domini, ſcilicet, Joannes Polmar Cappel-
„ lanus Summi Pontificis, & Auditor Sacri
„ Palatii, & Magiſter Joannes de Raguſio
„ Doctor in Theologia Pariſienſis, Procu-
„ rator Generalis Ordinis Prædicatorum,
„ delegati ad præſidendum Concilio à Do-
„ mino Juliano Cardinali Sancti Angeli Le-
„ gato Apoſtolico, literas Salvorum Con-
„ ductuum Domini Imperatoris deſcriptas
„ habentes. Remanſitque Dominus Diony-
„ ſius expectans ambaſſiatam præſati Domini
„ Imperatoris. Qui quidem præſidentes,
„ XXIII. Julii convocatis omnibus Eccleſia-
„ ſticis perſonis tàm extraneis, quàm intra-
„ neis in Capitulo majoris Eccleſiæ Baſileen-
„ ſis inchoaverunt Concilium.

443 Cæterùm poſt adventum Legati celebrata eſt prima ſeſſio, quæ ſub die ſeptima Decembris ejuſdem Anni MCCCCXXXI. Pontificatus Eugenii Papæ IV. Anno I. Indictione IX. Convenientibus in Eccleſia Sancti Leonardi, intimata fuit celebranda altero die Veneris proximo, nimirum die XIV. ejuſdem menſis Decembris in Eccleſia Cathedrali prædictæ Civitatis: quo quidem adveniente, celebrata fuit, ac in ea pro validitate Concilii, ejusque approbatione lectæ ſunt literæ Martini V. & Eugenii IV. publicatum quoque inſtrumentum electionis Civitatis Baſileenſis pro Generali Concilio celebrando, poſt recenſitum Decretum editum ſeſſione 39. Concilii Conſtantienſis. Explicata porrò eſt Concilii mens, per hæc verba: „ Idcirco hæc ſan-
„ cta Synodns neceſſitates Chriſtianæ Reli-
„ gionis ſedula meditatione recogitans, ma-
„ tura & degeſta deliberatione decernit, ad
„ hæc tria, eo, à quo cuncta bona proce-
„ dunt, auctore Deo, toto ſolicitudinis ſtu-
„ dio operam dare. Primò, ut omnium hæ-
„ reſum, à Chriſtiani populi finibus, tene-
„ bris profugatis, lumen Catholicæ verita-
„ tis, Chriſto vera luce largiente, refulgeat.
„ Secundò, ut bellorum rabie, qua ſatore
„ zizaniæ ſeminante, in diverſibus partibus
„ Mundi affligitur, & diſſipatur populus chri-
„ ſtianus congrua meditatione ſedata, pacis
aucto-

Digitized by Google

„ auctore præſtante, in ſtatum reducatur pa-„ cificum & tranquillum. Tertiò, ut cum „ multiplicibus vitiorum tribulis & ſpinis „ Chriſti vinea jam quaſi ſilveſcat, præ nimia „ denſitate, ut illis debitæ culturæ ſtudio „ reſecatis, Evangelico Agricola cœlitùs „ operante, refloreat, honeſtatiſque fructus „ & honoris fœlici ubertate producat. *Na-„ ctenus de mente Concilii*. Editum inſuper eſt Decretum contra invaſores, ſeu ſpoliatores accedentium ad Concilium, vel recedentium ab illo. Ac denique nonnullis aliis editis Decretis, quæ habentur in actis, ſoluta eſt prima ſeſſio.

444 Dum hæc Baſileæ agerentur, Romam venerunt Joannis Palæologi Imperatoris Græcorum Oratores acturi cum Romano Pontifice de Concilio Generali celebrando pro negotio unionis utriusque Eccleſiæ, juxta incœpta & acta cum Martino V. ut ſupra fati ſumus, ac de loco pro eodem Concilio Græcis accomodato: Hinc Eugenius habito conſilio cum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quoniam expediens non erat, ut præfatum Generale Concilium Conſtantinopoli celebraretur, prout Græci optabant, immò in tractatu habito cum Fratre Antonio Maſſano, poſtulaverant, præfatis Oratoribus propoſitæ fuerunt diverſæ Italiæ Civitates, nimirum Roma, Ancona, Bononia, & aliæ, pro loco prædicti Concilii celebrandi. ac denique conventum celebrandum eſſe in Civitate Bononiæ, utpotè loco Græcis accomodo propter habilitatem navigationis eorundem, & propter aditum viciniorem ultramontanorum ad Italiam, atque loci capacitatem. Et nè eodem tempore duo celebrarentur Concilia œcumenica, ac ita utrumque minoris eſſet auctoritatis, viſum eſt Eugenio, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, diſſolvendum eſſe Concilium Baſileenſe, aliudque de novo indicendum Bononiæ, atque in Italia celebrandum: quo firmato, edita eſt ab eodem Pontifice conſtitutio pro antefati Concilii diſſolutione, quam Romæ & alibi publicari fecit, eratque tenoris ſequentis.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam, univerſis ſingulis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

445 „ Quoniam alto & incomprehenſi-„ bili Domino reddere conſtituimus vota no-„ ſtra in conſpectu omnis Populi, & in „ atriis ſanctis ejus, poſtquam Claves Domi-„ ni ſuſcepimus, & Beati Petri Naviculam „ gubernamus, ſuppreſſi magno pondere in-„ ter procellatos Mundi motus eſſe videmur „ conſtituti. Contuemur enim ſubortam iſta „ tempeſtate profanam hæreſim Boemorum, „ quaſi venenum inficere præcordia fidelium, „ inque dies mortali contagio ſerpere, taxa-„ reque animos titubantium populorum, & „ Græcorum errores, ad quorum extirpatio-„ nem ſalubribus experimentis providebatur, propter emergentia incommoda per-„ durare, hoſtes adorandæ Crucis ab Aſia „ & Africa inter Europam vaſta cæde atque „ calamitate invaleſcere contra Populum „ Chriſtianum, & per ipſos Principes, po-„ puloſque fidelium inter ſe concertantes de-„ ſævire, & Clerum in diverſis Mundi parti-„ bus reformatione plurima indigère.

446 „ His igitur profanis malis afflictati, „ clamare cogimur ad Dominum: *Excita po-„ tentiam tuam, & veni, ut ſalvos facias nos*. „ *Deus converte nos: oſtende faciem tuam & „ ſalvi erimus: Domine Deus virtutum con-„ verte nos*. His & aliis cogitationibus la-„ niantibus mentem noſtram, alta nos cura „ ſolicitat, quomodo tot malis obſtare, & „ Chriſtianæ ſaluti providère poſſimus. Et „ dum affectionem noſtram flagrantiſſimam „ attendimus, vehementiſſimè concitamur: „ Dum verò gerendarum rerum magnitudi-„ nem, loca & tempora menſuramus, ne-„ ceſſitatem conditionis humanæ recorda-„ mur, quoniam res tam arduas, tamque difficiles luſtrare brevi ſpatio non valemus; „ attento maximè, quòd dum fœlicis recor-„ dationis Martinus Papa V. prædeceſſor „ noſter, dilectum filium noſtrum Julianum „ S. Angeli Diaconum Cardinalem, pro ce-„ lebratione Baſileenſis Concilii ad ipſam „ Civitatem Baſileenſem deſtinaſſet, dum „ nulla adhùc ibi Congregatio Prælatorum „ facta foret, ipſe Cardinalis, nè interim „ tempus vacuum deduceret, versùs Bohe-„ miam ſe tranſtulit, ſicut habuerat in man-„ datis, ſicuti demùm facta occulto Dei ju-„ dicio Catholicorum fuga, præmiſſis ad „ ipſam Civitatem Baſileenſem dilectis filiis „ Joanne Polemar, Palatii Apoſtolici Cauſa-„ rum Auditore, & Joãne de Raguſio in Theo-„ logia Magiſtro, Ordinis Prædicatorum Pro-„ curatore, Cardinalis profectus ad ipſam „ Civitatem, requiſitiſque Prælatis partium „ diverſarum, parvaque ibidem Cleri Con-„ gregatione ſecuta, de conſenſu eorum, qui „ in dicta Civitate exiſtunt, dilectum filium „ Joannem Pulchripatris in Theologia Ma-„ giſtrum Canonicum Biſuntinum ad nos & „ dictos Fratres noſtros tranſmiſit, qui nobis „ inter cætera facundè & prudenter explica-„ vit, ſignificavitque deformationem Cleri „ in partibus illis, & nefandam ipſius hære-„ ſis peſtem pullulare in dies, & jam uſque ad „ partes Baſileæ proximas advenifſe, ſecutis „ inde ſcandalis, & cladibus abominandis: „ nam hæreſis prædictæ imitatores, Clerum „ inſequentes, aliquos turpiter expulerunt, „ & nonnullos inhumaniter trucidarunt. „ Addidit etiam diſcrimina Principatus guer-

ræ

„ ræ inter dilectos filios Nobiles Viros Phi-
„ lippum Burgundiæ, & Fridericum Auſtriæ
„ Duces, aliaſque difficultates, ex quibus
„ tamen novam Prælatorum vocationem ad
„ Baſileam affectare videbatur.

447 „ Nos quidem examinantes condi-
„ tionem Mundi, temporum, & locorum,
„ quòd inſtat tempus hiemis, quòdque loca
„ circumſtantia Baſileam, potiſſimùm versùs
„ Auſtriam & Burgundiam minus eſſe tran-
„ ſitu ſecura ferebantur, unde veriſimile fuit
„ Prælatos in Baſilea diutiùs expectatos non
„ veniſſe; qui etiam conſideratis difficultati-
„ bus, temporum ineptitudine, periculo
„ bellorum, non veniendi rationes allegare
„ poſſent; & ſi qui pauci veniſſent, tractan-
„ dis rebus multis & magnis non ſufficerent:
„ quòdque præteriit tempus ſeptennii, in
„ quo, ſecundùm ſtatuta Conſtantienſis Con-
„ cilii, ſine alia vocatione debebant congre-
„ gari; ſuper hæc omnia, quæ animo noſtro
„ verſabamus, quia propter certas conventio-
„ nes unionis, & reductionis Græcæ Orien-
„ talis Eccleſiæ in Romana & univerſali Ec-
„ cleſia initas & tractatas inter ipſum præ-
„ deceſſorem noſtrum, & Sanctæ Romanæ
„ Eccleſiæ Cardinales, de quorum numero
„ eramus, & Oratores in Chriſto Joannis
„ Palælogi Imperatoris Conſtantinopolitani
„ Illuſtris, & Venerabilis Fratris noſtri Jo-
„ ſeph apud Græcos Conſtantinopolitani Pa-
„ triarchæ, ipſi Imperator & Patriarcha his
„ diebus ſuos ad nos & præfatos Fratres no-
„ ſtros Oratores tranſmiſerunt, requirentes
„ ex tractatis eisdem pro unione & reductio-
„ ne prædictis, quòd ſicuti cùm prædeceſſore
„ noſtro, & Fratribus eisdem convenerant,
„ dignaremur exequi, & in loco eis apto
„ Generale Concilium facere convocari;
„ requirentes etiam præmiſſas expenſas, &
„ alia ibi ſecundùm dictas conventiones pro-
„ miſſa: unde nos & oblationes propter exe-
„ cutionem tanti boni, pro adventuris Præ-
„ latis, Oratoribus eorum ad Italiam, pro
„ manſione, & pro ſuo reditu ad Græciam,
„ pro Galeis & aliis nèceſſariis obtulimus
„ impenſas opportunas. Cum quibus Græ-
„ cis dum nominatæ fuiſſent, Roma, Anco-
„ na, & Bononia, & alia Italiæ loca, demum,
„ licèt Roma nobis & Fratribus noſtris com-
„ modior extitiſſet, in Bononiam putamus
„ aptiùs convenire, quæ propter habilita-
„ tem navigationis eorum, & propter aditum
„ viciniorem Ultramontanorum ad Italiam,
„ capacitatem loci, & alias conditiones,
„ idonea reputatur; quo præfati Patriarcha
„ & Imperator ſolennes ſuos Oratores ad nos
„ tranſmittere promiſerunt, ſicut ante noti-
„ tiam obitus præfati noſtri prædeceſſoris
„ tranſmittebant.

448 „ Conſiderantes itaque prædicta, &
„ quòd in tota Republica Chriſtianorum
„ nihil ſanctiùs, & optabiliùs eſſe poſſet,
„ quàm Græcam Eccleſiam, olim tot San-
„ ctis viris Eccleſiaſticis clariſſimis Illuſtrem,
„ dimiſſis erroribus, reductam videri ad ri-
„ tum Romanæ & Univerſalis Eccleſiæ; com-
„ prehendimus neceſſarium eſſe ad conve-
„ niens ſpatium temporis in Bononiam Ge-
„ nerale Concilium convocari. Nam ſi Præ-
„ lati Baſileam de novo vocarentur, qui con-
„ venire non poſſent ſine temporis interval-
„ lo, utrumque Concilium ferè uno tem-
„ pore concurreret, & ſi utrumque mino-
„ ris auctoritatis haberetur, nec Prælati
„ in utroque poſſent intereſſe, unde pro ipſo-
„ rum commoditate, nè bis habeant con-
„ venire, & cauſis ſuperius declaratis, & aliis
„ magnis & urgentibus ſuis loco & tempore
„ declarandis, majus bonum minori præ-
„ ponentes, nos de conſilio & aſſenſu Vene-
„ rabilium Fratrum noſtrorum Jordani Sabi-
„ nenſis, Antonii Oſtienſis, Hugonis Præ-
„ neſtinenſis Epiſcoporum, Joannis tituli
„ Sancti Laurentii in Lucina, Antonii San-
„ cti Marcelli, Joannis tituli Sancti Xiſti,
„ Franciſci tituli Sancti Clementis, Ange-
„ lotti tituli Sancti Marci Presbyterorum;
„ Luidi Sanctæ Mariæ in Coſmedin, & Ar-
„ decini tituli Sanctorum Coſmæ & Damia-
„ ni Diaconorum ejuſdem Sanctæ Roma-
„ næ Eccleſiæ Cardinalium, per literas no-
„ ſtras directas ipſi Cardinali S. Angeli Le-
„ gato, ut ſupra alias, Concilium, ſi quod in
„ Baſilea congregatum videretur, ex cauſis
„ prædictis diſſolvendum, & aliud, ut præ-
„ dicitur, in anno cum dimidio, à die publi-
„ cationis earundem literarum in præfata
„ Civitate Bononia celebrandum, indicen-
„ dum, & publicandum, & ſequens aliud
„ Concilium in decennio à die diſſolutionis
„ ipſius Baſileenſis Concilii, juxta Ordina-
„ tionem Conſtantienſis Synodi, in Civitate
„ Avenionenſi enuntiandum, & ſtatuendum
„ decrevimus.

449 „ Et quia poſt tranſmiſſionem præ-
„ fatarum noſtrarum literarum ad notitiam
„ noſtram pervenit, ultra ea, quæ ſuperius
„ continentur, præfatos Bohemos hæreticos
„ in Conſtantienſi Concilio tàm maturè, at-
„ que ſolemniter condemnatos, & in Senenſi
„ Concilio, ac per diverſos proceſſus Sedis
„ Apoſtolicæ, & Legatorum ejus ſubſequen-
„ ter aggravatos, & reaggravatos, cum in-
„ vocatione etiam auxilii brachii ſæcularis,
„ & publici belli indictione multiplici,
„ quouſque toti Orbi pluſquam notiſſimum
„ eſt, Catholcæ Fidei eſſe notorios hoſtes, &
„ perfidos inimicos armatos, hæreſes perti-
„ naciſſimè & inflexibiliter defendentes, fuiſ-
„ ſe invitatos Baſileam ad diſputandum, &
„ contendendum ſuper Articulis in præfatis
„ Conciliis Generalibus, & per proceſſus
„ Apoſtolicos, tam ſolemniter ut præfertur,
„ condemnatos, in injuriam auctoritatis
„ Apoſtolicæ, Sacrorumque Conciliorum præ-
di-

Digitized by Google

„ dictorum contra Decreta Sanctorum Patrum, & ſtatuta legum Imperialium, Civilibus audientiam expreſsè denegantium, & alia diverſa ſcandala, & pericula imminere, ut eò citius ad terminum currant, & veniant ipſorum Conciliorum, quo citiùs præmiſſa fuerint publicata; Ex nunc, tenore præſentium, de ipſorum noſtrorum Fratrum Cardinalium conſilio & aſſenſu, Concilium, ſi quod (ut præmittitur) Baſileæ congregatum videatur, de Apoſtolicæ poteſtatis noſtræ plenitudine, diſſolvimus, & totaliter liberamus, aliudque Concilium in anno cum dimidio, à die datæ præſentium computando, in præſata Civitate Bononienſi, quam ad hoc cognovimus aptam quamplurimùm, ut præfertur, indicimus, publicamus, & tenòre præſentium declaramus: in quo cum præſatis Fratribus noſtris, dante Domino, intendimus intereſſe, & perſonaliter præſidère.

450 „ Et nihilominus in decennio aliud ſimile Concilium, juxta ſtatuta Conſtantienſis Synodi, de eorundem Ftatrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, in Civitate Avenionenſi ſimiliter ex tunc indicimus, publicamus & declaramus in nomine Jeſu Chriſti Filii Dei, cujus pretioſiſſimo Sanguine ſalvati ſumus, & qnomodo populi ſalutem totis affectibus aſpiramus, vobis univerſis & ſingulis Patriarchis, & Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, & Clericis, quorum intereſt, ubicumque conſtitutis, diſſolutiones, & indictiones hujuſmodi notificamus, voſque & Veſtrum quemlibet requirimus & monemus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, & in vim juramenti præſtiti in conſecrationibus veſtris, & in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac etiam Apoſtolica auctoritate noſtra vobis præcipimus & mandamus ſub pœna excommunicationis, & aliis pœnis juris, quatenus anno uno cum dimidio à datis præſentium (ut præmittitur) computando ad præfatam Civitatem Bononienſem pro hoc ſacroſancto Concilio celebrando, & ſubſequenter in decennio prædicto in Civitate Avenionien. debeatis perſonaliter convenire: quos omnes præſentis ſcripti inſtantia atque Decreto intendimus eſſe monitos, peremptorièque citatos, ac ſi Veſtrum ſingulis directæ fuiſſent noſtræ monitoriæ literæ ſpeciales. Nulli ergò hominum liceat &c. noſtræ diſſolutionis, liberationis, & citationis infringere &c. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum* xv. *Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno primo*. Voluit inſuper Eugenius eodem tempore ſpecialibus literis certiorem reddere ipſum Sigiſmundum Romanorum Regem, de præfati Baſileenſis Concilii diſſolutione, & indictione alterius Concilii Bononiæ celebrandum, ſcribens ad hunc modum.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Chariſſimo in Chriſto Filio Sigiſmundo Romanorum, Ungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

451 „ Cùm Paſtorali officio, cui, diſponente Domino, præſidemus, & Sedis Apoſtolicæ auctoritati nihil magis convenire putaremus, quàm tota mente incumbere, & efficaciter proſequi, ut perſonæ Eccleſiaſticæ per ſemitam Jeſu Chriſti incedentes, abjectis illecebis, cum ſinceritate Religionis & fidei vitam honeſtam ducerent, & Deo, prout profeſſi ſunt, ſeipſos veris affectibus dedicarent; dilecto filio noſtro Juliano Sancti Angeli Diacono Cardinali, Sedis Apoſtolicæ Legato, de Venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio, per noſtras certi tenoris literas dedimus in mandatis, ut ad Civitatem Baſileenſem accederet, & ibidem, ſi Prælatorum congregatio facta eſſet, noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine, præſideret, & quantùm in eo eſſet, reformationem Cleri, hæreſum extirpationem, ac pacem, & ſalutem fidelium procuraret. Verùm, licèt in propoſito conſtantes ſimus, & putemus, Concilii celebrationem neceſſariam eſſe, tamen certis rationabilibus cauſis inducti in ſchedula præſentibus interclusa denotatis, de eorumdem fratrum conſilio hujuſmodi Concilium, ſi quod congregatum eſſe videatur, diſſolvendum eſſe mandavimus, & juxta tenorem dictæ ſchedulæ diſſolvimus, & in Civitate noſtra Bononienſi uſque ad annum cum dimidio à die diſſolntionis hujuſmodi computandum, celebrandum eſſe decrevimus.

452 „ Quæ tibi præcipuè ſignlficare voluimus, quia ante omnes Principes fidei defenſores, & fidelium pacem, ac ſtatum Eccleſiæ, & conſervationem auctoritatis noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ procurare debes; Serenitatem tuam rogantes, ut ſi pro ardore tuæ Regiæ devotionis, & pro tua ſapientia, aliqua eccitamenta excogitaſti, & interea etiam excogitaturus es, ad pacem fidelium & Chriſtianæ Religouisi, ſtatum & honorem Eccleſiæ pertinentia, ea ſuo tempore per tuos Oratores exponere placeat. Et quia inter cætera in dicto Concilio agitanda, Græcorum reductio tractanda eſt, precamur ex corde clementiam, & Serenitatem tuam, ut Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Joannem Romæorum Imperatorem Illuſtrem, & Venerabilem fratrem Joſeph à Græcis Patriarcham Conſtantinopolitanum nuncupatum, per literas, & Oratores tuos incitsre velis, ut quemadmodùm ſuis literis, & Nunciis nobis promiſerunt, Oratores ſuos cum plena poteſtate ad Cōcilium hujuſmodi tranſmit-

„ mittant, ſuper quibus, & certis aliis ar-
„ dua noſtræ Romanæ Eccleſiæ negotia con-
„ cernentibus, ad Sublimitatem tuam ſolem-
„ nem ambaſſiatam deſtinavimus, quæ de
„ omnibus, præſertim de ardenti deſiderio
„ noſtro circa fidelium pacem procurandam,
„ eandem tuam Sublimitatem noſtro nomine
„ certiùs & particulariùs informabit. Quod
„ autem ad nos attinet, fili chariſſime, ità
„ noſtras cogitationes, noſtroſque conatus
„ in hoc ſanctiſſimum opus, Deo auctore,
„ perſonaliter conferemus, ut nihil in noſtro
„ Pontificatu huic Dei cauſæ præpoſuiſſe vi-
„ deamur. *Datum Romæ apud S. Petrum,*
„ *Anno Incarnat. Dominicæ MCCCCXXXI.*
„ *decimo quinto Kal. Januarii Pontific. noſtri*
„ *Anno I.*

453 Deinde aliam Conſtitutionem revocatoriam præſati Concilii Baſileenſis, quæ incipit: *Poſtquam Divina Clementia*, ſub datis pridie Idus Februarii, ejuſdem anni, & cui ſubſcripſerunt Domini Cardinales tunc in Curia Romana commorantes, ejuſdem ferè tenoris cum ſuprarecitata, & data univerſis Chriſtifidelibus, paucis mutatis verbis, direxit Eugenius Cardinali Juliano Apoſtolicæ Sedis Legato, tunc Baſileæ commoranti. Sed ille, antequam hujuſmodi literæ ad manus devenerint, ex notitia habita, per ſuprafatam generalem illam Conſtitutionem, Romæ die XVIII. menſis Decembris publicata, indeque ſubſequenter in aliis quoque Orbis partibus, quòd Pontifex Baſileenſe Concilium diſſoluiſſet, aliudque Bononiæ ſub ejuſdem Pontificis præſidentia celebrandum indixiſſet, ægrè ferens, cooperante generis humani hoſte, parere haud voluit. Hinc non obſtante præfata diſſolutione, ad ulteriora progredi eſt aggreſſus. Et de menſe Februarii, die nimirum XV. ejuſdem ſecundam ſeſſionem celebrandam juſſit.

454 In ea ergo ſeſſione primò decretum eſt, quòd Concilium Baſileenſe erat legitimè congregatum. Subſequenter renovatum eſt Decretum ſeſſionis 3. Concilii Conſtantienſis de auctoritate Concilii generalis ſupra Papam, his verbis conceptum: „ Primò de-
„ clarat, quòd ipſa Synodus in Spiritu San-
„ cto legitimè congregata, generale Conci-
„ lium faciens, & Eccleſiam militantem re-
„ præſentans, poteſtatem immediatè à Chri-
„ ſto habet, cui quilibet cujuſcumque ſta-
„ tus & dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat,
„ obedire tenetur in his, quæ pertinent ad
„ Fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis,
„ & ad generalem reformationem Eccleſiæ
„ Dei in capite, & in membris. *Hactenus Decretum*, cui ſubjectum eſt alterum Decretum punitivum contra inobedientes, & quòd Papa non poſſit diſſolvere Concilium: „ Præ-
„ libata Synodus Baſileenſis, *ait Decretum*,
„ decernit & declarat, quòd ipſa pro hære-
„ ſum extirpatione, ac morum generali re-
„ formatione Eccleſiæ in capite, & in mem-
„ bris, necnon pace inter Chriſtianos Prin-
„ cipes procuranda, ut præmittitur, in Spi-
„ ritu Sancto legitimè congregata, per nul-
„ lum quavis auctoritate, etiamſi Papali di-
„ gnitate præfulgeat diſſolvi, aut ad alium
„ locum transferri, ſeu ad aliud locum pro-
„ rogari debuit, aut potuit, debet, aut po-
„ teſt, debebit, aut poterit infuturum, abſ-
„ que ejuſdem Synodi Baſileenſis delibera-
„ tione & aſſenſu. *Hactenus Decreti verba*. Quod enim in Concilio Conſtantienſi tempore ſchiſmatis, & incerti Pontificis deciſum fuit, Cardinalis Julianus cogitavit extendere etiam extra caſum ſchiſmatis, & ſub Pontifice certo. In eadem denique ſeſſione proviſum eſt, quòd Perſonæ Concilii non debeant extra Concilium trahi, vel impediri, à quavis perſona, etiam dignitate Papali fulgente: „ Si autem à quoquam quavis au-
„ ctoritate, etiamſi Papali dignitate præful-
„ geat, ut præmittitur, in contrarium at-
„ tentatum fuerit, ſeu attentaretur in futu-
„ rum, aut proceſſus pœnales, vel mandata,
„ etiam cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu transla-
„ tiones Prælatorum invitorum, vel priva-
„ tiones, aut inhabilitationes eorumdem, ſeu
„ aliorum beneficiorum quorumcumq; aliaſ-
„ que quaſcumque pœnas continentes, ut
„ ab eadem ſancta Synodo recedat &c. caſ-
„ ſat, & irritat, & annullat, & pro caſſis, ir-
„ ritis, atque nullis habendos decernit, dif-
„ finit, ordinat, & declarat. *Hactenus ibi*.

455 Receptis porrò literis diſſolutionis Concilii ſibi ab Eugenio directis, majori iracundia percitus Julianus, & qui ex parte ejus erant, tertiam indixit ſeſſionem, quæ celebrata fuit die XXIX. menſis Aprilis, in qua declarat miſſos fuiſſe Oratores ad Eugenium, & ad Dominos Cardinales, ad effectum inducendi Pontificem ad revocandam præfatam diſſolutionem: Quare præmiſſis multis ſuper legitima Concilii Baſileenſis convocatione in primo ejuſdem ſeſſionis Decreto, ſubjungitur: „ Cùm autem ad notitiam ip-
„ ſius Concilii perveniſſet, præfatum Domi-
„ num Papam ex ſiniſtra informatione mo-
„ tum, diſſolutionem ipſius Concilii atten-
„ taſſe, quæ quidem diſſolutio in periculum
„ everſionis Fidei cederet evidenter, necnon
„ Eccleſiæ Dei grave ſcandalum, ad eundem
„ Dominum Papam, atque Reverendiſſimos
„ Dominos Cardinales, ſuos deſtinavit pro-
„ tinùs Oratores, Reverendum Patrem Do-
„ minum Ludovicum de Palude Epiſcopum
„ Lauſannenſem, & Magiſtrum Henricum
„ Stater Decanum Trajectenſem, ad ſuppli-
„ candum, inſtandum, & requirendum præ-
„ fatum Dominum Papam, ut ipſam diſſo-
„ lutionem revocare dignaretur, huicque ſa-
„ cro Concilio in tam laudabilibus operibus
„ ſuffragaretur auxiliis, & conſiliis oppor-

tunis. *Hactenus Decretum*, in quo etiam mentio fit, & de duobus aliis Oratoribus pariter miſſis, ficut & de miſſione Joannis Pulchripatris, cujus meminit Eugenius in literis diſſolutionis Concilii ſupra recenſitis; ſubnectitur poſteà, nullum receptum à Pontifice reſponſum, ac proinde decernitur iterùm interpellandum, aſſignato termino ad revocandam præfatam diſſolutionem, & comminatis pœnis.

456 „ Hæc igitur ſancta Synodus, *dicitur ibi*, in Spiritu Sancto legitimè congre„ gata, prædictum Beatiſſimum Dominum „ Papam Eugenium cum omni reverentia, & „ inſtantia ſupplicat, & per viſcera miſeri„ cordiæ Jeſu Chriſti exorat, requirit, & „ obteſtatur, ac monet, quatenus prætenſam „ diſſolutionem, ſicut de facto proceſſit, de „ facto revocet, & ipſam revocationem, „ quemadmodum & diſſolutionem fecit, per „ diverſas Mundi partes tranſmittat & pu„ blicet, ab omnique impedimento dicti „ Concilii penitùs deſiſtat. Quinimmò ci„ dem, ut debet, faveat & aſſiſtat, omnique „ præbeat ſubſidia, & auxilia opportuna, „ necnon infra trium menſium ſpatium, quod „ ad hoc pro termino peremptorio præfigit, „ & aſſignat, ſi corporalis ipſius diſpoſitio „ patiatur, perſonaliter veniat. Sin autem, „ perſonam, vel perſonas loco & vice ſui de„ ſtinet, & tranſmittat cum plenaria pote„ ſtate, ad omnia & ſingula in hoc Concilio „ peragenda uſque ad totalem ipſius conclu„ ſionem per omnes & ſingulos actus grada„ tim & ſucceſſivè. Alioquin ſi hæc Sanctitas „ ſua facere neglexerit (quod de Chriſti Vi„ cario non eſt aliqualiter ſperandum) ſan„ cta Synodus, prout juſtum fuerit, & Spi„ ritus Sanctus dictaverit, neceſſitatibus Ec„ cleſiæ providere curabit, & procedet ſe„ cundùm quod juris fuerit divini, & huma„ ni. *Hæc, & alia ibi*, ubi etiam præcipitur omnibus cujuſcumque dignitatis ſint, quatenus requiſiti, præfatum Decretum Domino Papæ, ac Dominis Cardinalibus inſinuent, ac intiment, & ejus exemplaria per publicum Notarium confecta affigantur in porta Palatii Apoſtolici, & in Eccleſia Sancti Joannis Lateranenſis, Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, vel in principalibus Eccleſiis Civitatum Sutrinæ, Viterbii, & Senenſis.

457 His peractis in Univerſum Pontificiam auctoritatem parvipendentes, proceſſerunt qui Baſileæ congregati erant, ad alias celebrandas ſeſſiones: quare XII. Kal. Julii, die nimirum XX. menſis Junii celebrata eſt ſeſſio IV. in qua primùm data eſt Bohemis, & omnibus ad Concilium acceſſuris publica Fides, & conceſſa libera in cauſa fidei, & ſuper ejus articulis diſputandi facultas: „ Cæte„ rùm, inquiunt, *in Decreto pro ſalvo Con*„ *ductu*, in Generali Concilio, ſeu Synodo „ Baſileenſi articulos quatuor, pro quorum „ claritate inſtant, oretenùs, aut in ſcriptis „ liberè poterunt offerre, aut propalare, Scri„ pturis Sacris, Beatorumque Doctorum ver„ bis, ſententiis & rationibus eos declarare, „ adſtruere, perſuadere, & ſi opus fuerit, „ etiam ad objecta Concilii Generalis reſ„ pondere, aut cum aliquo, vel aliquibus de „ Concilio ſuper eiſdem diſputare. *Hæc ibi*. Ante hoc Decretum pariter fuiſſe ad diſputandum invitatos, innuit Eugenius in ſuperiùs recitata Epiſtola diſſolutionis Concilii, data univerſis Chriſtifidelibus, & unam fuiſſe ex cauſis diſſolvendi Concilium tradit, cùm præfata diſputandi facultas de rebus fidei jam definitis cedat in injuriam, ut ait, auctoritatis Apoſtolicæ, & ſacrorum Conciliorum. Et ſanè S. Leo Magnus in Epiſtola 50. data ad Marcianum Auguſtum, in cauſa congregandi Concilium, inter alia admonet, quòd ſemel definita in controverſiam revocari non debeant: „ Compreſſa enim, „ *inquit*, vel remotâ inquietudine ac pravi„ tate paucorum, facilè firmabitur proban„ da concordia: ſi in eam fidem, quam Evan„ gelicis & Apoſtolicis prædicationibus de„ claratam, per antiquos Patres noſtros ac„ cepimus, & tenemus, omnium corda con„ currant, nulla penitùs diſputatione cujus„ quam retractationis admiſſa, nè per va„ nam, fallacemque verſutiam, aut infirma „ videantur, aut dubia, quæ in ipſo angu„ lari lapide Chriſto fundata ſunt, & ſine „ fine manſura, hoc nobis indeſinenter oran„ tibus, ut à Sacramento ſingularis fidei ne„ mo inveniatur alienus, ſed damnata impie„ tate hæreſeos, nullum de perditione cujuſ„ cumque catholica Eccleſia ſentiat detri„ mentum. *Hæc S. Leo Magnus*. Et Pelagius Papa hujus nominis II. in Epiſtola 2. data ad Eliam Aquilejenſem, ex teſtimonio ejuſdem S.Leonis Papæ, idem tradit, inquiens: *Nec enim ad aliquam diſceptionem plenè definita revocanda ſunt, nè ad arbitrium damnatorum ipſi de his videamur ambigere, quæ manifeſtum eſt per omnia Propheticis & Evangelicis atque Apoſtolicis auctoritatibus conſonare*.

458 Porrò in eadem ſeſſione datæ ſunt literæ ad eoſdem Bohemos, incipientes: *Pridie Oratores noſtri*, quibus ad Concilium, blanditiis, & hortationibus trahere, ſive adducere conati ſunt. Inde ſancitum fuit, ut ſi durante Concilio contingeret Apoſtolicam Sedem vacare, electio Summi Pontificis nonniſi in ipſo Concilio celebraretur, decretis pœnis adversùs Dominos Cardinales aliter attentantes: ac inſuper adempta fuit eidem Romano Pontifici poteſtas creandi novos Cardinales, necnon & jam creatos à Concilio retrahendi: In hoc ducti ambitione quorundam Cardinalium in eo Concilio exiſtentium, qui Pontificiam dignitatem ambiebant.

bant. Soluti item ſunt Conciliari Decreto ab omni promiſſione, & obligatione etiam juramento firmata, omnes Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Prælati, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Vicarii Eccleſiæ Romanæ, Vaſſalli, Communitates, Romanæ Curiæ Officiales, Summi Pontificis familiares, & quicumque alii, cujuſcumque conditionis exiſterent, qui promiſerunt, ſive ſe obligarunt, aut jurarunt, ſe non acceſſuros ad Concilium; omnes quoque excommunicationes, ſuſpenſiones, & cenſuras latas à Romano Pontifice contra accedentes, eodem Decreto Patres Baſileenſes, irritas, caſſas, & nullas declararunt. Denique commiſſum eſt regimen Civitatis Avenonienſis, & Comitatus Venayſini Cardinali Sancti Euſtachii.

459 Altera poſtea habita eſt ſeſſio die IX. menſis Auguſti in vigilia S. Laurentii Martyris, in qua conſtituti ſunt Fidei Procurator, & Judices ad examinandum cauſas generaliter, exceptis cauſis fidei, hac adjecta limitatione, nè judicium cujuſvis cauſæ ultra trimeſtre extrahatur. Deputati pariter ſunt prædictarum cauſarum Præcognitores: Item & Notarii ad conſcribendum acta Concilii; Auditor quoque ordinarius Cameræ, & Soldanus Civitatis Baſileenſis cum poteſtate, quam habere conſueverat Soldanus Romanæ Curiæ.

460 Ad hos itaque præcipites Baſileenſium motus comprimendos, Eugenius Papa alium Legatum ad eos miſit Andream de Petra Archiepiſcopum Coloſſenſem, qui in Generali Congregatione ſub die XXII. Auguſti ejuſdem Anni MCCCCXXXII. habita oratione, quæ incipit: *Maximam mihi dicendi fiduciam præſtat*, eos pro poſſe conatus eſt ab inceptis retrahere, ad pacem & concordiam traducere, & ad obedientiam Romani Pontificis revocare. In ea primum finem adunati Concilii exponit, nimirum, *ut ſævientes hæreſes extinguantur; Eccleſiaſtica jura & Ceremoniæ repetantur; Chriſtiani fines paci reſtituantur*. Indeque generaliter oſtendit, vitandum eſſe ſchiſma in corpore Eccleſiæ, uſus Apoſtoli verbis in priori ad Corinthios cap. 12. *Obſecro vos Fratres, per nomen Domini Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia*. Progreditur inde oſtendere mala ab Apoſtolo enumerata cap. 5. in Epiſtola ad Galatas, ſchiſma fovere: „ Ex ipſo enim, *inquit*, tan-
„ quam ex fonte quodam iniquitatis, omnes
„ illæ ſuperiores animi indignationes facilè
„ fluunt, ſchiſmaticus enim abſque diſcor-
„ dia eſſe non poteſt, cùm ſe meliora, & ſan-
„ ctiora dicere & profiteri glorietur. Con-
„ tentiones etiam in ipſo ſchiſmate nutriri
„ neceſſe eſt, cum ea, quæ pravè ſchiſmati-
„ ci ſenſerunt, improba temeritate defenſent.
„ Rixæ ſchiſmatico minimè deſunt; eſt enim
„ ad contradicendum ſemper paratus, nè
„ minus rectè feciſſe judicetur. Seditiones
„ populi Chriſtiani ex ipſo ſchiſmate maxi-
„ mè accidunt. Scinditur enim in adverſa
„ ſtudia vulgus & populus velut Greges
„ poſt terga Paſtorum ſequitur, & quia ra-
„ tione vulgus conſtare non poteſt, quod
„ pravè ſemel acceperat, id ferro & ſangui-
„ ne probare molitur, unde & bella publica
„ ſurgunt. Quod ſi paulò longius ſchiſma
„ perſtiterit, hæreſim parit: confingit enim
„ aliquam ſibi hæreſim ſchiſmaticus, ut re-
„ ctè ab Eccleſia ſe receſſiſſe videatur, ſicut
„ B. Hieronymus dixit. Cùmq; ex contemptu
„ illius, qui auctoritatem & locum myſtici
„ capitis tenet, hoc deteſtabile malum profi-
„ ciſci videatur; idcircò ſchiſmaticus Ec-
„ cleſiaſticum ordinem non mediocriter tur-
„ bat: & quia reliquorum membrorum com-
„ munionem reſpuit, Spiritum Dei non ha-
„ bet, ſicut Pelagius Papa teſtatur diſt. 24.
„ quæſt. 1. *Et poſt pauca ſubnectit*: non ſit
„ ſchiſma in corpore, Patres, ſi cupitis hæ-
„ reſum zizania extirpare, non ſit ſchiſma
„ in corpore: ſi quæritis vitam Eccleſiaſti-
„ cam reformare, non ſit ſchiſma in corpo-
„ re, ſi deſideratis inſenſos animos Princi-
„ pum mitigare.

461 Deinde poſt multa oſtendit duo potiſſima in materia fidei in Generali Concilio fuiſſe pertractanda, unum pro extirpanda Huſſitarum lue peſtifera, alterum pro unienda Græcorum Eccleſia, tot annis diſſita, corpori Sanctæ Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ: utrumque fruſtrà deſiderari probat, ſi ſit ſchiſma in corpore, ſi Concilium Romano Pontifici obtemperare renuat, ſi à myſtico Eccleſiæ Capite ſe dividat: unde per id, quod ſpectat ad Græcorū unionē hæc ait: „ Græ-
„ ci ad unionem Eccleſiæ venire contendunt,
„ non eo pacto, quo quidam eos fallendi
„ gratiâ dicunt accedere, ſed apertè & abſ-
„ que aliqua ſimulatione. Pontifex ſiquidem
„ Maximus Martinus fælicis memoriæ Papa
„ Quintus ſic ſua ſapientia atque humanitate
„ Græcos ad opus unionis attraxit, ut de
„ tanta opinionum & poſtulationum diver-
„ ſitate ad unam & ſolam differentiam con-
„ ceſſerint, quis ſcilicet locus ille ſit, qui
„ pro convocanda Synodo utrinsque generis
„ Patres aptè ſuſcipere poſſet. Habeo hujus
„ rei teſtes graviſſimos, qui huic veſtræ cla-
„ riſſimæ ſpectationi adſunt, & quæ dico in
„ præſenti audiunt: nè audita, vobis Patres
„ pronuntio, ſed quæ vidi, & quæ præce-
„ pto ejuſdem Præſulis ipſe contrectavi, &
„ publica ſtipulatione concluſeram. Quo-
„ rum Græcorum propoſitum & tu, Eugeni
„ Papa Sanctiſſime, pro tua Religione exi-
„ mia & animi amplitudine, nuper ampliora
„ & certiora teipſis facturum ſpopondendo

Digitized by Google

„ confirmaſti: ne credi poteſt, ut Chriſtia-
„ norum quiſpiam his tuia ſanctiſſimis deſi-
„ deriis, atque conatibus contraire poſ-
„ ſet.

462 Ad hoc enim opus tam ſalutiferum
„ nemo Chriſtianorum quidquam ſuorum
„ excipere debet. Non enim parùm fructua
„ habet ad Fidei Catholicæ incrementum
„ Græcorum converſio. Illa ſiquidem Con-
„ ſtantinopolitana Sedes habet in Aſia, Afri-
„ ca, & Europa vaſtiſſimas Provincias atque
„ ampliſſima Regna, plurima genera homi-
„ num linguis & moribus longè diſparia,
„ qui omnes ad Fidei catholicæ obedien-
„ tiam, atque Religionem convolarent, ſi
„ Præſul Conſtantinopolitanus, ut quon-
„ dam facere ſolebat, honorem & debita ju-
„ ra Romano Pontifici redderet. Illum au-
„ tem, Patres optimi, facilè fiet, ſi non ſit
„ ſchiſma in corpore. In novam enim Eccle-
„ ſiæ ſciſſuram dilabi, & inveteratos ſchiſ-
„ maticos ad unionem Eccleſiæ reducere
„ velle, illud, quo pacto fieri poſſit, non ſatis
„ intelligo. Quomodo enim Græcus tantùm
„ in hoc noſtro Eccleſiaſtico corpore diſſi-
„ dium audiens, eidem ſe conjungere vel-
„ let? Aut cum Romanum Pontificem tàm
„ facilè à ſuis contemni viderit, eidem ho-
„ nores debitos reddat? Nonnè ridebit? Non-
„ nè utroſque leves, & longè à chriſtiana cha-
„ ritate ſejunctos judicabit? Nonnè poſtu-
„ lanti, ut ad gremium Eccleſiæ redeat, mox
„ Evangelicam reſpondebit ſententiam? *Fra-*
„ *ter, vade, erue prius trabem de oculo tuo,*
„ *& tunc videbis eruere feſtucam de oculo fra-*
„ *tris tui*. Cùm ſuperiori tempore nullus in-
„ dubitatus Pontifex haberetur, neminem
„ Græcorum aliquis audivit, qui de unione
„ Eccleſiæ tractaret; at ubi omnium diſſi-
„ dentium vota ad unum Paſtorem convene-
„ rant, mox Legati Græcorum Pontificem
„ adierunt, & coram glorioſiſſimo ac invi-
„ ctiſſimo Romanorum Rege Domino Sigiſ-
„ mundo sẽper Auguſto, pro unionis negotio
„ Imperatoris, & Patriarchæ Cõſtantinopoli-
„ tani voluntatem, & vota triginta ſex arti-
„ culis patefecerunt. Scio, quòd verum lo-
„ quor, & quòd hæ manus literas illas obſi-
„ gnatas explicuerunt, & quæ illic contine-
„ bantur ex Græcis, latina fèceram.

463 „ Unde cùm honeſtiſſimæ Græco-
„ rum petitiones Principibus noſtræ Reli-
„ gionis viſæ fuerant, mox Dominus Joan-
„ nes Epiſcopus Cardinalis tituli *S. Sixti*,
„ vir omnium ſuæ ætatis Religione, & ſa-
„ pientia ſpectatiſſimus, Legatus in Græ-
„ ciam declaratus eſt: quem illùc perpetran-
„ tem, ſi mors è medio non ſuſtuliſſet, plu-
„ rimi nunc populi, ac nationes ritu & Re-
„ ligione eſſent vobis ſimillimi, quorum
„ nullua in præſentiarum habetis. Nec certè
„ credendum eſt, Græcos ab illa honeſta pe-
„ titione receſſiſſe. Eadem eſt Gentis illius
„ ad reconciliationis opus intentio, idem
„ omninò deſiderium, eadem poſtulatio; niſi
„ quòd filiua, qui nuper Imperio ſucceſſit,
„ ad unionis negotium longè ardentior ſit,
„ quàm nunquam fuerit Pater: quo fit, ut
„ ad reconciliandam gentem illam catholicæ
„ Fidei, via paratior modò ſit. Quòd ſi locua
„ aliquis ad convocandum utramque gentem
„ opportunus daretur, videretis, Patres Re-
„ verendiſſimi, plurima de Græcis facta fuiſ-
„ ſe judicia, quæ omninò ſtare non poſſent.
„ Hos igitur fructus uberrimos de Græcis
„ vos, Patres præſtantiſſimi, referetis, ſi non
„ ſit ſchiſma in corpore.

464 Ad hæc verò addit, probatque, nec Huſſitas hæreticos revocari poſſe ad græmiũ Eccleſiæ catholicæ, ſi ſit ſchiſma in corpore:
„ Nam, *inquit*, totum Huſſitarum ſtudium
„ in eo poſitum eſt, ut Clericorum inſolen-
„ tias, voluptates, avaritiam, ſuperbiam,
„ atque ambitionem, quibus hunc veſtrum
„ ſtatum Eccleſiaſticum, & amplitudinem
„ deiiciant, atque proſternant, vulgo con-
„ tinuò prædicent: Illud autem quantùm
„ quibusdam maximis viris placeat, & po-
„ pulis rationi conſentaneum videatur, aper-
„ tè oſtenderem, ſi hæc omnia vobis clariùs
„ non paterent. Igitur, qui cupit Huſſitas ad
„ unionem Eccleſiaſticam revocare, illud
„ priùs efficere ſtudeat, ut novella zizania
„ evellantur, ut nulla mentis affectio, nulla
„ in rebus gerendis perturbatio, ſed timor
„ Dei, charitas proximi, zelus Eccleſiaſti-
„ cæ pacis, opera veſtra proficiat. Illud
„ etiam ſummo ſtudio agendum eſt, ut de-
„ bitus honor, ac reverentia Pontifici Ma-
„ ximo, quem unicum loco Dei in terris
„ ſuſcepimus, tribuatur. *Hæc Andreas de Petra*, qui pariter demonſtrat, nec chriſtianorum, vel Eccleſiaſticorum mores in eo poſſe reformari Concilio, in quo ſit ſciſſura in corpore, multoque minus ad concordiam diſſidentes Chriſtianos Principes revocari, ſi ipſi in corpore Eccleſiæ diſſidium ingenerant. Aliam inſuper Orationem eodem tempore pro Eugenio Papa ad eoſdem Baſileenſes Patres habuit Joannes Archiepiſcopus Tarentinus, quæ extat in Appendice prima Actorum Concilii Baſileenſis apud Labæum tom. 12. pag. 884.

465 Cæterùm Baſileenſes obturaverunt aures ſuas, & in priori ſententia perſiſtentes, ſextam ſeſſionem habuere voluerunt die VI. Septembris, conſidentibus in ea cum Cardinali Juliano præſidente, Dominis Branda Cardinali Placentino, Dominico Capranica, ac triginta duobus Prælatis; prout tradunt acta: ac in ea ſeſſione Concilii Promotores Magiſter Nicolaus Amici, & Hugo Barardi Eugenii IV. contumaciam accuſarunt, quòd prætenſam Concilii diſſolutionem non revocaſſet, citatus inſuper nec per ſe, nec per ſuos Legatos comparuiſſet. Cui inſtantiæ reſti-

te-

Digitized by Google

terunt Tarentinus, & Coloſſenſis Archiepiſcopi, Epiſcopus Magolonenſis, & Antonius de Sancto Vito, excipientes Judicis incompetentiam, ac illiùs Judicii nullitatem proteſtantes, Etiam ab iisdem Promotoribus Dominorum Cardinalium contumacia fuit accuſata; ſed juſta illorum abſentiæ cauſa fuit allegata. Quare interpoſito Decreto cauſæ inquiſitio Dominis Friſigenſi, & Bellicenſi Epiſcopis demandata fuit.

466 Porrò VIII. Idus Novembris, die ſcilicet VI. ejuſdem menſis celebrata eſt ſeſſio VII. In qua primùm prorogatum eſt tempus ingrediendi Conclave, ac deveniendi, in caſu vacantiæ, ad electionem Summi Pontificis, ad dies ſexaginta computandos à die vacantiæ. Poſtea aliud Decretum editum fuit, quo prohibetur Papæ, nè ullo pacto de beneficiis Cardinalium diſponat.

467 Congregati iterū Patres die XVIII. menſis Decembris, celebrata eſt ſeſſio VIII. In qua cùm Eugenius Papa IV. Decreto habito in III. ſeſſione, minimè paruiſſet, ſub obteſtatione Divini judicii, & per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti ſecundò monitus eſt, ut infra dies ſexaginta prætenſam diſſolutionem & convocationem Congregationis ſub nomine Concilii Generalis publicè revocet, Concilio adſiſtat, & reliqua prioris Decreti impleat. Quòd ſi ſecus fecerit, decernitur, ut ſine ulteriore citatione contra eum procedatur: Inſuper & omnes ejuſdem promotiones & ordinationes Eccleſiaſticæ à tempore contemptæ paritationis factæ caſſentur. Cardinales ſub pœna amiſſionis omnium beneficiorum citantur ad Concilium, mādaturq; eis, ut à Curia Romana recedant, ſancitum pariter eſt, unicum eſſe Concilium Generale, & hoc Baſileenſe: Congregationes autem alias dicendas potiùs Conventicula ſchiſmaticorum, quàm nomen Concilii mereantur. Item Bononiam adeuntes quaſi ad Concilium Generale, excommunicantur, Eccleſiaſtici etiam propriis beneficiis ipſo facto privantur: ſtatutum quoque eſt, ne beneficia eorum, qui Concilio interſunt, per Pontificem conferri poſſint. Ac denique eidem Pontifici interdicitur poteſtas imponendi novas Gabellas in Terris Eccleſiæ Romanæ, necnon alienandi, ſeù infeudandi, vel quovis modo diſtrahendi ejuſdem Romanæ Eccleſiæ bona.

468 Ineunte Anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXXXIII. die XXII. Januarii habita eſt ſeſſio IX. in qua in protectorem Concilii receptus eſt Sigiſmundus Imperator, ac omnes Eugenii proceſſus contra præfatum Sigiſmundum, Wilielmum Bavariæ Ducem, aliosque Concilio Baſileenſi adhærentes, caſſantur, & annullantur.

469 Die verò XIX. Februarii ejuſdem anni ampliatum eſt primùm Decretum ſeſſionis V. de Beneficiis eorum, qui Concilio interſunt, non conferendis. Deinde per promotores Concilii, ac organum Magiſtri Henrici de Behenhym Curiæ Baſileenſis Officialem, iterum Eugenius IV. accuſatus eſt de contumacia, eò quòd prætenſam Concilii diſſolutionem, & alterius convocationem non revocaſſet, vel tempore ſtatuto nec per ſe, nec per ſuos Legatos comparuiſſet: Ac proinde petitum eſt, eſſe contra eundem procedendum, & ad damnationis ſententiam, velut in contumacem deveniendum, diem verò, & locum ad hunc actum deveniendum decerni: qua attenta petitione decretum eſt, ut Uticenſis & Novarienſis Epiſcopi per literas valvis Eccleſiæ affixas, inquirant, an Eugenius IV. aut alius aliquis ſubſtitutus adeſſet, qui ejus nomine coram Synodo comparere vellet. At executa citatione, & nemine comparente, qui, actis contra præfatum Eugenium habitis diligenter perlectis, ea de re in Concilio ſtatū cauſæ referat, ut deinceps prævia deliberatione, in cauſa ejuſdem definitivè pronunciari poſſit. Et his peractis, ſoluta eſt ſeſſio.

470 Elapſis inde duobus menſibus, die 27. Aprilis prædicti Anni MCCCCXXXIII. habita eſt ſeſſio XI. in qua, juxta Decretum Concilii Conſtantienſis, in ſeſſione XXXIX. editum, quod incipit, *Frequens*, ſancitum eſt, quòd Romanus Pontifex per ſe, vel per Legatos communi Cardinalium conſenſu eligendos Conciliis Generalibus cum omnibus perſonis Eccleſiaſticis, quæ de jure tenentur, ſub pœna ſuſpenſionis & depoſitionis intereſſe debeat. Deinde conſtitutum eſt, ut Pontifex nemini, nec quidem Cardinali acceſſum ad Concilium prohibere poſſit: & ad Concilium accedere volentes, licentiam impartiri teneantur; ipſum verò Concilium nec prorogare, nec congregatum diſſolvere, nec de loco in locum ſine expreſſo ejuſdem Concilii aſſenſu, transferre poſſit. Item ſancitum eſt, nè ipſum Concilium Baſileenſe ſine expreſſo omnium Patrum conſenſu, vel duarum partium diſſolvatur. Similiter conſtitutum eſt, ut locus Concilii futuri celebrandi per menſem, ante ipſius Concilii diſſolutionem eligatur: Decennium verò ab uno & altero Concilio intermedium debere eſſe completum, & tunc facultatem Concilii celebrandi incipere. Additum eſt & Decretum ut Electores Papæ ante ingreſſum Conclavis jurent, quòd, ſi quis eorum eligatur in Papam, ſervabit dicta Decreta. Deniq; Synodali Decreto caſſatur, & irritatur inhibitio facta Curialibus Romanæ Curiæ, ne ad Baſileenſe Concilium accedant, ac omnes pœnæ contra accedentes comminatæ, pro nullis, irritis, & caſſatis decernuntur.

471 Die XIII. menſis Julii ejuſdem anni celebrata eſt ſeſſio XII. in qua relatis omnibus Concilii geſtis, ad effectum reducendi Eugenium Papam ad revocandum prætenſam Concilii diſſolutionem, & ad intereſſendum

vel

Digitized by Google

vel per ſe, vel per ſuos Legatos eidem Concilio, elapſo termino ſexaginta dierum ei præxfio, nec ipſo, nè aliquo ipſius nomine comparente, iterum de contumacia accuſatur, ac in eum varia convicia ſparguntur: In eo namque Decreto, inter alia dicitur: „ Poſt itaque duos menſes, qui decimanona „ Februarii expirarunt, uſque ad præſentem „ diem patienter diſtulimus, ſperantes ipſum „ Dominum Eugenium plenam tandem ad- „ hærentiam præbiturum: ſed (ut rei evi- „ dentia jam demonſtrat) quò magis pulſa- „ tur, eò amplius ſuas obturat aures: & „ quantò ſecus benigniùs ac modeſtiùs agi- „ tur, eò tenaciùs in ſuæ diſſolutionis pro- „ poſito perſeverat: & quantùm ex ejus ver- „ bis, factiſque colligi poteſt, nil aliud præ- „ tendere videtur, niſi ut Eccleſiam peſſum „ det, juſque ſibi, & ſucceſſoribus faciat, non „ ſolùm abrogandi ritum Sacrorum Conci- „ liorum, & ea pro libito diſſolvendi, ſed „ ipſorum ſacratiſſima Decreta Spiritu Dei „ promulgata, à quibus ſtatus pendet uni- „ verſalis Eccleſiæ, irritandi, & abolendi. „ *Hæc, & alia in præfato Decreto*: in quo pariter declaratur, quòd licèt Patres parati eſſent definitivam ſententiam in eum pronunciare, inſtaſte tamen Imperatore, prorogatum eſſe tempus, ſive tertiam dilationem conceſſam ad alios ſexaginta dies, quibus elapſis, ſi in contumacia perſiſteret, ipſum eſſe ab omni adminiſtratione Pontificatus ſuſpenſum, ſubditos verò ab ejus obedientia, fidelitate, & juramento eſſe ſolutos. Porrò in eadem ſeſſione conſtitutum eſt, ut Prælati canonicè eligantur ſine ullis, quas vocant, reſervationibus. Ut nemo niſi ætate legitima, moribus gravis, & doctrina præditus, in ſacris Ordinibus conſtitutus, & juxta ſanctiones canonicas idoneus Epiſcopus eligatur: nullæ interceſſiones admittãtur: Pontifex pro confirmatione nihil penitùs recipiat: Notariis detur ſalarium, non quod Prælaturæ, aut beneficio, ſed tantùm quod æquivalens ſit, & reſpondeat laboribus & operis in ſcripturam impenſis.

472 Elapſis inde ſexaginta diebus præfixis Eugenio pro termino peremptorio ad comparendum, ipſoque, nec per ſe, nec per alios comparente, nec prætenſam Concilii diſſolutionem revocante, habita eſt à Baſileenſibus Patribus ſeſſio XIII. die XI. Septembris, in qua poſt accuſatam contumaciam præfati Eugenii Papæ, Promotores Concilii inſtarunt, ut in pœnas in Decreto contentas condemnaretur. Verùm Imperator Sigiſmundus per ſuum Legatum, & per Guillielmum Bavariæ Ducem Concilii protectorem, petiit dilationem ad alios triginta dies. Idem fecit Magiſter Civium, aliique nonnulli nomine Concilii, & Civitatis Baſileenſis, promittentes nunquam deinceps pro dilatione quidque acturos. At Legati Apoſtolicæ Sedis de his informati, acceſſerunt ad Concilium, allegantes præfixum terminum ſexaginta dierum nondùm elapſum: ideoque contra Pontificem nihil decernendum eſſe. Preſes verò Concilii, Legatos malè eſſe informatos reſpondit, petiitque declarari, num Papa Concilio per ſe, vel per Legatos ſuos adhærere velit. Cui interrogationi cùm nihil reſponderetur, prorogata eſt dilatio 30. dierum, quæ in gratiam Imperatoris iterum conceſſa fuit. Dimiſſis Apoſtolicæ Sedis Legatis per Decretum Synodale, omnia contra Patres, vel quoſcumq; alios in Concilio præſentes irritantur, læſi in integrum reſtituuntur, occupantesque beneficia eorum, qui in Concilio interſunt, excommunicantur.

473 Interea cùm Sigiſmundus Romanorum Rex, ab ipſo Eugenio vocatus, Romam veniſſet, coronâ redimitus, ac Auguſtalibus inſignibus ab eodem Pontifice exornatus, more veterum Chriſtianorum Cæſarum, exhibita catholicæ Fidei profeſſione, jura quoque ac Eccleſiæ Romanæ, aliarumque Eccleſiarum jura & Privilegia, ſe illibata ſervaturum ſpopondit. Indeque cum Eugenio egit, ut componerentur diſſidia exorta occaſione diſſolutionis Concilii Baſileenſis, & pluribus à Rege allegatis rationibus, maximèque, quòd ſperabatur in eo Concilio, Huſſitas ad gremium catholicæ Eccleſiæ reducturos, in ſuam denique traxit Eugenium ſententiam, ut ſcilicet præfato Baſileenſi Concilio adhæreſceret, ipſumque ratum haberet in his, quæ ad excindendas hæreſes, Eccleſiæ excolendos mores, ac pacem inter Chriſtianos Principes conciliandos, gererentur.

474 Dum itaque inter Pontificem, & Regem hæc Romæ agerentur, habita eſt Baſileæ ſeſſio XIV. in qua iterum Eugenio prorogatur terminus: „ Terminum ſexaginta die- „ rum, *inquit Decretum*, Sanctiſſimo Domino „ Eugenio Papæ IV. juxta formam Monito- „ rii, citationis, & ſuſpenſionis in ſeſſione „ XII. promulgati, ac deinde ad triginta „ dies, & poſtea pluribus vicibus uſque in „ præſentem diem prorogatum, hæc Syno- „ dus volens erga ipſum Eugenium omni „ manſuetudine & benignitate uti, tenore „ præſentium ad nonaginta dies ab hac die „ immediatè ſequentes, cum omnibus clau- „ ſulis, qualitatibus & conditionibus, in „ Decretis tam Monitorii ſexaginta dierum, „ quàm prorogationis ad triginta dies infer- „ tis, prorogat, & prorogatum eſſe ſtatuit: „ ita tamen, quòd ſi intra prædictos nona- „ ginta dies omnia & ſingula contenta in „ quadam ſchedula, cujus tenor inferiùs de- „ ſcribitur, realiter & cum effectu præfatus „ Dominus Eugenius non adimpleverit, pœ- „ næ indictis Decretis Monitorii, ac proro- „ gationis contentæ, eo ipſo inflictæ ſint, & „ & eſſe intelligantur. *Hæc in Decreto*. Inde ſequitur formula adhæſionis eidem Eugenio præ-

præſcripta. Habita eſt hæc ſeſſio die VII. menſis Novembris.

475 Die inde XXVI. ejuſdem menſis Novembris habita eſt XV. ſeſſio, ac in ea renovatum eſt Decretum, ut in qualibet Diœceſi ad minimum ſemel in anno, idque octavo Reſurrectionis Dñi, vel alia die, ſecundùm conſuetudinem Diœceſum per Diœceſanum in propria perſona (niſi canonicum fuerit impedimentum) vel per Vicarium ad hoc idoneum, celebretur aliqua Synodus Diœceſana, quæ ad minimum biduo, vel triduo duret, niſi Epiſcopis aliter viſum fuerit: quaque ſeduló procuretur, ut Plebani ad diligentem animarum curam agendam admoneantur, ſtatuta Provincialia & Synodalia legantur, in vitam & mores à Diœceſano ſolerter inquiratur, ſimonia, uſuræ, concubinatus, fornicationis, aliique exceſſus corrigantur, alienationes rerum Eccleſiaſticarum caſſentur: Clericorum abuſus tollantur: clauſuræ Monialium ſtringantur; ingreſſu ad Religionem nihil exigatur; contra hæreſes, ſortilegia, incantationes ſeduló & acriter animadvertatur; Viſitatores Diœceſis inſtituantur, qui per Annum Diœceſim luſtrantes Synodalia ubique obſervari, non emendata ad proximam Synodum deferri, & delinquantes debitè puniri procurent.

476 Deinde ſancitum eſt, ut à fine Generalis Concilii infra biennium, & deinde ad minus ſemel quolibet triennio in loco tuto celebretur Concilium Provinciale, cui Archiepiſcopus cum Suffraganeis, cæteriſque Prælatis ſub pœna ſuſpenſionis intereſſe teneatur, in quo iſtius admoneantur Epiſcopi, ut Ordines & beneficia canonicè conferant, bona Eccleſiæ uſui illicito non applicent, ſuique officii rationem reddant. Metropolitanus verò tamquam omnium Pater monebitur, ut à vitiis deſiſtat, miſſis interim illius exceſſibus ad Romanum Pontificem, ſi qua in re deliquerit. Exortas Provinciæ lites Synodo Provinciali ſopire contendat, & ad futurum Generale Concilium mittendas perſonas idoneas cum ſufficienti proviſione deſignet: Ad Monaſteria quod attinet, mandatum eſt, ut Monachi, & Religioſi tria ſubſtantialia profeſſionis vota diligentiſſimè obſervent.

477 Hic ſiſtentes Patres Baſileenſes, ulteriùs progreſſi non ſunt, expectantes Bullam revocatoriam diſſolutionis Concilii per Eugenium Papam, juxta concordata inter eundem Pontificem, & Sigiſmundum Romanorum Regem, quam præfatus Eugenius de menſe Decembris, nimirum die XV. ejuſdem, labentis Anni MCCCCXXXIII. publicavit, atque ad Concilium miſit, hunc videlicet habentem tenorem.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

478 „ Dudùm ſacrum Generale Baſileenſe Concilium, per Generalium Conſtantienſis & Senenſis Conciliorum ſtatuta, ordinationeſque fœlicis recordat. Martini Papæ V. ac noſtras, pro extirpatione hæreſum, pace populi Chriſtiani, ac generali reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris, & pertinentibus ad ea, legitimè inchoatum, ex certis cauſis in aliis noſtris literis expreſſis, de Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, & aſſenſu, diſſolvimus. Verùm cùm ex dicta diſſolutione ortæ ſint graves diſſenſiones, & graviores oriri poſſent, nihilque magis optemus, quàm quòd prædicta ſancta opera debitum ſortiantur effectum, de conſilio & aſſenſu Venerab. fratris Jordani Epiſcopi Sabinenſis, & dilectorum filiorum noſtrorum Antonii Sancti Marcelli, Franciſci Sancti Clementis, Angelotti tituli Sancti Marci Presbyterorum, ac Lucidi Sanctæ Mariæ in Coſmedin, & Ardecini Sanctorum Coſmæ & Damiani Diaconorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Cardinalium, decernimus, & declaramus, præfatum Generale Concilium Baſileenſe à tempore prædictæ inchoationis ſuæ legitimè continuatum fuiſſe & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuari, & proſecutionem habere ad prædicta & pertinentia ad ea, perinde ac ſi nulla diſſolutio eſſet. Quinimmò præfatam diſſolutionem irritam & inanem de conſilio & aſſenſu ſimili declarantes, ipſum ſacrum Generale Concilium Baſileenſe purè, ſimpliciter, & cum effectu, ac omni devotione, & favore proſequimur, & proſequi intendimus.

479 „ Præterea, ut mentis noſtræ integritas, ac devotio, quam ad univerſalem Eccleſiam, & ſacrum generale Concilium Baſileenſe omnibus conſtet evidenter, duas noſtras literas pridem in Palatio Apoſtolico promulgatas, nam tertias, quarum tenor de verbo ad verbum inferiùs deſcribitur, quæ dicuntur incipere, *Deus novit*, cùm à nobis, aut de ſcitu noſtro nunquam emanarint, licèt ſuperfluum videatur, quòd non extat revocare: tamen, quia petitum eſt, & ad cautelam, ſi ullo unquam tempore apparerent, & alias quaſcumque, & quidquid per nos, aut noſtro nomine in præjudicium, aut derogationem prædicti ſacri Concilii Baſileenſis, ſeu contra ejus auctoritatem, factum & attentatum, ſeu aſſertum eſt, caſſamus, revocamus, irritamus, & annullamus, nullas & irritas fuiſſe facta, & eſſe declaramus.

480 „ Item revocamus quoſcumque proceſſus quarumcumque cenſurarum, privationum, & ſuſpenſionum factos contra ſuppoſita hujus ſacri Concilii Baſileenſis, & adhærentes eidem, necnon omnia geſta, & facta in præjudicium, læſionem, & derogationem eorumdem, eis non legitimè citatis, nec legitimè defenſis, de quibuſcumque dignitatibus, beneficiis, commendis, & officiis, etiamſi Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ &c. exiſtant, juribus, & bonis quibuſcumque, & ſpecialiter contra Cardinales de Cypro, *Sancti Sixti*, & Firmanum, ac omnia in priſtinum ſtatum, perinde ac ſi non emanaſſent, cum clauſulis opportunis. Mandantes ſub pœnis formidabilibus omnibus, qui ſe dictis dignitatibus, beneficiis, commendis, officiis, juribus, & bonis intromiſiſſent, vel ratione dictarum privationum, ſeu noſtrarum ordinationum quarumcumque ſe vellent intromittere, ut ab ipſa intromiſſione, & omni moleſtia penitùs deſiſtant. Utrùm autem fuerit legitima citatio & defenſio, ſtabitur judicio ipſius ſacri Concilii. Nos autem deinceps à novitatibus & gravaminibus, ſeu præjudiciis inferendis ipſi ſacro Concilio, vel ſuppoſitis ejus, & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu deſiſtemus. Tenor verò præfatarum literarum ſequitur, & eſt talis.

481 Sequuntur inde diſſolutionis literæ, quarum prima incipit, *Inſcrutabilis Divinæ Providentiæ altitudo*, data Romæ apud Sanctum Petrum Anno MCCCCXXXIII. quarto Kalendas Auguſti. Secunda verò incipit, *In arcano noſtræ mentis*, data item Romæ apud Sanctum Laurentium in Damaſo, Idibus Septembris, ejuſdem Anni. Tertia denique, quam, inſcio Eugenio evulgatam, ſupra innuit, incipit, *Deus novit ſecretorum omnium*, data pariter apud Sanctum Laurentium in Damaſo, Idibus Septembris ejuſdem Anni, ſui Pontificatus Anno III. Quibus abſolutis, adjecta eſt clauſula: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, proſecutionis, intentionis, caſſationis, revocationis, irritationis, annullationis, voluntatis, reductionis, & mandatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ MCCCCXXXIII.* XVIII. *Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno III.* Deinde Eugenius conſtituit quatuor Legatos ad præſidendum præfato Concilio Baſileenſi, datis infraſcriptis literis.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabilibus fratribus Jordano Sabinenſi, & Petro Albanenſi Epiſcopis, ac dilectis filiis Nicolao tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, & Angelotto tituli Sancti Marci, Presbyteris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

482 „ Alta nos cura ſolicitat, dum unicæ Sedis, cui Divina voluntate præſumus, ponderoſum anxiæ ſervitutis officium cogitamus, & dùm pro neceſſitate gerendarum rerum his, qui præſentiam noſtram exigunt, non poſſumus perſonaliter intereſſe, humanæ carnis infirmitatem advertentes, his rebus adducimus promptum ſpiritum, ut quantùm in nobis eſt, grata Domino ſervitia conſeramus. Dudùm ſiquidem ſacrum generale Baſileenſe Concilium pro reformatione Eccleſiæ, extirpatione hæreſum, & pace populi chriſtiani, juxta Generalium Conſtantienſis, & Senenſis Conciliorum ſtatuta, ordinationemque fœlicis recordationis Martini Papæ V. prædeceſſoris noſtri, celebrari mandavimus. Cùmque nihil magis optemus, quàm ipſum Concilium fœlicem habere progreſſum, & ad debitum finem perduci, noſque propter debilitatem corporis noſtri ad Civitatem Baſileenſem per tanta terrarum ſpatia impræſentiarum transferre non poſſimus, vos fide, bonitate, vitæ integritate, & ſapientia præclaros, conſilii magnitudine conſpicuos, ac in maximis noſtris, & Eccleſiæ præfatæ negotiis diuturna experientia comprobatos, prout etiam ante decreveramus, Legatos noſtros, & Sedis Apoſtolicæ cum plena, & omnimoda poteſtate Legatorum de Latere, de fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium conſtituimus, & ordinamus, Voſque ad præſatam Civitatem Baſileenſem ad præſidendum in dicto Concilio tanquàm pacis Angelos prævidimus deſtinandos. Idcircò vobis, & illis, ſeu illi ex vobis, quos, vel quem in dicto Baſileenſi Concilio pro tempore contigerit intereſſe, noſtro, & Sedis Apoſtolicæ nomine, & auctoritate in dicto Concilio præſidendi, necnon omnia, & ſingula, quæ ad generalem reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris, & pertinentibus ad ea, extirpationem hæreſum, pacem, & concordiam Principum, & totius Populi Chriſtiani noveritis pertinere, promovendi, proponendi, atque cum conſenſu, deliberatione, & approbatione præfati Baſileenſi Concilii tractandi, ordinandi, deliberandi, concludendi, ſtatuendi, diſponendi, terminandi, decernendi, decidendi, declarandi, & exequendi.

483

483 „ Inſuper contradictores omnes, & „ rebelles cujuſcumque ſtatus, gradus, præ„ eminentiæ, vel conditionis exiſtant, & „ quavis Eccleſiaſtica, vel mundana, etiamſi „ Regali, Cardinalatus, vel Pontificali præ„ fulgeant dignitate, per Cenſuram Eccle„ ſiaſticam, & alia juris remedia, appella„ tione poſtpoſita, compeſcendo; & ſuper „ his auxilium brachii ſæcularis invocandi, „ præſertim chariſſimi in Chriſto filii noſtri „ Sigiſmundi Romanorum Imperatoris ſem„ per Auguſti, Hungariæ, & Bohemiæ Re„ gis Illuſtris, qui tam ex dignitatis ſuæ de„ bito, quàm juramenti nobis præſtiti, ad „ hoc noſcitur obligatus; Necnon omnia „ alia & ſingula, cum conſenſu, delibera„ tione, & approbatione dicti Concilii, ut „ præmittitur, agendi, gerendi, & facien„ di, quæ in præmiſſis, & circa præmiſſa, „ & tùm circa modum & ordinationem cele„ brationis præfati Baſileenſis Concilii, & „ omnium, & ſingulorum in eo agendorum, „ & quam eorum deciſionem, perfectionem, „ & executionem videritis neceſſaria fore, „ aut quomodolibet opportuna. Et quæ Ro„ mani Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ no„ mine in Generalibus Conciliis præſiden„ tes, in prædictis, ſeu circa prædicta per „ omnia genera, & facere conſueverunt, & „ poſſunt, de prædictorum fratrum noſtro„ rum conſilio, auctoritate prædicta plenam „ & liberam tenore præſentium concedimus „ facultatem; gratum & ratum habituri, „ quidquid ſuper præmiſſis, per vos, ſeu il„ los, vel illum ex vobis, quos, vel quem „ in præfato Concilio (ut præmittitur) in„ tereſſe contigerit, unà cum eodem gene„ rali Baſileenſi Concilio, deliberatum, or„ dinatum, concluſum, ſtatutum, diſpoſi„ tum, & decretum fuerit. Idque faciemus „ uſque ad ſatisfactionem condignam, au„ ctore Domino, inviolabiliter obſervari. „ Quocircà circumſpectioni veſtræ per Apo„ ſtolica ſcripta mandamus, quatenùs in„ junctum vobis miniſterium laboris hujuſ„ modi pro Deo, ac noſtra, & Sedis Apo„ ſtolicæ reverentia ſuſcipientes, illud, juxta „ datam vobis à Domino prudentiam, exe„ quamini: Voſque illam, quæ pias cauſas „ agentibus ſuperna retributione impendi„ tur, gloriam conſequamini fœlicitatis æter„ næ. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno „ Incarnationis Dominicæ MCDXXXIII. „ XVIII. Kalendas Januarii, Pontificatus „ noſtri Anno III. *Hactenus literæ*. Sed quoniam non adeò citò prædicti Legati proficiſci poterant, Pontifex illorum loco, ſeu in illorum abſentia alios ſubſtituit per literas tenoris ſequentis, videlicet.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabilibus Fratribus Joanni Archiepiſcopo Tarentino, & Petro Epiſcopo Paduano, ac dilecto Filio Ludovico Abbati Monaſterii S. Juſtinæ Padvanæ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

484 „ Cùm Sacrum Generale Baſileenſe „ Concilium, juxta Conſtantienſis & Senenſis „ Conciliorum ſtatuta, celebrari mandave„ rimus, dilectum Filium Julianum Sancti „ Angeli, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaco„ num Cardinalem eidem Concilio, noſtro, „ & Sedis Apoſtolicæ nomine, prout etiam „ per fœlicis recordationis Martinum Pa„ pam V. prædeceſſorem noſtrum ad id de„ putatus fuerat, præſidère mandavimus. „ Poſtmodum verò Venerabiles Fratres no„ ſtros Jordanum Sabinenſem, & Petrum „ Albanenſem, necnon dilectos Filios Nico„ laum tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, „ & Angelottum tituli Sancti Marci Sanctæ „ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos, & Presbyte„ ros Cardinales, ad hujuſmodi Concilii præ„ ſidentiam etiam deputavimus, prout in „ literis noſtris ſuperinde confectis plenius „ continetur. Cùmque aliqui ex poſt de„ putati, ex nonnullis rationabilibus, & „ honeſtis cauſis adhùc occupati, ad dictum „ Concilium necdum iter arripientes for„ ſitan venire tardarent, nolentes proſecutio„ nem dicti Concilii aliquatenus impediri, „ vel etiam differri, vos, ſeu illos ex vobis, „ quos in dicto Concilio pro tempore conti„ gerit intereſſe, fide, bonitate, & pruden„ tia præclaros, ac in magnis noſtris & præ„ fatæ Eccleſiæ negotiis longa experientia „ comprobatos, ad præſidentiam dicti Con„ cilii, noſtro, & Apoſtolicæ Sedis nomine „ loco dictorum Cardinalium, & in ipſorum, „ vel aliquorum, aut alicujus ex ipſis abſen„ tia de Fratrum noſtrorum conſilio deputa„ mus, cum omnimoda poteſtate dictum „ Concilium unà cum illis, qui pro tempore „ præſentes fuerint continuandi, necnon „ omnia & ſingula gerendi, agendi, & diſ„ ponendi, de quibus in literis noſtris ſuper „ præſidentia & facultate præfatis Cardina„ libus conceſſa, ſeu conceſſis, & quemadmo„ dum ipſis Cardinalibus dedimus in man„ datis plenius continetur, ratum & gratum „ habituri quidquid ſuper præmiſſis, & circa „ præmiſſa, per vos, ſeu illos, quos ex vo„ bis in dicto Concilio pro tempore contin„ gerit intereſſe, juxta facultatem prædi„ ctam ordinatum, deliberatum ſtatutum, „ decretum, & diſpoſitum fuerit. Idque „ faciemus, auctore Domino, uſque ad „ ſatisfactionem condignam inviolabiliter „ obſervari. Quocircà circumſpectioni ve„ ſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus,

& man-

Digitized by Google

„ & mandamus, quatenus injunctum vobis
„ miniſterium hujuſmodi pro Dei, ac noſtra
„ & Sedis Apſtolicæ reverentia ſuſcipientes,
„ illud in omnibus & ſingulis ſupradictis,
„ juxta datam vobis à Domino prudentiam
„ omni ſtudio & induſtria exequamini, quo
„ fructus optati veniant, quos ſperamus;
„ Voſque illam, quæ pias cauſas agentibus
„ ſuperna retributione impenditur, gloriam
„ conſequamini fælicitatis æternæ. Datum
„ Romæ apud Sanctum Petrum, Anno In-
„ carnationis Dominicæ MCCCCXXXIII.
„ xvII. Kal. Januarii, Pontificatus noſtri
„ Auno III. *Hactenus literæ*. Scripſit inſuper Eugenius aliàs perbreves literas Cardinali Juliano, quibus præſidentiam in præfato Concilio unà cum aliis Apoſtolicæ Sedis Legatis, eidem confirmavit; Quæ literæ ad hunc modum ſe habent.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto Filio Juliano Sancti Angeli Diacono Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

485 „ Auctoritate præſentium tibi in-
„ jungimus, quatenus Præſidentiam in Sacro
„ Generali Baſileenſi Concilio, ad quam fœ-
„ licis recordationis Martini Papæ V. præ-
„ deceſſoris noſtri, & noſtra, auctoritatibus
„ deputatus extitiſti, unà cum aliis Lega-
„ tis & præſidentibus, ac eorum ſubſtitutis
„ per nos poſtmodum deputatis, ſeu in futu-
„ rum deputandis, juxta facultatem per nos
„ eis conceſſam, noſtro, & Sedis Apoſtolicæ
„ nomine continues, ac ſecundùm tibi datam
„ à Deo prudentiam, cum præfatis (ut præ-
„ mittitur) ad debitum & fœlicem finem cum
„ Dei honore, & utilitate Reipublicæ Chri-
„ ſtianæ perducere ſtudeas. Dat. Romæ apud
„ S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ
„ MCCCCXXXIII. xvI. Kalen. Januarii,
„ Pontificat. noſtri Anno III. *Hactenus literæ*.
Et notandum prçfatam præſidentiam ei reſtrictam fuiſſe, ut ſcilicet ſolus non præſideret, ſed ſimul cum aliia deputatis, vel deputandis Apoſtolicæ Sedis Legatis, quod ex tenòre earundem literarum clarè evincitur.

486 Inſtaurato itaque Concilio auctoritate Pontificis, celebrata eſt ſeſſio xvI. die quinta Februarii ſequentis Anni, nimirum MCCCCXXXIV. in qua decretum eſt, Eugenium per præfatas literas revocatorias aliarum, quibus Concilium diſſolverat, ſatisfeciſſe plenariè monitioni, citationi, & requiſitioni prædicti Concilii: ac inde recitatæ ſunt prædictæ literæ. Denique convenientes iterum die xxIv. Aprilis ad continuandum eandem ſeſſionem, nonnulla juramenta à Legatis Pontificis emittenda in eorum incorporatione præſcripſerunt: videlicet, quòd Generalis Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catolicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, qui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris. Item quòd teneantur dare ſanum, & ſalubre conſilium, ſecundùm Deum & conſcientias ſuas, & quòd non revelabunt vota ſingulorum, ſi ex revelatione poſſet oriri odium, aut ſcandalum. Et quòd non recedent à loco Concilii ſine licentia obtenta à deputatis ejuſdem Concilii.

487 Die xxvI. menſis Aprilis habita eſt ſeſſio xvII. præſentibus Sigiſmundo Rege coronato, compluribus Ducibus, ac centum mitratibus intereſſentibus Epiſcopis; & in ea admiſſi ſunt quinque Epiſcopi Pontificis Legati, adempta tamen juriſdictione coactiva; indeque actum eſt de modo procedendi: nimirum quòd feria ſexta ſit conveniendum, ac Præſidis abſentiam Prælatus in ordine ſubſequens adimplere debeat; & dimiſſa eſt ſeſſio.

488 Elapſis menſibus dnobus, iterum convenientes die xxvI. Junii, celebrata eſt ſeſſio xvIII. & in eo iterùm renovatum & repetitū eſt Decretum Concilii Connſtantienſis, quod declaratum eſt Generale Concilium poteſtatem immediatè talem habere à Deo, cui Papa etiam in negotiis fidem, moreſque Eccleſiæ concernentes parere, & obtemperarē teneatur.

489 Cùm ſuperiori Anno ante Inſtauratum Concilium Patres Baſilenſes Legatos ſuos Concilii nomine, Antonium videlicet Epiſcopum Sudenſem, & Fratrem Albertum de Criſpis in Sacra Theologia Magiſtrum, ad Græcorum Imperatorem, & Patriarcham miſiſſent, actnros cum prædictis de utriuſque Eccleſiæ unione in Generali Concilio Baſileenſi componenda; Ipſimet Imperator, & Patriarcha hoc Ann. nimirum MCDXXXIV. per literas, & Legatos ſuos reſponſum dederunt, Venientes ergo Imperiales Legati Baſileam, honorificè ſuſcepti ſunt à Patribus, auditis poſtea, & perlectis præfatorum Imperatoris, & Patriarchæ literis indicta eſt, & celebrata ſeſſio xIx. die vII. menſis Septembris, in qua pro præfata unione Græcorum concordata & ſtatuta ſunt, quæ in Decreto infraſcripto continentur.

490 „ Ambaſſiatores Sereniſſimi Domini
„ Imperatoris Græcorum, & Domini Pa-
„ triachæ Conſtantinopolitani, videlicet
„ Dominus Demetrius Protoveſtiarius, Pa-
„ læologus Mœotides, Venerabilis Iſidorus
„ Abbas Monaſterii Sancti Demetrii, & Do-
„ minus Joannes Dishypatus, ejuſdem Im-
„ peratoris familiaris, convenientes cum
„ Dominis deputatis Sacri Concilii, primò

„ expoſuerunt, quòd ſi Eeeleſiæ Occidentali
„ placeret, ut hæc Sancta Synodus Con-
„ ſtantinopoli celebraretur, Eccleſia Orien-
„ talis propriis expenſis ibidem conveniret,
„ nec oportet, ut Eceleſia Occidentalis Præ-
„ latis Orientalis aliquas expenſas faceret.
„ Quinimmò ipſe Dominus Imperator, in
„ quibus poſſet, Prælatis Latinis Conſtan-
„ tinopolim venturis ſubveniret: ſin autem
„ placeret, ut Prælati Eccleſiæ Orientalis
„ ad Terras Latinorum pro prædicta Syno-
„ do accederent, neceſſarium fore propter
„ legitimas cauſas, ut expenſis Eccleſiæ Oc-
„ cidentalis ſubvenirent.

491 „ Et cùm dictis Dominis deputatis
„ videretur multis de cauſis hanc unionem
„ commodiùs fieri poſſe in hac Civitate Baſi-
„ leenſi, ubi actu Concilium congregatum
„ eſt, ſæpè ac multùm apud ipſos Dominos
„ Oratores inſtiterunt, ut hic locus pro hac
„ ſancta Unione eligeretur, offerentes im-
„ penſas ad hoc neceſſarias. Sed ipſis Orato-
„ ribus reſpondentibus, quòd cùm eorum
„ Inſtructiones limitatæ de certis locis per
„ ipſos Imperatorem, & Patriarcham eis datæ
„ ſint, non hunc locum eligere, qui in ipſis
„ inſtructionibus nominatus non eſſet, Do-
„ mini deputati Sacri Concilii cognoſcentes
„ ſanctam & perfectam ipſius Coneilii in-
„ tentionem, quæ eſt, ut pro honore Dei, &
„ profectu Fidei Catholicæ nullis pareatur
„ laboribus & impenſis, judicarunt non ex-
„ pedire, ut propter loeum dumtaxat tan-
„ tum bonum negligeretur. Acceptarunt
„ igitur, ſi placeat Sacro Concilio, unum
„ de locis inſerius nominandis, cum hoc,
„ quòd (ſicut inſerius eſt conventum) mit-
„ tantur aliqui, vel aliquis ad ipſum Domi-
„ num Imperatorem, Patriarcham & alios,
„ quibus perſuadeant per efficaces rationes,
„ ut in hanc Civitatem Baſileenſem velint
„ aſſentire. Loca nominata ſunt, Calabria,
„ Ancona, vel alia terra Maritima, Bononia,
„ Mediolanum, vel alia Civitas in Italia.
„ Extra Italiam, Buda in Hungaria, Vienna
„ in Auſtria, & ad ultimum Sabaudia. Con-
„ venerunt tamen dicti Deputati cum ipſis
„ Dominis Ambaſſiatoribus in his, quæ ſe-
„ quuntur, ſi Sacro Concilio placeant.

492 „ Primò, dicti Ambaſſiatores pro-
„ miſerunt, quòd ad hujuſmodi Synodum ve-
„ nient Imperator Græcorum, & Patriarcha
„ Conſtantinopolitanus, & cæteri tres Pa-
„ triarchæ, & Archiepiſcopi, & Epiſcopi,
„ & alii Eccleſiaſtici, qui commodè venire
„ poterunt. Similiter quòd venient ab om-
„ nibus Regnis & dominiis, quæ ſubiiciuntur
„ Eccleſiæ Græcorum cum plena poteſtate
„ & mandato vallato juramento, & aliis clau-
„ ſulis opportunis, tam ex parte ſæcularium
„ Dominorum, quàm Prælatorum. Item quòd
„ mittatur unus, vel plures Ambaſſiatores ex
„ parte ſacri Concilii cum octo millibus
„ Ducatorum pro facienda Congregatione
„ Prælatorum Eccleſiæ Orientalis ad Con-
„ ſtantinopolim, quæ octo millia expedien-
„ tur ab ipſis Ambaſſiatoribus ſacri Conci-
„ lii, prout ipſi Domino Imperatori, aut
„ ipſis Ambaſſiatoribus ſacri Concilii vide-
„ bitur. Ita tamen, quòd ſi dicti Pręlati nol-
„ lent Conſtantinopolim venire, vel, poſt-
„ quam Conſtantinopolim venerint, nollent
„ ad Synodum prædictam accedere, tunc te-
„ neatur dictus Imperator reddere dictis
„ Ambaſſiatoribus ſacri Concilii quidquid
„ pro ea re expenderint.

493 „ Item, quòd Eccleſia Occidentalis
„ ſolvat expenſas quatuor Galearum groſſa-
„ rum, quarum duæ ſint de Conſtantinopoli,
„ & duæ aliundè, pro conducendo, dum tem-
„ pus erit, ad Portum noſtrum, & reducen-
„ do Conſtantinopolim Dominum Impera-
„ torem, & Patriarchas, & Prælatos Eccle-
„ ſiæ Orientalis cum ſuis, uſque ad nume-
„ rum ſeptincentarum perſonarum; Quibus
„ ipſa Occidentalis Eccleſia impenſas faciet
„ hoc modo: quia pro expenſis ipſius Impe-
„ ratoris, & ipſarum ſeptincentarum perſo-
„ narum, à Conſtantinopoli uſque ad Por-
„ tum noſtrum ultimum, dabit ipſi Impera-
„ tori quindecim millia Ducatorum. A dicto
„ autem ultimo Portu uſque ad locum dictæ
„ Synodi; & deinde quamdiù manebunt in
„ Synodo uſque ad reverſionem ipſorum ad
„ Conſtantinopolim faciet dicto Imperatori
„ cum dictis ſeptincentis perſonis expenſas
„ honeſtas.

494 „ Item, quòd infra decem menſes
„ incipiendos à menſe Novembris proximè
„ ſequenti, teneatur ſacrum Concilium mit-
„ tere duas Galeas groſſas, & duas ſubtiles
„ versùs Conſtantinopolim cum trecentis
„ Baliſtariis; ſuper quibus Galeis erunt Am-
„ baſſiatores ſacri Concilii, & Dominus De-
„ metrius Protoveſtiarius Palæologus, pri-
„ mus de ipſis Ambaſſiatoribus Domini Im-
„ peratoris. Qui quidem Ambaſſiatores ſa-
„ cri Concilii habebunt ſecum quindecim
„ millia Dueatorum danda Domino Impera-
„ tori pro expenſis ſuis, & Patriarcharum,
„ & Prælatorum, ac aliorum venientium uſ-
„ que ad numerum ſeptincentarum perſona-
„ rum, faciendis à Conſtantinopoli uſque
„ ad Portum ultimum, ad quem debebunt
„ applicare, ut ſupra.

495 „ Item prædicti Ambaſſiatores ſacri
„ Concilii ituri cum prædictis Galeis, ordi-
„ nabunt, quòd decem millia Ducatorum
„ erunt ad exponendum, ſi neceſſarium ſue-
„ rit pro cuſtodia Civitatis Conſtantinopo-
„ litanæ propter periculum, quod poſſet in-
„ tervenire à Turcis Civitati tempore abſen-
„ tiæ dicti Imperatoris, quæ pecuniæ expo-
„ nentur per aliquem à dictis Ambaſſiato-
„ ribus ſacri Concilii deputandis, prout ne-
„ ceſſitas fuerit.

495 „ Item ordinahunt prædicti Ambaſſiatores ſacri Concilii, & expenſis duarum Galearum ſubtilium, & trecentorum Baliſtariorum pro cuſtodia Civitatis Conſtantinopolitanæ tempore abſentiæ Domini Imperatoris, & quòd gentes dictarum Galearum, & ipſi Baliſtarii jursbunt in manibus Imperatoris fideliter ſe habere. Et Capitanei eorum ſint, quos Imperator inſtituerit.

497 „ Item, quòd prædicti Ambaſſiatores habeant expenſas duarum Galearum groſſarum, tot quot expendi conſueverunt in armando tales Galeas. Item, quòd hujuſmodi Ambaſſiatores ſacri Concilii ituri cum prædictis Galeis Conſtantinopolim nominabunt Domino Imperatori Portum, ad quem ultimò debebit applicare, & locum unum de prænominatis, in quo eſſe debeat dicta univerſalis Synodus: Laborabunt tamen cum omni inſtantia, ut Civitas iſta Baſileenſis eligatur, prout ſperandum eſt.

498 „ Item, quòd hoc ſacrum Baſileenſe Concilium interim ſtabit firmiter in Baſilea, nec diſſolvetur, legitimo impedimento ceſſante, quo interveniente (quod Deus avertat) pro continuatione ſui, juxta diſpoſitionem Capituli *Frequens*, ad aliam Civitatem ſe transferet. Et in caſu, quòd Dominus Imperator non contentaretur de iſto loco, tunc infra menſem, poſtquam præfatus Dominus Imperator applicuerit ad dictum Portum ultimum, ſacrum Concilium ſe transferet ad unum de prædictis locis nominatis per ipſum ſacrum Concilium (ut ſupra dictum eſt) eligendum.

499 Item, quòd in omnem eventum prædicta omnia utrimque adimpleantur. Item, quòd prædicta omnia fient firmiori modo, & cum majore robore & ſecuritate, quo fieri poſſunt per ſacrum Concilium, videlicet per Decretum, & ſub Bulla. Item, quòd prædictis omnibus concluſis & concordatis, ac (ut præmittitur, firmiter roboratis, Summus Pontifex expreſſum præbeat aſſenſum per ſuas patentes literas. Et quòd prædicta omnia & ſingula intelligi debeant bona fide, ſine dolo & fraude, & abſqua impedimento legitimo, & manifeſto.

500 „ His omnibus adimpletis, dicunt ſupradicti Ambaſſiatores Græcorum, & promittunt, quòd omninò venient etiamſi bellũ foret, & inſtaret Civitati. Et ob earum omnium rerum confirmationem tradent mandatum præfati Imperatoris ſub Bulla Aurea ſacro Concilio, & pro prædicto Imperatore ipſi, & alii curabunt, ſcribendo & ſubſcribendo propter firmam & veram, quod fieri debeat cum Deo univerſalis ſancta Synodus, ſi mors Imperatoris non intervenerit, aut impedimentum aliquod manifeſtum & verum, quod fugi, vitarique non poſſit.

501 „ Poſtremò petitum eſt ab ipſis Ambaſſiatoribus Græcorum, ut exponerent quædam nomina in eorum inſtructionibus contenta. Et primò, quid intelligunt per verbum, *Synodus Univerſalis*; reſponderunt, quòd Papa, & Patriarchæ ſint in dicta Synodo per ſe, vel Procuratores ſuos; Similiter & alii Prælati ſint ibidem verè, vel repræſentativè, promittentes (ut ſupra) quòd Dominus Imperator Græcorum, & Patriarcha Cõſtantinopolitanus intererunt perſonaliter liberi, & inviolenti, hoc eſt, quòd unicuique liceat liberè dicere judicium ſuum ſine cujuſquam impedimento, vel violentia; ſine contentione, hoc eſt, ſine contentione rixoſa & contumelioſa: non tamen excluduntur diſputationes & collationes neceſſariæ, pacificæ, honeſtæ, & charitativæ. Apoſtolica & canonica hæc omnia quomodo intelligi debeant, & de modo procedendi in Synodo, remittunt ſe ad ea, quæ ipſa univerſalis Synodus declarabit & ordinabit. Item, quòd Imperator Græcorum, & eorum Eccleſia habeant honores ſuos, hoc eſt, quos habebat tempore exorti præſentis ſchiſmatis, ſalvis ſemper juribus, honoribus, privilegiis, & dignitatibus Summi Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ, & Imperatoris Romanorum. Et quòd, ſi qua dubitatio oriatur, detur declarationi univerſalis Concilii præfati. *Hactenus concordata.* Deinde lecta eſt Bulla Mandati Imperatoris Græcorum iiſdem Dominis Ambaſſiatoribus ſuis dati, ex Græco in Latinum ſermonem tranſlata, quæ ſic ſe habet.

Mandatum Imperatoris Græcorum ſub Bulla Aurea ſuis Ambaſſiatoribus datum, de Græco in Latinum tranſlata.

502 „ Quoniam miſſi fuerunt ad ſacroſanctum Concilium generale Baſileenſe noſtri, & Imperii noſtri Ambaſſiatores, familiaris noſter Protoveſtiarius Demetrius Palæologus Meotidies, & honorandiſſimus in ſacris Monachis Abbas Sacri Monaſterii Sancti Demetrii, & familiaris noſter Diſhypatus, ad Conſtitutionem à nobis ſolicitatì generalis, & œcumenici Concilii, pro unione præmeditata Eccleſiarum Chriſti, & dedimus eis Ambaſſiatoribus perfectam & plenam poteſtatem, & bayliam ſuper & in prædictis, mandat, diffinit, & ordinat Imperium noſtrum per præſens Chryſobolum ſuum, quod omnia, & ſingula, quæ ordinaverint, promiſerint, juraverint, fecerint, & conſtituerint per ſcripturam, ſive ſcripturas ſuper prædictis præfati noſtri Ambaſſiatores reputentur à noſtro Imperio, & affirmata ſint, tanquam

Digitized by Google

„ ſi à perſona noſtra præſentialiter facta, ordinata, promiſſa, & jurata forent; Et ſi contingeret impedimentum aliquod, vel mors in aliquo dictorum Ambaſſiatorum, tunc quod factum eſt, & promiſſum erit per duos ex eis, firmum & validum ſit, tanquam ſi per omnes tres factum foret. Et in robur & firmitatem prædictorum jurat Imperium noſtrum per juramentum debitum & condecens nobis, tanquàm chriſtiano fideli Imperatori, & per orationem & benedictionem ſancti mei Imperatoris Domini & Patris noſtri fœlicis memoriæ, & per animam meam. Factumque eſt præſens Chryſobolum Imperii noſtri à Mundi creatione ſexies milleſimo nongenteſimo quadrageſimo ſecundo, à Domini noſtri Jeſu Chriſti Nativitate milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, die undecima Novembris Conſtantinopoli in Palatio noſtro Imperiali, & ſubſcriptum literis rubeis manu noſtra propria, more Imperiali, cum pendenti aurea Bulla. *Hactenus Mandatum*, quo perlecto, ſtatim recitatæ ſunt literæ Patriarchæ Conſtantinopolitani per eoſdem Oratores ad ſacrum Concilium Baſileenſe directæ, hunc habentes tenorem.

Joſeph Dei gratia Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ, univerſalis Patriarcha, Reverendiſſimis Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ, & Reverendis Epiſcopis, & omnibus aliis devotis congregatis in Synodo Baſileenſi, condignam, & condecentem mitto vobis omnibus ea, quæ teneor charitate, & amicitia ſpirituali, ſalutem.

503 „ Literas Reverentiæ veſtræ recepimus per Reverendum Antonium Epiſcopum Sudenſem, & Fratrem Albertum de Criſpis Sacræ Theologiæ Magiſtrum, Oratores veſtros, ex quibus & etiam relationibus præfatorum benè notavimus optimam diſpoſitionem atq; intentionem Deo amabilem, quam veſtra Reverentia pro tota Chriſtianitate gerit, & ſpecialiter pro nobis, ideſt pro unitate Eccleſiæ Sanctæ Chriſti. Et ſuper hoc lætati fuimus maximè, quoniam hortamini nos pro illis, pro quibus & nos jamdiù hortati fuimus inſtanter Eccleſiam Romanam. Multotiès etiam ſcripſimus & miſimus illùc pro unitate prædicta, ut omnibus patet. Tantis autem Legationibus ex parte noſtra factis, & tanta ſolicitudine oſtenſa, non permiſerunt tamen circumſtantiæ rerum, ut finem acciperet noſtra voluntas & tractatus. Ad præſens igitur de iſtis, & eiſdem, & conſimili, & eadem diſputatione veſtræ Reverentiæ ſcribimus, quærentes fieri Concilium œcumenicum ſub præſentia omnium perſonarum debentium neceſſariò adeſſe, ſecundùm antiquum ordinem & conſuetudinem, & tale conſilium fieri canonicum, liberum, inviolatum, & ſimpliciter ſecundùm formas antiquorum œcumenicorum Conciliorum; & illud omne, quod, Deo dante, in tali Concilio unanimiter & concorditer concluſum fuerit, hoc firmum haberi indubitanter, & ſine contradictione, & lite quacumque. Quæ omnia dicta fuerunt, & conceſſa, & confirmata à Sancta Romana Eccleſia per plures Legationes ad eam noſtra parte factas. Impedita verò fuit iſtorum concluſio & effectus propter temporales circumſtantias, ut ſupra dictum eſt. Sed quoniam veſtra Reverentia in præſenti tempore promptitudinem ſuper iſtis oſtendit, per Legationem ſpecialem, quam fecit pro iſtis, & hortata fuit nos literis & relationibus ſuorum Oratorum, propter hoc & nos mittimus Ambaſſiatores noſtros familiarem Imperii Protoveſtiarium Demetrium Palæologum Metodem, & honorandiſſimum in ſacris Monachis Abbatem ſacri Monaſterii Sancti Demetrii, Iſidorum, & Joannem Diſhypatum, per quos petimus, & rogamus veſtram Reverentiam, quod ad hoc Deo amabile opus unionis conferatis omnem curam & ſolicitudinem, ut fiat, & concludatur dictum laudabile opus, veſtris ſtudio & diligentia noſtris correſpondentibus. Cùm verò ſint aliqua neceſſaria ad hoc, & ejus operis executivis, commiſimus de iſtis prædictis noſtris Ambaſſiatoribus, qui veſtræ Reverentiæ latiùs & clariùs omnia referent & manifeſtabunt, placeatq; veſtræ Reverentiæ eiſdem plenam fidem adhibere. Datum in Urbe Conſtantinopoli, MCDXXXIII. die xv. menſis Octobris. *Hactenus literæ Patriarchæ.*

504. His in Synodo recitatis, adjectum eſt Decretum tenoris ſequentis: „ Suprascripta igitur Capitula & conventiones hæc ſancta Synodus auctoritate univerſalis Eccleſiæ præſenti Decreto approbat, ratificat, & confirmat, ſtatuitque, & decernit, & pollicetur ea, & eorum quodlibet ſervare & inconcuſſa tenère, ut præmittitur. Quæ cùm ad incrementum Fidei orthodoxæ, utilitatemque Fidei Catholicæ, & totius Populi chriſtiani pertinent, omnibus Fidem Chriſti diligentibus, grata plurimùm & accepta eſſe debent. Et quoniam, ut præſcriptum eſt, ipſi Græci propter nonnullas cauſas poſtulant, ut Sanctiſſimus Dominus Eugenius Papa IV. dictis Capitulis & conventionibus expreſsè conſentiat, nè propter hoc tantum bonum negligatur, ipſum Eugenium hæc ſancta Synodus cum omni charitate obſecrat & deprecatur, ac per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, cum quanta poteſt inſtantia exorat ac requirit, ut in favorem Fidei, & Eccleſiaſticæ unitatis præfatis Capitulis & conventionibus Sy-

„ Synodali Decreto approbatis & ratificatis „ per ſuas literas, more Romanæ Curiæ bul- „ latas, expreſſum aſſenſum præbeat. *Hactenus Decretum*.

505 Imperator quoque Joannes Palæologus per eoſdem Oratores eidem Concilio ſcripſit alias literas ſub eadem die datas, ac ſuperiores Domini Patriarchæ, idem pariter initium habentes, videlicet, *Literas veſtrarum Reverentiarum recepimus*. Sed quoniam eundem habent tenorem, & ferè totidem verbis conſtant, eas tranſcribere ſuperfluum eſt. Cæterum in dicta Synodo uſque ad ſeſſionem xxiv. celebratam ferè biennio poſt, nil actum eſt in materia præfatæ unionis Græcorum. In prædicta porrò ſeſſione xix. de Judæis & Neophytis, & de his, qui volunt ad Fidem converti, nonnulla ſancita ſunt.

506 Porrò habita eſt ſeſſio xx. die xxii. Januarii, ineunte Anno MCCCCXXXV. ac promulgatum eſt Decretum contra Concubinarios; ac inſuper proviſum eſt circa excommunicatos vitandos, hoc edito Decreto: „ Ad vitandum ſcandala, & multa pericula, „ ſubveniendumque conſcientiis timoratis, „ ſtatuit etiam, quòd nemo deinceps à com- „ munione alicujus in Sacramentorum ad- „ miniſtratione,vel receptione, aut aliis qui- „ buſcumque divinis, vel extra, prætextu „ cujuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ Ec- „ cleſiaſticæ, ſeù ſuſpenſionis, aut prohibi- „ tionis ab homine, vel à jure generaliter „ promulgatæ, teneatur abſtinere, vel ali- „ quem vitare, aut Interdictum Eccleſiaſti- „ cum obſervare, niſi ſententia, prohibitio, „ ſuſpenſio, vel cenſura hujuſmodi, fuerit, „ vel contra perſonam, Collegium, Univer- „ ſitatem, Eccleſiam, aut locum certum, „ aut certam, à Judice publicata, vel denun- „ ciata ſpecialiter, aut expreſsè; aut ſi ali- „ quem ita notoriè excommunicationis ſen- „ tentiam conſtiterit incidiſſe, quòd nulla „ poſſit tergiverſatione celari,aut aliquo mo- „ do juris ſuffragio excuſari; nam à com- „ munione illius abſtineri vult, juxta cano- „ nicas ſanctiones. Per hoc tamen hujuſmo- „ di excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, „ aut prohibitos, non intendit in aliquo re- „ levari, nec eis quomodolibet ſuffragari. *Haſtenus Decretum*, quod poſtea in Concilio Lateranenſi ſub Leone Papa X. tit. 30. in concordato inter Leonem ipſum, & Franciſcum Francorum Regem renovatum eſt. Item & in Concilio Moguntino de Anno MDXIX. ſub Paulo III. Papa, cap. 104. pariter eſt innovatum. Denique in eadem ſeſſione aliud editum eſt Decretum de non leviter ſupponendis Interdicto Civitates, Oppida, Caſtra, Villas, & loca; & denique de non recipiendis ſrivolia appellationibus.

507 Seſſio inde xxi. celebrata eſt die ix. Junii ejuſdem Anni, in qua plura ſancita ſunt ad reformationem ſpectantia, præcipuè de Annatis, de pacificis poſſeſſoribus, de modo celebrandi in Eccleſia, & extra Chorum Divinum Officium, de iis, qui Choro intereſſe debent, & alia hujuſmodi ad cultum divinum ſpectantia.

508 Die verò xv. menſis Octobris habita eſt ſeſſio xxii. in qua condemnatus eſt libellus Fratris Auguſtini de Roma Epiſcopi Nazareni, has continentes Propoſitiones: I. Chriſtus quotidie peccat, & ex quo fuit Chriſtus quotidie peccavit. Licèt hanc propoſitionem explicet, ſe non intelligere de Chriſto Jeſu Salvatore Capite Eccleſiæ, ſed de membris ſuis, quæ cum Chriſto Capite unum eſſe Chriſtum aſſerit. II. Non omnes fideles juſtificati ſunt membra Chriſti, ſed ſoli electi, finaliter in perpetuum regnaturi cum Chriſto. III. Non ſufficit Chriſto uniri vinculo charitatis, ut aliqui efficiantur membra Chriſti, ſed requiritur alia unio. IV. Humana natura Chriſti verè eſt Chriſtus. V. Humana natura in Chriſto eſt perſona Chriſti, VI. Ratio ſuppoſitalis determinans humanam naturam in Chriſto, non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata. VII. Natura humana in Chriſto proculdubio eſt perſona Verbi: Et Verbum in Chriſto natura aſſumpta, eſt realiter perſona aſſumens. VIII. Natura humana aſſumpta à Verbo ex unione perſonali, eſt veraciter Deus naturalis & proprius. IX. Chriſtus ſecundùm voluntatem creatam tantùm diligit naturam humanam unitam perſonæ Verbi, quantùm diligit naturam divinam. X. Sicut duæ perſonæ in divinis ſunt æqualiter diligibiles, ita duæ naturæ in Chriſto, humana & divina ſunt æqualiter diligibiles propter perſonam communem. XI. Anima Chriſti videt Deum tàm clarè & intensè, quantùm clarè & intensè Deus videt ſeipſum.

509 Anno inſuper MCCCCXXXVI. menſe Martii, die videlicet xxv. ejuſdem celebrata eſt ſeſſio xxiii. in qua primùm actum eſt de electione Summi Pontificis, & præſcripta eſt forma illum eligendi: Electo verò formula Fidei profitendæ deſignata eſt, in qua inter cætera continetur, ut profiteatur cum cæteris Conciliis Generalibus ſe recipere & tenère Concilium ipſum Generale Baſileenſe. Numerus porrò Cardinalium, qui non excedat numerum viginti quatuor alio Decreto præfixus eſt. Porrò ſancitum eſt, ut non fiant Cardinales Nepotes ex Fratre, vel Sorore Romani Pontificis, aut alicujus Cardinalis viventis; & quòd eorum electio non fiat per auricularia vota, ſed ſolùm illi aſſumi poſſint, in quos facto vero ſcrutinio ac publicato, majorem partem Cardinalium per ſubſcriptionem manus propriæ conſtiterit collegialiter conſenſiſſe. Ipſis pariter præſcripta eſt quædam juramenti formula; ac inde pro conſervandis eorum titulis nonnullæ regulæ ordinatæ ſunt. Denique edita ſunt

De-

Decreta de Electionibus, & de Reſervationibus, & dimiſſa eſt ſeſſio.

510 Verùm antequàm agamus de geſtis in ſeſſione XXIV. in qua reaſſumptus eſt tractatus in negotio unionis Græcorum, operæpretium eſt ad perfectam notitiam omnium geſtorum ea quoque referre, quæ extra ipſum Concilium acta ſunt. Hinc ſciendum eſt, Eugenium Papam nedùm ſolicitaſſe Joannem Palæologum ad opus prædictæ unionis, verùm & binis literis etiam Imperatorem Trapezundarum, qui ſe paratum eſſe reſpondit, eidem unioni adhærere, datis ſequentibus literis,

Sanctiſſimo, & Beatiſſimo in Chriſto Patri & Domino Eugenio IV. Summo Pontifici Romano ſuo Reverendiſſimo Morame Megatonenus Imperator Trapezundarum.

511 „ Sanctiſſime & Beatiſſime Pater & „ Domine in Chriſto. Binas ſeries ejuſdem „ Sanctitatis veſtræ per Galeam Venetorum „ ſuſcepiſſe ſciveritis, ſingularem Romæ da„ tam, alteram quoque Florentiæ. Gratiſ„ ſima nobis contenta in ipſis cordiali mente „ percepimus, requiſitioni ſiquidem præli„ batæ Sanctitatis cum toto noſtro Imperio „ læto animo aſſentire diſpoſiti, quis enim „ dignus illius lucis videre conſpectum ma„ gno deſiderio optandum? Parcat Deus il„ lis, quibus non eſt timor Dei, eandem San„ ctitatem vexare curioſam tanti boni operis „ merita adimplere. Rogamus Altiſſimum, „ ut dignetur in prædictis taliter diſponere, „ ut nulla interveniat cauſa, quæ obſtet præ„ libatæ Sanctitati ab inceptis deſiſtere, ut „ optatur. Dat. Trapezundis MCDXXXIV. „ die VIII. Octobris. *Hactenus literæ hujus Imperatoris.* Cùm verò Baſileenſes Patres, Eugenio inconſulto, cum Græcis conveniſſent Oratoribus, ut pro Eccleſiarum unione Baſileæ, aut ſaltem in Italia Concilium celebraretur; Pontifex miſſo Chriſtophoro Garatone ad Imperatorem Græcorum Legato, eorum voluntati, ut nimirum Concilium Generale pro præfata unione Conſtantinopoli celebraretur, ſe accomodarat, cui nomine Occidentalis Eccleſiæ præeſſet Apoſtolicæ Sedis Legatus, quandoquidem ſic olim actum fuerat, & inpræſentiarum ex copia Græcorum Præſulum eidem Concilio Conſtantinopoli intereſſentium, perfectiùs unio conſtabiliri poterat, quàm ſi pauci ex illis in Occidente concurrerent, ut olim in Concilio Lugdunenſi, quorum geſta poſtea alii facilè reſcinderent. Quo ex parte Eugenii inito cum Imperatore Græcorum tractatu, reverſus præfatus Legatus, ab ipſo Eugenio miſſus eſt Baſileam ad informandum Concilium de geſtis hac in re ex ſua parte cum Imperatore Græcorum, datis ad ejuſdem Concilii Patres ſequentibus literis.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus fratribus, & dilectis filiis in ſacro Baſileenſi Concilio congregatis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

512 „ Mittimus illùc dilectum filium „ Chriſtophorum Garatonum Magiſtrum in „ artibus, Secretarium & familiarem noſtrũ, „ quem anno præterito circa ſanctiſſimæ „ unionis materiam inter Occidentalem, & „ Orientalem Eccleſias Conſtantinopolim „ miſimus. Rediit autem, & circa materiam „ prædictam plenè de omnibus informatus „ eſt. Quamobrem fraternitates & devotio„ nes veſtræ in tam ſancto & divino opere, „ illum audire velint, ſibique in relationi„ bus ſuis plenam & credulam fidem adhibe„ re. Datum Florentiæ, Anno Incarnationis „ Dominicæ MCCCCXXXIV. decimo Kal. „ Martii, Pontificatus noſtri Anno IV. *Hactenus Eugenii literæ.* At Baſileenſes hujuſmodi conventis cum Græcorum Imperatore, & Eugenii Legato aſſentiri noluerunt, & poſt varias deliberationes habitas in eodem Concilio, tandem decretum fuit, eſſe mittendos ſolemnes Legatos ad ipſum Imperatorem, ut ei perſuaderent viam ab Eugenio Papa per ſuum Legatum propoſitam ad Eccleſiarum unionem non eſſe proficuam: pro votivo ejuſdem unionis effectu, neceſſarium eſſe œcumenicum Concilium, cui intereſſent ſimul Orientales, & Occidentales; & hoc attentis præſentis temporis circumſtantiis, in Occidente celebrandum, & quidem Baſileæ, vel ad extremum in alia Italiæ Civitate. Quo deliberato, reſcripſerunt Eugenio, ut infra.

Sacroſancta Generalis Synodus &c. Sanctiſſ. Domino Eugenio Papæ Quarto,

513 „ Veniens ad nos dilectus Eccleſiæ „ filius Chriſtophorus Garatonus Orator ve„ ſter, expoſuit huic Sanctæ Synodo ſerio„ sè ac diſcretè ea, quæ apud Conſtantino„ polim egerat, quibus per ſacras ipſius San„ ctæ Synodi deputationes plenè, maturèque „ diſcuſſis, ac conſideratis omnibus, quæ in „ tanta re attendenda ſunt, viſum eſt honori „ hujus ſacri Concilii, ac Sanctitatis veſtræ, „ Imperatoriſq; & Patriarchæ Conſtantino„ politani, ipſius quoque executioni multò „ magis expedire, ut Capitula apud hanc „ Sanctam Synodum primò tam ſolemniter „ concluſa nomine univerſalis Eccleſiæ, ip„ ſiuſque Imperatoris, & Patriarchæ per eo„ rum Ambaſſiatores plenum deſuper haben„ tes mandatum, quibus poſtea Sanctitas ve„ ſtra expreſſum præbuit aſſenſum, amplecti „ potiùs, quàm ſecunda apud Conſtantino-

po-

Digitized by Google

„ polim conventa debeamus, prȩſertim cùm
„ ipſi Græci tam primi, quàm ſecundi Am-
„ baſſiatores ſæpènumero profeſſi ſint ſine
„ univerſali Synodo hanc unionem fieri ne-
„ quaquàm poſſe, nec factam, diù durare
„ poſſe. Quòd ſi quiſquàm dixerit, ſatis eſſe
„ ipſos eam cxiſtimare futuram Synodum
„ uuiverſalem, licèt nos particularem, ſeù
„ regionalem cenſeamus, judicet unuſquiſ-
„ que quautum hoc expediat, & quem finem
„ res habitura ſit, ſi ad tollendas diſcordias
„ præcedentes uovam ſuperinducamus di-
„ ſcordiam: Et de ipſa Synodo, quæ funda-
„ mentum hujus rei cſt, varia atque diverſa
„ hincinde cenſeantur, ueque illud viſum
„ eſt expedire, ut certitudo Fidei catholicæ,
„ qua nihil firmiùs atque certiùs apud Ec-
„ cleſiam eſſe poteſt, quaſi per compromiſ-
„ ſum quoddam in Legato, vel Legatis, &
„ aliis ex parte Græcorum convenientibus,
„ remitti debeat, ut quòd illi ſuper differen-
„ tiis, quæ inter nos, & Græcos fidem ipſam
„ tangentibus, concorditer deliberaverint,
„ id per totam Eccleſiam ratum habeatur;
„ nec etiam ullo pacto viſum eſt univerſa-
„ lem Synodum hoc tempore apud Con-
„ ſtantinopolim iu ſaucibus Turcarum ſitam,
„ potiùs quàm apud terras, quæ Romanæ
„ Eccleſiæ unitatem tenent, celebrari debe-
„ re. Super quibus tam ipſe Chriſtophorus,
„ quàm Oratores noſtri, mox ad Sanctita-
„ tem veſtram venturi, eandem pleniùs &
„ latiùs certificabunt. Datum Baſileæ tertio
„ Nonas Maii, Anno Dñi MCCCCXXXV.
Hactenus literæ. Deſtinati porrò fuerunt Am-
baſſiatores ad Imperatorem, & Græcorum
Patriarcham Frater Joannes de Raguſio Præ-
dicatorum Ordinis Profeſſor, & iu Sacra
Theologia Magiſter, Henricus Menger De-
cretorum Doctor, & Canonicus Conſtan-
tienſis, & Simon Feiron Baccalaureus iu
Sacra Theologia, & Canonicus Aurelia-
nenſis.

514 Hi ergò Conſtantinopolim venien-
tcs, Decretum emanatum pro Græcorum
unione in ſeſſione XIX. Imperatori exhibue-
runt, hoc habens proœmium: „ Sicut pia
„ mater pro filiorum ſalute ſemper anxia cſt,
„ nec unquam quieſcit, donec, ſi qua inter
„ ipſos diſſenſio ſit, ſopita fuerit; ſic & mul-
„ tò ampliùs Sancta Mater Eccleſia, quæ
„ filios ad perpetuam vitam regenerat, omni
„ conatu laborare conſuevit, ut omnes, qui
„ chriſtano nomine cenſentur, ſublato omni
„ diſſidio, eandem Fidei unitatem, ſine qua
„ ſalus eſſe non poteſt, fraterna charitate
„ cuſtodiant. Quamobrem hujus ſanctæ Sy-
„ nodi ab initio ſuæ Congregationis præci-
„ pua cura fuit, Illud recens Bohemorum, an-
„ tiquumque Græcorum diſſidium prorsùs
„ cxtinguere, & eos nobiſcum in eodem Fi-
„ dei & charitatis vinculo perpetuò copula-
re. *Hactenus Proœmium.* Inſra verò pro Grȩ-
cis reducendis ſequitur Decretum incipiens,
Ambaſſiatores Sereniſſimi Domini, quod ſupra
recitatũ eſt. Peròrarunt inde apud Sereniſſi-
mum Imperatorem, ut ipſum adducerent ad
aſſentiendum, ut in Concilio Baſileenſi Ec-
cleſiarum unio tractaretur, & abſolveretur;
& diviſa oratione in tres partes, ſinguli unam
partem recitarunt, incipiente Fratre Joanne
Raguſino, qui ſic affatus eſt.

Prima pars Orationis.

515 „ Majeſtas veſtra, Sereniſſime Impe-
„ rator, licèt omnium virtutum officiis de-
„ dita ſit, & totius honeſtatis moribus ador-
„ nata, nihil tamen Regali dignitati veſtræ
„ decentiùs eſt, nihil Imperiali veſtræ Maje-
„ ſtati ampliùs convenit, quàm procurare
„ pacem Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ. Neque
„ enim, ut egregius Doctor Auguſtinus ait,
„ Chriſtianos Reges, vel Imperatores fœli-
„ ces eſſe dicimus, quia diutiùs imperant,
„ vel quia filios ſuos reguantes & imperan-
„ tes relinquunt, vel quia hoſtes Reipubli-
„ cæ potenter domant; quoniam hæc, & alia
„ hujus vitæ ærumnoſæ munera, ſive ſolatia
„ gentiles & infideles Principes à Deo fre-
„ quenter obtinent, qui tamen non perti-
„ nent ad Regnum Dei, quo tendere debent
„ Principes Catholici, ſed fœlices Reges &
„ Imperatores chriſtianos eſſe dicimus, ſi ju-
„ ſtè imperant, ſi Deum timent, ſi Deum
„ colunt, ſi Deum dligunt, ſi poteſtatem eis
„ à Deo datam ad dilatandum cultum Dei
„ Divinȩ Majeſtati ſervire faciunt. Fœlicem
„ verò non immeritò dixerim, animam ge-
„ nitoris veſtri piæ & recolendæ memoriæ,
„ qui pro Fide catholica, & pace Eccleſiæ
„ diebus ſuis plurimùm laboravit, Italiam,
„ Franciam, Angliam, & plurima alia Chri-
„ ſtianitatis Regna pro ſancta unione Eccle-
„ ſiæ Occidentalis & Orientalis laborioſiſſi-
„ mè peragravit. Et licèt diebus ſuis illam
„ videre non potuit, tamen deſideriorum ſuo-
„ rum meritum laborum prȩmium ſuorum
„ non perdidit apud Deum. Fœlix etiam non
„ immeritò dici poteſt Majeſtas veſtra Impe-
„ rialis: Fœlix, inquam, nunc ſpe futuræ
„ Beatitudinis, poſtea per gratiam Dei re ip-
„ ſa futura, pro eo quod zelum Dei habet ad
„ pacem Eccleſiæ Catholicæ.

516 „ Scimus enim, quòd Majeſtas ve-
„ ſtra Summos Pontifices noſtros, præſertim
„ Dominum Martinum bonæ memoriæ, nec-
„ non Sanctiſſimum Dominum modernum
„ ſolicitavit, & per plures ambaſſiatas requi-
„ ſivit, ut hoc neſandum ſchiſma inter Ec-
„ cleſiam Occideutalem, & Orientalem de
„ medio tollerent, per quod Fides catholi-
„ ca tantam jacturam patitur, quòd Infide-
„ les totam penè terram Chriſtianorum oc-
„ cupare videntur. Sed ubi fructus laborum
„ veſtrorum, Sereuiſſime Imperator? Cùr
cha-

Digitized by Google

„ chariſſimus Genitor veſter pacem Eccleſiæ „ videre non potuit, qui pro ea (ſicut præ- „ dictum eſt) tot labores ſuſtinuit? Certè „ ratio fundamentalis omnium per nos dicen- „ dorum hæc eſt, quoniam materia diſſidii „ inter Græcos, & Latinos non poteſt tolli, „ niſi per viam generalis & univerſalis Con- „ cilii. Et quoniam Summi Pontifices no- „ ſtri tollere illud ex ſeipſis ſine Concilio ge- „ nerali conati ſunt, ideò ad pacem Eccleſiæ „ proficere non potuerunt.

517 Petierunt ob hanc cauſam pruden- „ tiſſimè, & quaſi ſpiritu Dei loquentes in „ ſacro Concilio Baſileenſi Oratores inſignes „ Majeſtatis veſtræ, videlicet Dominus De- „ metrius, Iſidorus Abbas Monaſterii Sancti „ Demetrii, & Joannes Dishypatus, fieri „ Concilium œcumenicum, ideſt univerſale „ ex utraque Eccleſia Occidentali, & Orien- „ tali congregatum, duo coràm Patribus „ præfati Concilii conſtanter affirmantes: „ Primùm, quòd abſque tali Concilio œcu- „ menico non poſſet tolli diſſidium. Secun- „ dum, quòd ſi fieret ipſa unio, ut ſperabant, „ votivum ſortiretur effectum. Quoniam „ quidquid per utramque Eccleſiam ibidem „ congregatam eſſet, Deo inſpirante, diffini- „ tum, firmiter crederetur, & uſque in futu- „ ra ſemper ſæcula integrè & inviolabiliter „ teneretur. Narraverunt etiam devotionem „ grandem, quam Majeſtas veſtra imperia- „ lis ſemper habuit ad pacem Eccleſiæ. Re- „ tulerunt etiam ferventiſſimum zelum, quem „ Reverendiſſimus in Chriſto Pater Domi- „ nus Patriarcha Conſtantinopolitanus ge- „ rit pro ſancta unione; cujus devotionis „ non parva indicia dediſtis, quandò rogati „ per Dominum Epiſcopum Sudenſem, & „ Magiſtrum Albertum de Criſpis Ambaſſia- „ tores ſacri Concilii, ut Oratores veſtros „ ad præfatum deſtinaretis Concilium, li- „ benter aſſentientes, vos Viros inſignes ad „ hoc ſanctum opus unionis conficiendum „ deſignaſtis, quibus honorificè receptis &c. „ & in Concilio auditis, pro eo quod hæc „ ſancta unio ſine practica fieri non poterat, „ ſtatim per ſacrum Concilium deputati ſunt „ ex majoribus Cardinales præſidentes Sedis „ Apoſtolicæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ab- „ bates, Doctores, & Magiſtri in numero „ competenti, qui unà cum prædictis Ora- „ toribus multis diebus convenientes, & rem „ iſtam maturè tractantes, devenerunt ad „ certa Capitula, quæ ſecundùm morem præ- „ fati Concilii Baſileenſis, fuerunt per qua- „ tuor deputationes concordata, poſtea in „ generali Congregatione concluſa, deinde „ in ſolemni & publica ſeſſione, Miſſa de „ Spiritu Sancto in majori Eccleſia celebra- „ ta, Statuto, ſive Decreto ad perpetuam „ rei memoriam roborata & firmata; ibique „ coràm Altari, in præſentia totius Concilii, „ propoſitis ſacris Evangeliis, & Cruce Do- „ minica, ipſo Domino Iſidoro cum Stola ju- „ rante, eadem Capitula per ipſos Oratores „ veſtros jurejurando fuerunt approbata. „ O' fœlix dies, in qua arrham futuræ unio- „ nis & vobis dedimus, & à vobis ſuſce- „ pimus.

518 „ Decrevit enim Sacrum Concilium, „ juxta deſiderium veſtrum, inter cætera Ca- „ pitula fieri Concilium œcumenicum, ideſt, „ ex utraque Eccleſia congregatum, in quo „ unio, & pax votivum ſortiri poſſit effe- „ ctum. Suſceperunt etiam Patres ſacri Con- „ cilii Baſileenſis loca nominata per Orato- „ res veſtros pro celebratione hujuſmodi „ Concilii œcumenici, ita tamen, ut op- „ tio loci ex illis nominatis maneat in bene- „ placito præfati Concilii Baſileenſis, ſicut „ patet clarè, & dilucidè ex lege & tenore „ Decreti. Porrò intelligitur Summus Pon- „ tifex implicitè Decretis ſacri Concilii con- „ ſentire, quandò ſacro Concilio adhæſit, „ & ipſum auctoritate Apoſtolica approba- „ vit. Sed non fuit contentum Concilium „ ſacrum, niſi juxta petitionem Ambaſſia- „ torum veſtrorum ipſe Sanctiſſimus Domi- „ nus noſter explicitum præberet ſuæ San- „ ctitatis aſſenſum, licèt inſuper Præſiden- „ tes Sedis Apoſtolicæ ſeſſioni interfuerint, „ in qua hoc ſaluberrimum Decretum fuit „ publicatum, decretationique conſenſerint, „ vigore quoque mandati ſui quidquid ipſi „ egerunt, actum cenſeri debeat ab ipſo Sum- „ mo Pontifice. Nihilominùs, prout in De- „ creto fuerat præmiſſum, ſuperaddidit ſa- „ crum Concilium Dominum Simonem Frei- „ ron conſocium noſtrum tranſmittere ad ip- „ ſum Summum Pontificem, & offerre ſuæ „ Sanctitati Decretum, & petere ſuæ San- „ ctitatis conſenſum, quatenus res cum „ majori concordia fieret, & ad pacem, „ quam nos, & vos deſideramus, magis pro- „ ficeret.

519 „ Utinam, Sereniſſime Imperator, „ ipſum Sanctiſſimum Dominum noſtrum „ æquè dignè poſſemus commendare, quan- „ tùm commendabilis eſt, pro ſua devotio- „ ne, quam gerit erga pacem Eccleſiæ. Vi- „ dens enim, quòd ſacrum Concilium manus „ apponeret efficaces ad hoc ſacrum nego- „ tium, audiens etiam per organum Domini „ Simonis, quòd in ſe contineret decretum, „ ignorans quid Orator ſuus Dominus Chri- „ ſtophorus in Conſtantinopoli concluderet, „ & quid etiam concluſiſſet, determinationi „ ſacri Concilii ſubjiciens approbavit De- „ cretum de conſenſu Reverendiſſimorum Pa- „ trum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardina- „ lium. Reverſus eſt itaque Dominus Si- „ mon cum Benedictione Apoſtolica, depor- „ tans ad Sacrum Concilium literas Apo- „ ſtolicas, expreſſum Summi Pontificis con- „ tinentes aſſenſum. Et ecce quæ facta ſunt „ inter Concilium ſacrum ex una parte, &

,, Oratores veſtros ex altera, circa Decre-
,, tum in materia Decreti. Et hæc eſt prima
,, Pars Orationis. *Dominus Henricus me-*
,, *diabit*.

Secunda Orationis pars à Domino Henrico pronunciata.

520 ,, Audiviſtis, Sereniſſime Impera-
,, tor, per organum Domini mei præloquen-
,, tis, quòd materia diſſidii inter Eccleſiam
,, Occidentalem & Orientalem non poteſt
,, tolli, niſi per viam univerſalis Concilii:
,, ſcit etiam Majeſtas veſtra Imperialis, Ora-
,, toras veſtros inſignes petiviſſe ſemper
,, œcumenicum fieri Concilium, in quo pax
,, Eccleſiæ votivum ſortiretur effectum.
,, Nunc igitur habeo declarare Imperiali
,, Majeſtati veſtræ, quare ſacrum Concilium
,, viam ſecundam, quæ hìc in Conſtantino-
,, poli fuerat concluſa, noluit acceptare.
,, 521 ,, Certè ratio fundamentalis hæc
,, eſt: quoniam Concilium œcumenicum non
,, indicitur per Capitula in illa via practica-
,, ta, ſed ſolùm particulare & regionale.
,, Dicitur enim in illis Capitulis inter cæte-
,, ra: *Fiat Synodus Generalis ex latere Ec-*
,, *cleſiæ Orientalis ex omnibus Nationibus ipſi*
,, *Eccleſiæ Orientali adhærentibus & ſubje-*
,, *ctis*. Item ſecundùm practicam illius viæ
,, Legatus Sedis Apoſtolicæ venturus erat
,, Conſtantinopolim, diſputaturus de diffe-
,, rentia Latinorum & Græcorum. Manife-
,, ſtum eſt autem, quòd unus Legatus Sedis
,, Apoſtolicæ non poteſt repreſentare Syno-
,, dum œcumenicã ex parte Eccleſiæ Orien-
,, talis. Quare practica illius viæ excludit
,, œcumenicum & univerſale Concilium no-
,, ſtrum. Tamen, ut prædictum eſt, pro
,, perficienda ſancta unione ampliùs vis illa
,, ſecunda, ſi habuiſſet locum, & novæ di-
,, viſionis erat fomentum, & majoria diſcor-
,, diæ præbuiſſet incentivum. Putaſſent
,, Græci Synodum, quæ per iſta indicebatur
,, Capitula univerſalem fore debuiſſe, nos
,, verò particularẽ & regionalem. Quis fructus
,, ſequi poterat unionis, quam optamus, ſi
,, de ipſa Synodo, quæ fundamentum pacis
,, & unionis eſſe debuerat, varia & diverſa
,, ſentiamus? Certè non modò non ſequeba-
,, tur pax & unio, ſed major quàm nunquam
,, fuerat, ſurgebat ſciſſura atque diviſio. Græ-
,, ci octavam Synodum particularem & re-
,, gionalem eſſe dicunt, nos illam quaſi uni-
,, verſalem reputamus. Quid opus eſt diſcor-
,, diam diſcordiæ addere, & ſciſſuram novã
,, antiquis diviſionibus accumulare? Non ſit
,, inter nos diſcordia de Synodo futura: ſi ad
,, unionem tendimus, in fundamento con-
,, cordemus. Si pacem quærimus, opus eſt
,, ut fundamentum pacis jacismus.
522 ,, Hæc omnis intelligentes Ambaſ-
,, ſiatores Majeſtatis veſtræ, tàm primi, quàm
,, ſecundi, dimiſſa ſecunda via, acquieverunt
,, primæ viæ, requirentes inſtanter ſacrum
,, Concilium, ut, poſtquàm ſecunda via non
,, placebat, primam perſequeretur, & De-
,, cretum ad executionem deduceret. Et quo-
,, niam ſacrum Concilium dubitavit, an pro-
,, pter concluſa hìc in Conſtantinopoli,
,, Majeſtas veſtra vellet primę vię acquieſce-
,, re, præfati Ambaſſiatores exhibuerunt
,, quoddam Breve Imperialis Majeſtatis ve-
,, ſtræ, per quod Majeſtas veſtra plenam eis
,, conceſſit poteſtatem. Quòd ſi prædictam
,, viam non poſſent à ſacro Concilio obtine-
,, re, inſiſterent totaliter primæ viæ. Aſſe-
,, ruitque publicè Dominus Georgius, Re-
,, verendiſſimum Dominũ Patriarcham Con-
,, ſtantinopolitanum ſibi dixiſſe inter cæters,
,, quòd ſi ſacrum Concilium nollet ſecundæ
,, viæ, quæ hìc fuerit concluſa, mallet per-
,, ſiſtere in prima via concluſa in Baſilea: ſi
,, opus eſſet, faceret ſe deferri in humeris,
,, & propter mandatum datum primis Am-
,, baſſiatoribus, & jusjurandum, non diſce-
,, deret à promiſſis & concluſis. Sed & Do-
,, minus Chriſtophorus Garstonus Orator
,, Sanctiſſimi Domini noſtri, qui illis diebus
,, Baſileam venerat, deportavit literas Apo-
,, ſtolicas ad ſacrum Concilium, in quibus
,, Sanctiſſimus Dominus noſter totum hoc
,, ſacrum negotium Concilio remittebat:
,, cujus optioni commiſit, ut quàm vellet
,, viam eligeret, vel concluſam primò in
,, Baſilea, vel aliam hìc in Conſtantinopoli
,, concluſam: & quidquid in his per ſacrum
,, Concilium deliberaretur, ipſe approba-
,, ret. Tandem igitur ipſum ſacrum Conci-
,, lium, & ipſi Oratores Majeſtatis veſtræ
,, primam viam iterum firmaverunt, & de-
,, terminaverunt illam proſequi, donec, Deo
,, auctore pacis largiente, per iſtam viam
,, pax reddatur Eccleſiæ Sanctæ. O' fœlix
,, hora, qua dici poterit Græcorum & La-
,, tinorum Eccleſia una! O' beatos oculos,
,, quibus Dominus dabit ſtatim videre unio-
,, nem!
523 ,, Sperant Patres in ſacro Baſileenſi
,, Concilio congregati diebus ſuis videre
,, pacem Eccleſiæ, pro qua orant ſine inter-
,, miſſione. Quoniam nos & vos magnum
,, zelum pacis habuiſſe oſtendimus, quid
,, ſupereſt, niſi ut bonam voluntatem per
,, operis evidentiam ad conſummationem
,, uſquequare perducamus? Majus quod in
,, hac re ſit, bona voluntas eſt: hanc utraque
,, pars ſe habere aſſerit, & ſignis evidenti-
,, bus comprobavit. Apponamus jam manus
,, ad executionem operis. Intentio enim
,, ſacri Concilii Baſileenſis eſt, ut ex parte ſua
,, non pereat unus apex, vel unum jota de le-
,, ge ſui Decreti. Quare etiam Majeſtas ve-
,, ſtra debet manus apponere ad hoc opus
,, ſanctiſſimum perficiendum, cùm jam tem-
,, pus habet opportunum; *ne fortè*, juxta
ver-

„ verbum Salvatoris, *veniat nox, in qua nemo poſſit operari*. Timendum eſt enim valdè, quòd, ſi noluerimus hoc bonum operari dùm tempus habemus & poſſumus, illud alio tempore non poſſimus cùm voluerimus, Turcis, Tartaris, Sarrscenis, & aliis infidelibua juſto Dei judicio occulto Chriſtianos ita præmentibus, ut etiam ad inchoandum hoc opus aſpirare fas non ſit, Ex quibus omnibus Majeſtas veſtra Imperialis poteſt perpendere, quòd ex juſta cauſa & rationabili ſacrum Concilium dimiſit ſecundam viam, quæ ſuerat concluſa hic Conſtantinopoli, intenditque primam viam proſequi ad honorem Omnipotentis Dei. Et hæc eſt ſecunda pars Orationis noſtræ. Dominus Simon conſummabit.

Tertia pars ejuſdem Orationis pronunciata à Domino Simone.

524 „ Meminiſtis, ut opinor, Sereniſſime Imperator, verbi, quod ex ore Imperiali proceſſit: Promiſiſtis in animam genitoris veſtri bonæ memoriæ, & in animam veſtram, necnon per fidem, qusm Princeps Catholicus tenère debet & ſervare, gratum, ratumque habere quidquid Oratores veſtri pro ſancta unione Eccleſiarum Chriſti cum ſacro Baſileenſi Concilio concluderent, ſicut patet ex tenore Chriſobuli. Quapropter veſtram exhortamur in Domino Imperialem Majeſtatem, & petimus, quatenus Majeſtaa veſtra, & etiam Reverendiſſimus Dominus Patriarcha, velitis in perſonis propriis jurejurando, & per Bullaa Auream & plumbeam more ſolito ratificare, & quantum in vobis eſt, executioni demandare ea omnia, quæ per Oratores veſtros pleniſſimo mandato ſuffultos in publica ſeſſione cum ipſa ſancta Synodo unanimiter vos ipſi concluſiſtis, & in altari celebrata Miſſa de Spiritu Sancto, ſuper Sanctis Evangeliis ſolemniter firmaſtis. Secundò petimus, cùm tempus in Decreto ſtatutum effluxerit, nè circumſtantiæ rerum impediant hoc tàm ſanctiſſimum negotium, quatenus debitum tempus ſtstnatur pro executione concluſorum, in quo Majeſtas veſtra poſſit exequi quod juravit, & Eccleſia noſtra operari quod promiſit, præſertim quia ſi tempus effluxerit, culpa veſtra nulla fuit. Quoniam firmiter credimus, quòd ſi Veſtra Majeſtas notitiam habuiſſet eorum, quæ in Baſilea facta fuerunt, nullo modo aliam viam attentaſſet. Et ex alio capite Majeſtas veſtra totaliter immunis eſt à culpa, quia putavit, quòd ſacrum Concilium conſentiret in ſecunda via. Similiter neque fuit culpa Sanctiſſimi Domini noſtri, quia licèt Sanctitas ſua miſiſſet hùc Dominum Chriſtophorum ad tractandum pacem Occidentalis, & Orientalis Eccleſiarum, tamen hoc totum negotium remiſit ad ſacrum Concilium. Sed nec ipſa ſacra Synodus peccavit, quia ad exequendum Decretum ſuum ſemper parata eſt, & erit: pro cujua etiam executione nos Oratorea ſuos hùc tranſmiſit. Quid ergò? Zelus Domus Dei hoc fecit, ut eodem tempore plures concurrerent ſequentes doctrinam Evangelicam: *Simile eſt Regnum Cœlorum homini quærenti bonas margaritas: inventa autem una precioſa, vendidit omnia quæ poſſidet & comparavit eam*.

525 „ Poſtremò, Sereniſſime Imperator, ſicut in mandatis habemua, petimus locum opportunum ad celebrandum Concilium œcumenicū, in quo pax Eccleſiæ votivum ſortiatur effectum. Et dicimus, quòd ſecundùm diſpoſitionem Chriſtianitatis, prout his diebus, proh dolor! diſpoſita eſſe cernitur, non eſt locus aptior ad celebrandum hujuſmodi Concilium œcumenicum, quàm Civitas Baſileenſis. Utinam rationes congruentiæ poſſem Majeſtati veſtræ linguâ Græcâ exprimere, quoniam apud voa meliùs reſonarent, quàm in Latino Sermone. Sed lingua deficit, regio vetat, parentes minimè docuerunt: verùm ſi lingua deficit, charitas magis inardeſcit. Quemadmodum enim Sol cum nube tegitur, exteriùs non lucet ſuper terram, ſed interiùs ardet in Cœlo; ſic cum majori loquimur charitate, quantò magia lingua neſcit uti Græco idiomate.

526 „ Cæterùm plurea occurrere poſſent circa materiam loci opportunitates, quaa longum eſſet enarrare: ſed ex multis quinque colligimus, quas Imperiali Majeſtati veſtræ proponere volumus. Prima ſumitur ex quiete loci, quoniā illa regio eſt pacifica, quieta & tranquilla, & per conſequens aptiſſima ad tractandam pacem Eccleſiæ, ſicut ſcriptum eſt, *in pace factus eſt locus ejus*, propterea Concilium œcumenicum, cui Spiritum Sanctum oportet aſſiſtere, omninò fieri in hujuſmodi loco tranquillitatis, & pacis. De cæteris verò partibus Chriſtianitatis, quod dolenter referimus, omnes ferè guerris lacerantur, atque etiam conſummuntur &c. Sola illa Civitas & regiones circumſtantes, quæ ſuper Rhenum fluvium protenduntur, tranquillitate gaudent & pace: quare Civitas illa locus eſt aptiſſimus ad celebrandum Concilium œcumenicum pro conſequenda unione Eccleſiæ.

527 „ Secunda ratio fundatur in libertate, quæ debet in Concilio œcumenico eſſe: petiſtis per Oratores veſtros, ut Concilium veſtrum futurum ſit liberum, itaquòd unicuique liceat dicere votum ſuum ſine rixoſa contentione. Quanta autem ibi ſit libertas loquendi, conſulendi, deliberandi, concludendi, ſciunt Ambaſſiatores Majeſta-

Digitized by Google

„ tis veſtræ, qui in Civitate Baſileenſi longo tempore ſteterunt, ſi Civitas illa eſt Civium concordia & unitas. Baſilea enim inter cæteras Civitates, Civitas propriè appellatur, quia à ſe regitur, & Cives nulla partialitate dividuntur. Amicitia Principis ibidem dominantia neminem allicit, neminem opprimit timore, tantaque eſt ibi libertas, quòd etiam inimici Eccleſiæ, quando ibi acceſſerunt, maximam potiti ſunt libertatem. Accedit tertia ratio, quoniam congruum eſt, ut ubi hoc ſanctiſſimum negotium accipit initium, ibi perficiatur. Exhibitio enim rerum præteritarum indicium eſt futurarum. Et ideo ſi in loco illo fiet Concilium œcumenicum, ubi tractatus pacis habuerunt exordium, ſperandum eſt magis, quòd unio Eccleſiarum Chriſti votivum ſortietur effectum.

528 „ Quarta ratio reſpicit fertilitatem patriæ: quoniam ubicumque celebrabitur Concilium œcumenicum, oportet ibidem maximam multitudinem gentium convenire: convenient enim ibi Summus Pontifex, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Prælati cæteri Eccleſiæ noſtræ Occidentalis; convenient Reges & Principes, & Ambaſſiatores abſentium Principum; conveniat etiam Serenitas veſtra cum Patriarchis, & Prælatis, Regibus, & Principibus Eccleſiæ Orientalis. Quomodo poſſet hæc multitudo vivere, niſi locus abundaret maxima fertilitate? Tanta eſt autem fertilitas patriæ & Baſileenſis regionis, quòd Concilium Generale ex latere totius Eccleſiæ noſtræ jam per quinquennium ſuſtinuit. Unde ſicut Baſilea eſt in medio totius obedientiæ noſtræ, ſic verè præ cæteris fertilior locus eſt de ſe, & ad illum tanquam ad centrum confluunt bona undique ab omni alia regione.

529 „ Ultimò amænitas loci non parùm videtur ad rem pertinere: quoniam in præfata Civitate Baſileenſi tanta eſt ſerenitas aeris, quòd nunquam, aut raró ſubiicitur peſtilentiæ: Quæ cùm ſit contagioſa infirmitas, ſolet Concilia Generalia, & regionalia ſine fructu diſſolvere. Petimus igitur, Sereniſſime Imperator, quatenus Majeſtas veſtra illum velit eligere locum, ut abſque omni impedimento celebrari poſſit Concilium œcumenicum. Et ecce nos offerimus pro parte ſacri Concilii, ad executionem Decreti, donec, largente Domino, pax reddatur Eccleſiæ Dei, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. *Hactenus Oratorum Baſileenſis Concilii Oratio*: qui inde inſraſcripta puncta, ſive Articulos propoſuerunt.

Articuli Ambaſſiatorum Concilii Baſileenſis.

530 „ Primus punctus eſt de ratificatione eorum, quæ geſta ſunt, quòd videlicet Sereniſſimus Imperator, & Reverendiſſimus Dominus Patriarcha velint propriis in perſonia jurejurando, & per Bullas auream & plumbeam more ſolito ratificare ſolemniter & executioni demandare, quantùm in ipſis eſt, ea, quæ ipſi in Sancta Synodo Baſileenſi per ſuoa ſolemnes Oratores pleniſſimo mandato fulcitos in publica ſeſſione cum ipſa Sancta Synodo unanimiter concluſerunt, & in Altari, celebratâ Miſsâ de Spiritu Sancto, ſuper Sanctis Evangeliia, & Cruce Dominica jurejurando ſolemniter firmaverunt.

531 „ Secundus punctus eſt de tempore: quia cùm tempus in Decreto ſtatutum & expreſſum, non defectu ſacri Concilii, aut ipſorum Dominorum Imperatoris, & Patriarchæ, ſeu Ambaſſiatorum eorundem, ſed aliis ex cauſis jam effluxerit, neceſſe eſt, ut pro executione concluſorum tempus debitum & competens per utramque partem ſtatuatur.

532 „ Tertius punctus eſt de loco Baſileenſi, quòd videlicet præfati Sereniſſimus Imperator, & Reverendiſſimus Patriarcha multia ex cauſis dignentur, & velint aſſentire, quòd Concilium Univerſale, & œcumenicum, quod condictum eſt celebrari, in Civitate Baſileenſi celebretur.

533 Quartus punctus eſt de executione Decreti, quòd videlicet miſſi ſumua ad præſentandum prefatia Sereniſſimo Imperatori, & Reverendiſſimo Patriarchę Decretum concluſorum in publica forma cum plumbea Bulla præfati Sacri Concilii Baſileenſis, & quantùm attinet ad dictum Sacrum Concilium, ad inchoandum executionem Decreti ejuſdem, & concluſorum contentorum in eodem Decreto. *Hactenus Articuli*. Sed & ipſe Imperator eiſdem Oratoribus ſuos quoque exhibuit Articulos, qui ſic ſe habent.

Articuli propoſiti ab Imperatore Dominis Oratoribus Concilii Baſileenſis.

534 „ Primò dicimus, & volumus, ut prooemium Decreti aliás lectum & intellectum totaliter tollatur, vel ad minus corrigatur tali modo, ut poſſimua remanere in hoc contenti, & omnis mala & ſcandaloſa ſuſpicio removeatur, quæ poterit per illud prooemium in animis quorundam exoriri.

535 „ Secundò, ſi (quòd abſit) unio & concordia Eccleſiarum Chriſti non ſortia-

Digitized by Google

„ tiatur effectum, ſed recedamus ex illis par-
„ tibus diſcordes & diviſi, ſicut nunc ſumus,
„ quòd non afferatur nobis propter hoc ali-
„ quod impedimentum, damnum, vel ali-
„ quod hoſtile quovis modo ex parte Sanctæ
„ Romanæ Eccleſiæ, imò ut fiat reditus no-
„ ſter ad has partes cum iisdem honoribus,
„ diſpoſitionibus, favoribus, cum quibus il-
„ lùc acceſſuri ſumus.

536 „ Tertiò, ſi contingerit aliquos Do-
„ minos Reges, & Principes non adſuiſſe tali
„ Synodo, nec verè repreſentativè, propter
„ aliquas cauſas, tam ex partibus noſtris,
„ quàm Occidentalibus, quod hoc non in-
„ telligatur, nec habeatur pro defectu, aut
„ reverſione Conventorum Concluſorum,
„ vel ipſius rei, & ſolicitandæ ſanctiſſimæ
„ unionis.

537 „ Quartò, quòd in Civitate, vel
„ regione, in quibus debeat, Deo auctore,
„ dictum œcumenicum Concilium celebrari,
„ & in aliis Civitatibus, ac Regionibus Ro-
„ manæ Eccleſiæ ſubiectis, veniendo, ſtan-
„ do, redeundo, nos & omnes noſtri nullum
„ habeamus impedimentum, gravamen, no-
„ cumentum, vel quodcumque malum ab
„ aliqua perſona, tam Eccleſiaſtica, quàm
„ Sæculari, propriè, vel communiter, pa-
„ làm, vel occultè ex quacumque occaſione.

538 „ Quintò & ultimo, quòd ſi aliquis,
„ vel aliqui de quacumq; natione, & cujuſ-
„ cumq; fortunę, & qualitatis, ex illis, qui ex
„ parte noſtræ Eccleſiæ ibidem acceſſuri ſunt,
„ in aliquo peccaret, judicium illius pecca-
„ ti ſpectet ad nos & noſtram partem: & pœ-
„ na etiam illius determinetur noſtra diſcre-
„ tione; & non habeat ſuper hoc, nec poſſit
„ aliquid facere pars Occidentalis Eccleſiæ
„ ſubiectorum noſtrorum. *Hactenus Impera-
toris Articuli.*

539 „ Viſum eſt Imperatori Græcorum,
„ Patriarchæ quoque, & Græcis aliis proce-
„ mium præfixum Decreto emanato in ſeſſio-
„ ne XIX. quod incipit: *Sicut pia mater*, uſ-
„ que ad verba illa: *In eodem fidei & charitatis
„ vinculo perpetuò copulare*; ſupra à nobis re-
„ latum ſub num. 852. nationi, ſive Græ-
„ corum Eccleſiæ injurioſum, proinde omninò
„ delendum, caſſandum, & abolendum, vel
„ ſaltem tali modo, & forma corrigendum,
„ ut Græci eſſent contenti, poſtulavit. Et
„ quoniam nec ſufficienter proviſum, viſum
„ eis fuerat omnibus, quæ pro indemnitate
„ eorundum Græcorum ad Concilium acce-
„ dentium providenda erant, per præfatum
„ Decretum, ideò Imperator cæteros ſupra
„ recenſitos propoſuit Articulos: quibus
„ præfati Baſileen. Concilii Oratores reſpon-
„ ſum dederunt, ut infra.

Articuli reſponſorum Ambaſſiatorum Concilii ad articulos à Domino Imperatore propoſitos.

540 „ Ad primum dicimus, quòd unquam fuit de intētione per Procemium De-
„ creti injurari aliquo modo Eccleſiæ Orien-
„ tali, nec ex ipſo ſanè intellecto (ut decla-
„ ratum eſt) poteſt, vel debet aliquis juſtè
„ ſcandalizari. Item dicimus, quòd ſi Am-
„ baſſiatores ipſorum, vel ante promulgatio-
„ nem Decreti, vel poſt, aut in receſſu ipſo-
„ rum feciſſent aliquam difficultatem de di-
„ cto Procemio, per Sacrum Concilium de-
„ bitum fuiſſet ſppoſitum remedium.

541 „ Dicimus ulterius, quòd non eſt
„ in poteſtate noſtra, dictum Procemium tol-
„ lere, aut corrigere, ſivè mutare, aut aliud
„ facere, tum quia non habemus ſigillum
„ aut plumbum Concilii, tum quia illius eſt
„ tollere, corrigere ſivè mutare, cujus eſt
„ condere. Poſtremò, quoad hunc primum
„ articulum dicimus, quòd propter prædi-
„ ctum Procemium nullo modo tātum bonum
„ eſt omittendum, aut aliquo modo differen-
„ dum. Et offerimus nos ad omnia remedia
„ rationabilia nobis poſſibilia.

542 „ Ad ſecundum dicimus, quòd ſi
„ loquatur Articulus de expenſis honeſtis,
„ clarum eſt ex tertio, & decimo Capitulis
„ ipſius Decreti. Et ſi ampliori declaratione
„ indiget, parati ſumus ad declarandum &c.
„ ſi autem de ſecuritate loquatur, provide-
„ bitur per ſalvum Conductum.

543 „ Ad tertium, quòd de Regibus,
„ Principibus, ac Dominis, & principalibus
„ Eccleſiæ Prælatis, conſentire non poſſu-
„ mus, quin ſaltem interſint repreſentativè,
„ ut patet ex primo Capitulo Decreti, & ex
„ declaratione: *Quid eſt Synodus univerſalis
„ & œcumenica*. Nam inter alia dicitur in
„ primo Capitulo: *Similiter venient ex omni-
„ bus Regnis & dominiis, quæ ſubiiciuntur Ec-
„ cleſiæ Græcorum cum plena poteſtate & man-
„ dato vallato juramento, & aliis clauſulis
„ opportunis, tam ex parte ſæcularium Domi-
„ norum, quàm Prælatorum*. Hactenus Arti-
„ culi reſponſorum.

544 Cæterùm prædicti Oratores volentes, quantum in eis erat, ſatisfacere Imperatoris poſtulatis, quaſdam promiſſiones vice & nomine ejuſdem Concilii ſtipularunt: promittentes primò dare, & cum effectu exhibere quàm citiùs fieri poterat, vel ſaltem per Galeas, quæ venturæ erant pro recipiendo ad Concilium ipſum Imperatorem & Patriarcham, ea Capitula, quæ in Baſileenſi Synodo pro pace & unione Eccleſiarum Chriſti, concluſa erant & firmata ſub Bulla plumbea. Secundò, item dare præfatis Imperatori & Patriarchæ ſalvum conductum ſub Bulla pariter plumbea. Tertiò, quòd dicta Sancta

Sy-

Synodus procurabit ſalvos conductus ſimiliter per galeas deſtinando prædictis Imperatori & Patriarchæ à Dominis Civitatis & Patriæ, in quibus œcumenica Synodo eſſet celebranda: & ſimiliter ab omnibus Dominiis & territoriis obedientiæ Eccleſiæ Occidentalis, per quæ, ſive eundo, ſive redeundo tranſituri eſſent. Ac denique, quod ipſa S.Synodus ſub Bulla, ſive in Bulla ſalvi conductus dandi per eandem Synodũ declararet decimum Capitulũ contentum in Decreto, ubi dicitur: *Item quòd in omnem eventum prædicta omnia utique adimpleantur, debere intelligi*, vel intelligendum fore, ſivè unio ſequatur ſive non. Harum promiſſionum acta eſt ſchedula ſcripta & ſubſcripta Conſtantinopoli in Monaſterio Sancti Georgii, die xxv. Novembris MCCCCXXXV. Et ſimiliter circa primum poſtulatum ab Imperatore de abolendo, & delendo proœmio Decreti, promiſerunt, ut infrà.

Copia promiſſionis eorundem Oratorum circa Proœmium Decreti.

545 „ Nos Frater Joannes de Raguſio, „ Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor, „ & in ſacra pagina Magiſter, Henricus Men„ ger Decretorum Doctor, Canonicus Con„ ſtantienſis unus ex Ambaſſiatoribus Sa„ croſancti Generalis Concilii Baſileenſis, & „ Simon Freiron in Sacra Tehologia Bacca„ laurus Canonicus Aurelianenſis, circa „ Proœmium dicimus, quòd nunquam fuit „ de intentione Sacri Concilii per aliqua „ verba in dicto Proœmio poſita diminuere „ honorem Eccleſiæ Orientalis aliquo mo„ do: nec ex aliquibus verbis in eo poſitis „ debet aliquis ſcandalizari. Dicimus ulte„ rius, quòd ſi Ambaſſitores ipſorum, vel „ ante promulgationem Decreti, vel poſt, „ aut in receſſu eorum feciſſent aliquam men„ tionem de dicto Proœmio, vel de aliquibus „ in eo contentis, per Sacrum Concilium „ debitum fuiſſet appoſitum remedium. „ Verumtamen, quia non placuit dictum „ Proœmium, nec placet Dominis Eccleſiæ „ Orientalis, nos cognoſcentes ferventiſſi„ mum deſiderium, & promptiſſimam vo„ luntatem, ſanctamque intentionem dictæ „ Sanctæ Synodi ad unionem & pacem Ec„ cleſiarum Chriſti, contenti ſumus & pro„ mittimus capitula in eadem Sancta Synodo „ concluſa, dare & exhibere ſub Bulla plum„ bea Sacri Concilii, & ſub tenóre, prout ex „ literis noſtræ promiſſionis continetur.

Ego Joannes de Raguſio &c. ſubſcripſi me manu propria &c.

Ego Henricus Menger &c. ſubſcripſi me manu propria.

Ego Simon Freiron &c. ſubſcripſi me manu propria.

546 His peractis, adduci tamen non potuit Imperator, ut Concilium œcumenicum pro Eccleſiarum unione Baſileæ celebraretur, poſtulans Civitatem aliquam maritimam propter majorem ſui, & ſuorum commoditatem: & quia optabat etiam præſentiam Romani Pontificis in Concilio, qui certè Baſileam non erat profecturus. Retentis itaque duobus præfati Concilii Oratoribus, unum Baſileam remiſit Dominum Henricum Menger, cui dimittendo, infraſcriptam dedit Commiſſionem.

Commiſſio Imperatoris Græcorum facta D.Henrico Menger Concilii Baſileenſis Oratori.

547 „ Cùm Venerabilis Vir Henricus „ Menger Decretorum Doctor, Canonicus „ Conſtantienſis, unus ex Ambaſsiatoribus „ ſacroſancti generalis Concilii Baſileen. &c. „ ad nos tranſmiſſus, ad præſens revertatur „ ad præfatum Concilium, committimus an„ tedicto Concilio de ſtatuendo & deſignan„ do loco fiendæ generalis & œcumenicæ Sy„ nodi, quòd deſignetur & ſtatuatur locus „ maritimus, itaquòd ſit aliqua Civitas, ex„ ceptâ Anconâ, ut poſsimus venire ad illum „ locum cum omnibus neceſſariò debentibus „ intereſſe, ſine difficultatibus & iacommo„ dis, cùm multi ex illis ſenes, & infirmi exi„ ſtant, & maximè Sanctiſsimus meus Do„ minus œcumenicus Patriarcha. Et in tali „ loco plures Prælati Orientalis noſtræ Ec„ cleſiæ poterunt aggregari propter facultа„ tem, & non nimiam diſtantiam. Qui quan„ tò plures adfuerint, tantò utiliùs ad per„ fectionem unionis erit. Prætereà hoc erit „ maximè conferens ad utilitatem, & ſecu„ ritatem noſtræ Civitatis propter multas „ cauſas dicto Venerabili Viro dictas. Præ„ cipuè verò hoc neceſſarium eſt propter pre„ ſentiam Sanctiſsimi & Beatiſsimi Domini „ Papæ, quod commodè advenire poterit, „ hoc erit gratiſsimum, & ad perfectionem „ præmeditatæ unionis quamplurimùm va„ lens, necnon ad honores & favores futuri „ Concilii. Propter iſtas & plures alias cau„ ſas debet prædictus Venerabilis Henricus „ rogare, & deprecari dictam Baſileenſem Sy„ nodum ex parte noſtra, ut noſtra petitio „ adimpleatur.

548 „ Et cùm antea per noſtros Ambaſ„ ſiatores nominavimus nonnulla loca, quæ „ non ſunt maritima, petimus, & cum inſtan„ tia rogamus, ut non fiat impedimentum „ noſtræ petitioni talis locorum expreſſio, „ ſed ſuſtinere velint liberare illi Reveren„ diſſimi Patres propter utilitatem & ſecuri„ tatem propoſitæ rei. Etiam, ut oſtendat „ & referat, quòd omnia nobis ſpectantia, „ ſecundùm noſtram potentiam, ſine præter„ miſſione adimplebũtur. Propter hoc & prę-

di-

„ dicta Baſileenſis Synodus debeat facere
„ omnia promiſſa per ipſam, & per ſuos Am-
„ baſſiatores integraliter & opportunè. Et
„ ſi hoc non fuerit, nec nos etiam ire poteri-
„ mus tempore deſignato, & etiam promiſſo;
„ nec poterit aliquis nos reprehendere, con-
„ ſiderato, quòd cauſa erit Concilii, ſicut &
„ nos non dignamur accuſare prædictam Sy-
„ nodum propter tranſactum tempus in De-
„ creto determinatum, cùm talis tranſactio
„ temporis venerit propter circumſtantias
„ occurrentes, & temporaneas, non ex vo-
„ luntate Concilii. Similiter autem alii duo
„ Ambſſiatores hìc remanentes debent fa-
„ cere opportunè de expenſis, & aliis pro
„ Congregatione Prælatorum Orientalis Ec-
„ cleſiæ, prout extitit promiſſum, quia ta-
„ libus expenſis, & aliis non in tempore de-
„ bito factis; ſi quis ex iſta cauſa defectus
„ adveniat, nos de expenſis nihil reſpondere
„ debebimus. Datum in Urbe noſtra Con-
„ ſtantinopolitana, MCCCCXXXV. die
„ XXVI. Novembris, ſub Sigillo noſtro Im-
periali. *Hactenus Imperatoris Commiſſio*. Pa-
triarcha quoq; eidem ſuam peculiarem Com-
miſſionem dedit, his verbis conceptam.

Commiſſio Patriarchæ Conſtantinopolitani eidem Henrico Oratori facta.

549 „ Quoniam propter multas rationa-
„ biles & neceſſarias cauſas ultimum & non
„ prætermittendum extitit, Beatiſſimum Do-
„ minum Eugenium Papam neceſſariò adeſſe
„ debere meditatæ & ſolicitandæ cum Deo
„ Sanctæ Catholicæ, & œcumenicæ Synodo
„ pro unione Eccleſiarum Chriſti, & ad eam
„ accedere perſonaliter, & intereſſe unani-
„ miter cum ſacroſancta Synodo Sacræ Ro
„ manæ Eccleſiæ, & omnibus ipſi Eccleſiæ
„ aggregatis, ut poſſimus & nos, Deo au-
„ ctore, illic perſonaliter adeſſe, loco com-
„ modo ſtatuto, unà cum potentiſſimo &
„ ſancto meo Imperatore, & aliis nobis ad-
„ hærentibus, & ſic fiat tractatus & conſti-
„ tutio unionis, ſicut daret Deus, & ab utra-
„ que parte conventum & affirmatum foret,
„ propterea humilitas noſtra ad præſens com-
„ mittit tibi Venerabili Viro, Henrico Men-
„ ger Decretorum Doctori Canonico Con-
„ ſtantienſis Eccleſiæ, uni ex Ambaſſiatori-
„ bus Sacroſanctæ Baſileenſis Synodi, ad
„ Synodum ſanctam revertendi, ut quamdiù
„ fueris eum prædicta ſacroſancta Synodo
„ Baſileenſi, ſtudium & diligentiam omni-
„ modam exhibeas, & inſtanter labores &
„ opereris, ut ſtatuatur Beatiſſimum Domi-
„ num Papam in meditata œcumenica Syno-
„ do intareſſe perſonaliter, & non repræſen-
„ tativè, electo & ſtatuto loco congruente
„ & commodo pro quiete dicti Beatiſſimi
„ Domini Eugenii, & noſtra. Propter hoc
„ facta eſt tibi præſens donatio & conceſſio
„ noſtra in ſcriptis cauſâ roboris & firmita-
„ tis. Dat. Conſtantinopoli MCDXXXV.
„ die XXVI. menſis Novembris. *Hactenus Patriarchæ Commiſſio*. Fecit inſuper Impera-
tor ad ipſum Concilium Baſileenſe literas,
hunc habentes tenorem.

Joannes in Chriſto Deo fidelis Imperator, & Moderator Romæorum Palæologus ſemper Auguſtus, Sacroſancto Generali Concilio Baſileenſi, ſalutem in eo, qui eſt vera ſalus.

550 „ Venerabiles veſtri Ambaſſiatores
„ miſſi ad nos cum noſtris Ambaſſiatoribus
„ hìc adſuerunt, portantes nobis literas ve-
„ ſtras, ex quibus literis, & etiam relatione
„ ipſorum, cum ſapienter & clarè expoſue-
„ rint omnia ſibi commiſſa, cognovimus &
„ certi ſuimus de optima diſpoſitione, fer-
„ ventique deſiderio, quæ ad opus unionis
„ Eccleſiarum Chriſti geritis. Pro quo & nos
„ etiam ante plurimùm laboravimus, & ſtu-
„ duimus, & nunc ſtudemus, & diligentem
„ operam facimus. Perlecto etiam Decreto,
„ quod factum eſt per vos ſuper tali materia
„ etiam difficultates aliquæ, quæ in eo re-
„ pertæ, & illis oſtenſæ, per Dei gratiam re-
„ motæ ſunt, & grata nobis habuerunt re-
„ media, itaut uniti & concordes remanſeri-
„ mus: quare per noſtrum Chryſobolum illa
„ firmavimus & roboravimus, ſicut de omni-
„ bus latiùs & particulariter veſtræ Reve-
„ rendiſſimæ Paternitates à Venerabili Viro
„ Henrico, uno veſtrorum dictorum Ambaſ-
„ ſiatorum ſcient, qui pro iſta cauſa ad vos
„ revertitur. Omnia igitur illa, quæ ad nos
„ attineant, & à nobis debeant fieri, cum
„ multa diligentia uſque ad finem, Deo au-
„ ctore, facturi ſumus; Voſque rogamus,
„ ut ſimiliter cum pari charitate & prompti-
„ tudine ad hanc ſanctiſſimam rem proceda-
„ tis, & nihil deficiat de incumbentibus vo-
„ bis. Specialiter verò plurimùm, & cum
„ multa inſtantia vos petimus & rogamus de
„ loco, in quo meditata ſancta univerſalis
„ & œcumenica Synodus celebranda eſt, ut
„ deputetur & eligatur unus locus ex mari-
„ timis, ut ſine difficultatibus & incommo-
„ dis magnis poſſint venire, & conduci ne-
„ ceſſariò congregandi ibidem, & maximè
„ Sanctiſſimus mihi Dominus œcumenicus
„ Patriarcha, qui eſt ſenex, & continua in-
„ firmitate gravatus. Et præcipuè hoc etiam
„ petimus & rogamus propter Sanctiſſimum
„ & Beatiſſimum Dominum Papam, quia
„ Caput eſt Eccleſiæ Romanæ, & Occiden-
„ talis, & ejus præſentia eſt neceſſaria, &
„ quamplurimùm valet. Propterea, ut dixi-
„ mus, multùm rogamus vos & precamur, ut
„ circa hoc bonam diligentiam & delibera-
„ tionem faciatis, nihilominùs non receden-
tes

Digitized by Google

„ tes à geſtis circa hoc, & alia inter nos, &
„ vos. Datum in Urbe noſtra Conſtantinopoli,
„ Anno Domini MCCCCXXXV. die
„ XXVI. Novembris.

551 Ejuſdem tenoris literas Joſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus eodem tempore, datas apud Patriarchium Sanctæ Sophiæ, eidem Baſileenſi Concilio ſcripſit, quæ cùm ferè totidem conſtent ſententiis & verbis, ſuperfluum eſt hìc ea inſerere: Unum tantùm eſt, quòd in eis additur, nimirum, ubi agit Patriarcha de loco Concilii, & poſtulat etiam ipſe congregari in aliqua Civitate maritima, ait: *Et maximè propter me, qui ſenex & continuis infirmitatibus gravatus ſum*. Et quoniam Patres Concilii Baſileenſis per eoſdem Legatos etiam Conſtantino Palæologo Deſpotæ, & fratri germano Imperatoris literas peculiares direxerunt, exponentes in eis mentem Concilii, rogantesque, ut manus daret ad perficiendum ſanctæ unionis negotium, ipſe quoque revertente præfato Concilii Ambaſſiatore, peculiares eidem Concilio reſponſivas miſit literas, tenoris ſequentis.

Sacroſanctæ Generali Synodo Baſileenſi, in Spiritu Sancto legitimè congregatæ, univerſalem Eccleſiam repreſentanti, Conſtantinus in Chriſto fidelis Deſpotus Romæorum Palæologus, ſalutem in eo, qui vera ſalus eſt.

552 „ Literas veſtrarum Reverendiſſimarum
„ Paternitatum per Venerabiles veſtros
„ Ambaſſiatores recepimus, quibus ex
„ literis, & ex relatione ipſorum Ambaſſiatorum
„ de optima voluntate & promptitudine,
„ & ferventiſſimo zelo, quæ ad hoc divinum
„ unionis Eccleſiarum Chriſti opus
„ geritis, certificati fuimus; quamvis rebus
„ ex ipſis ſatis intelleximus ea. Quare veſtram
„ intentionem quamplurimum laudamus,
„ & veſtrarum virtutum condignam
„ judicamus, cùm non poſſit cogitari alia
„ res, in qua veſtræ Reverendiſſimæ Paternitates
„ ſuis viribus atque ſtudiis uterentur
„ rationabiliùs & laudabiliùs, quàm in hac,
„ quæ ad communem Chriſticolarum utilitatem,
„ & Chriſtianæ Fidei incrementum
„ ſpectat. Hortabantur etiam veſtræ Reverendiſſimæ
„ Paternitates nos, ut dictis veſtris
„ Ambaſſiatoribus auxilia & favores
„ circa ſuum propoſitum, pro quo hùc deſtinati
„ ſunt, gratè adhibere velimus. Quod
„ quidèm licèt ab omnibus Chriſtianis veris
„ debeatur, propter rei præſentis dignitatem,
„ nos tamen ipſi magis hoc debere facere exiſtimavimus,
„ & per gratiam Dei pluſquàm
„ debeatur intendimus ſuper hoc laborare.
„ Et propter hoc, quantùm nobis poſſibile
„ eſt, ut tale divinum opus ad optatum finem
„ deduci poſſit & valeat, ſtuduimus, & in
„ futurum ſtudebimus, & ſic mirabiliter hujus
„ rei deſiderio tenti fuimus, ut veſtras
„ Reverendiſſimas Paternitates promptiſſimas
„ in hac re exiſtentes, cum maximaque
„ diligentia procurantes, prout proſequatur,
„ & nos ipſi peteremus iterum, & rogaremus,
„ ut omnes difficultates velitis ex medio
„ tollere, & omnimodam diligentiam adhibere
„ ad conſummationem hujus divini negotii.
„ Nunc enim multi tractatus & Legationes
„ ab utraque parte ad talem terminum
„ cum gratia Dei devenerunt, ut non
„ indigerent aliquo alio, niſi executione ſola
„ & progreſſu reali & cum effectu. Et
„ proculdubiò confidimus, quòd veſtræ Reverendiſſimæ
„ Paternitates ſic facient, &
„ bono principio optimum finem apponent.
„ Talem autem intentionem noſtram, quam
„ multis aliis ex cauſis juſtis habemus, &
„ propter veſtram petitionem multò clariorem
„ & ferventiorem habemus, à Venerabili
„ Henrico Menger, uno dictorum Ambaſſiatorum
„ veſtrorum latiùs & particulariùs
„ ſcient veſtræ Reverendiſſimæ Paternitates,
„ qui eiſdem Paternitatibus, & de aliis ad
„ iſtud propoſitum attinentibus referet. Nos
„ verò ſemper ad omnes honeſtas & rationabiles
„ petitiones paratos eſſe & fore veſtræ
„ Reverendiſſimæ Paternitates agnoſcant.
„ Datum Conſtantinopoli, Anno Domini
„ MCCCCXXXV. die XXVI. Novembris.

Hactenus Conſtantini literæ. Aurea porrò Imperatoris Bulla, ſive Chryſobolũ, cujus in ſuperioribus meminit literis ſui concordati, ſive promiſſionis cum præfatis Concilii Baſileenſis Ambaſſiatoribus, tranſmiſſum per eundem Henricum Menger eidem ſacro Concilio, ad hunc modum ſe habet.

Chryſobolum, ſive Aurea Bulla Domini Imperatoris miſſa Concilio Baſileenſi.

553 „ Quoniam deſtinatæ fuerunt ab
„ Imperio meo, & Sanctiſſimo Domino
„ œcumenico Patriarcha ambaſſiatæ ad Sacroſanctam
„ Romanam Eccleſiam, videlicet
„ ad Beatiſſimum Papam Dominum Martinum
„ V. & ad modernum ſimiliter Sanctiſſimum
„ Papam Dominum Eugenium IV.
„ ſimiliter & ab ipſis tranſmiſſæ fuerunt multoties
„ ad nos pro unione Eccleſiarum Chriſti,
„ & multis laboribus cum multa diligentis
„ utrimque factis, tamen propter aliquas
„ circumſtantias temporaneas non pervenit
„ ad finem tale bonum & ſanctum opus
„ unionis. Poſt hæc autem deſtinavit ad nos
„ de hac ipſa re Ambaſſiatores ſuos ſacra
„ Synodus in Baſilea congregata, Sacroſanctam
„ Eccleſiam Romanam repræſentans,
„ propter quod & nos noſtros ad eam deſtina-

„ navimus, videlicet familiarem Imperii no-
„ ſtri Demetrium Palæologum Mæotidem,
„ & honorandiſſimum in ſacris Monachis
„ Abbatem ſacri Monaſterii Sancti Demetrii
„ Iſidorum, & familiarem Imperii mei Joan-
„ nem Laſcari Dishypatum, qui illùc acce
„ dentes oſtenderunt, in ipſam quædam ne-
„ ceſſariò ab eo tractari in præparationem &
„ conſtitutionem univerſalis & œcumenici
„ Concilii, in quo neceſſe eſt tractari & ce-
„ lebrari & perfici (Deo Duce) prædictam
„ ſanctam unionem, quæ quidem hæc ipſa
„ Synodus Baſileenſis acceptavit, & pro-
„ miſit illa adimplere. Unde & Ambaſſiato-
„ res ſuos ad nos deſtinavit, Fratrem Joan-
„ nem de Raguſio, Ordinis Prædicatorum
„ Profeſſorem, & in ſacra pagina Magiſtrum,
„ Henricum Menger Decretorum Doctorem
„ Canonicum Conſtantienſem, & Simonem
„ Freiron Sacræ Theologiæ Baccalaureum,
„ Canonicum Aurelianenſem, cum Decreto
„ ipſius Generali, in quo de his contineba-
„ tur particulariter in Capitulis.

554 „ Perlecto itaque tali Decreto apud
„ nos, quædam ex his, quæ continebantur in
„ eo, non placuerunt nobis, ut in ipſo jace-
„ bant, Prooemium videlicet talis Decreti,
„ & Capitulum, in quo ſcribebatur de modo
„ reverſionis noſtræ à loco celebrandi Con-
„ cilii ad Conſtantinopolim, ſi permittente
„ Deo (quod abſit) non fieret unio Eccle-
„ ſiarum Chriſti in tali Synodo, quia non
„ exprimebatur in eo de hoc determinatè &
„ manifeſtè: prædicti autem Ambaſſiatores
„ videntes diſplicentiam & reſiſtentiam no-
„ ſtram, nec aliter rem ipſam poſſe habere
„ progreſſum, conceſſerunt, & promiſerunt
„ curare in prædictis, videlicet, quòd dicta
„ ſancta Synodus dabit & exhibebit nobis
„ Capitula in dicto Decreto contenta, cum
„ Prooemio modo & forma, quibus in literis
„ Ipſorum promiſſoriis continetur, Et circa
„ reverſionem noſtram de Synodo in Con-
„ ſtantinopolim, in caſu quòd non ſequere-
„ tur dicta unio (quod abſit) facere & ad-
„ implere, prout habetur in forma ſalvi con-
„ ductus prædicti.

555 „ His itaque ſic progreſſis, & inter
„ nos concordatis, petierunt & ipſi Ambaſ-
„ ſiatores, ut promittamus & nos abſque
„ contradictione, ire, & accedere ad locum,
„ in quo celebrabitur (Deo concedente)
„ utrimque Catholica & œcumenica Syno-
„ dus. Qui quidem locus eſſe debet ex no-
„ minatis in Decreto, quicumque ordina-
„ bitur per dictum ſacrum Concilium Baſi-
„ leenſe, ſicut in ſupradicto Decreto ipſius
„ ſacri Concilii continetur. Etiam quia exi-
„ re debeamus hinc à Conſtantinopoli, in
„ accedendo versùs locum celebrandi œcu-
„ menici Concilii, à principio ſequentis Ju-
„ nii, Indictionis xv. ſicut conventum eſt in-
„ ter nos, & ipſos Ambaſſiatores ſacri Con-
„ cilii.

556 „ Et quia etiam ad majorem caute-
„ lam & firmitatem horum omnium, petie-
„ runt fieri literam Chryſoboli Imperii mei,
„ Imperium meum grato animo rationabili
„ petitioni eorum annuens, præſens Chry-
„ ſobulum largitur & concedit, per quod
„ acceptat, determinat & promittit, quòd
„ ſi dicta ſacra Synodus Baſileenſis reme-
„ dium appoſuerit in prædictis, videlicet, ſi
„ prædicta Capitula in ſupradicto Decreto
„ contenta, cum Prooemio in forma, ſicut
„ hìc per Ambaſſiatores ipſius Synodi con-
„ cordatum eſt, nobis direxerit, & com-
„ pleverit omnia in prædictis Capitulis ſcri-
„ pta opportunè, ſimiliter & fecerit ſalvum
„ conductum cum Capitulis de modo rever-
„ ſionis noſtræ ad Conſtantinopolim, ut præ-
„ dicitur, reliqua etiam, ut Ambaſſiatores
„ ipſius nobis promiſerunt, & nobiſcum
„ convenerunt, exibit & Imperium meum
„ cum Deo ſine contradictione Conſtanti-
„ nopoli, ſecundùm prædictum tempus, cum
„ præſtantiſſimo Domino œcumenico Pa-
„ triarcha Conſtantinopolitano, & cæteris
„ debentibus intereſſe, ad accedendum ad
„ locum, ubi celebrabitur ſanctum Catho-
„ licum, & œcumenicum Concilium, abſ-
„ que impedimento rationabili, vero, &
„ manifeſto, etiamſi bellum (quod abſit) ab
„ Infidelibus foret & inſtaret Civitati noſtræ
„ Conſtantinopolitanæ. Et in robur & con-
„ firmationem, & conſervationem inviola-
„ bilem ſupraſcriptorum, jurat Imperium
„ meum per debitum mihi juramentum, tam-
„ quam Chriſtiano & fideli Imperatori, &
„ per orationem ſancti mei Domini & Impe-
„ ratoris Patris Imperii mei famoſiſſimi, &
„ fœlicis memoriæ, & per animam meam:
„ factumque eſt ſuper iſtis præſens Chryſo-
„ bolum Imperii mei, in Anno ſex milleſi-
„ mo nongenteſimo quadrageſimo quarto,
„ in menſe Novembris, Indictione decima-
„ quarta, à Nativitate verò Domini noſtri
„ Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo
„ trigeſimo quinto, die vigeſimo ſexto menſis
„ Novembris. *Hactenus Imperatoris Chryſo-
bolum.* Suum quoque fecit & Patriarcha, hunc
habens tenorem, videlicet.

Chryſobolum, ſive Bulla Plumbea Patriarchæ Conſtantinopolitani miſſa ſacro Concilio Baſileenſi.

557 „ Quoniam deſtinatæ fuerunt ab
„ humilitate noſtra, & potentiſſimo & ſan-
„ cto meo Imperatore Ambaſſiatæ ad Sacro-
„ ſanctam Eccleſiam Romanam, videlicet ad
„ Beatiſſimum Papam Dominum Martinum
„ Quintum, & ad modernum ſimiliter San-
„ ctiſs. Papam D. Eugenium IV. ſimiliter, & ab
„ ipſis tranſmiſſæ fuerunt multoties ad nos
„ pro unione Eccleſiarum Chriſti, & multis
„ laboribus cum multa diligentia utrimque
„ factis, tamen propter aliquas circumſtan-

„ tias temporaneas non pervenit ad finem
„ ta!e bonum & ſanctum opus unionis. Poſt
„ hæc autem deſtinavit ad nos de hac ipſa re
„ Ambaſſiatores ſuos ſacra Synodus in Baſi-
„ lea congregata, Sacroſanctam Eccleſiam
„ Romanam repręſentans: propter quod &
„ noa noſtros ad eam deſtinavimua, videlicet
„ ſamiliares potentiſſimi & Sanctiſſimi Im-
„ peratoria in Spiritu Sancto dilectoa filios
„ noſtræ humilitatis, videlicet Demetrium
„ Palæologum Mæotidem, & honorandiſſi-
„ mum in ſacris Monachis Abbatem ſacri
„ Monaſterii Sancti Demetrii Iſidorum, &
„ Joannem Laſcari Dishypatum, qui illùc
„ accedentes, oſtenderunt in ipſa quædam
„ neceſſariò ab ea tractari & celebrari & per-
„ fici (Deo Duce) prædictam ſanctam unio-
„ nem. Quæ quidem hæc ipſa Synodus Baſi-
„ leenſis acceptavit, & illa promiſit adim-
„ plere. Unde & Ambaſſiatores ſuos ad nos
„ deſtinavit, Fratrem Joannem de Raguſio,
„ Ordinis Prædicatorum Profeſſorem, in ſa-
„ cra Pagina Magiſtrum; Henricum Menger
„ Decretorum Doctorem Canonicum Con-
„ ſtantienſem, & Simonem Freiron Sacræ
„ Theologiæ Baccalaureum Canonicum Au-
„ relianenſem, cum Decreto ipſiua Generali,
„ in quo de his continebantur particulariter
„ in Capitulia.

558 „ Perlecto itaque tali Decreto apud
„ nos, quædam ex his, quæ continebantur in
„ eo, non placuerunt nobis, ut in ipſo jace-
„ bant, Prooemium videlicet talis Decreti,
„ & Capitulum, in quo ſcribebatur de modo
„ reverſionis noſtræ à loco celebrandi Con-
„ cilii ad Conſtantinopolim, ſi permittente
„ Deo (quod abſit) non fieret unio Eccle-
„ ſiarum Chriſti in tali Synodo, quia non
„ exprimebatur in eo de hoc determinatè &
„ manifeſtè. Prædicti autem Ambaſſiatores
„ videntes diſplicentiam & reſiſtentiam no-
„ ſtram, nec aliter rem ipſam poſſe habere
„ progreſſum, conceſſerunt & promiſerunt
„ curare in prædictia, viedlicet quòd ipſa
„ ſancta Synodus dabit, & exhibebit nobia
„ Capitula in dicto Decreto contenta, cum
„ Prooemio modo & forma, quibus in lite-
„ ris ipſorum promiſſoriis continetur. Et
„ circa reverſionem noſtram de Synodo in
„ Conſtantinopolim, in caſu, quòd non ſe-
„ queretur dicta unio (quod abſit) facere
„ & adimplere, prout habetur in forma ſalvi
„ conductus prædicti.

559 „ His itaque ſic progreſſia, & inter
„ noa concordatis, petierunt & ipſi Ambaſ-
„ ſiatorea, ut & promittamua & noa abſque
„ contradictione ire, & accedere ad locum,
„ in quo celebrabitur (Deo concedente)
„ utrimque Catholica & œcumenica Syno-
„ dus, Qui quidem locus eſſe debet unus ex
„ nominatia in Decreto, quicumque nomi-
„ nabitur per dictum ſacrum Concilium Ba-
„ ſileenſe, ſicut in ſupradicto Decreto ipſius
„ ſacri Concilii continetur. Etiam quod
„ exire debeamus hinc à Conſtantinopoli,
„ in accedendo versùs locum celebrandi œcu-
„ menici Concilii, à principio ſequentis Ju-
„ nii, Indictionia decimæ quintæ, ſicut con-
„ ventum eſt inter nos & ipſos Ambaſſiato-
„ res ſacri Concilii.

560 „ Et quia etiam ad majorem cau-
„ telam & firmitatem horum omnium pe-
„ tierunt fieri ſigillum noſtræ humilitatis,
„ humilitas noſtra grato animo rationabili
„ petitioni eorum annuens, præſena ſigillum
„ largitur, & concedit, per quod in Spiritu
„ Sancto diſponit: quod ſi dicta ſacra Syno-
„ dus Baſileenſis remedium appoſuerit in præ-
„ dictis, videlicet ſi Capitula in prædicto
„ Decreto contenta cum Prooemio, in forma,
„ ſicut hic per Ambaſſiatores ipſius Synodi
„ concordatum eſt, nobis direxerit, & com-
„ pleverit omnia in eisdem Capitulia ſcripta
„ opportuna, & ſimiliter ſecerit ſalvum
„ Conductum cum Capitulo de modo rever-
„ ſionis noſtræ ad Conſtantinopolim, ut præ-
„ dicitur: reliqua etiam, ut Ambaſſiatores
„ ipſius nobis promiſerunt, & nobiſcum
„ convenerunt, exhibit humilitas noſtra cum
„ potentiſſimo & ſancto meo Imperatore cum
„ Deo ſine contradictione à Conſtantinopoli,
„ ſecundùm prædictum tempua, & cum cæte-
„ ris debentibus intereſſe, ad accedendum
„ ad locum, ubi celebbrabitur ſanctum catho-
„ licum & œcumenicum Concilium, abſque
„ impedimento rationabili, vero & manife-
„ ſeſto, etiamſi bellum (quod abſit) ab In-
„ fidelibus foret & inſtaret Civitati noſtræ
„ Conſtantinopolitanæ. Et in robur & con-
„ firmationem ſupradictorum factum eſt præ-
„ ſens ſigillum noſtræ humilitatis in menſe
„ Novembris, *& cætera ut ſupra*. Hactenua
Bulla plumbea Patriarchæ Conſtantinopo-
litani.

561 Cæterùm præfati Ambaſſiatores ſa-
cri Concilii, ut Imperatori ſatisfacerent, &
Patriarchæ, quandam formulam tam Decreti,
quam ſalvi Conductus, deleto Prooemio De-
creti ſeſſionis XIX. compoſuerunt, in qua
formula tum ipſe Imperator, tum Patriarcha
cum præfatis Ambaſſiatoribus concordarunt:
ac proinde promiſerunt ad Concilium acce-
dere, ſi prædicta per ſacrum Baſileenſe Con-
cilium recepta, & approbata eſſent, quemad-
modum nomine Concilii prædicti Ambaſſia-
tores pariter promiſerunt. Pręſtat ergò hìc
inſerere per extenſum præfatas Ambaſſiatorũ
promiſſiones, quarũ compendiosè meminimus
ſupra ſub num. 1882. ac inſuper & formulas
Decreti, & ſalvi conductus cum eisdem pro-
miſſionibua inſertas, atque cum præfatis Im-
peratore, & Patriarcha concordatia, quæ ſic
ſe habent.

Certæ promiſſiones factæ per Ambaſſiatores Sacri Concilii Baſileenſis Domino Imperatori Græcorum,

562 „ *Nos Frater Joannes de Roguſio &c. Sacroſanctæ generalis Synodi Baſileenſis in Spiritu Sancto legitimè congregatæ, univerſalem Eccleſiam repræſentantis ad Sereniſſimum Imperatorem Romæorum, & Reverendiſſimum Patriarcham Conſtantinopolitanum Ambaſſiatores & Nuntii, ad ea, quæ in dicta Synodo pro unione Eccleſiarum Chriſti perficienda concluſa ſunt, exequendum ſpecialiter deſtinati, ejuſdem Sanctæ Synodi, ad ea, quæ pacis ſunt & unitatis firmum propoſitum cognoſcendum, vice & nomine ejuſdem, tenòre præſentium literarum, promittimus dare, & cum effectu exhibere quamcitiùs fieri poterit, vel ſaltem per galeat, quæ venturæ ſunt, pro recipiendo ad Concilium venientes Sereniſſimum Imperatorem, & Reverendiſſimum Patriarcham, præfata Capitula, quæ in eadem Synodo Baſileenſi pro pace & unione Eccleſiarum Chriſti hinc inde concluſa ſunt & firmata ſub Bulla plumbea conſueta dictæ Sanctæ Synodi, & ſub tenore de verbo ad verbum, qui ſequitur, & eſt talis.*

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu Sancto legitimè congregata univerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

563 „ Quia Ambaſſiatores noſtri ad Conſtantinopolim tranſmiſſi, vice & nomine ejuſdem Sanctæ Synodi Sereniſſimo Imperatori Romæorum, & Reverendiſſimo Domino Patriarchæ Conſtātinopolitano; propter nonnullas cauſas promiſerunt, Capitula alias in hac Sancta Synodo ſuper modo univerſalis, & œcumenici, & utriuſque Eccleſiæ Concilii celebrandi hinc & inde concluſa & firmata dare, & cum effectu exhibere, ſub conſueta hujus Sanctæ Synodi Bulla plumbea, data præſenti, & ſub tenòre de verbo ad verbum ſubſequēti, nolens hæc Sancta Synodus obmittere aliquid eorum, quæ pro unione Eccleſiarum Chriſti fieri poſſunt, dictam ſuorum Ambaſſiatorum promiſſionem præſenti Decreto acceptat, approbat, ratificat & confirmat, & præfata Capitula de verbo ad verbum, prout per præfatos Ambaſſiatores promiſſum eſt præſentibus inſerit, ſub tenòre, qui ſequitur.

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu Sancta legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repręſentans, ad perpetuam rei rei memoriam.

564 „ Cùm inter cætera toti populo Chriſtiano neceſſaria opera, propter quę hoc præſens Sanctum Concilium extitit congregatum, unio Occidentalis & Orientalis Eccleſiarum Chriſti præcipuum, & maximum ſit, meritò pro hac perficienda ab initio ſuæ Congregationis omni conatu laboravit. Etenim quamprimùm potuit ad Sereniſſimum Imperatorem Græcorum & Reverendiſſimum Patriarcham Conſtantinopolitanum cum litteris ſuos tranſmiſit Ambaſſiatores, ad ipſos cum omni charitate & inſtantia exhortandum, quatenus & ipſi cum plena poteſtate mitterent aliquos, qui nobiſcum tractarent de modo dictam ſanctam unionem conſequendi: qui mox ut requiſiti fuerunt, tres inſignes viros de his, qui apud eos magnæ videntur auctoritatis, quorum primus ipſum Imperatorem conſanguinitate attinet, ad hanc Sanctam Synodum deſtinarunt, ſufficienti ipſius Imperatoris mandato, cum Bulla aurea, & ejus propria manu ſubſcripto, ac Patriarchæ literis munitos, qui tàm in generali Congregatione, quàm coràm Commiſſariis noſtris ferventiſſimum ipſius Imperatoris, & Patriarchæ, totiuſque Eccleſiæ Orientalis ad hanc unionem deſiderium exponentes, nos miruminmodum ad tàm ſancti operis proſecutionem pulſant, ac quotidiè excitant, duo inter alia firmiter, conſtanterque aſſerentes, unionem ipſam niſi in Synodo nuiverſali, in qua tàm Eccleſia Occidentalis, quàm Orientalis conveniat fieri, nullatenus poſſe, & in ea Synodo (ſi fiat, ut infra conventum) ipſam unionem ſecuturam ſperari. His auditis ſumma nobis lætitia & jucunditas nimirum acceſſit. Quamobrem omnē cogitatum noſtrum jactantes in Deum, qui facit mirabilia magna ſolus, Venerabiles Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales præſidentes Sedis Apoſtolicæ, Patriarcham Antiochenum, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Magiſtroſque, & Doctores in numero competenti deputavimus, ut unà cum ipſis Græcorum Ambaſſiatoribus rem iſtam tractare, & quo ordine ad executionem deducenda eſſe proſpicere deberent: qui tam inter ſe, quàm cum ipſis Oratoribus ſæpè numero convenientes, habito inter ſe maturo & digeſto conſilio, ad infraſcripta cum ipſis devenerunt Capitula, quę poſteà ſecundùm morem hujus ſac. Concilii per ſacràs deputationes maturè deliberata, ac deinde per generalem Congregationem concluſa, firmataque ſolemniter extiterunt: quorum tenor unà cum mandato ipſius Do-

Digitized by Google

,, Domini Imperatoris ſub aurea Bulla ſequi-
,, tur, & eſt talis: Ambaſſiatores Sereniſsimi
,, Domini Imperatoris &c. (*ſicut in Decreto*
,, *ſeſſionis* XIX. *ſupra relato*, *ſub num.* 1829.)
,, ut Decreto Concilii ſuperiùs inſerto, latiùs
,, continetur. Et quia tempus ſuperiùs ex-
,, preſſum, infra quod prædicta debebant ad-
,, impleri, effluxit, non propter defectum
,, alicujus partium, ſed quia ita contigit
,, variis intervenientibus tractatibus; hæc
,, Sancta Synodus tempus per præſatos Se-
,, reniſſimum Imperatorem Græcorum, &
,, Reverendiſſimum Patriarcham Conſtanti-
,, nopolitanum parte ex una, & Ambaſsia-
,, tores hujus Sacræ Synodi parte ex altera,
,, ſtatutum, & firmatum, quòd eſt à menſe
,, Majo immediatè ſequenti ad annum ſe-
,, quentem utraque partium ſit parata ad
,, exequēdum ſupradicta, quantum ad quam-
,, libet partium attinet, acceptat, & promit-
,, tit ſe impleturam, quantum ad ipſam per-
,, tinet, infra dictum tempus, quidquid in
,, prædictis Capitulis continetur.

,, 565 ,, *Item promittimus nomine, ut ſupra,*
,, *dare præfatis Sereniſſimo Imperatori, & Re-*
,, *verendiſſimo Patriarchæ quamcitiùs poteri-*
,, *mus, vel ſaltem per præſatas galeas ſalvum*
,, *conductum, ſub Bulla (ut præmittitur) &*
,, *ſub tenore de verbo ad verbum, qui ſequitur.*

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis,
in Spiritu Sancto legitimè congre-
gata univerſalem Eccleſiam
repreſentans.

566 ,, Quia, auctore Deo, in regione no-
,, ſtra Occidentali, & obedientia Eccleſiæ
,, Romanæ eſt univerſalis, & œcumenica
,, Synodus celebranda, in qua, juxta concor-
,, data in hac Sancta Synodo, & in Conſtan-
,, tinopoli denuò ratificata tàm Occidenta-
,, lis, quàm Orientalis Eccleſia conveniet,
,, ut cunctis erga eandem Eccleſiam Orienta-
,, lem noſtræ intentionis ſinceritas pateat, &
,, omnis ſuſpicio, quæ circa ſecuritatem, ac
,, libertatem venientium oriri poſſet, de me-
,, dio auferatur, tenòre præſentis Decreti hæc
,, Sancta Synodus Baſileenſis, nomine &
,, vice totius Eccleſiæ Occidentalis, & om-
,, nium de eadem Eccleſia cujuſcumque ſta-
,, tus, etiam ſi Papali, Imperiali, Regali,
,, Pontificali, vel quacumque alia inferiori
,, ſpirituali, vel ſæculari præfulgeant digni-
,, tate, poteſtate, vel officio, decernit, dat,
,, & concedit Sereniſsimo Imperatori Græ-
,, corum, Reverendiſsimis Patriarchis Con-
,, ſtantinopolitano, Alexandrino, Antio-
,, cheno, & Hieroſolymitano, cæteriſque
,, uſque ad numerum ſeptincentarum per-
,, ſonarum, etiamſi Imperiali, Regali, Ar-
,, chiepiſcopali, & cujuſcumque alterius
,, ſtatus, dignitatis, aut conditionis fuerint,
,, ad prædictum univerſale, & œcumenicum
,, Conciliū in regione Occidentali (ut præmit-
,, titur) celebrandū venientibus, aut venturis,
,, plenum, & liberum ſalvum conductum,
,, omneſque prædictos, & quemlibet ipſo-
,, rum, tàm in perſonis, quàm in honoribus,
,, & rebus quibuſcumque, ipſorum nomini-
,, bus, Regnis, Provinciis, Dominiis, Ter-
,, ritoriis, Communitatibus Civitatibus,
,, Caſtris, Oppidis, Villis, & omnibus locis
,, obedientiæ noſtræ Eccleſiæ Occidentalis,
,, per quæ, ſive eundo, ſive ſtando, ſive etiam
,, redeundo, tranſituri ſunt, aut eos tranſire
,, contigerit, in ſuam tutam, ſecuramque ſa-
,, lviguardiam recepit, & recipit per præſen-
,, tes, promittens & concedens omnibus &
,, ſingulis ex ipſis hoc præſenti edicto Syno-
,, dali tutam & liberam facultatem accedendi
,, & veniendi ad Civitatem, ſeu locum, in qua,
,, vel in quo erit dictum Sacroſanctum Con-
,, cilium celebrandum: ibique ſtandi, moran-
,, di, reſidendi, habitandi, cum omnibus im-
,, munitatibus, libertatibus, & ſecuritatibus,
,, quibus illi, qui erunt de obedientia Eccle-
,, ſiæ Romanæ, habitabunt: Diſputandi etiam
,, & ratiocinādi, jura & auctoritates allegan-
,, di, omnia alia liberè & ſine cujuſcumque
,, impedimento dicendi, faciendi, & tractan-
,, di, quæ pro unione Eccleſiarum Chriſti
,, eis expedire videbitur, & opportunum.
,, Inde etiam ſemel & pluries, & toties quo-
,, tieseis, & cuilibet eorum videbitur, & pla-
,, cebit, ſimul & ſeparatim, & cū eorum bonis,
,, rebus, & pecunia, & ſine, & pro libitu rece-
,, dendi & redeundi tutè, liberè, & impunè om-
,, ni impedimento reali, & perſonali ceſſante,
,, penitùſque remoto, etiamſi talis unio (quòd
,, abſit) non ſequeretur, nec effectum ha-
,, beret: quo caſu, & in omnem alium even-
,, tum, præfati Sereniſſimus Imperator,
,, Domini Patriarchæ, & alii ſupranominati
,, noſtris dumtaxat expenſis & galeis abſque
,, aliqua dilatione temporis, omnique re-
,, moto impedimento, cum eiſdem honori-
,, bus, benevolentia, & amicitia, quibus ad
,, præfatum univerſale celebrandum Conci-
,, lium deducentur, etiam in, & ad Conſtan-
,, tinopolim reducentur, ſive unio ſequatur
,, in dicta celebranda Synodo, ſivè non. Non
,, obſtantibus in prædictis, vel aliquo præ-
,, dictorum quibuſcumque differentiis, di-
,, ſcordiis, & diſſenſionibus ad præſens vi-
,, gentibus, & quæ in futurum oriri, &
,, vigere poſſunt inter dictas Eccleſias Occi-
,, dentalem, & Orientalem, ſeù inter ipſam
,, Eccleſiam Romanam, & ei ſubiectos & ag-
,, gregatos, & præfatum Sereniſſimum Im-
,, peratorem, & alios Eccleſiæ Conſtantino-
,, politanæ aggregatos, & non obſtantibus
,, aliquibus ſententiis, Decretis, condemna-
,, tionibus, juribus, & Decretalibus, quo-
,, modocumque, & qualitercumque factis, &
,, prolatis, ſeu faciendis: Et etiam non ob-
,, ſtantibus aliquibus criminibus, exceſſibus,

cul-

„ culpis, & delictis, ſi quæ per prædictos, vel alterum eorum quomodocumq; & qualitercumque commiſſa, & perpetrata forent: & generaliter non obſtantibus quibuſcumque aliis, etiamſi talia ſorent, de quibus neceſſarium eſſet ſpecialem in præſentibus facere mentionem. Et ſi contingat aliquem, vel aliquos ex noſtris, eis vel alicui ipſorum injurari, (quòd abſit) vel aliquam moleſtiam inferre in perſona, honore, rebus, & aliis quibuſcumque, taliter excedens, judicabitur per nos aut noſtros uſque ad condignam, & rationabilem ſatisſactionem parti læſæ. Et è converſo, ſi aliquis ipſorum alicui ex noſtris aliquam (ut præmittitur) injuriam inſerat, judicabitur per eos uſque ad condignam & rationabilem ſatisſactionem ei, qui injuriam paſſus eſt, ſecundùm morem & conſuetudinem utriuſque partis. De aliis autem criminibus, exceſſibus, & culpis quibuſcumque quælibet partium cognoſcet, & judicabit de ſuis.

567 „ *Item promittimus, quòd dicta ſancta Synodus procurabit ſalvos cōductus ſimiliter per Galeas deſtinando præſatis Sereniſs. Imperatori, & Reverendiſs. Patriarchæ à Dominus Civitatis & patriæ, in quibus futura univerſalis & œcumenica Synodus, Deo auctore, celebrabitur. Et ſimiliter ab omnibus Dominiis, & territoriis obedientiæ Eccleſiæ noſtræ Occidentalis, per quæ ſive eundo,* ſive redeundo tranſituri ſunt, munitos & roboratos, modo conſueto patriarum & dominiorum, firmiori modo, quo fieri poterit, tenoris qui ſequitur, & eſt talis.

568 „ Hortatur autem hæc Sacroſancta Synodua univerſos Chriſtifideles, & nihilominùs auctoritate univerſalis Eccleſiæ in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ mandat & præcipit omnibus & ſingulis Prælatis, Regibus, Ducibus, Principibus, Officialibus, Communitatibus, & aliis ſingularibus perſonis cujusvis ſtatus, conditionis, & dignitatis exiſtant, noſtræ Occidentali Eccleſiæ aggregatis, quatenus prædicta omnia & ſingula inviolabiliter obſervent, & quantùm in eis eſt, obſervare faciant: Dictumque Sereniſſimum Imperatorem, Patriarchas, & alios omnes & ſingulos antedictos, ad dictum ſacrum celebrandum Concilium accedentes, & inde recedentes, ſimul & diviſim favorabiliter & reverenter honorent, & tractent, ac honorari & tractari faciant. Si qua veró dubitatio circa dictum ſalvum conductum & contenta in eo oriri contigerit, ſtabitur declarationi præſatæ univerſalis Synodi celebrandæ. Vult autem hæc ſancta Synodus præſentem ſalvum conductum valere, & in ſuo robore permanere quousque ad ultimum, dicti Sereniſſimus Imperator, Patriarchæ, & alii ſupradicti cum ſuis nobilibus & famulis, uſque ad numerum (ut præmittitur) ſeptincentarum perſonarum, aliisque rebus & bonis, ſint reverſi in, & ad Civitatem Conſtantinopolitanam. Si quis antem contra prædicta, aut aliquod ipſorum, aliquid facere quoquomodo tentaverit, indignationem Omnipotentis Dei, & dictæ Sanctæ Synodi, ſe noverit incurſurum.

569 „ *Item promittimus, quòd dicta ſancta Synodus Baſileenſis ſub Bulla, ſive in Bulla ſalvi conductus dandi (ut præmittitur) per eandem ſanctam Synodum, declarabit decem Capitulis contentum in Decreto, ubi dicitur:* Item quod in omnem eventum prædicta omnia utique adimpleantur, *debere intelligi, vel intelligendum fore, ſive unio ſequatur, ſive non, in dicta Synodo œcumenica &c. In quorum omnium &c. Datum Conſtantinopoli in Monaſterio Sancti Georgii, pro tunc habitatione noſtra,* xxv. *Novembris, Anno à Nativ. Dom. MCCCCXXXV.* Hactenus promiſsiones Ambaſſiatorum Concilii.

570 His itaque concordatis cum Imperatore Græcorum & Patriarcha, atque promiſsis, receptisque præſatorum literis, Commiſsionibus, Chryſobolis, cæterisque Scripturis, præfatus Henricus Menger receſsit Conſtantinopoli; cùmque Venetias appuliſſet menſe Januarii, ineuntis Anni MCCCCXXXVI. ſtatim literas ſcripſit Domino Juliano Cardinali Sancti Angeli Apoſtolicæ Sedis Legato, & Concilii Baſileenſis Præſidenti, hunc habentes tenorem.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino, Domino Juliano, miſeratione divina tituli Sanctæ Sabinæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, vulgariter Sancti Angeli nuncupato in Germania Apoſtolicæ Sedis Legato, veſtræ Reverendiſſimæ Paternitatis humilis Henricus Menger.

571 „ Reverendiſſime Pater, Domineque metuendiſſime, ſecundo Januarii cum Galeis ad Civitatem Venetiarum, Dei gratia, vivus, ſed non ſanus, reverſus ſum. Et ut paucis me expediam, quia horam ſcribendi non habeo, noverit Reverendiſſima Paternitas veſtra, quòd omnia nobis per ſacrum Concilium injuncta votivè expedivimus, itaquòd Dominus Imperator & Patriarcha omnia Capitula per Ambaſſiatores ipſorum in ſacro Concilio concluſa & promiſſa, ut in Decreto continentur, de novo ſimiliter per Bullam Auream & plumbeam ratificavit &c. Et hoc pro nunc Paternitas veſtra Reverendiſſima, me excuſatum habere velit, ſi non ſtatim veniam: quia pro certo nihil in hoc Mundo tardabit me, niſi hoc ſero. Nam licèt ſim in-

Digitized by Google

„ infirmus, tamen nihilominùs hoc concluſi, „ Deo dante, quòd iter arripiam, & de die „ in diem ibo, donec & quouſque ad veſtram „ Reverendiſſimam Paternitatem glorioſam „ veniam, quam toto corde videre deſidero. „ Et verè gaudebit cor veſtrum, & iterum „ gaudebit, quia jucundiſſima, lætiſſimaque „ nova ſacra Concilio portabo: quoniam „ ramum virentis olivæ, & unitatia Eccleſiæ „ ſanè portabo, quemadmodùm Columba „ Noæ in Arca præſentavit &c. Datum Ve- „ netiis IV. Januarii MCCCCXXXVI. *Ha- ctenus Henrici literæ.*

572 Profectus inde Baſileam antefatas Græcorum Imperatoris, Fratris ejuſdem, & Patriarchæ literas exhibuit, Chryſobolum quoque & ſigillum prædictorum Imperatoris & Patriarchæ, Articulos denique ab ipſis Oratoribus Concilii concordatos eiſdem, ac univerſa geſta & acta Conſtantinopoli & ſcripto demandato: quę quidem omnia in pluribus & diverſis particularibus Congregationibus fuerunt diligenter inſpecta, ac maturè digeſta: Indeque habita publica ſeſſione, nimirum XXIV. de menſe Aprilis, die XIV. ejuſdem. Eodem Anno MCCCCXXXVI. cuncta recepta & approbata fuere, editia Decretis, juxta formulam per eoſdem Oratores cum Imperatore, & Patriarcha Conſtantinopoli concordatam, ac in promiſſione præfatorum Oratorum inſertam: nimirum, Decreto incipiente: *Quia Ambaſſiatores noſtri*, altero incipiente: *Cùm inter cætera*, quo delectum eſt Proœmium Decreti ſeſſionis XIX. incipiens: *Sicut pia Mater*: Et alio denique ſalvi Conductus, Decreto quod incipit: *Quia auctore Deo*. Lectæ item ſunt in eadem ſeſſione Aurea Bulla Imperatoris, & plumbea Patriarchæ, ſive Chryſobolum Imperatoris, & Patriarchæ ſigillum. Ac denique editum eſt Indulgentiarum Decretum, & conceſſum his, qui tantam pecuniarum ſummam pro unione Græcorum conferrent, quantam integra hebdomada cum tota familia pro victu ſuo aſſumerent, ſemel in vita, & in articulo mortis plena Indulgentia omnium peccatorum, atque eadem omninò, quæ Anno Jubilęi conceditur, aut proficiſcentibus in ſubſidium Terræ Sanctæ. Cæterùm cùm Patres Baſileenſes, quantum in eis erat, intenderent in eadem Civitate conſiſtere, illùc Concilium pro Græcorum unione celebrare, ac Græcas ad eandem Civitatem traducere, de alio deſignando loco, juxta poſtulata ab ipſo Græcorum imperatore, parùm, aut nihil cogitabant. Tempus interim præfixum, juxta concordata Conſtantinopoli inter ejuſdem Concilii Legatos, & præfatum Imperatorem, & in eodem Concilio in ſupradicta ſeſſione XXIV. item deſignatum, ſeu approbatum, labebatur; Quare Oratores ejuſdem Imperatoris adhùc in Concilio exiſtentes, in quadam Generali Congregatione, celebrata die XV. menſis Februarii, Anni MCCCCXXXVII. ſolemniter proteſtati ſunt, exhibentes ſchedulam proteſtationis, tenoris, qui ſequitur.

In nomine Domini. Amen.

573 „ Tenore præſentis publici Inſtru- „ menti, cunctis pateat evidenter, & ſit no- „ tum, quòd Anno à Nativitate ejuſdem „ MCCCCXXXVII. Indictione XV. die ve- „ rò Veneris XV. menſis Februarii, Ponti- „ ficatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & „ Domini noſtri Domini Eugenii, Divina „ Providentia Papæ IV. Anno VII. Reveren- „ diſque in Chriſto Patribus ac Dominis, „ Domino Juliano tituli Sanctæ Sabinæ in „ Germania Apoſtolicæ Sedia Legato, Joan- „ ne tituli Sancti Petri ad Vincula, Ludo- „ vico tituli Sanctæ Ceciliæ Arelatenſi, „ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteris Car- „ dinalibus vulgariter nuncupatis; Joanne „ Antiocheno, Ludovico Aquilejenſi, Pa- „ triarchis Amadeo, Archiepiſcopo Lugdu- „ nenſi, Petro Dignenſi, Alphonſo Bura- „ cenſi, Joanne Luicenſi, Matthæo Albiga- „ nenſi, Berengario Petragoricenſi, Antonio „ Sudenſi Epiſcopis, ac aliis Reverendiſſi- „ mis Patribus & Dominis Epiſcopis, & „ Abbatibus, cæteris Dominis & Doctori- „ bus, & Magiſtris in magna multitudine „ & numero copioſo, ſacrum Generale Con- „ cilium repræſentantibus & celebrantibus in „ Generale Congregatione, videlicet, in „ majori Eccleſia Baſileenſi de mane, more „ ſolito, præſtante Reverendiſſimo Domino „ Cardinali Legato Præſidente in eodem, in „ noſtrorum Notariorum publicorum & te- „ ſtium infraſcriptorum præſentia perſona- „ liter conſtitutus ſpectabilis & egregius „ miles Dominus Joannes Diſhypatus Am- „ baſſiator & Nuncius Sereniſſimi Domini „ Imperatoris Romæorum, ac Reverendiſſi- „ mi Domini Patriarchæ Conſtantinopoli- „ tani, certam proteſtationis cedulam, ſive „ requeſtam ſancto Concilio præſentavit & „ obtulit, ipſamque legi petiit. Quæ qui- „ dem cedula per me Petrum Bruneti alte- „ rum Notarium ſacri Concilii de mandato „ ejuſdem lecta extitit in hæc verba.

574 „ Reverendiſſimi Patres & Domini, „ Sereniſſimus Dominus Imperator, & Re- „ verendiſſimus Dominus Patriarcha, & „ Græci Orientales miſerunt me ad ſanctum „ Concilium ex multis reſpectibus, & ſpe- „ cialiter propter quatuor. Primò, ut ſigni- „ ficarem vobis, qualiter omnes de Orien- „ tali Eccleſia ſunt parati venire in tempore „ conſtituto, juxta formam Decreti, à quo „ non intendunt aliquo quoque modo rece- „ dere. Et ut ſciatis, & ſitis certi, quòd ex „ parte Eccleſiæ Orientalis nullus defectus „ erit, quin omnia in tempore convento „ exequantur.

575

575 „ Secundò, ut debeam cum omni
„ diligentia ſolicitare Paternitates veſtras,
„ & inſtare, & hortari, quòd omnia in
„ Decreto comprehenſa adimpleantur in
„ tempore conſtituto: quòd ſi aliquis de-
„ ſectus eſſet, ex uno deſectu, etiam parvo,
„ multa inconvenientia & plura mala ſequi
„ poſſent.

576 „ Tertiò, ut viderem, an locus, qui
„ eligetur, ſit ex nominatis in Decreto, &
„ habilis nobis Græcis, & Domino noſtro
„ Papæ; quia præſentia ſua, prout ſemper
„ diximus, ſupramodum eſt huic negotio
„ neceſſaria, & ſine eo non credimus, quòd
„ aliquid boni fieri poſſit. Quin ſi noſtri
„ ſciant, quòd ex parte veſtra remaneret,
„ quòd Papa non eſſet præſens, à veniendo
„ poſſent ſe retrahere: quia cum veniant pro
„ unione, nollent uniri vanum, & eſſe cau-
„ ſa diviſionis Eccleſiæ veſtræ. Suſpicaren-
„ tur etiam, quòd non haberetis illum
„ perſectum animum, qui ad iſtam unionem
„ requiritur.

577 „ Quartò, in electo loco, prout
„ dixi, accomodo & habili, & Domino no-
„ ſtro Papæ, ego deberem videre Galeas,
„ ſuper quibus venire debemus, an ſi fortes
„ & benè aptæ ad portandum perſonas no-
„ ſtras, & eas accipere, cum trecentis Bali-
„ ſtariis, ſecundùm quòd in Decreto conti-
„ netur, & aliis neceſſariis; Deinde reverti
„ in Conſtantinopolim in tempore conſtitu-
„ to: & ſi contrarium fieret, ego debeo pro-
„ teſtari, prout proteſtor, quòd vos in cauſa
„ eſtis, quòd tantum bonum impediatur: &
„ & quòd per nos non remanet, neque re-
„ manebit, quin omnia per vos promiſſa in
„ iſto negotio adimpleantur; ſed vos eſtis
„ in culpa. Ego, ut videtis, hùc veni cum
„ magnis laboribus & periculis, & invenio,
„ quòd aliqui ex vobis volunt eligere lo-
„ cum, imò (quod pejus eſt) elegerunt lo-
„ cum non nominatum in Decreto, ad quem
„ Papa nunquam veniet, neque mittet Le-
„ gatos ſuos: & volunt quòd veniamus extra
„ gulſum per viã nobis valdè periculoſam, &
„ multò magis longinquam, & incommo-
„ dam; de quo valdè miror, quia per iſtam
„ viam iſti tales nolunt unionem noſtram,
„ imò mortem, quia per illud mare ſic la-
„ tum, ultra alia pericula, vix poteſt inve-
„ niri portus, & in eo ſunt multi Piratæ no-
„ bis & omnibus Chriſtianis inimici.

578 „ Miror etiam, quòd videatis no-
„ ſtros Prælatos antiquos venire de Cypro,
„ Hieruſalem, Alexandria, & Antiochia, &
„ aliis remotiſſimis partibus Orientis, ac de
„ Ruſſia & ultimis partibus Septemtrionis
„ per multa millia milliarium, & per terras
„ infidelium uſque Conſtantinopolim, & de
„ Conſtantinopoli tam prædicti Prælati,
„ quàm Imperator, & Patriarcha Conſtanti-
„ nopolitanus, qui eſt antiquiſſimus, debeant
„ ſimiliter per multa millia milliaria, per
„ mare, & etiam per Dominia Turcarum,
„ uſque ad terras Latinorum accedere; quod
„ vos non velitis pro octo, aut decem diæ-
„ tis in terra veſtra tuta & pacifica ambula-
„ re, cùm videatis Imperatorem noſtrum, &
„ principales ex Græcis dimittere Domum
„ propriam, uxores & filios in manibus
„ Turcarum; multi ex vobis pro tanto bono
„ nolunt ſe elongare à Patria propria per mo-
„ dicum ſpatium.

579 „ Quare ſi non providebitis in tem-
„ pore de alio loco, & alia via nobis, & Papæ
„ accommoda, ego nomine Domini Impera-
„ toris & totius Eccleſiæ Orientalis prote-
„ ſtor coràm Deo & Angelis ſuis, & toto
„ Mundo, quòd per Eccleſiam Orientalem
„ non remaneat, quin ea, quæ ſunt capitu-
„ lata in Decreto inter vos & nos, adim-
„ pleantur in tempore ſuo. De qua re per
„ totum Mundum ſemper habebitis confu-
„ ſionem, & in extremo Dei judicio reddetis
„ rationem de tanto, cujus eritis cauſa.
„ Quia reverà talis eſt diſpoſitio ex parte
„ noſtra, quòd ſi fiet iſtud Concilium œcu-
„ menicum, omninò ſequetur unio Eccleſiæ
„ utriusque: & ſi remanebit, erit notum
„ toti Orbi, quòd ex parte veſtra deficiet,
„ non ex noſtra. Et ſi aliquas expenſas fa-
„ cietis, ſignifico vobis, & vos certos facio,
„ quòd illas omnes perdetis, quia per iſtam
„ viam electam per aliquos ex vobis, nun-
„ quam aliquem noſtrùm habere poteritis;
„ imò habebimus cauſam repetendi à vobis
„ omnes expenſas, quas fecimus propter hoc:
„ Et eandem proteſtationem intendimus fa-
„ cere apud Dominum noſtrum, qui pro
„ conſenſu eſt colligatus ad dictum Decre-
„ tum, & apud omnes Principes Mundi.
„ Rogo omnes Notarios, qui hìc ſunt, quòd
„ de iſta mea requiſitione faciant mihi in-
„ ſtrumenta neceſſaria, ut poſſim de hoc fa-
„ cere fidem Domino Imperatori, & toti
„ Mundo.

580 „ Qua quidem proteſtatione, cedu-
„ la, ſive Requeſta, ut præfertur, lecta,
„ ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis præſa-
„ tus Dominus Joannes petiit à nobis Nota-
„ riis, & dicti ſacri Concilii Scribis infra-
„ ſcriptis, ſibi fieri atque tradi unum atque
„ plura publicum Inſtrumentum, & publica
„ Inſtrumenta. Data fuerunt hæc in dicta
„ Generali Congregatione Baſileæ, ſub An-
„ no, Indictione, menſe, die, & Pontificatu,
„ quibus ſupra, præſentibus ibidem Vene-
„ rabilibus & circumſpectis Viris Dominis
„ & Magiſtris, Joanne Pulchrapatria, Joan-
„ ne de Segobia in ſacra pagina, Joanne
„ Leonis, Joanne de Bacheſtri Archidiacono
„ Zagabrienſi, Decretorum Doctoribus, &
„ Guido de Vercellis Magiſtro in Artibus
„ Pariſiis, teſtibus ad præmiſſa adſtantibus.
Hactenus Proteſtatio, ſive Requeſta.

581

581 Ex qua proteſtatione apparet à Baſileenſibus locum futuri Concilii jam electum, non tamen ex nominatis in Decreto, & quidem ultra Baſileam, Avenionem, licèt in vulgatis editionibus præfati Concilii Baſileenſis, ante ſeſſionem xxv. nulla fiat mentio de talia loci deſignatione. Ex tenore tamen Decreti prædictæ xxv. ſeſſionis ſufficienter evinci poteſt, aliaa Avenionem pro loco futuri Concilii ſuiſſe deſignatum: unde meritò in præfata proteſtatione conqueritur Joannes Dishypatus Imperatoris & Patriarchæ Orator, quòd locum elegerint in Decreto non nominatum, ad quem non ſine magno incommodo, ac etiam vitæ periculo Græci accedere non poſſent. Auguſtinus Patricius Canonicus Senenſis in Hiſtoria Concilii Baſileenſis §.53. refert celebratam fuiſſe ſeſſionem, quam numerat xxv. ad x. Kal. Januarii, die videlicet xxiii. menſis Decembris, Anni Domini MCCCCXXXVII. ſecutus fortaſſe computum numerandi annos ab Annunciatione: quoniam ſecundum vulgatum computũ, oportuit dixiſſe An. MCCCCXXXVI. labẽte, eo certiùs, quòd ſub MCCCCXXVII. Nonis Maii ſcribit celebratam fuiſſe ſeſſionem xxvi.

582 In ea itaque ſeſſione, quam, ut præfati ſumus, appellat xxv. In primis dicit editum communi conſenſu Decretum de communione in utraque ſpecie, quo declaratum fuit, quo ad Laicos & non conficientes, ac rem divinam non operantes, non eſſe neceſſariam, neque de præcepto Salvatoris i ſpectareque ad Eccleſiam Chriſti ordinare, ac ſtatuere, quonam pacto non conficientes oporteat de Chriſti Sacramento communicare. Et cùm ſub qualibet ſpecie, panis ſcilicet & vini, totus atque integer Chriſtus ſit, obſervantes tamen Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, & ſub una ſpecie tantùm communicantes, laudandos eſſe, neque illos ferendos, qui antiquum Eccleſiæ Latinæ ritum à Sanctis Patribua, non ſine urgenti cauſa approbatum, temerè auderent permutare, cùm pro forma & ſtabili lege ſit habendus.

583 Deinde ſubnectit ſub §.54. in eadem ſeſſione, magnam inter Patres Concilii ortam eſſe diſſenſionem, ingentemque & periculoſam ſeditionem, in cauſa determinandi locum Concilii œcumenici pro Græcorum unione; quoniam major Patrum pars deſignaverant Avenionem, Baſileam, & Sabaudiam: contra quam deſignationem reclamarunt Græcorum Legati, proteſtantes, Avenionem, & Baſileam non eſſe ex nominatis in Decreto, Sabaudiam verò eſſe ultimo loco poſitam, quaſi aliis deficientibus, imò nomine Sabaudiæ Imperatorem intellexiſſe Civitatem aliquam Italiæ ei accommodam Sabaudiæ ſubjectam. Denique rem compoſitam tradit, his legibus, nimirum, ſi Avenionenſes intra dies triginta promiſſum mutuum ſeptuaginta millia aureorum numeratâ pecunia non ſolverint, & intra alios duodecim dies de integrè perfeciſſe Patres legitimè non docuerint, Concilium poſſe, & tenèrè procedere ad electionem alterius loci. Elapſo ergò præfixo termino, nec adimpletis conditionibus, quoniam Patres diſcordantes ad alterius loci deſignationem non deveniebant; quoniam pars Pontifici adverſa inſiſtebat, ut Baſileæ, aut Avenioni, vel Sabaudiæ celebraretur; altera verò Pontifici addicta adverſabatur, ideò Legati Græcorum ſub die xv. Februarii, præfatam proteſtationem coràm Concilio ſolemniter exhibuerunt.

584 Hac interpoſita proteſtatione, cùm reverà elapſus terminus eſſet, Præſidentes Concilii & Legati Apoſtolici erga finẽ menſis Aprilia convocarunt Patres ad novi loci electionem; ſed magna pars Patrum Pontifici infenſa, licèt non ſanior, receſſit: quæ pars ex vili plebe magna ex parte conſtabat, quamvis Ducem haberent Cardinalem Arelatenſem, & nonnullos Prælatos. Verùm Præſidentes ad novam loci electionem procedere volebant, cùm alii, licèt vocati, convenire noluerint; ac ita primò in deputationibus, inde in generali Congregatione concluſum fuit, Florentiam, & Utinam, & Forum Livii ponendam in manu Concilii, ſeù quemcumque alium locum tutum in Decreto conventionis contentum, Summo Pontifici, & Græcis accomodum, eſſe eligendum pro Concilio, illum videlicet, qui citiùs paraverit & expediverit pecunias, triremes, & alia opportuna, aſſerentes hoc ſibi licere etiam majori parte Concilii contradicente. Quoniam cùm ipſa major para non vellet convenire ad præſati loci electionem, ut ex communi Decreto tenebatur, & terminus eſſet jam elapſus, urgeretque neceſſitas locum eligendi, cùm jam finis menſis Aprilis inſtaret, & per ſequentem menſem Maii, ſecundùm conventionem, & fidem datam Græcis oportebat Naves Conſtantinopolim appuliſſe, omne jus Concilii remanebat in eos, qui Decretum Concilii exequi, & Reipublicæ conſulere intendebant; ſicut ſi in electione Epiſcopi intra tempua major pars Collegii eligere non vellet, minor poteſt eligere, & tota Capituli poteſtas in volentibus eligere permanet.

585 Sed adverſa pars magis irritata nihil decerni poſſe ſine conſenſu majoris partia proteſtabatur: Unde Duce Cardinali Arelatenſi præſato, decrevit quædam poſtulata Avenionenſium, priùs non recepta, eſſe admittenda, ac inde publicam indixit ſeſſionem, ut Decretum firmaretur. Qui verò ex parte Pontificis erant, & pacem quærebant, videlicet Apoſtolicæ Sedis Legati, hortati ſunt Patres, ut ſuæ ſententiæ, quæ Reipublicæ utiliſſima eſſet, vellent acquieſcere; ſin minùs communi Decreto Avenione, ſeù Sabaudia pro Concilio eligeretur, hac conditione,

ut

ut ſi adhibita omni diligentia per Patres, Græci non vellent ea loca acceptare, ut proteſtati erant, tunc alius locus eligeretur Græcis, & Pontifici accommodus: Quòd ſi hoc etiam non placeret, mitterentur Legati ex Concilio Conſtantinopolim, qui Græcos ad quamcumque Latinorum terram poſſent, ſive ad quam vellent, omninò deducerent, itaut non tam locorum utilitas, quàm Græcorum ſalus quæri videretur; nevè ob aliquorum paſſiones Latinæ Eccleſiæ fides inanes redargueretur. His tamen omnibus neglectis à parte adverſa, præfatæ factionis capita undique ex vicinis Oppidis, & Civitatibus Clericos & Sacerdotes, qui etiam in Urbe Baſileæ Patribus inſerviebant, collegêrunt, ut in ſequenti ſeſſione cum Patribus togati ſederent, ac in Concilio ſua quoque ſuffragia ferrent.

586 Itaque Nonis Maii, die ſcilicet VII. ejuſdem præfati Anni MCCCCXXXVII. habita eſt publica ſeſſio in vulgatis editionibus XXV. magna cum Patrum frequentia, majorique diſſenſione; nam in ea factiones diviſæ, ac ſeorſim ſedentes, duo contraria ediderunt Decreta: Præſidentes namque Concilii, & Apoſtolicæ Sedis Legati, unà cum Prælatis ſibi adhærentibus, decreverunt Concilium celebrandum Florentiæ, vel apud Utinum, prout ab eis concluſum fuerat, Portus verò, ad quem Græci appulere debebant, nominarunt Venetiæ, Arimini, & Ravennæ, quem vellent Græci. Decimas non ante eſſe impendendas ſtatuerunt, quàm Græci Portum Italiæ appulerint, unum de nominatis; nè ſi fortè aliquo fato impediti non veniſſent, illuſum ſibi Clerus conquereretur. Concilium interim Baſileæ continuandum; Legatos denique Conſtantinopolim mittendos, quæ hęc Græcis nunciarent, operamque darent, ſi poſſent, omni ſtudio, ut Græcos Baſileam perducerent. Hoc autem Decretum in vulgatis editionibus deſideratur: extat tamen in prima Parte Concilii Florentini apud Labbæum, pag. 831. quod ad hunc modum ſe habet.

Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu Sancto legitimè congregata univerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

587 „ Hæc ſacroſancta Synodus inter „ ſuæ Congregationis exordia, ut ea, pro „ quibus generalium Conciliorum celebra- „ tio dignoſcitur inſtituta, Spiritus Sancti „ aſſiſtente gratiâ, opere complerentur, ſum- „ mam diligentiam ad continuandam inter „ Populos Occidentales, & Orientales unio- „ nem adhibuit, ut ſicut ex longo diſſidio „ Dei Eccleſia innumeras perpeſſa eſt cala- „ mitates, ita ex fraterna unione maximum „ aſſequeretur profectum, proinde Conſtan- „ tinopolim ad hoc ſanctum promovendum „ opus Oratores tranſmiſit, quibus unà cum „ ſolemnibus Ambaſſiatoribus Sereniſſimi „ Imperatoris Romæorum, & Venerabilis „ Patriarchæ Conſtantinopolitani hùc re- „ deuntibus, habitis ſuper hoc multis tracta- „ tibus, maturaque deliberatione, tandem „ certa Capitula inter hoc ſacrum Conci- „ lium, & ipſos Ambaſſiatores concordata, „ & per Decretum, & publica ſeſſione firma- „ ta extiterunt. In quibus eadem ſancta Sy- „ nodus ex tam ſancto negotio ad deſtinan- „ dum Conſtantinopolim Oratores ſuos cum „ quibuſdam pecuniarum ſummis, & duabus „ Galeis groſſis, duabuſque ſubtilibus, & „ trecentis Baliſtariis infra certum tempus, „ ac per eoſdem, unum de locis in Decreto „ compręhenſis pro œcumenico Concilio no- „ minandum, in quo Imperator, & Patriar- „ cha cum ſeptingentis perſonis pro hac ſan- „ cta unione complenda nobiſcum conveni- „ rent, obligare ſe voluit.

588 „ Cùm autem tempus iſta exequendi „ in foribus inſtet, cupiens hęc S. Synodus ſuis „ penitùs pollicitationibus ſatisfacere, & tam „ pium negotium, quo hoc tempore ſalubriùs „ excogitari nequit, totis viribus ad optatum „ finem perducere, ad hanc in ſuis diſputa- „ tionibus, & deinde in generali Congrega- „ tione concluſionem devenit, ut videlicet „ Civitas Florentina, aut Utinum in patria „ Fori Julii ponenda in manu Concilii, ſeù „ quicumque alius locus tutus in Decreto „ comprehenſus, Summo Pontifici, & Græ- „ cis accommodus, pro œcumenico Conci- „ lio eligatur; ille videlicet de prædictis, „ qui citiùs paraverit & expedierit Galeas, „ pecunias, & alia neceſſaria, datis etiam „ ſecuritatibus neceſſariis. Portus autem ſit „ Venetiæ, Ravenna, & Ariminum, ille vi- „ delicet ex iis, quem Imperator, & Patriar- „ cha Conſtantinopolitanus maluerint. Item, „ nè Clerus gravaretur incaſſum, Decima „ nec decretaretur, nec exigeretur, uſque- „ quò Græci ad unum de prædictis appli- „ cuerint Portum. Quòdq; per totum tem- „ pus in Decreto comprehenſum in hac Ci- „ vitate ſacrum remaneat Concilium, & ut „ Legati, & Præſidentes Apoſtolicæ Sedis, „ vocatis Patribus, de quibus eis viſum eſſet, „ Oratores ad conducendum Græcos, & pre- „ miſſa exequenda eligant, qui omnem in- „ ſtantiam pro hac Civitate Baſileenſi facere „ debeant.

589 „ Ut igitur, ſemper Divinâ gratiâ „ aſſiſtente, præmiſſa omnia & ſingula debi- „ tum ſortiantur effectum, in hac publica & „ ſolemni ſeſſione hæc ſancta Synodus præ- „ fatam concluſionem vult, ſtatuit, decla- „ rat eſſe firmam atque validam, tenendam- „ que & exequendam; caſſans, irritans, & „ annullans, caſſumque, irritum, & nullum

„ eſſe decernens quidquid à quoquam, &
„ etiam quibuſcumque factum, vel actum ſit,
„ vel in futurum fieret, vel attentaretur ad-
„ versùs prædicta, ſeù dependentia ab eis,
„ vel quòd eorum executionem poſſet quo-
„ modolibet impedire: volens, ut ad prædi-
„ ctorum executionem prædicti Apoſtolici
„ Legati, ac Præſidentes quaſcumque lite-
„ ras opportunas ſub Bulla Concilii in for-
„ ma debita conficiant, & alia quæcumque
„ huic ſancto negotio neceſſaria, vel accom-
„ moda expediant. Datum Baſileæ in noſtra
„ ſolemni ſeſſione in Eccleſia majori cele-
„ brata Nonis Maii, Anno à Nativitate Do-
„ mini Milleſimo quadringenteſimo trigeſi-
„ moſeptimo.

590 „ Ego Oddus de Varris Apoſtolicæ
„ Sedis Prothonotarius præmiſſis decreta-
„ tioni, & Decreti publicationi, omnibuſ-
„ que aliis, & ſingulis, dùm ſic, ut præmitti-
„ tur, in publica ſeſſione in majori Eccleſia
„ Baſileenſi ſolemniter celebrata fierent, &
„ agerentur, præſens interſui, & ea omnia
„ fieri vidi & audivi; & in fidem omnium &
„ ſingulorum præmiſſorum rogatus & requi-
„ ſitus, me in hoc publico Decreto ſubſcri-
„ pſi, ipſumque ſigno & nomine meo ſolitis
„ & conſuetis ſignavi. *Hactenus Decretum*. Cui pariter rogati ſunt Ludovicus de Roma ſimiliter Apoſtolicæ Sedis Prothonotarius; Georgius Frey de Vilshouers; & Giſelbertus Bonnare, aliàs Karoum Clerici, & Concilii Notarii.

591 Altera porrò factio in eadem ſeſſione, quæ multitudine & numero ſe tuebatur, decrevit Avenionenſium poſtulata eſſe admittenda. Poſtulata namque Avenionenſium, ut Concilium reciperent, erant, ut antequàm mutuum paratæ pecuniæ fieret, pro expenſis à Concilio fiendis, publico Decreto firma electio de Avenione pro eodem Concilio celebrando fieret, Portus vicinus nominaretur: Et quòd ſtatuerentur Decimæ, quarum pecuniæ ſimul cum his, quæ ex Indulgentiis provenirent, occaſione ſibi mutui obligarentur: Quæ quidem poſtulata fuere primùm rejecta, utpotè quòd eſſent propter conventa; ſed poſtea in hac ſeſſione admittenda eſſe cenſuerunt. Deinde pro loco futuri Concilii ſtatuerunt Avenionem, & Sabaudiam; Portum viciniorem à tribus Epiſcopis nominandi curam commiſerunt; Decimas denique, & Indulgentias Avenionenſibus concedendas dixerunt. Extat præfatum Decretum in vulgatis editionibus hujus Concilii in dicta ſeſſione **xxv.** hunc habens tenorem.

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu Sancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

592 „ Nuper hæc ſacroſancta Syno-
„ dus &c. *Et infra*. Ut igitur præmiſſa om-
„ nia & ſingula debitum & votivum ſortian-
„ tur effectum cum omni ſolemnitate, aliàs
„ in hoc ſacro Baſileenſi Concilio in rebus
„ arduis expediendis adhiberi ſolita, Patri-
„ bus in majori Eccleſia Baſileenſi poſt Miſ-
„ ſarum ſolemnia conſedentibus, hæc ſancta
„ Synodus decernit, vult, ſtatuit, ordinat,
„ & declarat, futurum œcumenicum Conci-
„ lium in Baſileenſi, aut, illâ recuſatâ, in
„ Avenionenſi Civitatibus, alioquin in Sa-
„ baudia, juxta concluſionam ſupradictam,
„ debitis & conventis temporibus debere ce-
„ lebrari. Quòdque Imperator & Patriar-
„ cha, & alii Græci prædicti, juxta capitu-
„ lata & decretata hujuſmodi, necnon om-
„ nes & ſinguli alii cujuſcumque gradus, ſta-
„ tus, dignitatis, vel præeminantiæ exiſtant,
„ qui generalibus Conciliis de jure, vel con-
„ ſuetudine intereſſe debent, etiamſi Ponti-
„ ficali dignitate præfulgeant, ad illud de-
„ beant, & teneantur, maximè pro conſum-
„ matione tam ſalutaris operis, accedere, &
„ etiam convenire. Et hanc præmiſſam no-
„ minationem & electionem vult, ſtatuit, &
„ decernit hæc ſancta Synodus, ut ſit firma,
„ inconcuſſa, & inviolabilis, quacumque
„ alia modificatione, ordinatione, diſpoſi-
„ tione, nominatione, ſeù electione per ip-
„ ſum ſacrum Concilium, ſeù alium, vel
„ alios, quacumque auctoritate etiam Pa-
„ pali fungentes, in contrarium facta, ſeù
„ factis, minimè valitura, ſeu valituris, quam,
„ ſeù quas hæc ſancta Synodus ex certa
„ ſcientia ex nunc, irritat, caſſat, revocat,
„ & annullat, ſeu caſſa, nulla, & irrita nun-
„ tiat, & pro infectis illam, ſeù illas habere
„ vult, & præſentibus habet, quatenùs in
„ totum, vel in partem præmiſſæ electioni
„ obviant, vel repugnant. Supplet etiam
„ hæc ſancta Synodus ex certa ſcientia om-
„ nem defectum, ſi quis in præmiſſis, vel
„ aliquorum præmiſſorum forſitan interve-
„ nerit.

593 „ Et inſuper cùm res tam ardua,
„ plurimùm in Dei Eccleſia fructum allatu-
„ ra, ſive gravibus expenſarum ſarcinis con-
„ ſummari, & Græci prædicti adduci, addu-
„ ctique ſuſtentari non valeant, dignumque
„ & debitum exiſtat, ut pro conſummatione
„ tam fœlicis operis Chriſtifideles univerſi,
„ maximè Eccleſiaſticæ perſonæ, de com-
„ miſſi ſibi patrimonii Domini noſtri Jeſu
Chri-

Digitized by Google

„ Chriſti ſubſtantiis liberali diſpenſatione
„ miniſtrent, hæc ſancta Synodus univerſis
„ & ſingulis Eccleſiaſticis perſonis exemptis,
„ & non exemptis, ſub quacumque verbo-
„ rum forma, etiam Ordinis Sancti Joannis
„ Hieroſolymitani cujuſcumque ſtatus, di-
„ gnitatis, gradus, ordinis, vel conditio-
„ nis exiſtant, etiamſi Cardinalatus, vel
„ Pontificali præfulgeant dignitate, gene-
„ ralem omnium & ſingulorum ſuorum Ec-
„ cleſiaſticorum fructuum & proventuum,
„ quotidianis diſtributionibus dumtaxat ex-
„ ceptis, Decimam de ſuis Eccleſiis, Mo-
„ naſteriis, dignitatibus, & officiis, cæte-
„ riſque Eccleſiaſticis Beneficiis, in ſua ge-
„ nerali Congregatione jam impoſitam, &
„ concluſam, perſolvendam, & exigendam,
„ decernit, ſtatuit, & declarat imponendam,
„ eamque imponit per præſentes.

594 „ Preterea dicta ſancta Synodus de-
„ cernit, vult, ordinat, & declarat, quòd Ve-
„ nerabiles Joannes Lubicenſis, Ludovicus
„ Viſenſis, Delphinus Parmenſis, Ludovicus
„ Lauſannenſis Epiſcopi, ipſius ſacroſanctæ
„ Synodi Oratores ad conducendum Grecos
„ ad locum œcumenici Concilii, eorumque
„ major pars tunc præſens, Portum Latinum
„ locis ſupra electis & nominatis aptiorem
„ & propinquiorem, ad quem dicti Græci
„ debeant applicare, eligendi & nominandi
„ plenam habeant poteſtatem, illamque eiſ-
„ dem concedit per præſentes, juxta formam
„ aliarum literarum eis ſuperinde datarum.
„ Poſtremò eadem ſancta Synodus vult, or-
„ dinat, & decernit, quòd pro præmiſſorum,
„ & ex eis dependentium debita & votiva
„ executione, dictorumque Synodicorum,
„ & Concilii ſecuritate pleniori, ad omnem
„ eorum, aut ſuorum Procuratorum, vel
„ Nuntiorum petitionem & inſtantiam, eis
„ quævis aliæ literæ opportunæ, utiles & ne-
„ ceſſariæ, ſub Bulla ejuſdem ſanctæ Synodi
„ per ipſius Cancellariam in forma debita &
„ honeſta concedantur, conficiantur, &
„ etiam expediantur. Datum in ſeſſione pu-
„ blica ipſius ſanctæ Synodi, in Eccleſia ma-
„ jori Baſileenſi ſolemniter celebrata Nonis
„ Maii, Anno à Nativitate Domini Milleſi-
„ mo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo.

Hactenus Decretum, cui in eadem ſeſſione adjectum eſt & aliud Decretum pro cautione Avenionenſium circa expenſas faciendas, quod incipit, *Sacroſancta &c. Cùm nuper dilecti Eccleſiæ filii*.

595 His ergò duobus contrariis Decretis in eadem ſeſſione editis, aucta eſt ſeditio. Et cùm altera factio major in numero non permitteret, ut Decretum ab altera factione minori, licèt ſaniori, ut Concilii ſigno ſignaretur, Præſidentes, & Apoſtolicæ Sedis Legati, facto novo Decreto, ſtatuerunt Bullam Concilii Cardinali Sancti Petri ad Vincula, Archiepiſcopo Panormitano, & Epiſcopo Burgenſi eſſe credendam, qui literis Decretorum ab ipſis factorum ſignarent, & debitæ executioni mandarent. Quorum poſtea opera & Bullæ munitæ ſunt literæ; & arca, in qua Bulla ſervabatur, ad Sacrarium Sancti Leonardi eſt translata, ex quo major & perículoſior tumultus exortus eſt: prævalente tamen multitudine ipſa arca non ſine violentia ad priſtinum locum reducta fuit. Porrò præfati Baſileenſes Eugenio adverſi, ut rem Avenionenſem ſibi curæ eſſe oſtenderent, Legatos ad Comitatum Venayſinum miſerunt, qui Concilii nomine peterent, Venayſinos commeatu, & aliis ad victum opportunis Avenionenſes juvare, ſi Concilium illùc transferretur: At Provinciales facto conventu, communi conſenſu reſponderunt, jucundo animo ſe audire Concilii adventum ad Avenionenſem Urbem; cùm maximè intelligerent id fieri Romano Pontifice, & ſacro Senatu benevolentibus: ſe autem, & Patres ſuos ſemper fuiſſe & eſſe fideles ſubditos Romanæ Eccleſiæ, & in ejus ſemper poteſtate futuros. Proinde ſi Romani Pontificis, & ſacri Senatus voluntatem apertè cognoſcerent, in nulla re Concilio defuturos. Et cùm jam promiſiſſent Avenionenſibus quartam partem frumenti, & vini unius anni ex tota Provincia mutuò concedere, nunc paratos fuiſſe in gratiam Patrum Concilii partam illam dono dare, ſi id gratum futurum eſſe ſcirent Summo Pontifici.

CAPUT X.

De aliis Baſileenſium, & Eugenii Papæ geſtis; translatione Concilii Baſileenſis ad Civitatem Ferrarienſem; ac cæteris actitatis uſque ad adventum Græcorum.

596 ATtento Decreto edito à Concilii Præſidentibus, & Apoſtolicæ Sedis Legatis locum Concilii ſtatuente Florentiam, vel Utinum, ſive aliam Civitatem in Decreto cum Græcorum Imperatore concordatam Græcis, & Pontifici accomodam, Græcorum & præfatorum Legati Joannes Dishypatus, & Emmanuel Tracagnoti, qui Concilio Baſileenſi interfuerant, & quibus hujuſmodi Præſidentium & Legatorum Decretum, utpotè conforme, concordato inter Baſileenſium Legatos, & poſtea ipſummet Concilium, & Imperatorem atque Patriarcham, plurimùm placuit, Baſilea ſecedentes, Bononiam ſe contulerunt ad Eugenium Papam, ibi tunc commorantem; atque ſumma cum inſtantia rogarunt, ut antefatum Decretum de Concilio œcumenico habendo Florentiæ, aut Utini, ſua roboraret auctoritate,

quoniam hoc pacto indubiè Græci ad Concilium venturi eſſent, & optata unio, auctore Deo, certò ſecutura: cùm verò idem eſſet in optatis ipſi Pontifici, adhæſit, & poſtulatis, & præfatum Decretum edita conſtitutione confirmavit, quæ ad hunc modum ſe habet.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

597 „ Salvatoris & Dei noſtri, in glo-
„ rioſo cujus ortu Angelorum Chorus Glo-
„ riam in Altiſſimis Deo, & in terra pacem
„ hominibus bonæ voluntatis nuntiavit, &
„ qui è Mundo tranſiturus ad Patrem, tan-
„ quam in ultimis Teſtamentum conderet,
„ Diſcipulis ſuis, quos in finem dilexit, bo-
„ num hæreditarium unionem reliquit, &
„ pacem, vices, quamquam meritis inſuffi-
„ cientibus, gerentes in terris, pro debito
„ oneris imbecillibus noſtris humeris impo-
„ ſiti, unitatem in univerſo Chriſtianorum
„ populo ſummis deſideriis affectamus, ad
„ illamque ubi eſt, conſervandam; ubi verò
„ aliqua ex parte deſit, ponendam, nutrien-
„ damque anhelamus.

„ 598 „ Sanè dudum adhùc in minoribus
„ conſtituti attendentes, quot & quanta,
„ ſive bona neglecta etiam perdita ſunt, ſive
„ mala in Eccleſia Dei, & populo chariſſimo
„ provenerunt, ex diviſione Orientalis &
„ Occidentalis Eccleſiæ; & intelligentes, ni-
„ hil eſſe inter alia omnia pluris faciendũ, rem
„ exiſtimavimus dignam, cui omnes adhi-
„ beremus conatus: hinc in Concilio Con-
„ ſtantienſi primo, deinde apud fœlicis re-
„ cordationis Martinum V. Prædeceſſorem
„ noſtrum pro optata hujuſmodi Eccleſiarum
„ Dei unione plurimùm laboravimus.

599 „ Quamprimùm verò ad Apoſtola-
„ tus apicem aſſumpti fuimus, honeſto illi,
„ pioque deſiderio noſtro debitum acceſſiſſe
„ cernentes, ex injuncto nobis deſuper cu-
„ ræ Paſtoralis officio, eam rem ſuſcepimus
„ ardenti animo; factumque eſt, ut Orato-
„ res chariſſimi filii noſtri in Chriſto Joannis
„ Imperatoris Græcorum Illuſtris, & Vene-
„ rabilis Fratris Joſephi Patriarchæ Con-
„ ſtantinopolitani, ſe Romam ad nos contu-
„ lerint, & deinde miſſis per nos Conſtanti-
„ nopolim Nunciis, communi conſenſu tra-
„ ctatum fuerit, quòd pro celeriori, firmiori-
„ que ipſius rei conſecutione, Legatus de
„ Latere cum Prælatis, Magiſtris, & Docto-
„ ribus tantæ rei tractandæ neceſſariis, à no-
„ bis Conſtantinopolim mitterentur, quem
„ tractatum Imperator Trapezuntiarum fa-
„ cilè poſtea approbaviſſet. Priùs verò quàm
„ tractatus hujuſmodi ad nos Capitula por-
„ tarentur, alius in Baſileenſi Concilio unio-
„ nis modus per Decretum firmatus eſt; po-
„ ſteaque miſſus ad nos prædicti Concilii
„ Orator, noſtrum requiſivit aſſenſum.

600 „ Nos verò avidi prædictæ unionis,
„ & veriti, nè ſi aliqua diſſenſio intercederet,
„ tantæ tamque nobis optatæ rei ruptura ſe-
„ queretur, licèt de re tam gravi, & tot men-
„ ſibus agitata, quidquam è prædicto Con-
„ cilio ad nos perlatum non fuiſſet, non ob-
„ ſtante etiam quòd interea regreſſus Ora-
„ toris noſtri, & novus Græcorum adventus
„ pro approbatione alterius concluſionis eſ-
„ ſet nuntiatus, antedictæ concluſioni in
„ Concilio habitæ conſenſimus.

601 „ Venientesque ad nos prædicti Im-
„ peratoris & Patriarchæ Oratores pro con-
„ firmatione eorum, quæ in Conſtantinopo-
„ li concluſa fuerant, eam facere omiſimus,
„ nè propter varietatem tractatuum tam ſan-
„ ctum opus deſtrui poſſet, aut quomodoli-
„ bet impediri. Sed illos ad prædictum Con-
„ cilium remiſimus, exhortantes eos, ut de
„ hujuſmodi varietate non diſperarent, quo-
„ niam nobis erat grata omnis vis, per quam
„ ſancta hæc res effectum erat optatum quo-
„ modolibet habitura. Poſtea verò miſſi ſunt
„ à prædicto Concilio ad Imperatorem, &
„ Patriarcham prædictos alii Oratores pro
„ Decreti ipſius certificatione; & ſecutum
„ eſt, ut habita à noſtris Oratoribus, qui
„ hac de cauſa erant Conſtantinopoli, cer-
„ tiſſima informatione de noſtro ad rem ip-
„ ſam conſenſu præſtito, Imperator & Pa-
„ triarcha prædicti ratificaverunt.

603 „ Qua ratificatione facta, nos, ut
„ ſemper antea, iſtius ſanctæ unionis con-
„ cluſionem affectantes de Venerabiliũ Fra-
„ trum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ Cardinalium conſilio & aſſenſu, dilectos
„ filios noſtros Nicolaum tituli Sanctæ Cru-
„ cis, & Joannis tituli Sancti Petri ad Vin-
„ cula, Presbyteros Sanctæ Romanæ Eccle-
„ ſiæ Cardinales, noſtros & Apoſtolicæ Se-
„ dis Legatos miſimus Baſileam ad prædi-
„ ctum Concilium. Eis autem facultatem
„ inter alia dedimus plenariam illa faciendi
„ omnia, quæ unioni prædictæ viderentur
„ quomodolibet profutura; qui pro loci no-
„ bis & Græcis accomodi electione procu-
„ randa, ut ad optatam unionem perveniri
„ poſſet, opportunè inſtiterunt. Cùm verò
„ expectaretur prædicta ad terminum per-
„ duci, nonnulli in prædicto Baſileenſi Con-
„ cilio exiſtentes ad quamdam nominatio-
„ nem proceſſerunt Civitatis Avenionenſis,
„ non nominatæ, comprehenſæ in Decreto,
„ & ab ipſis Græcis ſemper alias repudiatæ.
„ Unde factum eſt, ut dilectus filius Nobilis
„ Vir Joannes Diſphypatus Ambaſſiator Im-
„ peratoris, & Nuncius etiam Patriarchæ,
„ in forma ſubſcripta fuerit proteſtatus. In
„ nomine Domini, Amen. Tenore præſen-
„ tis publici Inſtrumenti. *Et cætera, ſicut ſu-*
„ *prà, ſub num.* 1911.

604 „ Cùmque per temporis ſpatium nõ

mo-

Digitized by Google

„ modicum de hujus loci electione diſſenſio fuiſſet in dicto Concilio, tandem pacto convento, firmatum & ordinatum extitit, ut infra certum terminum Avenionenſes omnia & ſingula per Concilium requiſita non adimplerent, Concilium ad alterius loci electionem procedere poſſet & teneretur. Quo termino per plures dies elapſo, cùm Avenionenſes requiſita non adimpleviſſent, præfatum ſacrum Concilium, juxta ordinationem præfatam ad loci electionem proceſſit. Nam pro œcumenico & catholico Concilio celebrando elegit Florentiam, aut Utinum in Patria Fori Julii ponenda in manu Concilii, ſeù quemcumque alium locum tutum nominatum in Decreto, & accomodum nobis & Græcis, unum videlicet de prædictis, qui citiùs paraverit Galeas, pecunias & alia neceſſaria, prout in Decreto ſuperinde confecto latiùs continetur.

605 „ Noviſſimè autem venientes Bononiam dilecti filii Joannes Diſhypatus magnus Adriacus, & Emmanuel Tracagnoti Vvlotis, Oratores ſupradicti, petierunt audiri in Conſiſtorio generali, quibus pro rerum magnitudine libenter annuimus. Quare cùm die XXIV. Maii præſentis in dicto Conſiſtorio eos audire ſtatuiſſemus, eorum orationem expoſuerunt; ex ajus expoſitionis tenore, Imperatoris, & Patriarchæ prædictorum ad ſanctiſſimam Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis unionem pia deſideria non ſolùm confirmari, verùm etiam in dies augeri facilè intelleximus.

606 „ Quodque magis eſt, & plurimi faciendum, materiam ejus unionis conſequendæ eo loci perductam eſſe conſpicimus, ut jam hujuſmodi operis ſanctiſſimi omninò conficiendi, juvante Domino, ſpem maximam teneamus; nam cùm geſta in Concilio præfato narraſſent, & proteſtationem ſubſcriptam per ſe factam cōtra nominationem Civitatis Avenionenſis allegaſſent, ac poſtmodùm de verbo ad verbum legi feciſſent, pro concluſione ſua nos humilibus & ſupplicibus verbis exoraverunt, requiſieruntque, ut nominationem, electionemque factam de Florentia, vel Utino, aut de alio loco, prout in Decreto ſuperinde confecto pleniùs continetur, qui citiùs neceſſaria paraverit, acceptare atque confirmare velimus, ut œcumenicum & catholicum Concilium, & per conſequentem effectum ſanctiſſima Eccleſiarū Occidentalis, Orientaliſque unio fiat, proteſtanteſque nobis, prout Baſileenſi Concilio proteſtati ſunt, quòd per eos non ſtat, neque aliqualiter ſtabit, quin prædictum œcumenicum & catholicum Concilium fiat; memoranteſque damna, ſcandala, ignominiam, & animarum pericula, quæ incumbent, ſi eorum juſtæ, & omni ex parte laudabili, & ſummæ neceſſariæ poſtulationi conſentire recuſabimus.

607 „ Quare cupientes, quòd tam ſanctum unionis opus nullo modo pereat, cùm ad id perveniendum nullam nobis pro nunc aliam cernamus viam ſupereſſe, rerum geſtarum ordinem, proteſtationum, requiſitionum ſuarum inſtantiam attentiùs conſiderantes, & tanti operis boni periculum formidantes, ſi vel parùm ab eorum præſenti requiſitione aliqualiter declinaremus, quod penitùs impium, & contra noſtræ mentis inſtitutum eſſe, qui, ut ſupra diximus, ſemper rem iſtam deſideravimus, quæſivimuſque pro Dei laude nominis chriſtiani celebritate, ac amplitudine, ac hujuſmodi ſanctiſſimæ unionis incomparabili bono, de conſilio & aſſenſu Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, pluribus etiam Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis electis, aliiſque Prælatis in noſtra Curia reſidentibus in numero copioſo id laudantibus, dictorum Oratorum petitionibus annuentes, eas gratè, libenterq; ſuſcipimus, atque electionem Florentiæ, vel Utini, aut alterius loci pro celebratione præfati œcumenici catholici Cōcilii, ut in Decreto continetur, acceptamus, ac etiam confirmamus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ſuſceptionis, acceptationis, & confirmationis infringere, val ai auſu temerario contraire. *Si quis autem &c.* Datum Bononiæ IV. Kalend. Junii, Anno VII. *Hactenus Conſtitutio*.

608 Confirmato itaque antefata Conſtitutione Decreto Electionis Florentiæ, vel Utini, ſeù alterius loci in Italis pro celebrando unà cum Græcis generali Concilio, omnem curam Eugenius adhibuit, ut cuncta quamcitiùs ad hoc tantum opus neceſſaria diſponerentur, ac in promptu eſſent: Proinde hortatus eſt in primis Januenſes, ut Græcis ad Concilium venientibus, ſalvum conductum concederent. Scripſit inde ad Sigiſmundum Imperatorem, alioſque chriſtianos Principes, hortans eos, ut cuncta agerent, quæ Græcorum in Italiam adventui, & unioni cum Sancta Romana Eccleſia expedire judicaverint; Capitaneum quoque Pontificiarum Galearum ad Græcos in Italiam traducendos conſtituit: Inſuper & ſalvum conductum pro eiſdem Græcis expedivit, concordatis in eo quibuſdam Articulis, olim jam per Oratores Concilii Baſileenſis Imperatori Græcorum, & Patriarchæ Conſtantinopoli concordatis: Quæ omnia ex Pontificiis literis fiunt manifeſta; nam quæ datæ ſunt Januenſium Duci pro impetrando ſalvo conductu, ſic ſe habent.

Eage-

Digitized by Google

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dilecto filio Nobili Viro Thomæ de Campo Fregoſo Duci Januenſi, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

609 ,, Videbit tua Nobilitas ex intro-
,, cluſa literarum Apoſtolicarum heſternâ
,, die datarum copia deliberationem ſactam,
,, quòd œcumenicum Concilium Florentiæ,
,, aut Utini pro unione Eccleſiarum Occi-
,, dentalis & Orientalis celebretur. Quare
,, cùm velint Græci prædicti pro eorum tu-
,, tela & ſecuritate ſalvum conductum habe-
,, re à te, & illa Communitate tua, eandem
,, tuam Nobilitatem in Domino requirimus
,, & hortamur, ut ſi fieri facias, & nobis mit-
,, tas præſatum ſalvum conductum in forma
,, copiæ, quam mittimus introcluſam. Da-
,, tum Bononiæ pridie Kal. Junii, Anno VII.
Hactenus Duci Januenſium. Sigiſmundo verò Imperatori ſcripſit ad hunc modum.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Chariſſimo in Chriſto filio Sigiſmundo Romanorum Imperatori, & Hungariæ, ac Bohemiæ Regi Illuſt. ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

610 ,, Cùm proximis diebus veniſſent
,, Bononiam ad nos dilecti filii Joannes Diſ-
,, hypatus, & Emmanuel Tracagnoti Vulo-
,, tis, Oratores chariſſimi in Chriſto filii Im-
,, peratoris Græcorum, & Venerabilis fra-
,, tris Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui
,, dudùm fuerant in Concilio Baſileenſi, pe-
,, tiverunt audiri in Conſiſtorio generali,
,, quòd nos illis faciliter conceſſimus, atten-
,, ta magnitudine rerum, quas tractare ad-
,, venerant. Cùmque eos in dicto Conſiſto-
,, rio audiremus, fecerũt expoſitionem ſuam,
,, cui poſtea reſpondimus in ſimili, prout con-
,, tineri videbis in literis Apoſtolicis, quas
,, tuæ Celſitudini mittimus. Prædicti etiam
,, Oratores audita noſtra conceſſione, & ap-
,, probatione eorum, quæ petierant, ejuſmo-
,, di approbationem noſtram habuerunt ra-
,, tam, prout ex inſtrumento Advocati Fi-
,, ſcalis patet, quod etiam mittimus alliga-
,, tum. Per eoſdem etiam dies accidit, quòd
,, Venerabilis frater Epiſcopus Dignenſis, &
,, dilectus filius Nicolaus de Cuſa, Orato-
,, res à Concilio Baſileenſi hac de cauſa miſſi
,, ad nos venerint, & eis apud nos exiſtenti-
,, bus, ac dilectis filiis Communitate Floren-
,, tiæ reſponſionem & certitudinem habueri-
,, mus, quòd omnia, quæ, juxta formam De-
,, creti, ad hoc negotium neceſſaria erant,
,, cumulatiſſimè paraverant: hincque con-
,, ſtituimus, quòd prædicti Oratores Græco-
,, rum, & Concilii Baſileenſis ſimul cum no-
,, ſtris Nuntiis propedièm in Græciam navi-
,, gent. Quare, Domino concedente, omnia
,, nobis optimè diſpoſita, & parata videntur,
,, quæ pro unione Occidentalis, & Orienta-
,, lis Eccleſiæ videbantur neceſſaria. Itaq; ve-
,, lit tua Sublimitas omnia facere, dicere, di-
,, ſponere, & ordinare, quæ hujuſmodi Græco-
,, rũ reductioni, & eorum Eccleſiæ cum noſtra
,, unioni judicabis, & intelliges poſſe con-
,, ducere, ut diebus noſtris, & tuis præci-
,, puum hoc augmentum ſuſcipiat catholica
,, Fides chriſtiana; quamquàm ſperari poſſe
,, videmus, plurima bona multiſacienda unio-
,, nem prædictam, cùm facta erit, conceden-
,, te Domino, ſecutura.

611 ,, Cæterùm ſumma cum diſplicen-
,, tia audivimus, quoſdam hæreticos in Re-
,, gno tuo Hungariæ per hæc tempora pullu-
,, laſſe, & Sacerdotes Regni ipſius nullo mo-
,, do abſterreri, aut induci poſſe à dilectis
,, filiis fratribus Ordinis Sancti Franciſci in
,, Obſervantia Regulari degentibus, qui in
,, illo verbum Dei prædicant, ut Concubi-
,, nas, quas publicè tenent, dimittant, &
,, aliter honeſtè vivant: quæ res maximè fa-
,, cit populos Regni illius à benè vivendo ſe
,, retrahere, & à Fratrum prædictorum mo-
,, nitionibus retrogrados eſſe; neceſſarium-
,, que judicatur fore, ut aliquis Prælatus in
,, eo Regno deputetur cum noſtra auctorita-
,, te à ſavoribus tuis, qui & hæreſes extir-
,, pet, & Clericos, Sacerdoteſque honeſtè
,, curet vivere. Quod, ut conſentire velit
,, tua Celſitudo, hortamur, ſuademus, ac
,, etiam ſtrictè requirimus. Datum Junii &c.
Hactenus ad Sigiſmundum. Ejuſdem tenoris literas, excepto ultimo, ubi agit de adhibendo remedio contra Concubinarios, ſcripſit Carolo Francorum Regi, ac Regibus Angliæ, & Portugalliæ. Literæ autem deputationis Capitanei Pontificiarum Galearum ad Græcos in Italiam traducendos, ſequentem habent tenorem.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dilecto filio Nobili Viro Antonio Condulmerio Galearum noſtrarum Conſtantinopolim mittendarum Capitaneo, ſalutem.

612 ,, Strenuæ probitatis tuæ, ac cir-
,, cumſpectæ prudentiæ conſpicua merita,
,, quibus perſonam tuam Dominus inſigni-
,, vit, fideliſque promptitudinis volunta-
,, tem, quam ad noſtrum, & Romanæ Eccle-
,, ſiæ honorem & ſtatum te gerere novimus,
,, & ſingularem navigandi peritiam, cujus
,, magnam laudem in Patriam diù reporta-
,, ſti, diligenter attendentes, ſpem indubi-
ta-

Digitized by Google

„ tatam gerimus, quæ tuo exercitio com-
„ mittentur, diſponentur utiliter, & ſalu-
„ briter tuo miniſterio dirigentur, ſanè cum
„ producendis in Italiam chariſſimo filio no-
„ ſtro Romæorum Imperatore, & Venerabili
„ Fratre Joſepho Patriarcha Conſtantino-
„ politano cum aliis Prælatis Græcis ad
„ œcumenicum Concilium pro unione Occi-
„ dentalis & Orientalis Eccleſiæ celebran-
„ dum, quatuor Galeas apud Civitatem
„ Venetiarum parari & expediri fecerimus,
„ ſuper quibus hac de cauſa Conſtantinopo-
„ lim mittendis, in earum reverſione præ-
„ dicti Imperator, Patriarcha, & Græci in
„ Italiam navigare debebunt, in ipſisque gu-
„ bernandis, & in acceſſu, redituque ſuo fœ-
„ liciter, dante Domino, dirigendis, præ-
„ cipuè requiratur ſufficiens Dux & caput,
„ tuæ perſonæ imaginatio occurrit, fidelitatis
„ & devotionis ardorem eximium, quo no-
„ ſtram & eamdem Eccleſiam colere digno-
„ ſceris, repræſentans oculis mentis noſtrę,
„ Tenentes igitur indubiè, quòd ex tuis
„ actibus virtuoſis Galeæ prædictæ, in ac-
„ ceſſu ejuſmodi & reditu, juvante Domi-
„ no, ſecurè perducentur, & alia, quæ cupi-
„ mus, & tibi mandata ſunt, fœliciter im-
„ plebuntur, te Galearum quatuor prædi-
„ ctarum, ac Patronorum & aliorum Offi-
„ cialium hujuſmodi armatarum, remigum-
„ que in illis deputatorum ac deputando-
„ rum Generalem Capitaneum facimus, crea-
„ mus, conſtituimus, & tenore præſentium
„ deputamus. Tibi Galeas, Patronos, ho-
„ mines, & Remiges hujuſmodi in acceſſu &
„ reditu prædictis dirigendi, & gubernandi,
„ necnon ſupradictos Imperatorem, Patriar-
„ cham & Græcos, juxta voluntatem &
„ mandatum Venerabilium Fratrum noſtro-
„ rum Marci Archiepiſcopi Tarentaſienſis,
„ & Chriſtophori Epiſcopi Coronenſis, quos
„ ad id Nuncios Apoſtolicos mittimus, ac
„ juxta conſilium & directionem Fratrum
„ noſtrorum Petri Dignenſis, Antonii Por-
„ tugallenſis Epiſcoporum, & Nicolai de Cu-
„ ſa Præpoſiti Confluenſinenſis, Baſileenſis
„ Concilii Oratorum, etiam hac de cauſa
„ Conſtantinopolim miſſorum, in Italiam
„ conducendi univerſoſque Officiales, arma-
„ tos, & Remiges inobedientes, ſeu quo-
„ modolibet delinquentes, aut aliqualiter
„ excedentes, ſecundùm juſtitiam, & tuæ
„ voluntatis arbitrium puniendi & corrigen-
„ di, ac in eos merum & mixtum Imperium
„ exercendi, & omnia & ſingula faciendi,
„ quæ ad pleniſſimum Capitaneatus officium
„ dignoſcuntur de jure, vel conſuetudine per-
„ tinere, juxta formam & conſuetudinem
„ commiſſionum, quæ à dilectis filiis Domi-
„ nii Venetorum ſimilibus armatarum Capi-
„ taneis in Romaniam mitti conſuetis, dari
„ conſueverunt, concedentes plenam & li-
„ beram poteſtatem: diſtrictè quoque man-
„ dantes Patronis, Officialibus, hominibus
„ armatis, & Remigibus ſupradictis, qua-
„ tenus tibi tamquam eorum Capitaneo ple-
„ nè pareant & intendant. Curet itaque de-
„ votio tua traditum tibi officium hujuſmo-
„ di ſic attentè, diligenter & ſolicitè exer-
„ cere, quòd tua probitas virtuoſa votivum
„ & ſperatum in hac parte fructum pariat,
„ quòdque præter divinum præmium, quod
„ exinde merebis, amplam tibi noſtram &
„ Apoſtolicæ Sedis gratiam merearis. Da-
„ tum Bononiæ VI. Julii. *Hactenus Deputa-*
tio Capitanei. Literæ porrò ſalvi Conductus
ab Eugenio Græcis conceſſi, his verbis con-
ceptæ ſunt,

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, chariſſimo in Chriſto filio Joanni Palæologo Imperatori Romæorum Illuſtri, & Venerabili Fratri Joſepho Patriarchę Conſtantinopolitano, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

613 „ Quia, annuente Domino, in Ita-
„ lia fiet univerſalis & catholica Synodus,
„ in qua, juxta concordata in Synodo Baſi-
„ leenſi, & in Conſtantinopoli poſtmodùm
„ confirmata, Occidentalis & Orientalis Ec-
„ cleſia conveniat: cupientesque, ut omni-
„ bus noſtræ mentis charitas appareat, &
„ omnis ſuſpicio, quæ circa facultatem &
„ libertatem venientium exhiberi poſſit, de
„ medio tollatur, tenore præſentium damus,
„ concedimus vobis Imperatori & Patriar-
„ chæ prædictis, aliisque Venerabilibus Fra-
„ tribus, Alexandrino, Antiocheno, Hiero-
„ ſolymitano Patriarchis, omnibusque vo-
„ biſcum, & cum ipſis uſque ad numerum
„ ſeptingentarum perſonarum cujuſcumque
„ ſtatus, gradus, ordinis, vel dignitatis, tam
„ ſpiritalis, quàm temporalis exiſtant, ad
„ univerſalem & catholicam Synodum præ-
„ dictam accedentibus, vel venientibus, ple-
„ num & liberum ſalvum conductum, om-
„ neſque prædictos, & eorum quemlibet cum
„ perſonis & rebus ſuis, in omnibus Regnis,
„ Provinciis, Dominiis, Civitatibus, Ar-
„ cibus, Caſtris, Villis, ac locis ſubjectis
„ obedientiæ Romanæ, per quæ ire, ſtare,
„ redire, & accedere, vel tranſire contigerit,
„ ad noſtram liberam & firmam cuſtodiam
„ recipimus: per præſentes promittentes om-
„ nibus, & eorum ſingulis, tenore præſentium,
„ ſecuram & liberam facultatem, eundi & re-
„ deundi ad Italiam prędictam, & illic ſtandi,
„ morandi, converſandi, & cum omnibus
„ ſecuritatibus, libertatibus & facultatibus,
„ cum iis, qui obedientiæ Sanctæ Romanæ
„ Eccleſiæ dediti & ſubjecti ſunt, diſputan-
„ di, ſylogizandi, juſta & rationabilia pro-
„ ponendi, omniaque alia liberè & ſine im-
„ pedimento aliquo faciendi, & exponendi,
„ quæ ad unionem Eccleſiarum Chriſti illis
con-

Digitized by Google

„ conferre videbantur; inſimul & diviſim
„ cum bonis propriis, rebus & ſubſtantiis
„ ſuis, recedendi quoque, eundi, & redeun-
„ di ſecurè & liberè ſine læſione, omni im-
„ pedimento reali & perſonali ceſſante, &
„ penitùs remoto.

614 „ Item ſi hæc unio (quod Deus
„ avertat) non ſequeretur, nec ad optatum
„ finem procederet, prædicti Imperator &
„ Patriarcha, & alii ſuperiùs nominati, no-
„ ſtris ſumptibus & Galeis, ſine longitudine
„ temporis, ac omni impedimento ceſſante,
„ cum honore ſuo, bona voluntate noſtra,
„ quemadmodùm ad prædictam catholicam
„ futuram Synodum venerunt, itá Conſtan-
„ tinopolim redeant, ſive unio in dicta Sy-
„ nodo ſecuta fuerit, ſive non. Non obſtan-
„ tibus in prædictis, & quomodolibet præ-
„ dictorum aliquibus differentiis, diſcordiis,
„ & diviſionibus, tam præteritis, quàm quæ
„ præſentia ipſorum eluceſcerent, & in fu-
„ turum oriri & adaugeri poſſent in Eccleſiis
„ prædictis Occidentali & Orientali, ſive
„ inter præſatam Romanam Eccleſiam, ac
„ illius ſubditos & ſubjectos, & Imperato-
„ rem & Patriarcham & Græcos alios ante-
„ dictos, aliiſque non expreſſis concluſioni-
„ bus, decretationibus, ſententiis, termi-
„ nationibus, quomodo, vel qualiter aliquid
„ eſſe, vel fieri debeat. Nec obſtantibus ali-
„ quibus pignoribus & obligationibus pu-
„ blicis vel privatis, neque accuſationibus,
„ exceſſibus, criminibus, aut delictis, ſi qua
„ prædictos, aut aliquem prædictorum, quo-
„ que & quocumque modo acta & commiſſa
„ fuerint, & univerſaliter non obſtantibus
„ aliquibus aliis, etiam ſi talia eſſent, qui-
„ bus in præſenti de illis opportunum eſſet
„ ſpecialem facere mentionem.

615 „ Si autem accideret, aliquem ex
„ ipſis Græcis alicui Occidentali & Romanæ
„ Eccleſiæ ſubjecto injuriam vel læſionem ali-
„ quam inferre in perſona, honore & rebus,
„ vel alio modo, ſpectet ejus delicti cogni-
„ tio, uſque ad debitam, juſtam & decentem
„ refectionem & reintegrationem damni il-
„ lati, ad Imperatorem & Patriarcham præ-
„ fatos; E' contra verò, ſi aliquem ex noſtris,
„ & nobis, & Romanæ Eccleſiæ ſubjectis,
„ contingat alicui ſubjecto Eccleſiæ Orien-
„ tali aliqualiter injurari, vel aliquam læſio-
„ nem facere in perſona, honore, & rebus,
„ vel alio modo, ipſa cognitio ad nos ſpe-
„ ctet, qui paſſis integrè ſatisfieri curare de-
„ beamus. In aliis verò accuſationibus, ex-
„ ceſſibus, criminibus & aliis quæcumque
„ fuerint, unaquæque pars cognoſcat, &
„ ſuos judicet.

616 „ Mandamus itaque omnibus & ſin-
„ gulis Prælatis, Regibus, Ducibus, Prin-
„ cipibus, Locumtenentibus, Communita-
„ tibus, & aliis particularibus quibuscum-
„ que perſonis, cujuſcûque gradus, vel præe-
„ minentiæ exiſtant, quæ Romanæ & Occi-
„ dentali Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, quatenus
„ prædicta, & eorum quælibet inviolabili-
„ ter obſervent, & quantum in eis ſit, faciant
„ obſervari, præſatosque Imperatorem, Pa-
„ triarcham, & alios omnes, & quemlibet
„ eorum, ad præfatam Synodum venientes,
„ ac inde redeuntes, ſimul & diviſim favo-
„ rabiliter tractent atque ſuſcipiant, cele-
„ remqua & ſecurum illis tranſitum præbeãt.
„ Volumus autem præſentem ſalvum Con-
„ ductum in ſua vi & robore manere, quouſ-
„ que præſati Imperator, Patriarcha, & Græci
„ omnes ſuperiùs nominati, cum ſuis fami-
„ liaribus, & ſuis, uſque ad numerum præ-
„ ſcriptum ſeptingentarũ perſonarum, Con-
„ ſtantinopolim redeant. Datum Bononiæ
„ Pridie Nonas Julii. *Hactenus ſalvi condu-
ctus literæ*. Per idem tẽpus Oratores in Con-
cilio deſignatos ad traducẽdos in Italia Græ-
cos, idem Eugenius confirmavit, & alios
quoque adjunxit, datis iiſdem Imperatori &
Patriarchæ infraſcriptis literis.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, chariſſimo in Chriſto filio Joanni Palæologo Romæorum Imperatori Illuſtri, & Venerabili Fratri Joſepho Conſtantinopolitano Patriarchæ, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

617 „ Cùm pridem ſancta Baſileen. Syno-
„ dus pro futuro œcumenico Cõcilio in Italia
„ celebrando ad ſanctiſs. unionem Occiden-
„ talis, & Orientalis Eccleſiæ, Deo propitio,
„ conſequendam, locum elegerit, & dilectis
„ filiis Joanni tituli Sancti Petri ad Vincula,
„ ac Juliano tituli Sanctæ Sabinæ, Sanctæ
„ Romanæ Eccleſiæ Presbyteris Cardinali-
„ bus, & Venerabili Fratri Joanni Archie-
„ piſcopo Tarentino, in ea Synodo Apoſto-
„ licæ Sedis Legatis & Præſidentibus, eli-
„ gendi Oratores ad vos cum Galeis ex par-
„ te præſatæ Synodi inſtituendis, ac eis om-
„ nia & ſingula committendi, quæ ad exe-
„ cutionem incumbentium negotiorum fue-
„ rint neceſſaria, plenam dederit poteſtatem,
„ velut in Decreto ſuperinde confecto ple-
„ niùs continetur, præfati Legati & præſi-
„ dentes ex hujuſmodi ſibi poteſtate conceſſa
„ Venerabiles Fratres Petrum Dignenſem,
„ Antonium Portugallenſem, Epiſcopos,
„ Chariſſimorum in Chriſto filiorum Fran-
„ ciæ & Portugalliæ Regum Illuſtrium in di-
„ cta Synodo Oratores, ac dilectum filium
„ Nicolaum de Cuſa Præpoſitum Monaſterii
„ Confluentienſis, Decretorum Doctorem ex
„ parte dictæ Synodi, ad devotiones veſtras
„ tranſmittendos elegerunt, quibus etiam
„ dilectum filium Joannem de Raguſio, Or-
„ dinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ
„ Profeſſorem, nunc apud nos Oratorem ad-
„ junxerunt, cum plena poteſtate præmiſſa
om-

„ omnia faciendi, ut in literis, & inſtructio-
„ nibus ſuper hoc eis traditis ſerioſiùs conti-
„ netur: nobis deinde inſtantiùs ſupplican-
„ tes, ut electionem & commiſſionem hu-
„ juſmodi approbare, & Oratores ipſos cum
„ literis noſtris cum dictis Galeis ad vos ul-
„ teriùs tranſmittere dignaremur. Nos autem
„ omnia & ſingula ſupradicta rata, & grata
„ habentes, ipſorum Oratorum profectioni,
„ ut petitum eſt, libenter annuimus. Quare
„ charitatem veſtram exhortamur in Domi-
„ no, quatenus Oratores præſcriptos lato-
„ res præſentium ad vos pro tanto pietatis
„ opere venientes, placeat benignè ſuſcipere,
„ ipſoſque ſimul cum Venerabilibus Fratri-
„ bus Marco Tarantaſienſi Archiepiſcopo, &
„ Chriſtophoro Coronenſi Epiſcopo, ſpecia-
„ libus Oratoribus noſtris ſuper dicto Con-
„ cilio, ut præmittitur, in Italia celebrando,
„ libenti animo exaudiatis, eis unà cum præ-
„ dictis Oratoribus noſtris in omnibus ad
„ rem hujuſmodi petentibus, fidem plena-
„ riam adhibendo. *Datum Idibus Julii. Ha-
ctenus literæ pro Legatis.* Suis porrò, quos
adjunxit Legatis, nimirum Archiepiſcopo
Tarantaſienſi, & Epiſcopo Coronenſi peculia-
res ſequentes literas dedit.

Eugenius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Venerabilibus Fratribus Marco Archiepiſcopo Tarantaſienſi, & Chriſtophoro Epiſcopo Coronenſi, Nuntiis, & Oratoribus Apoſtolicis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

618 „ Grandia Virtutum merita, qui-
„ bus perſonam veſtram dotavit Altiſſimus,
„ veſtræque fidei promptitudo, & compro-
„ bata in laboribus aſſiduis, quos pro noſtris,
„ & Apoſtolicæ Sedis obſequiis ſtudio inde-
„ feſſo ſubiſtis, animi veſtri conſtantia, nos
„ inducunt, ut illa vobis audenter commit-
„ tamus, per quæ ardua, & neceſſaria Sedis
„ Apoſtolicæ, ac Romanæ Eccleſiæ negotia
„ prudenter, ſolicitè, & diligenter executio-
„ ni mandentur, & veſtra virtus in eo nego-
„ tiorum exercitio à nobis deputata, ſeſe
„ reddat omnibus clariorem. Sanè cùm pro
„ unione Occidentalis & Orientalis Eccleſię,
„ maximo à nobis ſtudio dudùm quæſita,
„ chariſſimum in Chriſto filium noſtrum
„ Joannem Romæorum Imperatorem, & Ve-
„ nerabilem Fratrem Joſephum Patriarcham
„ Conſtantinopolitanum, alioſque Prælatos
„ & nobiles Græcos in certo numero ad par-
„ tes Italiæ perduci oporteat ſuper galeis
„ mittentium impenſa expediendis, prout in
„ Decreto ſuperinde confecto, à nobis po-
„ ſtea comprobato, latiùs continetur. Nos
„ ad tollendas quorundam differentias de
„ miſſione dictarum galearum inter ſe con-
„ tendentium, ipſas propriis ſumptibus pa-
„ rari fecerimus, & unam ex eis præmiſimus,
„ volentes id quod reſtat perficere, & præ-
„ dictos Imperatorem, Patriarchamque, &
„ Græcos alios, Deo Duce, in Italiam con-
„ duci facere. Vobis, quos hac de cauſa Se-
„ dis Apoſtolicæ Nuntios, & Oratores, de
„ Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ
„ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio &
„ aſſenſu creavimus, prout tenore præſen-
„ tium facimus, & creamus, ut ad Civita-
„ tem Venetiam vos conferatis, & ſuper ipſis
„ galeis ad hoc paratis, in Conſtantinopolim
„ navigetis, prædictoſque exinde Imperato-
„ rem, Patriarcham, Prælatos, Nobiles,
„ alioſque Græcos, quos illi ſecum ducere
„ velint ad partes Italiæ, quanta cum ma-
„ jori eorum commoditate, & honorificentia
„ poteritis, perduci curetis, committimus,
„ & mandamus, omnia & ſingula faciendi,
„ gerendi, & adminiſtrandi, quæ prædicto-
„ rum Imperatoris, & Patriarchæ, & aliorum
„ Græcorum in Italiam adventui neceſſaria
„ duxeritis, vel quomodolibet opportuna,
„ licentiam vobis, poteſtatem & plenariam
„ concedentes tenôre præſentium faculta-
„ tem. Mandanteſque dilectis filiis Nobili-
„ bus Viris Capitaneo & Patronis Galearum
„ prædictarum, quatenus in cunctis, quæ ad
„ directionem prædictorum Imperatoris, Pa-
„ triarchæ, & Græcorum ſpectabunt, vobis
„ pareant, & intendant. Datum Bononiæ
„ Idibus Julii. *Hactenus literæ datæ Legatis.*

619 His per Eugenium expeditis, nè ali-
qua difficultas circa Græcorum adventum
oriretur, vel ratione diverſorum Decretorum
in Baſileenſi Concilio editorum, vel ratione
expenſarum itineris, permanentiæ, & Græ-
corum Conſtantinopolim reditus, viſum eſt
ut Imperatoris, & Patriarchæ Orator denuò
conſentiret Decreto electionis, & idem Pon-
tifex expenſas concordatas in Decreto ſeſſio-
nis XIX. quod incipit: *Sicut pia mater*, §. *Am-
baſſiatores Sereniſſimi Domini*, à nobis per
extenſum ſupra relato ſub num. 1829. & ſe-
quente, repromitteret: ac ideo, ad majorem
cautelam, immò omnium firmitatem, con-
fectum eſt publicum Inſtrumentum, tenoris
ſequentis.

In Chriſti Nomine. Amen.

620 „ Anno ab ejuſdem Nativitate,
„ MCCCCXXXVII. die XVII. menſis Julii,
„ tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto
„ Patris, & Domini noſtri, Domini Eugenii
„ IV. Divina providentia Summi Pontificis,
„ Conſtitutus coràm præfato Sanctiſſimo
„ Domino noſtro, & Sacro Collegio Reve-
„ rendiſſimorum Dominorum Cardinalium,
„ ſpectabilis miles Dominus Joannes Diſhy-
„ patus magnus Adriacus Sereniſſimi Domi-
„ ni Joannis Palæologi Romæorum Impera-
„ toris, & Reverendiſſimi Patris, & Domini
„ Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani

„ Orator, conſiderans affectionem maximam
„ tam ipſius Domini noſtri, & Sacri Collegii,
„ quàm Dominorum Imperatoris, & Patriar-
„ chæ præſatorum ſanctiſſimam unionem
„ Orientalis cum Occidentali Eccleſia , ita
„ ut Deo propitio, indubiè ſperetur, median-
„ tibus ipſis unionem prædictam ad magnam
„ Dei gloriam , & Catholicæ fidei exaltatio-
„ nem , optatum finem habituram ; atten-
„ denſque per nonnullos , qui videntur aſſe-
„ rere , ſe facere Concilium Generale , &
„ aliquos alios eorum nomine , quædam ſa-
„ cere attentata , quæ potiùs ad diviſionem ,
„ quàm unionem manifeſtè conſpiciantur
„ tendere : ac timens nè inimico hominis ſu-
„ perſeminante zizania , ex iis in futurum
„ aliquid dubietatis, vel difficultatis ſuboriri
„ poſſit , quod contra mentem ipſius Sancti-
„ ſſimi Domini noſtri Papæ , & Sacri Col-
„ legii , ac prædictorum Dominorum Impe-
„ ratoris , & Patriarchæ , ejus ſanctiſsimæ
„ unionis effectum habere aliquatenùs per-
„ turbare : Idcircò ad omnia talia ſubmoven-
„ da , ac ad confirmandos animos omnium
„ quærentium pacem , & unitatem Eccleſiæ
„ Dei, omnia & ſingula per eum, & collegam
„ ſuum ſpectabilem virum Dominum Em-
„ manuelem Tracagnoti Vvlotis , communi-
„ ter & diviſim nomine prædictorum Domi-
„ norum Imperatoris , & Patriarchæ in præ-
„ teritum facta , ad robur infraſcriptorum
„ competentium quomodolibet confirmando
„ ex facultatibus ſibi conceſsis per prædictos
„ Dominos Imperatorem , & Patriarcham ,
„ quæ infra ſubiiciuntur , dixit & aſſerult ,
„ ac publicè recognovit , & firmavit , prout
„ in quadam cedula tunc exhibita , & lecta ,
„ cujus tenor de verbo ad verbum , nunc ſe-
„ quitur , & eſt talis videlicet .

621 „ Ego Joannes Dishypatus Orator
„ Sereniſsimi Domini Imperatoris Romæo-
„ rum, & Reverendiſsimi Domini Patriarchæ
„ Conſtanainopolitani, ſateor præſenti litera,
„ propria manu ſubſcripta , Reverendiſsi-
„ mos Dominos Sancti Petri ad Vincula , &
„ S.Sabinę, Presbyteros Sanctæ Romanæ Ec-
„ cleſiæ Cardinales , alioſque pro Sanctiſ-
„ ſimo Domino noſtro Papa , & Sede Apoſto-
„ lica , in Baſileenſi Concilio præſidentes ,
„ cum præſentibus eis adhærentibus , qui
„ ultimum Decretum per Sanctiſsimum Do-
„ minum noſtrum Papam ad meam , & Col-
„ legæ mei requiſitionem confirmatum , edi-
„ derunt , & qui Reverendum Patrem Domi-
„ num Petrum Dignenſem , Dominum An-
„ tonium Portugallenſem Epiſcopos , & Do-
„ minum Nicolaum de Cuſa Decretorum
„ Doctorem Oratores Conſtantinopolim mi-
„ ſerunt , Concilium Baſileenſe facere , cui
„ Sereniſſimus Dominus meus Imperator
„ Romæorum , & Reverendiſsimus Dominus
„ meus Patriarcha Conſtantinopolitanus ob-
„ ligantur , poſtquam Patres ipſi de Concilio
„ præfati , aut Sanctiſsimus Dominus noſter
„ Papa Caput Concilii præſati adimple-
„ verint promiſſa in prìmo Decreto Conven-
„ tionali , pront in eodem Decreto Conven-
„ tionali , de ipſo Domino Imperatore Ro-
„ mæorum, & Patriarcha ſcripta reperiuntur,
„ & quemadmodùm etiam ipſe Imperator
„ per auream ſuam Bullam , & Patriarcha
„ per plumbeam ibidem ſcripta approbarunt,
„ & ratificarunt .

622 „ Et ad hoc , ut omnis tollatur am-
„ biguitas, dico , quòd in caſu , quo alii Pa-
„ tres, qui Avenionem elegerunt , & ſe Con-
„ cilium Baſileenſe facere putant , ad Con-
„ ſtantinopolim cum galeis , & pecuniis ac-
„ ceſſerint , præfatos meos Dominos Impe-
„ ratorem , & Patriarcham nomine Concilii
„ Baſileenſis per Bullas auream & plumbeam
„ inquiſiverint , quatenus ſimiliter Sabaudiā
„ veniant , qui locus nominatus eſt in primo
„ Decreto , & proteſtati fuerint Concilium
„ Baſileenſe ad alium locum non conſentire ,
„ vel teansferri velle , & alia fecerint , quo-
„ modolibet etiam movere poſſent Impera-
„ torem , & Patriarcham , aut ad veniendum
„ cum ipſis , aut penitùs non veniendum hoc
„ tempore ad terras Latinorum , attento
„ quòd in caſu , quo etiam illa pars Conci-
„ lium ſaceret , in promiſſionibus defecit quo
„ ad electionem loci, & lapſum temporis quo
„ galeæ mitti , & alia fieri debebant : Ita
„ quòd Imperator & Patriarcha abſoluti ſunt
„ ab omni promiſſione illis facta . Quod tunc
„ illis requiſitionibus , & proteſtationibus
„ non obſtantibus, ipſe Imperator, & Patriar-
„ cha ad requiſitionem Ambaſsiatorum Do-
„ mini noſtri & Concilii Baſileenſis prænomi-
„ natorum , ſecundùm vim , formam, & con-
„ tinentiam primi Deoreti , & aureæ Bullæ
„ Imperatoris , & plumbeæ Patriarchæ , om-
„ ninò venient : Et in caſu , quo præfati Do-
„ mini Præſidentes unà cum Patribus eis ad-
„ hærentibus , Concilium Baſileenſe non fa-
„ cerent , adhùc pro bono negotil , & ad
„ finem , ut ſanctiſsima , & deſideratiſsima
„ unio non pereat , per mihi traditam pote-
„ ſtatem Sereniſsimum Dominum meum Im-
„ peratorem , & Reverendiſsimum Domi-
„ num Patriarcham , & alios Patrea Eccleſiæ
„ Orientalis per præſentem paginam obligo,
„ & obligatos eſſe oſtendo ad veniendum ad
„ requiſitionē Ambaſsiatorum Sanctiſs. Do-
„ mini noſtri Papæ , & Concilii prænomina-
„ torum : ita tamen , quòd ipſi Ambaſsia-
„ tores iter arripiant versùs Conſtantinopo-
„ lim infra quintum diem Auguſti immedia-
„ tè ſequentis , & ſecum omnia promiſſa in
„ primo Decreto deſerant . Quòd ſi hoc fe-
„ cerint , Imperatorem & Patriarcham cùm
„ aliis Patribus Eccleſiæ Orientalis , ad in-
„ trandum galeas causâ veniendi ad unum
„ ex tribus portubus in ſecundo decreto no-
„ minatis infra trigeſimum diem à die , quo

Con-

Digitized by Google

„ Conſtantinopolim applicuerint, obligo,
„ & obligatos eſſe oſtendo, per præſentes
„ literas manu mea ſubſcriptas.

623 „ Quę cedula, ut præmittitur, lecta,
„ Sanctiſsimus Dominus noſter, & Reveren-
„ diſsimi Domini Cardinales prædicti acce-
„ ptaverunt, approbaverunt, & grata ha-
„ buerunt omnia in eadem contenta, & ipſius
„ Domini Joannis nomine, quo ſuprafactas
„ promiſsiones petentes, mandantes, & ro-
„ gantes, ut de præmiſsis unum, & plura
„ conficerem inſtrumenta. Similiterque ſta-
„ tim petiit idem Dominus Joannes, ut de
„ cedula, ut prefertur, lecta de promiſsio-
„ nibus per eum factis, & de petitione illo-
„ rum facta per Sanctiſsimum Dominum
„ noſtrum, & Reverendiſsimos Dominos
„ Cardinales, unum, & plura conficerem
„ Inſtrumenta.

Tenores verò Mandatorum, de quibus ſupra mentio fit, ſequuntur, & ſunt tales.

624 „ Imperium noſtrum commiſit vo-
„ bis familiaribus ſuis Joanni Dishypato, &
„ Emmanoeli Tracagnoti Vulotia abeunti-
„ bus ad Sacram Synodum Baſileenſem circa
„ materiam futuri Concilii pro unione Ec-
„ cleſiarum Chriſti, quod ſi reperiatis ipſam
„ Sacram Synodum non valentem facere &
„ adimplere ſuum Decretum, de loco, &
„ tempore & expenſis, & aliis, quemadmo-
„ dùm continetur in Decreto, & ſicut vo-
„ bis commiſſum eſt, debeatis ire ad Beatiſ-
„ ſimum Papam, & ſi ille velit ſuſcipere tale
„ opus in ſe, & facere, ut fiat Concilium
„ œcumenicum, canonicum, inviolatum,
„ liberum, dando omnes expenſas & omnia
„ neceſſaria ſecundùm formam Decreti dictæ
„ Synodi, & quemadmodùm diffusè ibi con-
„ tinetur, etiam facere nobis ſalvum con-
„ ductum, & ſalvos conductos, juxta formam
„ ſimiliter illorum, quæ nobis per dictam
„ Synodum facta ſunt, ſi iſta omnia promptè
„ velit facere, & effectualiter adimplere Bea-
„ tiſsimus Papa, quod & vos habeatis pote-
„ ſtatem aſſentiri & ſuſcipere ex parte noſtra,
„ & promittere, quòd iſtis effectis, & nos
„ cum omni Orientali Eccleſia accedemus (ju-
„ ſta tuendo) ad locum unum ex locis Italię,
„ qui in Decreto nominati ſunt, omnino, &
„ ſine ulla dilatione, ſicut & dictæ Synodo
„ promiſimus, & iſta concluſione facta in
„ ſcriptis, & juramento confirmata per Bea-
„ tiſsimum Papam, & Reverendiſsimos Car-
„ dinales illic exiſtentes ex una parte, & per
„ vos ex altera, quòd venire hic debeat Ora-
„ tor Beatiſsimi Papæ cum talibus literis,
„ tuque Vulotis cum illo venire debeas,
„ Dishypatus autem remaneat ibi, ut veniat
„ cum effectu eorum: & ad manifeſtationem
„ iſtorum & robur, factum eſt potens Im-
„ perii mei proſtagma An. MCCCCXXXVI.

Sequitur Mandatum Patriarchæ.

625 „ Humilitas noſtra committit vobis
„ potentiſsimi, & ſancti mei Imperatoris in
„ Spiritu Sancto dilectis filiis ſuis, videlicet
„ Megalo, & Hierarcho, Joanni Dishypato,
„ & Emmanueli Tracagnoti Vulotis abeun-
„ tibus (Deo auctore) ad Sanctam Synodum
„ Baſileenſem, circa materiam futuri Con-
„ cilii pro unione Eccleſiarum Chriſti, quòd
„ ſi reperiatis dictam Sacram Synodum non
„ potentem facere & adimplere ſuum Decre-
„ tum de loco & tempore & expenſis & aliis,
„ *& cætera ſicut in mandato Imperatoris*: Fa-
„ cta eſt præſens Commiſsio noſtræ humi-
„ litatis MCCCCXXXVI. die xx. Novem-
„ bris.

626 „ Acta fuerunt hæc Bononiæ in Pa-
„ latio Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ in
„ Logia inferiori propè hortum, die, menſe,
„ Anno, & Pontificatu ſupradictis, præſen-
„ tibus Reverendiſſimis in Chriſto Patribus
„ & Dominis, Dominis Bartholomæo de
„ Corneto Prothonotario Apoſtol. C. Epi-
„ ſcopo Ariminenſi, Ludovico Epiſcopo
„ Traguerienſi, Nicolao de Cuſa, Decreto-
„ rum Doctore, & Nobili milite, Domino
„ Paulo Barbo honorabili Cive Venetiarum,
„ teſtibus ad præmiſſa habitis, vocatis, &
„ rogatis, & me Blondo Antonii Blondi Fo-
„ rolivienſi publico Imperiali auctoritate
„ Notario, & nunc ſupradicti Sanctiſſimi
„ Domini noſtri Papæ Secretario, qui præ-
„ dicta rogatus notavi, & in hanc publicam
„ formam aliena manu propter occupatio-
„ nes redigi feci, nomine meo, & ſigno con-
„ ſueto ad fidem & robur præmiſſorum ma-
„ nu propria appoſito. *Hactenus promiſſionis Inſtrumentum*. Quod Eugenius acceptavit, eique adhæſit, ſeque ex parte ſua pro expenſis, aliiſque promiſſis in Concilio Baſileenſi, obligavit, expeditis ſequentibus literis.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

627 „ Optatam ſummiſque hactenus à
„ nobis quæſitam laboribus Eccleſiarū Chri-
„ ſti Occidentalis, & Orientalis unionem
„ perfici, & ad debitum finem perduci in-
„ tentiſſimis deſideriis affectantes, & poſſi-
„ bilibus diligentia, ſolicitudine, & vigi-
„ lantia ſatagentes, omnia facere, præcavè-
„ re, & prævidere intendimus, quæ ipſam
„ prædictæ unionis concluſionem, confirma-
„ tionemque quomodolibet concernere vi-
„ deantur. Sanè cùm dilectus filius Joannes
„ Dishypatus miles Conſtātinopolit. magnus
„ Adriacus chariſſimi in Chriſto filii noſtri
„ Joannis Imperatoris Romæorum Illuſtris,
„ & Venerabilis fratris Joſephi Patriarchæ

Digitized by Google

,, Conſtantinopolitani Orator, Nuntius, &
,, Procurator coràm nobis, & Venerabilibus
,, fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
,, Cardinalibus infraſcriptis comparens, ex-
,, hibitis mandatorum ſuorum, quæ habet
,, in plena forma; Inſtrumentis vice & nomi-
,, ne prædictorum Imperatoris,& Patriarchę,
,, certam per Inſtrumentum publicum manu
,, propria ſubſcriptum obligationẽ fecerit,cu-
,, jus tenor ſequitur, & eſt talis. In Chriſti
,, nomine, Amen. Anno ab ejuſdem Nati-
vitate, *& cætera, quæ habentur in præcitato Inſtrumento*.

628 ,, Nos cupientes in hac re ſinceram
,, intentionem noſtram omnibus, & præſer-
,, tim præfatis Imperatori, & Patriarchæ,
,, aliiſque Græcis notam & manifeſtam eſſe,
,, de Venerabili fratrum noſtrorum ſacroſan-
,, ctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſi-
,, lio & aſſenſu, tenore præſentium ex certa
,, ſcientia promittimus, & unà cum prædi-
,, ctis Venerabilibus fratribus, ac eorum ſin-
,, gulis, coràm Deo, & Sanctis ejus atteſta-
,, mur, & nos obligamus omnia contenta in
,, prædicto conventionali Decreto Baſileæ
,, celebrato obſervare, & firmiter adimplere,
,, & in nullo deficere, contrafacere, vel ve-
,, nire: Cujus rei causâ omnia noſtra bona
,, præſentia ac futura, ac Cameram Apoſto-
,, licam obligamus. Et inſuper, ſi caſu, cui
,, univerſa caro ſubjaceat ſingulis momentis,
,, noſter obitus interim accideret, priuſquàm
,, tanta, tamque laudabilis res perfici potuiſ-
,, ſet, de prædictorum Venerabilium fratrum
,, noſtrorum conſilio & aſſenſu noſtram men-
,, tem fore declaramus, & præſentium teno-
,, re diſponimus, volumus, & ordinamus,
,, quòd quæcumque ex contentis in prædi-
,, cto Decreto, caſu prædicto adveniente,
,, perfici, & adimpleri fortè reſtarent, ad-
,, impleant, atque perficiant prædicti Vene-
,, rabiles fratres noſtri Sanctæ Romanæ Ec-
,, cleſiæ Cardinales. Nulli ergò hominum
,, liceat hanc paginam noſtræ promiſſionis,
,, atteſtationis, obligationis, declarationis,
,, diſpoſitionis, voluntatis, & ordinationis
,, infringere, vel ei auſu temerario contraire.
,, Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,
,, indignationem omnipotentis Dei, & Bea-
,, torum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe
,, noverit incurſurum. Dat. Bononiæ XIII.
,, Kal. Auguſti, Anno VII. *Hactenus Eugenii literæ*.

629 Eodem tempore Baſileenſes Pontifici infenſi, & ipſi Legationem ad Imperatorem Græcorum, & Patriarcham deſtinarunt, ad eos cum cæteris Græcis traducendos ad Concilium Baſileæ, vel Avenioni, aut Sabaudiæ celebrandum, ſecundùm ipſorum Decretum, ſeligentes ad hoc munus exequendum Epiſcopos Lubicenſem, Parmenſem, Viſenſem, & Ludovicum de Palude, quorum conatibus obſiſtere volens Eugenius, Archiepiſcopum Tarantaſienſem Apoſtolicæ Sedis Legatum admonuit, ut præciperet præfatis deſtinatis Baſileenſium Nuntiis, comminatis etiam Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis, nè Græcos ad conveniendum in alium locum, quàm eum, qui ex Pontificio aſſenſu decretus fuerat, ſolicitare auderent, datis eidem infraſcriptis literis, videlicet.

Venerabili fratri Marco Archiepiſcopo Tarantaſienſi, ſalutem.

630 ,, Pervenit nuper ad audientiam no-
,, ſtram, Venerabiles fratres Joannem Lubi-
,, cenſem, D. Parmenſem, & I. Viſenſenſem,
,, & Ludovicum de Palude Epiſcopos, tan-
,, quam Oratores, & Commiſſarios Baſileen-
,, ſis Concilii, ad chariſſimum in Chriſto Fi-
,, lium Joannem Imperatorem, & Venerabi-
,, lem fratrem Joſeph Conſtantinopolitanum
,, Patriarcham cum nonnullis Bullis, inſtru-
,, ctionibus, & Galeis ex parte dicti Conci-
,, lii accedere, eoſque requirere velle, ut ad
,, certum locum pro celebrando œcumenico
,, Concilio veniant, in quem nos expreſsè
,, & ſpecialiter ex juſtis & rationabilibus
,, cauſis non conſenſimus, nec etiam conſen-
,, timus. Cùm autem talis requiſitio, ſi fieri
,, contingeret, decreto conventionali in Ba-
,, ſileenſi Concilio edito obviet manifeſtè,
,, ac in enervationem privilegiorum, & au-
,, ctoritatis Apoſtolicæ Sedis tendere digno-
,, ſcatur, ad quam ſolùm univerſalium, &
,, œcumenicorum Conciliorum convocatio
,, pertinet, in quod ſine Romani Pontificis
,, expreſſo conſenſu, quæcumque Congre-
,, gatio nec Concilium facere, nec auctori-
,, tatem habere manifeſtum ſit, teneantur-
,, que omnes inferiores omni conatu hujus
,, Apoſtolicæ Eminentiæ defenſare privile-
,, gia & auctoritatem, præſertim Epiſcopi,
,, & Superiores propter præſtita ipſi Roma-
,, no Pontifici fidelitatis juramenta, atque
,, alias pro unione hujus Eccleſiæ cum Oriẽ-
,, tali ex parte dictorum Imperatoris, & Pa-
,, triarchæ, & ſibi adhærentium per eorum
,, Oratores, tam in dicto Concilio Baſileenſi,
,, quàm hic coràm nobis in generali Conſi-
,, ſtorio de non veniendo ad dictum locum,
,, ſed ad illum ſolum, in quem Sedes Apo-
,, ſtolica expreſsè conſenſerit, ſit publicè pro-
,, teſtatum; idcircò fraternitati tuæ tenore
,, præſentium, auctoritate Apoſtolica com-
,, mittimus & mandamus, quatenùs præfa-
,, tos Epiſcopos, & eorum complices, ac
,, alios quoſcumque cujuſcumque gradus,
,, ſtatus, præeminentiæ, & conditionis exi-
,, ſtant, ac quavis Eccleſiaſtica, vel munda-
,, na præfulgeant dignitate, de quibus eſſet
,, habenda mentio ſpecialis, auctoritate præ-
,, dicta moneas & requiras, quatenùs à ra-
,, quiſitione hujuſmodi, & alio quocumque
,, actu, qui directè, vel indirectè ſecundo

De-

„ Decreto electionis loci per nos in dicto
„ generali Concillo acceptato & approbato,
„ & conventionibus inter nos unà cum Ve-
„ nerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Ro-
„ manæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Oratores
„ præfatorum Imperatoris, & Patriarchæ nu-
„ per factis, & proſecutioni commiſſionis
„ tibi, & aliis per nos factæ, obviare, aut
„ aliquod impedimentum preſtare poſſit quo-
„ vis modo, ſub pœnis perjurii, ac excom-
„ municationis, ac etiam privationis & in-
„ habilitationis, ubl opus eſſe videbitur; in
„ quos incidere volumus ipſo facto, in indi-
„ latè deſiſtant, & proſecutioni tam ſancti
„ operis tecum & aliis, qui, juxta dictum
„ ſecundum Decretum pro futuro œcumeni-
„ co Concilio celebrando in Italia, ſecun-
„ dùm traditam à nobis formam adhæreant,
„ omnibus aliis dimiſſis, & continuò aſſiſtant,
„ & alia faciant, quæ ad proſecutionem hu-
„ juſmodi negotii, juxta formam & inſtru-
„ ctiones à nobis tibi, & aliis traditas, neceſ-
„ ſaria eſſe videria, aut quomodolibet op-
„ portuna. Alioquin omnes, & ſingulos con-
„ tradictores & rebelles, cujuſcumque gra-
„ dus, præeminentiæ, dignitatis, vel ordi-
„ nis, ut præmittitur, exiſtant, in ipſas pœ-
„ nas incidiſſe declares. Nos autem quid-
„ quid in præmiſſis feceris, ratum, & gratum
„ habebimus, ilindque faciemus ab aliis,
„ auctore Domino, inviolabiliter obſervari.
„ Datum die xx. Julii. *Hactenus literæ*.

631 Cæterùm Baſileenſes nihilò meliores effecti, quinimmò ex Eugenii geſtis ſuprarecenſitis magis irritati, dignitatem Pontificiam in univerſum parvifacientes, de citando & monendo ipſo Pontifice ſermonem habere cœperunt, & proteſtante Juliano Cardinale Sanctæ Sabinæ, Concilii Præſidente, ac conquerente, quòd ſuper defenſione Romani Pontificis non audiretur; quem & Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, & plerique ſequebantur optimi Patres, quibus etiam dilatio ad tertiam diem denegata fuit, ut ſcribit Patricius Senenſis cit. §. 67. nihil profectum eſt, & quaſi tumultuariè habere voluerunt ſeſſionem publicam immediatè poſt Congregationem generalem eodem die preter ordinem & conſuetum morem. Ac ita per eos ultima menſis Julii die, ſcilicet pridie Kalend. Auguſti, prædicti Anni MCCCCXXXVII. habita eſt ſeſſio XXVI. in qua hæreticorum more ad calumnias contra Eugenium publico Decreto evulgandas verſi ſunt. Inſimularunt namque eum, quaſi nulla exhortatione ad morum emendationem, & abuſuum correctionem trahi potuerit, electioni bonorum Paſtorum aſſenſum non præbuerit, beneficia ſimoniacè contulerit, Concilio Baſileenſi non adhæſerit, bonos expulerit, pro gravi pecunia dignitates conſulerit, Synodalia priorum Pontificum Decreta revocarit, à Concilio Legatos ſolverit, Cardinalium conſilia reſpuerit, Patrimonium Sancti Petri alienaverit, ac etiam ſua negligentia perdiderit, multùmque diminuerit, ſubſidia in conductionem Græcorum conferenda per multiplicatas Indulgentias impediverit; ac denique juramentum præſtitum non ſervarit: quibus de cauſis auſu temerario iterùm citatus eſt ad comparendum Concilio unà cum Cardinalibus, præfixo termino ſexaginta dierum. Quare in Decreto incipiente, *Cùm Chriſti Eccleſia*, in hac ſeſſione habito, poſt ſupradicta fusè recenſita, in fine, dicitur: „ Ex poteſtate, quam
„ ſuper cunctos fideles cujuſcumque aucto-
„ ritatis, etiam ſi Papalis exiſtat, à Chriſto
„ accepit, juxta ſupradictam declarationem
„ in Concilio Conſtantienſi habitam, & in
„ hoc præſenti dudùm renovatam, cùm etiàm
„ coràm Deo, & hominibus graviſſimè re-
„ prehendenda veniret, ſi in hac urgentiſſima
„ Eccleſiæ neceſſitate ſuum officium (prout
„ tenetur) etiam nemine poſtulante exequi
„ negligeret; decernit & intra ſexaginta dies
„ à die præſentis ſeſſionis & affixionis nume-
„ randos, quem terminum præfato Domino
„ Eugenio peremptoriè præfigit, ut ſi qua
„ interim coràm hac ſancta Synodo ſuper pre-
„ miſſis, & aliis proponendis, pro ſui defen-
„ ſione, aut excuſatione alleganda, vel pro-
„ ponenda duxerit, per ſe, vel alium ad hoc
„ legitimè deputatum coràm eadem Synodo
„ Baſileæ compareat &c. *Et poſtea*. Univerſis
„ inſuper Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardi-
„ nalibus in virtute ſanctæ obedientiæ, &
„ ſub pœna aliàs præſtiti huic ſacro Conci-
„ lio per ſe, vel alium nomine ſuo juramenti,
„ & quo ad eos, qui juramentum non præ-
„ ſtiterunt, ſub pœna privationis fructuum
„ ſuorum Beneficiorum, mandat, & præcipit,
„ ut infra eundem terminum in hac Civitate
„ Baſileenſi compareant &c.

632 Eorundem porrò iniqua non minùs ac violenta Baſileenſium geſta poſt editum à ſaniori parte Decretum de Concilio Florentiæ, aut Utini, aut in alio loco Italiæ celebrando, prævia ad hanc ſeſſionem, recenſet ipſe Eugenius in Bulla translationis prædicti Concilii, & alterius Concilii celebrationis Ferrariæ, quæ incipit, *Doctoris gentium*, data XIV. Kalen. Octobris ejuſdem videlicet Anni MCCCCXXXVII. in qua plurimis præmiſſis, ſubnectit, inquiens.

633 „ Hæc ubi didicere, qui Avenionem
„ prætulerant, ſemper pro inordinatis, qui-
„ bus agitabantur, affectibus turbati, quia,
„ juxta beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri
„ Leonis Primi ſententiam: *Dum privatæ
„ cauſæ Religionis exercentur obtentu, com-
„ mittitur impietate paucorum, quòd univer-
„ ſalem Eccleſiam vulneret*, multa ad pertur-
„ banda prædicta machinati ſunt; nam pri-
„ mùm quidem in Venerabilem fratrem no-
„ ſtrum Joannem Archiepiſcopum ſupra no-
„ minatum, qui Decretum in ea forma mit-

te-

Digitized by Google

„ tebat ad nos, qua fuerat in publica ſeſſione
„ promulgatum, nonnulla confingentes ir-
„ ruerunt, omnique prætermiſſo juris ordine,
„ ipſum, poſteaquàm primò, ſecundò, ac ter-
„ tiò ea pro ſua juſtitia petierat, quæ jure
„ nulli deberent denegari, primùm in domo
„ ſua ſub cautione jurisjurandi detinere co-
„ nati ſunt: Deinde deputationem & Con-
„ gregationem generalem per Judices datos
„ ſuſpectiſſimos illi interdicere tentarunt; ac
„ poſtremò contra gravamen utrumque ſe
„ tueri de jure ſatagentem, ſuamque juſti-
„ tiam afferentem, ſub excommunicationis,
„ privationis, & inhabilitationis pœnis in
„ domo propria tumultuario multitudinis
„ impetu, detinere & quodammodò carce-
„ rare moliti ſunt.

634 „ Gravamen præterea gravamini
„ adiicientes, dilectum filium Arnoldum de
„ Reclenchuſen dicti Archiepiſcopi Procura-
„ torem, pro juſtitia illius in Congregatio-
„ ne Generali & majori Eccleſia loqui vo-
„ lentem, manibus Injectis percuſſerunt, ac
„ per capillos ad carcerem trahere conati
„ ſunt adèo violenter ac inhoneſtè, ut Car-
„ dinalis Sanctæ Sabinæ Legatus antedictus
„ de violantia illata, & ſublata libertate
„ Concilii neceſſariò ſit publicè proteſtatus.
„ Per hanc itaque illatam violentiam juſto
„ metu conſtrictus Archiepiſcopus ipſe, in
„ defenſionem ſui quosdam Nobiles armatos
„ Domi habere compulſus eſt. Tandem ju-
„ ſtiſſima quadam petitione in Generali Cō-
„ gregatione porrecta, cui adjecta erat prote-
„ ſtatio, quòd niſi in ſua juſtitia audiretur,
„ & à gravaminibus & oppreſſionibus, quæ
„ in dies augebantur, ceſſaretur, & ipſe ob
„ juſtum metum inde decedere cogeretur,
„ cùm non modò non fuiſſet admiſſa ipſa pe-
„ titio, verùm contra exhibitorem potiùs,
„ ut ad carcerem traheretur, eſſet acclama-
„ tum; coactus eſt & injunctum ſibi Orato-
„ ris ac præſidentis officium deſerere, & ad-
„ junctis ſibi, ſeque ducentibus dilectis filiis
„ Nobilibus Viris Wilhelmo Marchione da
„ Roithingh, & Rodulpho de Raviſtein, &
„ aliis plerisque illorum Nobilibus, à prædi-
„ cto loco omninò diſcedere. *Et poſt nonnulla
ſubjungit.*

635 „ Et quid mirum, ſi in Oratores no-
„ ſtros ſæviant, qui in nos quoque adeo ef-
„ frenatè feruntur? Prætenſum quippe quod-
„ dam monitorium, ſive (ut ipſi appellant)
„ citatorium, conviciis, contumeliis atque
„ injuriis plenum adversùs nos, & in grava-
„ men Venerabilium Fratrum noſtrorū San-
„ ctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium confla-
„ re auſi ſunt, novo planè exemplo, & quod
„ priora omnia ſæcula ignoraverunt, & quod
„ uti nè fieret, cùm Joannes, & Julianus Car-
„ dinales prædicti Sedis Apoſtolicæ Legati
„ variis modis obſiſterent, & validiſſimis, &
„ graviſſimis, veriſſimisque rationibus im-
„ probitatem facti coarguerent, demonſtra-
„ rentque apertis documentis, id charitati,
„ bono publico, paci Eccleſiæ, juſtitiæ, ſa-
„ crisque Canonibus ita adverſari, ut ipſi
„ abhorrerent illic adeſſe, ubi de tali tracta-
„ retur monitorio, auditi non ſunt. Et cùm
„ inſtanter orarent, & expreſsè poſtularent,
„ ut à re tam monſtruoſa deſiſterent, con-
„ ſcientiasque exonerando ſuas, excuſarent
„ coràm Deo & hominibus innocentiam ſuā,
„ quòd monitorium illud pro viribus & ſu-
„ per vires impugnarent, plurima quæ ex
„ illo poterant ſcandala & mala memorantes,
„ maximaque inſtantia utentes, veluti ex
„ proteſtationibus ſuis publicè & ſolemniter
„ factis, apertiſſimè conſtat; tantis tamen,
„ tàm piis, tàm juſtis poſtulationibus furor
„ ille non ceſſit. Cùm verò memorati Joan-
„ nes, & Julianus Legati octo primùm, dein-
„ de trium dierum inducias peterent, infra
„ quos rationes in ſcriptis redigerent, qui-
„ bus cum nullo modo ad dictum prætenſum
„ monitorium, ſeu citatorium eſſet proce-
„ dendum, evidentiſſimè demonſtrarent, non
„ ſolùm auditi non ſunt, verùm contra ipſius
„ ordinationes Concilii, ea die & Generalis
„ Congregatio & ſeſſio repentè & præcipi-
„ tanter eſt habita, quòd nunquam antea
„ vel minimis privatisque negotiis fuerat
„ factum. *Hæc & alia plura Eugenius in præ-
fata Bulla, de iniquis Baſileenſium geſtis.*

636 Imperatorem ipſum Sigiſmundum
obſtupuiſſe ſubjungit, talia audientem, ex-
horruiſſe quoque, ac ut à talibus abſtinerent,
nec ultra procederent, monitoriumque pro-
mulgatum revocarent, admonuiſſe, Baſileen-
ſes verò neglexiſſe: „ Ea vero, *inquit*, cùm
„ compariſſet chariſſimus filius noſter Sigiſ-
„ mundus Romanorum Imperator, obſtu-
„ puit, præcipitem ſententiam ſchiſmatis
„ metu, quod ſublatum temporibus proxi-
„ mis iſti inferre tentarent, vehementer ex-
„ horruit, ac protinùs per Venerabilem Fra-
„ trem Petrum Auguſtenſem Epiſcopū Ora-
„ torem ſuum ad præfatum Concilium deſti-
„ natum, ut abſtinerent ab hujuſmodi novi-
„ tatibus & ſcandalis, omni inſtantia requi-
„ ſivit, & ſi quid adversùm nos promulgaſ-
„ ſant, revocarent. Quod quidem, ut ex cer-
„ tiſſimis Nunciis accepimus, facere om-
„ ninò neglexerunt. *Hæc Eugenius.* Augu-
ſtinus Patricius §.60. poſt ſeſſionem XIX. tra-
dit, præfatos Baſileenſes literis conatos Cæ-
ſarem in ſententiam trahere, illùm verò ſalu-
bria conſuluiſſe.

637 „ Baſileenſes verò, *ait*, ut Sigiſ-
„ mundum Cæſarem in ſuam traherent ſen-
„ tentiam, literis ſuis diligentiſſimè nuntiant
„ triremes ſe jam miſiſſe Conſtantinopolim,
„ ut Græcos advehant ad unionem novan-
„ dam, verùm Eugenium Pontificem, ſuos-
„ que ſectatores rem admodùm interturbare,
„ Archiepiſcopum Tarentinum literis Con-

ci-

„ cilii nomine ſuper electione Florentiæ, &
„ Utini ſalaò ſignaſſe. Patres verò, ut Reipu-
„ blicæ conſulerent, Eugenium in cauſam
„ vocaſſe, dixiſſeque ei diem, ut prævarica-
„ tori & contemptori Concilii Decretorum,
„ perturbatorique maniſeſtè Eccleſiæ Dei.
„ Proinde orare Cæſaris Majeſtatem, ut ſuo
„ anxilio, ſuaque auctnritate ſacrum Con-
„ cilium tuerl velit. Ad ea Cæſar reſpondet
„ moleſtiſſimo ſe animo audire has novas ſe-
„ ditlones inter Pontificem & Concilium ex-
„ oriri; hortari, ut maturiùs in tanta re ſe
„ gerant, neque ea agant, quæ diviſionem,
„ & ſchiſmata ſint paritura; quo nihil rebus
„ gerendis pernicinſiùs evenire poteſt. Inve-
„ niſſe eos Eccleſiam Dei pacificam, & lon-
„ go magnoque ſuo labore unitam. Memi-
„ niſſe debere Patrea ſuæ proſeſaionis, cùm
„ prædicent ſe ideò conveniſſe, ut Chriſtia-
„ ni populi morea emendent, hæreſes pel-
„ lant, & diſsidentium animos componant,
„ cavendum nè contrarios effectus pariant,
„ ut qui Græcos ſe unituros pollicentur,
„ Latinos ſeque ipſos ſcindant. Conſuluiſſe
„ ſe ſuper hac re Imperii Principes, omnium
„ eſſe ſententiam ſuperſederi oportere ſuper
„ proceſſu contra Pontificem; exquirenda-
„ que priùs Regum atque Principum conſi-
„ lia, & quorum poſtea eſſent auxilia implo-
„ raturi, priùs cognoſcerent ſententias. In-
„ terim curandum, ut Principum opera ſedi-
„ tio componatur. Si Patres hoc ſecerint,
„ daturum operam Cæſarem, ut Concilii
„ Decreta ſerventur. Sin minus, ſe cum Re-
„ gnis ac Principibua ſuis Romano Pontifici
„ non deſuturum, ejusque dignitatem adver-
„ sùs perperam impugnantes tutaturum.
„ Hæc eadem paulò poſt & Legati Principum
„ Electorum Concilio iterarunt. *Hæc Au-
guſtinns Patricius*: qui eodem loco ſatetur, plures Prælatoa, & Principum Legatos, qui in Synodo erant, præſertimque Hiſpanos, præfato monitorii ſeu citatorii Decreto cnntradixiſſe, dignoſcentes haud expedire Reipublicæ huiuſmodi cum Romano Pontifice concertationem.

638 Itaque Eugenius, attento, Decreto à ſaniori Concilii parte edito de celebrando œcumenico Concilio Florentiæ, aut Utini, vel in alio Italiæ loco Græcia accomodo & ſibi pro Eccleſiarnm Orientis, & Occidentis unione, conſpiciens Baſileenſes in tam grandia & enormia prorupiſſe attentata, in deterius ſemper ruentes, & quod ex illa diſsidentium congregatione nihil boni Eccleſiæ Dei & Chriſtianæ Reipublicæ proventuri ſperari poterat, immò potiùs ſummnm mali ex ea imminebat, nimirum ſchiſma, ſuprema à Chriſto Domino recepta auctoritate Concilium illud diſſoluit, ac Ferrariam tranſtulit, edita & publicata ſequenti Bulla.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

639 „ Doctoris gentium admoniti ſalu-
„ berrima ſuaviſaimaque doctrina hortantis,
„ ut ſoliciti ſimus ſervare nnitatem ſpiritus
„ in vincnlo pacis, ad ea maximè converti-
„ mua aciem mentis noſtræ, & indeſeſſa ſol-
„ licitudine, cura, & cogitatione conatus
„ omnes intendimus, per qnæ in corpore
„ myſtico, ſancta videlicet Eccleſia, perpe-
„ tua charitas, & pax inviolata perduret;
„ ac ſi qna membra diſſentiant, ea commodè
„ corpori reinſerantur ſuo: ut dum per San-
„ cti Spiritus gratiam, qui eſt Patris & Filii
„ amor atque connexio, membra omnia ſub
„ Chriſto Capite unum in Eccleſia corpus
„ efficimur, unica etiam per ſpiritum unita-
„ te in Chriſto ſocietas ſimus, & pax, quæ
„ eſt perfectum nnitatis vinculum, ſincera
„ charitate & concordi animorum conjun-
„ ctio ſervetur, omnisque diſcordiæ & ſciſ-
„ ſuræ ſomes extinguatur. Sanè dudùm in
„ minoribua conſtituti &c. *Et enarratis geſtis pro unione Græcorum uſque ad præſens, Baſileenſium temerè attentatis, ſupra jam à nobis relatis, ſubjungit.*

640 „ Cùm igitur ad hujuſmodi pericu-
„ la, ſcandalaque & detrimenta ab univerſa-
„ li Eccleſia & à populo Chriſtiano, ſicuti
„ ex debito adſtringimur Paſtôralis officii,
„ propulſanda, & longiùs arcenda, nihil æquè
„ expediens occurrat, quàm ſi in unum con-
„ veniamns omnes, charitatis, pacis, & con-
„ cordiæ vinculo aſtricti, & ſemotis privatis
„ affectionibus, ad memoratæ unionia Eccle-
„ ſiæ utriuſqne, ſanctorumque reliquorum
„ operum proſecutionem, quorũ gratia Con-
„ cilium Baſileenſe ab initio ſuerat inſtitu-
„ tum, ſtudium & vota noſtra convertamus.
„ Omnibus itaque & ſingulis, quæ ſupra di-
„ geſta ſunt, & aliis juſtis & rationabilibus
„ cauſis ad hoc animum noſtrnm moventibus,
„ atque eo imprimis, quia quod ſactum eſt
„ ſine conſideratione juſtitiæ, & contra om-
„ nem Canonum diſciplinam, ratum haberi
„ nulla permittit ratio, & quod diſſenſionis
„ ſcandalum non anferret Baſileenſis Syno-
„ dua, ſed ii, qui in illa ſe Duces & Princi-
„ pes novarum rerum ſaciunt, potiùs auge-
„ rent: iis, inquam, omnibua accuratiſſima
„ meditatione penſatis, quorum gratia ne-
„ que nobis, neqne noſtris tutum, aut libe-
„ rum ſit in eo Concilio, qnod ſub ditione eſt,
„ & quaſi tyrannide quadam æmulorum no-
„ ſtrorum redactum, quidquam proponere
„ aut tractare: habitaque ſuper iis omnibus
„ & ſingulis cum præſatis Venerabilibus Fra-
„ tribus noſtris matura deliberatione, de ip-
„ ſorum omnium communi, conſilio & aſſen-
„ ſu, pluribus etiam adhibitis Venerabilibus
„ Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſco-
pis,

Digitized by Google

„ pis, & dilectis filiis electis, Abbatibus, aliisqne Prælatis in Curia noſtra exiſtentibus, id idem conſulentibus & laudantibus, volentes tam pernicioſis & imminentibus turbationum, ſcandalorum, & confuſionum periculis in Dei Eccleſia (ut præmittitur) obviare, ſi & in quantum ſupradicti in ipſo Concilio Baſileen. exiſtẽtes, in oſtinato propoſito ſuo perſeveraverint, vigore & occaſione dicti præteuſi monitorii, ſeu citatorii, in aliquo procedendo, aut aliquam aliam novitatem contra nos, aut Venerabiles Fratres noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, vel Præſidentes, & Oratores noſtros, qui in dicto Concilio fuerunt, vel aliquem ex eis in poſterum inferendo, vel etiam à die præſati aſſerti monitorii forſan ſactum continuando, vel quovis modo ſervando, tenore præſentium auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, & ex plenitudine poteſtatis, Civitatem Ferrarienſem, quam & pro ſnturo, & œcumenico Concilio ex nunc aſſumimus, ex nnnc prout ex tunc, & tunc prout ex nunc pro loco dicti Concilii transferendi nominamus, aſſignamus, & etiam deputamus; locum quidem gratum Græcis, rebus gerendis utilem, idonenm ac commodum omnibns Regibus & Mundi Principibus, & Prælatis tutũ & liberum, in Decreto Græcorum comprehenſum, & pro quo omnia Græcis promiſſa expedita & parata ſunt, ad eumque locum præſatum Baſileenſe Concilium, ad omnes & ſingulos effectus inehoatos, & inchoandos, & pro eisdem cauſis, pro quibus fuerat Baſileæ congregatum, conſilio, aſſenſu, auctoritate & poteſtate ſimilibus, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc transferimus, & translatum fuiſſe & eſſe declaramus.

641 „ Cauſa Bohemorum quo ad articulum communionis ſub utraque ſpecie, quem ſolum articulum volumus in dicta Civitate Baſileenſi, à data præſentium infra triginta dies continuari poſſe, dumtaxat excepta, quos etiam Bohemos, ſi pro dicta cauſa ad dictam Civitatem Ferrarienſem, & Concilium ſic translatum eis magis venire placuerit, in eum caſum benignè ſuſcipiemus, tractabimusque cum omni humanitate & charitate poſſibili, & ab aliis tractare ſaciemus.

642 „ Hanc autem translationem, in quantum prædicti Baſileæ exiſtentes non reſipuerint, ut præmittitur, locum habere intelligimus & declaramus ante ipſorum Græcorum adventum: ipſis autem Græcis veniẽtibus in dicto loco Ferrariæ pro œcumenico Concilio celebrando, ut certi reddimur, conſentientibus, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, ipſum Baſileenſe Concilium ad præſatam Civitatem Ferrarienſem, purè & liberè, & ſimpliciter transferimus, & deeernimus inchoandum. In quo etiam ſic translato talia, auctore Deo, proponere & agere intendimus, ex quibus noſtram innocentiam Orbis totus agnoſcere poterit, & quæ ſunt adversùm nos quorundam malevolentia & malignitate conficta, falſa & omni veritatis fundamento deſtituta intelligere, ac noſtram bonam voluntatem ad ea, pro quibua dictum Baſileenſe Concilium, ut præmittitur, fuerat congregatum, evidentiùs poterit intueri.

643 „ Decernentes, ac etiam declarantes omnem aliam nominationem, declarationem, & electionem, vel translationem, quavis auctoritate, aut quocumque prætextu factam, vel etiam in poſterum faciendam, præterquàm auctoritate noſtra, de qua conſtet per authenticas literas noſtras ſuper hoc conficiendas, nullius eſſe, prout eſt, roboris vel momenti. Mandantes inſuper & præcipientes Venerabilibus Fratribus & dilectis filiis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, electis Abbatibus, & aliis, qui de jure & antiqua conſuetudine generalibus Conciliis intereſſe tenentur, quatenus ad præſatum Concilium, ut præmittitur, translatum, ſe transferant, ad ea tractanda & peragenda, quæ ad laudem Dei & gloriam, ſanctorumque operum profectum, pro quibus ipſum Baſileenſe Concilium ſuerat congregatum, neceſſaria & utilia videbuntur. Et ſignanter ſi quod in materia Bohemorum in eo fortaſſis reſtaret peragendum, & ſpecialiter ad materiam unionis Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, ut ſupra dictum eſt, quàm quanta poſſemus induſtria & diligentia ad fœlicem uſque exitum proſequi intendimus. Quos omnes & ſingulos ad omnia & ſingula præmiſſa ex nunc citamus, requirimus, & admonemus, ſecnritatem quoque & ſalvum conductum omnibus & ſingulis, prout in aliis noſtris literis inde confectis, latiùs continetur, damus & concedimus etiam per præſentes.

644 „ Inſuper auctoritate, poteſtate, conſilio, & aſſenſu prædictis, ſub excommunicatinnis, privationis dignitatum, beneficiorum & officiorum, ac inhabilitationis pœnis, quas contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, adversùs, quas pœnas reſtitui, vel rehabilitari præterquam à nobis non poſſint, ſed nec ab excommunicatione abſolvi, niſi in articulo mortis conſtituti, diſtrictiùs inhibemus, nè in præfata Baſileenſi Civitate, aut alibi, quàm in Civitate Ferrarienſi ſupradicta deinceps, ut præmittitur, Concilium, aut aliquis conciliaris actus teneatur, ſeu aliquod officium ad ea ſubordinatum de cætero exerceatur, neque etiam aliquis in dicta Civi-

tate

„ tate Baſileenſi remanere, præterquam ad
„ articulum Bohemorum, ut dictum eſt, &
„ ad alium locum, quàm Ferrariæ, ſub no-
„ mine aut prætextu Concilii audeat acce-
„ dere.

645 „ Decernentes ex nunc irritum &
„ inane, ac nullius auctoritatis vel momen-
„ ti, ſi ſecus quavis auctoritate, etiam ſub
„ nomine & auctoritate Concilii, præter-
„ quam noſtra, de qua per literas noſtras, ut
„ ſupra præmittitur, ſuper hoc conficiendas
„ conſtet, à quibus communiter, vel divi-
„ ſim, cujuſcumque ſtatus, gradus, præemi-
„ nentiæ, & conditionis exiſtant, etiam ſi
„ Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſco-
„ pali, & Epiſcopali dignitate præfulgenter,
„ ſcienter, vel ignoranter forſitan contigerit
„ attentari. Ordinationibus, ſtatutis, con-
„ ſtitutionibus, Decretis, declarationibus
„ &c. cæteriſque in contrarium quomodo-
„ libet facientibus, non obſtantibus quibuſ-
„ cumque. Nulli ergò omnino hominum li-
„ ceat hanc paginam noſtræ aſſumptionis,
„ nominationis, aſſignationis, deputatio-
„ nis, translationis, declarationis, volunta-
„ tis, conſtitutionis, mandati, præcepti,
„ citationis, requiſitionis, monitionis, datio-
„ nis, conceſſionis, inhibitionis, & deroga-
„ tionis infringere, vel ei auſu temerario
„ contraire. Si quis autem hoc attentare
„ præſumpſerit, indignationem Omnipon-
„ tis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apo-
„ ſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Da-
„ tum Bononiæ Anno Incarnationis Domi-
„ nicæ MCCCCXXXVII. decimo quarto
„ Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri
„ Anno VII.

Ego Eugenius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Branda Epiſcopus Portuenſis ſubſcripſi.

Ego Jordanus Epiſcopus Sabinenſis ſubſcripſi.

Ego Angelotus tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Franciſcus tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Antonius tituli Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Nicolaus tituli Sanctæ Crucis Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Proſper Sancti Georgii ad Velū Aureum Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Dominicus Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

646 Ante hujus Bullæ publicationem expedierat jam Eugenius literas ſalvi conductus, cujus in præfata meminit Bulla, ſub ſpe transferendi Concilii Baſileenſis, ſicuti habebat in mente, immò quemadmodum jam deliberaverat, decreveratque unà cum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac Prælatis in ſua Curia tunc morantibus, quæ quidem ſalvi conductus literæ ad hunc ſe habent modum,

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Univerſis & ſingulis, ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

647 „ Cùm ſperemus, quòd per operam
„ Altiſſimi, cujus cauſa agitur, Concilium
„ Baſileenſe transferetur de proximo ad Ci-
„ vitatem Ferrarienſem, pro tractanda in eo
„ Occidentalis, & Orientalis Eccleſiarum
„ unione, pro reformatione univerſalis Ec-
„ cleſiæ, Chriſtianæ fidei augmento, & pa-
„ ce fidelium, vel ante, ſi contigerit trans-
„ ferri. Nos ſummis deſideriis cupientes, ut
„ ad hujuſmodi transferendum Concilium
„ Prælatorum & Principum & aliorum mul-
„ titudo copioſa conveniat, prout tantarum
„ rerum pondus & magnitudo requirit, &
„ etiam nè aliqui ex quavis cauſa à veniendo
„ ad illud, retrahantur, univerſitati veſtræ
„ notum facimus per præſentes, quòd nos de
„ conſilio & aſſenſu Venerabilium Fratrum
„ noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Car-
„ dinalium, omnibus & ſingulis Clericis &
„ Laicis, tàm Græcis, quàm Latinis, cu-
„ juſcumque ſtatus, ordinis, dignitatis,
„ vel gradus extiterint, etiamſi Imperiali,
„ Regali, Cardinalatus, Patriarchalis, Ar-
„ chiepiſcopali, vel alia quavis Eccleſiaſtica
„ aut mundana dignitate præfulgeant, cæte-
„ riſque Eccleſiarum & Monaſteriorum quo-
„ rumvis Prælatis, Generalibus quoque, ac
„ Magiſtris & Doctoribus, ac aliis in quali-
„ bet dignitate vel gradu conſtitutis, & or-
„ dinum quorumcumque reliquis omnibus,
„ cujuſcumque conditionis & qualitatis ex-
„ titerint, & quocumque nomine, ſeu titulo
„ nuncupentur, conjunctim & diviſim, ve-
„ niendi, & accedendi ad ipſam Civitatem
„ Ferrarienſem, etiam per Civitates, Caſtra,
„ Terras, Loca quælibet nobis & Romanæ
„ Eccleſiæ ſubdita, & alia quælibet, quan-
„ tùm fuerit in nobis, & in eadem moram
„ trahendi, ac ibidem liberè conſulendi,
„ tractandi & agendi omnia, quæ in eis ſe-
„ cundùm Deum, & eorum conſcientiam vi-
„ ſa fuerint pro bono ſtatu & pace univerſa-
„ lis Eccleſiæ expedire; & inde recceden-
„ di pro libito voluntatis, toties quoties
„ eis, vel cuilibet eorum placuerit, liberè,
„ tutè, ac ſecurè, ſine quovis impedimento,
„ vel alio nocumento perſonali aut reali,
„ qualitercumque, & ex quacumque cauſa
„ civili vel criminali inferendo, cum omni
„ eorum comitiva, familiaque, ac ſervitori-
„ bus Laicis & Clericis, cum omnibus &
„ quibuſcumque eorum rebus ac bonis, in
„ victualibus, liberis, aureo, argento, equis,
„ pannis, vel alia materia conſiſtentibus, per

terram, & aquam, die, noctuque, liberum & plenum ſalvum conductum, ſecuritatem ac libertatem, bona fide damus & concedimus per præſentes, volentes in hoc noſtro ſalvo conductu, ſecuritate & libertate, omnes clauſulas neceſſarias & opportunas, & quæ in talibus de jure, vel conſuetudine apponi conſueverint, intelligi, & pro expreſſis haberi: itaut omnes & ſinguli prædicti ſine aliqua cavillatione, ſeu contraditione, aut quocumque quæſito colore, omni ſecuritate & libertate in rebus & perſonis efficaciter ac plenariè gaudeāt; non obſtantibus quibuſcumque legibus vel ſtatutis municipalibus, aut aliis quibuscumque, per quæ huic noſtro ſalvo conductui in aliquo quoquomodo derogari aut præjudicari poſſit, etjam ſi talia eſſent, de quibus ſpecialis mentio & expreſſio foret habenda. Quem ſalvum conductum, ſecuritatem, ac libertatem toto tempore ipſins Concilii univerſalis, & per quatuor menſes ante ipſius inchoationem, & totidem eo finito, firmiter & inviolabiliter in omnibns ſupraſcriptis clauſulis, durare volumus.

648 „ Promittlmus etiſm, & bona fide pollicemur, omnes, & ſingulos benignè, & charitativè tractare; mandantes ex nunc omnibns, & ſingulis ipſius Eccleſiæ Vicariis, Gubernatoribus, & Officialibus, ac ſubditis & vaſſallis, necnon gentium armorum noſtrorum Capitaneis, conductoribus & ſtipendiariis qnibuslibet, ad noſtra ſtipendia militantibus; Cæteros verò quoſcumqne requirentes, & in Domino exhortantes, quatenns omnes, & ſingulos ſupranominatos ad hujuſmodi Civitatem, & Concilium accdere volentes, per Civitates, Terras, paſſus, portus, pontes & loca quęlibet tam noſtra, quàm ipſorum, & tam per aquam, quàm per Terram, quoties eis placuerit tranſire, morari, ac recedere, cum rebus, & bonis prædictis, ſine aliqua ſolutione Datii, pedagii, vel gabellæ, aut alterius oneris exactione pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia liberè permittant, nec eis, aut eorum alicui in perſonis, rebus, vel bonis hujuſmodi aliquam moleſtiam, vel offenſam inferant, nec ab aliis permittant inferri. Præſentibus per quatuor menſes ante tempus ipſius Concilii inchoandos, totoque Concilii tempore, ac etiam per menſes quatuor poſt finitnm ipſum Concilium, duraturis. Datnm Boponiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringētesimo trigeſimo ſeptimo, xv. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno VII. *Hactenus ſalvi conductus literæ*,

649 Sciens inde Eugenius ægrè ferre Cives Baſileenſes hnjuſmodi Concilii translationem, ex cujus conſiſtentia proventns non modicos exigebant, nè exaſperarentur, exiſtimavit peculiares eis ſcribere litteras, præfatæ translationis cauſam allegando, eos verò de hactenus ſervata fide, & reverentia Apoſtolicæ Sedis, de honore præſtito ejuſdem Sanctæ Sedis Legatis, plurimùm laudando; admonens denique non in eorum contemptum, non ad ſubtrahendam ejs utilitatem, neque propter aliquam diſplicentiam, ſive ad diſplicendum eiſdem, ſed neceſſitate cogente, & quia ad præſens aliter fieri non poterat, factam præfatam translationem. Harum verò literarum tenor eſt, qui ſequitur.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis Filiis Magiſtro Civium, & Conſulibus Civitatis Baſileenſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem,

650 „ Semper aliàs multùm dileximus vos, dilecti filii, tum verò maximè tempore hoc Baſileenſis Concilii eximio quodam, & paterno amore complexi ſumna veſtram devotionem, qnos tanquam præcipuos noſtros, & Eccleſiæ filios habemus in viſceribus charitatis: nam cùm ſemper geſſeritis erga nos ſingularem fidem, & devotionem, cùmque in Concilio præfato ſemper quæſiveritis, quæ eſſent pacis, & concordiæ, obvjantes pro poſſe ſcandalis, quæ oriri videbantur, cùmque etiam ſemper habueritis noſtros Legatos & Nuncios in ſumma veneratione, oſtendendo erga ipſos benevolentiam & charitatem, ac præſtando eis in opportunis auxilium, & favorem, meritò veſtram devotionem gerimua infixam in intimo cordis noſtri, atque utinam facultatem nobis Deus tribuat, ut meritis veſtris juxta noſtrum deſiderium ſatisfacere valeamus; oſtendemus enim, quàm grata ſint nobis, & quàm accepta obſequia veſtra, & fervens zelus, quem ipſo opere erga nos pluribus in rebus demonſtraſtis, ſed ille, cujus cauſa hæc feciſtis Salvator noſter retribuet vobis abundanter ſecundùm merita veſtra.

651 „ Verùm ſi quando fuiſtis prudentes, dilecti filii, ſi quando vos oſtendiſtis bonos noſtros, & Eccleſiæ filios, ſi quando pacem univerſalis Eccleſiæ amaſtis, ſi quando pro honore & ſtatu noſtro, & Sedis Apoſtolicæ conſervando, operam impendiſtis, nec opus eſt, ut virtutem veſtram, ut conſtantiam, ut ſinceritatem cordis, totis viribus, omnibus gentibus demonſtretis, ut oſtendatis vos cupere pacem Eccleſiæ, & ſchiſmata evitare, ut faveatis bonis; perverſorum impetnm comprimatis, denique, ut ea agatis, per quæ ſincera fides, & integra religio veſtra ex fructuoſis bonis operibus omnibus innoteſcat.

652 „ Noſtis, ut credimus dilecti filii, plu-

,, plures diſſenſiones hactenus exortas eſſe in
,, Concilio ſuper electione loci, ad quem
,, œcumenicum, ut Græci dicunt, Concilium
,, transferretur, cùm Græci Oratores eum
,, locum vellent, & apertè peterent, ad quem
,, ipſorum Imperator, ac Patriarcha cum eo-
,, rum Prælatis commodè nobiſcum poſſent
,, convenire. Itaque nos ea conſiderantes,
,, pluribus, ac juſtis de cauſis neceſſitate qua-
,, dam coacti pro bono univerſalis Eccleſiæ,
,, & pace populi Chriſtiani certis modis, &
,, formis tranſtulimus Concilium Baſileenſe
,, ad Civitatem Ferrarienſem, prout videre
,, poteritis per copiam literarum noſtrarum
,, præſentibus incluſam. Hoc non fecimus
,, in veſtrum contemptum, non ad ſubtra-
,, hendam vobis utilitatem, quibus omne
,, bonum optamus, non ad diſplicendum
,, vobis, quibus in omni facto cupimus com-
,, placère, ſed quià aliter fieri non potuit ad
,, præſens: Nam cùm neceſſe eſſet omninò
,, eligere locum idoneum, ad quem Impera-
,, tor, ac Patriarcha Græcorum cum eorum
,, Prælatis vellent accedere, quique etiam
,, nobis eſſet habilis, cùm ipſi abſque præ-
,, ſentia noſtra nolint ad Concilium venire,
,, Baſileam verò Græci, prout notum vobis
,, eſſe debet, penitùs recuſaſſent, neceſſe
,, autem eſſet, pro tanti boni conſummatio-
,, ne, alicubi Concilium fieri, elegimus eam
,, Civitatem, quæ & ipſis, ac nobis, reli-
,, quiſque omnibus, qui voluerint accedere,
,, accommoda atque idonea ab omnibus ju-
,, dicatur.

653 Hoc ſignificare voluimus prudentiæ
,, veſtræ ut ea, qua ſoliti eſtis ſapientia,
,, firmi & immobiles perſeveretis in fide &
,, devotione noſtra & Apoſtolicæ Sedis, ut-
,, que cupientibus aut conantibus aliquas
,, novitates in Eccleſia moliri, quantùm in
,, vobis eſt, in virtute Altiſſimi reſiſtatis,
,, nè propter aliorum culpam, aut in gra-
,, viſſimum aliquod crimen incidatis, aut
,, veſtra devotio aliqua nota infamiæ aut de-
,, decoris apud Principes Chriſtianos, ex
,, novis diſſenſionibus poſſit aſpergi, ſed eam
,, famam, eam laudem, eum honorem, quem
,, ante inchoatum Cōcilium habuiſtis, etiam
,, translato & finito Concilio, in perpetuum
,, conſervetis. Datum Bononiæ &c. *Hactenus Eugenii literæ ad Cives Baſileenſes.*

654 Elapſis inde paucis à publicatione Bullæ tranſlationis præfati Baſileenſis Concilii, diebus, Eugenius ut cætera componeret ad Concilium Ferrariæ celebrandum opportuna, & ut in eo Concilio multiplicitas non deficeret Patrum & Doctorum, peculiares fecit literas ad Studiorum Univerſitates, ad Superiores Generales Ordinum, ad Magiſtros Militum pariter omnium Ordinum, ad Abbates Generales Monachorum, & alios plures, quatenus Ferrariam ſe conferrent ad intereſſendum Generali, & œcumenico Concilio celebrando: Quæ datæ ſunt ad Miniſtrum Generalem Ordinis Minorum, ex noſtro Wadingo, ad hunc Annum Domini MCCCCXXXVII. ſub num 2. ad hunc modum ſe habent.

Dilecto Filio Gulielmo de Caſali Ordinis Minorum Miniſtro Generali, Sacræ Theologie Magiſtro, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

655 ,, Cùm Baſileenſe Concilium ad
,, Civitatem Ferrarienſem pro œcumenico
,, Concilio celebrando, tam propter Occi-
,, dentalis, & Orientalis Eccleſiarum unita-
,, tem, quàm reformationem Eccleſiæ, &
,, pacem Chriſtiani populi, & aliis rationa-
,, bilibus cauſis, totis viribus, auctore Do-
,, mino, procurandas, duxerimus transfe-
,, rendum, prout veſtra devotio vidère po-
,, terit per copiam literarum præſentibus in-
,, terclufam, eidem devotioni veſtræ in vir-
,, tute ſanctæ obedientiæ injungimus, &
,, mandamus, quatenus cùm per Dei gra-
,, tiam ſperemus, imò certi reddamur, quòd
,, chariſſimus in Chriſto Filius noſter Joan-
,, nes Græcorum Imperator Illuſtris, ac Ve-
,, nerabilis Frater noſter Patriarcha Con-
,, ſtantinopolitanus, cum eorum Prælatis &
,, Clericis, pro quibus jam dudùm cum Ga-
,, leis, & aliis neceſſariis, & conventis, mi-
,, ſimus, circa Kalendas Novembris proximè
,, futuras accedent ad Concilium memora-
,, tum, quantocyùs poteris, te conferas, at-
,, que unà tecum duodecim Magiſtros tui
,, Ordinis perducas, de quibus devotioni
,, tuæ per alias noſtras literas intimavimus,
,, ut in ipſo Concilio, Altiſſimi cooperante
,, miſericordia, per tuam, illorum, & alio-
,, rum prudentiam, & virtutem tractentur,
,, & agantur ea, quæ cedant ad laudem Dei,
,, pacem Chriſtianorum, ac ſtatum, & exal-
,, tationem Eccleſiæ ſuæ Sanctæ. Datum
,, Bononiæ, Anno Dominicæ Incarnationis
,, MCCCCXXXVII. Nono Kalen. Octobris,
,, Pontificat. noſtri An. VII. *Hactenus literæ.* Similes, & totidem verbis ſcripſit Magiſtro Generali inclyti Ordin. Prædicatorum. Ejuſdem pariter tenoris literas ſcripſit Generalibus Magiſtris Ordinum Eremitarum, Carmelitarum, Humiliatorum, Servorum, & Camaldulenſium, quibus injungit ſecum ducere, non duodecim Magiſtros, ut injungit Miniſtro, & Magiſtro Generalibus Minorum, & Prædicatorum, ſed aliquos inſignes viros Deum timentes. Univerſitati quoque Pariſienſi eodem modo conceptas fecit literas, datas ejuſdem Uuniverſitatis Rectoribus, injungens, ut curent deſtinare inſignes Doctores, vel Magiſtros Deum timentes: quod pariter per ſimiles, & ejuſdem tenoris literas mandavit Univerſitatibus Aurelianenſi, Andegavenſi, Toloſanæ, Aquenſi, Bajocenſis

Diœceſis, Montis Peſſulani, & Avenionensi in Gallia. Salamantinæ, & Vallisoleti in Hiſpania; Viennensi Lipiziensi, & Esfordiensi in Alemagna: Lovaniensi, & Leodiensi in Brabantia: Heidelbergensi, & Coloniensi, pariter in Alemagna: Cracoviensi in Polonia: Peruſinæ, Papiensi, & Paduanę in Italia: Oxionensi, & Cantabrigensi in Anglia: necnon & Sancti Andreæ in Scotia. Magiſtris Militum Sancti Joannis Hieroſolymitani tunc Rhodi, Prutenorum, ſivè Beatæ Mariæ Teutonicorum, Sancti Jacobi de Spatha, de Alcantara, de Calatrava, & de Viſeo, præcepit per ſimiles pariter literas, ut mitterent ſuos Oratores ad Concilium: & denique vocavit Abbates Generales Monachorum Ciſtercienſium, Cluniacenſium, Sancti Antonii Viennenſis, Cęleſtinorum, & Præmoſtratenſium: Quæ quidem literæ datæ ſunt omnes eadem die, nimirum IX. Kalen. Octobris.

656 Interea Baſileenſes Patres duriùs in Eugenium egerunt, cùmque aliquo rumore afflati eſſent, Joannem Vitelleſchum Patriarcham Alexandrinum de Sancta Romana Eccleſia optimè meritum Cardinalitia Purpura donandum, invecti ſunt in Eugenium, qui Cardinales, dùm tenebat Synodus renuntiare vellet contra ejuſdem Synodi Decreta: Hinc habita ſeſſione XXVI. die XXVI. Septembris, abſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, duo priora edita Decreta ſunt innovata: primùm, Pontifici Romano à generali Concilio abſenti non licere novos Cardinales creare, ſedente Concilio, prout in quarta ſeſſione. Alterum verò de numero & qualitate creandorum Cardinalium, editum in ſeſſione XXIII. Indeque creationem factam ab Eugenio, nullam eſſe irritam & caſſam declararunt, injungentes eidem Eugenio, ut illam revocaret; ac inſuper univerſis Chriſtifidelibus mandantes, ut præſatum Joannem nullo pacto pro Cardinali audeant recognoſcere: „ Ad obviandum, *inquiunt*, tantis „ diſcriminibus, admonet & exhortatur hæc „ ſancta Synodus præfatum Dominum Eugenium, ſub obteſtatione Divini Judicii, „ & per viſcera miſericordiæ Domini noſtri „ Jeſu Chriſti, & eidem ex parte Dei omnipotentis præcipit, atque mandat, ut pro „ futurorum ſchiſmatum & ſcandalorum evitatione, prædictam, & alias quaſcumque „ vocationes per eum factas ad Cardinalatus honorem, contra prædictorum Decretorum formam & tenorem, ſicut de facto „ proceſſerunt, eam revocet, caſſet publicè „ & annullet, nullaſque fuiſſe & eſſe decernat, prout hæc ſancta Synodus hoc Synodali Decreto, ſicut de facto proceſſerunt, „ eas caſſat, irritat, & annullat, nullaſque „ caſſas & irritas decernit atque declarat. *Hæc Baſileenſes*, quorum temeritatem contempſit Eugenius: Cùm namque nondùm Joannes aſſumptus ad Cardinalitiam dignitatem fuiſſet, poſt hujuſmodi Decretum III. Nonas Decembris Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Laurentii in Lucina creavit.

657 Duo inſuper alia Decreta in eadem ſeſſione confecta ſunt, prævalente factione Eugenio adverſa: unum, quo caſſatur Decretum de translatione Concilii Baſileenſis celebrandi Florentiæ, vel Utini, declarando in eo literas ſuper ea re ſigno Concilii confectas adulterinas fuiſſe, ac nullius valoris & momenti, nec eis fidem habendam: „ Decernit & declarat, *dicitur ibi*, omnes literas „ continentes nominationem quorumcumque aliorum locorum pro antedicto Concilio celebrando, præter jam dicta loca Baſileæ, Avenionis, & Sabaudiæ, quibus „ Bulla ſacri Concilii inveniretur appenſa, „ fuiſſe falsò bullatas, & contra hujus ſanctæ Synodi ordinationem, nec literis talibus ullam fidem eſſe adhibendam &c. *Hæc in Decreto*. Alterum verò de non alienanda Civitate Avenionenſi, & Comitatu Venayſino, quam Civitatem cum Comitatu ſub protectione ipſius Concilii eſſe declaratur.

658 Elapſo inde termino dierum ſexaginta in monitorio, ſive citatorio temerè Eugenio ad comparendum ſive per ſe, ſive per alium, præfixo, nec eo comparente, habita eſt ſeſſio XXVIII. in ipſis Kalendis Octobris, in qua Papa accuſatur de contumacia; inde ad valvas Eccleſiæ terna vice citatus eſt, ac nemine comparente, decretum eſt eſſe & fuiſſe verè contumacem, & procedendum ad ulteriora, ſicut in quadam ſchedula in ambone per Epiſcopum Albignanenſem lecta continetur, tenoris videlicet ſequentis: „ Hæc „ ſancta Synodus Baſileenſis in Spiritu Sancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, & ad hujuſmodi actû „ legitimè congregata, & pro Tribunali ſedens, audita petitione Promotorum, & „ Procuratoris Fiſcalis ejuſdem ſanctæ Synodi, & ex eorum relatione & productione Inſtrumentorum, viſa ejuſdem Domini „ Eugenii Papæ contumacia in parendo citatorio ejuſdem ſacri Concilii, recepta „ etiam ſuper hoc ad majorem cautelam per „ deputatos ejuſdem Synodi informatione, „ tam de prædictis, quàm de notitia ejuſdem „ citatorii in Romana Curia, decernit, declarat, & reputat dictum Dominum Eugenium legitimè citatum, ſufficienterque „ expectatum, fuiſſe & eſſe contumacem, & „ ejus abſentiâ non obſtante, divinâ eandem „ replente præſentiâ, contra eundem Dominum Eugenium Papam ad ulteriora fore „ procedendum, prout ſacro Concilio videbitur, conſideratis neceſſitatibus, & utilitatibus univerſalis Eccleſiæ &c. *Hactenus ibi*. Scribit Auguſtinus Patricius §.61. Legatos Hiſpaniarum Regis à Concilio receſſiſſe,

ſe, proteſtantes, ſi per hujuſmodi attentata aliquod ſchiſma oriretur, ab hac noxa ſe, ſuamque nationem eſſe immunem: „ At Baſileenſes, *inquit*, in eorum pertinacia per- „ ſeverantes, ſpretis Cæſaris, & Principum „ conſiliis, elapſo termino contumacem Eu- „ genium declarant. Secedunt Hiſpaniarum „ Regis Legati, apertèque aſſerunt, ſe Regis „ ſui Prælatorum, ac Principum ſuæ nationis „ nomine, ei declarationi non conſentire, „ proteſtatique, ſi proinde ſchiſma aliquod „ oriatur, Hiſpanicæ nationi adſcribendum „ non eſſe. *Hæc Patricius*.

659 Poſt hæc præfati Baſileenſes cùm accepiſſent, Eugenium Ferrariam Concilium tranſtuliſſe, magis, magiſque furentes, poſt multas conſultationes celebrarunt ſeſſionem XXIX. die XII. menſis Octobris, ac in ea univerſa Decreta, & Statuta omnia ipſius Eugenii contra Concilium Baſileenſe revocarunt, irritarunt & annullarunt: Diſſolutionem Baſileenſis Concilii, cenſuras ac pœnas in non diſcedentes latas, Indictionem Ferrarienſis Synodi, ac convocationem illùc Prælatorum damnarunt, nulliuſque momenti eſſe ſtatuerunt: „ Inſuper, *inquiunt*, hæc ſancta Sy- „ nodus omnem nominationem, electionem, „ aſſumptionem loci Ferrarienſis factam, tan- „ quàm Decreti ipſius Synodi repugnantem, „ ſicut de facto proceſſit, caſſat, irritat, imò „ verò caſſam & irritam eſſe declarat. Et ca- „ ſu, quo in eadem Civitate, aut alibi adver- „ sùs præfatorum Decretorum noſtrorum „ tenorem Summus ipſe Pontifex Concilium „ erigere incœperit, vel incipiet futurum, „ mandat & præcipit hæc ſancta Synodus „ univerſis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardi- „ nalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epi- „ ſcopis, & aliis quibuſcumque in Curia di- „ cti Domini Eugenii exiſtentibus, qui Sy- „ nodis Generalibus de jure, vel conſuetu- „ dine intereſſe tenentur, ut ad hoc ſacrum „ Concilium Baſileenſe, cæteri verò ad loca „ ſuorum Beneficiorum, vel extra Curiam „ ſe transferant, ſub pœnis excommunica- „ tionis, privationis omnium Beneficiorum, „ dignitatum, & officiorum, & inhabilita- „ tionis perpetuæ, quas, ſi contra fecerint, „ ipſo facto incurrant. *Hæc ibi*. Et in eodem Decreto monent Pontificem, niſi intra quatuor menſes reſipuerit, & omnia contra Concilium, Conciliaresvè Statuta revocet, à Papali adminiſtratione, ſecundùm Decretum in ſeſſione XI. editum, ipſo facto eſſe ſuſpenſum, ipſamque Summi Pontificatus adminiſtrationem ad ſacrum Concilium devolvi. Quòd ſi per duos menſes poſt interdictionem Pontificatus in ſua pertinacia perſeveraverit, procedendum eſſe contra Eugenium etiam ad privationem Pontificatus.

660 Ita delirantibus Baſileenſibus, nihil omittebat Eugenius ad Concilium Ferrariæ celebrandum opportunum, vel neceſſarium. Nicolaus Eſtenſis Ferrariæ Marchio, in Pontificis obſequium, & ipſe ſalvum conductum univerſis & ſingulis cujuſcumque gradus, præeminentiæ, & dignitatis ad Concilium Ferrariæ accedentibus, liberum & amplum conceſſit, ſimilem illi, quem ipſemet Eugenius conceſſerat, addens circa penſiones domorum, forum, ſeu pretium victualium, ac omnia alia ad uſum dicti Concilii, & in eo exiſtentium neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, prout eidem Sanctiſſimo placuerit, operam ſe daturum, ut cuncta provideantur, & quidem abundanter. Cujus ſalvi conductus literæ expeditæ fuerunt eodem Anno MCCCCXXXVII. die verò XIV. menſis Novembris. Appropinquante tempore inchoandi Concilium Eugenius adhùc Bononiæ exiſtens, edita alia Conſtitutione, ſive Bulla, declaravit Concilium Baſileenſe ad prædictam Civitatem Ferrarienſem, jam purificatis conditionibus in prioribus literis contentis, eſſe translatum, ac Ferrariæ indictum, decernens inchoandum die VIII. menſis Januarii immediatè ſequentis, prout in præfata Bulla, quæ ad hunc modum ſe habet.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

661 „ Pridem ex juſtis & rationabilibus „ ac urgentiſſimis cauſis ad multa inconve- „ nientia in Dei Eccleſia imminentia pericu- „ la ſubmovenda, præſertim ſciſſuræ & divi- „ ſionis graviſſimæ, necnon impedimenti fu- „ turæ ſanctæ unionis Occidentalis, & Oriē- „ talis Eccleſiæ animum noſtrum dignè mo- „ ventibus, quartodecimo Kalendas Octo- „ bris proximè præteriti, de Venerabilium „ fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Ec- „ cleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, plu- „ rimis etiam adhibitis Venerabilibus fratri- „ bus & dilectis filiis Archiepiſcopis, Epi- „ ſcopis, Electis, Abbatibus, aliiſque Præla- „ tis in noſtra Curia exiſtentibus, idem con- „ ſulentibus, atque laudantibus, Civitatem „ Ferrarienſem pro celebrando Concilio etiā „ œcumenico ex tunc aſſumpſimus, nomi- „ navimus, & etiam deputavimus, ad eam- „ que Civitatem Baſileenſe Concilium, ad „ omnes & ſingulos effectus, pro quibus Ba- „ ſileæ fuerat congregatum, & ex tunc tran- „ ſtulimus, & translatum eſſe declaravimus, „ ſi & in quantum in dicto Baſileenſi Conci- „ lio exiſtentes perſeverarent in ſuo obſtina- „ to propoſito, vigore cujuſdam prætenſi „ monitorii, ſeù citatorii procedendo, aut „ aliam novitatem contra nos, & Venerabi- „ les fratres noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſię „ præfatos, vel Præſidentes, aut Oratores „ noſtros, qui in dicto Concilio fuerunt, fa- „ ciendo, vel à die dicti citatorii factam con- „ tinuando, vel ſervando, prout in noſtris „ literis, ſuper idem confectis, pleniùs conti- „ netur. Sperantes ex hac noſtra conditio- „ nali proviſione, veluti in eorum Baſileæ

exi-

„ exiſtentium merâ libertate repoſitâ, ipſos „ à tam periculoſis novitatibus facilikr abſtinere debere.

662 „ Verùm illi ipſi avertentes ſe, nec „ paci Eccleſiæ & unitati conſulerent, nevè „ jam paratæ unioni Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ, pro qua Chariſſimum in „ Chriſto filium Romæorum Imperatorem, „ & Venerabilem Fratrem Conſtantinopolitanum Patriarcham dietim expectamus, & „ jam plurimi ex eorum Domeſticis cum una „ ex Galeis noſtris in Portum Venetiarum „ applicuerunt, proſpicere, ut debebant, „ quin potiùs turbationem ſuper turbationem „ apponere ſatagebant, accuſationem contumaciæ cõtra nos admittere præſumpſerunt, „ noſque contumaces fore eſſe decernentes, „ poſtea IV. Idus prædicti menſis Octobris per „ quond. aſſertum decretum, & Ven. Fratres „ noſtros multa gravia, & ſciſſuræ in Eccleſia Dei jam proximè cumularunt, aliaque „ plurima ab omni charitate & pace penitùs „ aliena ſervare auſi ſunt, parati etiam, quantùm in eis eſt, licèt ſub quodam reformationis fuco, omne ſuum opus ad irreparabilis deformationis, ut jam apertè cognoſcitur, extrema perducere, niſi miſerante Deo, opportuno & celeri remedio „ obvietur.

663 „ Nos igitur tàm imminentibus malorum periculis volentes, ut ex debito noſtri Paſtoralis officii tenemur, opportunè „ conſulere, de prædictorum Venerabilium „ Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, conditiones in dictis noſtris literis contentas, „ fuiſſe & eſſe purificatas, dictumque Baſileenſe Concilium ad præfatam Civitatem „ Ferrarienſem fuiſſe & eſſe translatum declaramus, illudque auctoritate & aſſenſu „ ac conſilio prædictis, in dicta Civitate Ferrarienſi celebrandum, ac die octava proximi menſis Januarii inchoandum, ac continuandum decernimus, auctoritate Apoſtolica per præſentes mandantes omnibus & „ ſingulis, qui ad generalia Concilia de jure „ venire tenentur, ut conſueverunt, ad ipſum „ Concilium ſic translatum, vigore juramenti per eos præſtiti, quantocyùs ſe transferre procurent. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, „ conſtitutionis, & mandati infringere, vel „ ei auſu temerario contraire. Si quis autem „ hoc attentare præſumpſerit, indignationem „ Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & „ Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Bononiæ Anno Incarnationis „ Dominicæ MCCCCXXXVII. Kalendis „ Januarii, Ponteficatus noſtri Anno VII. *Haſtenus Bulla*. Qua publicata, non diù poſt ad inchoandum Concilium deſtinavit Legatum de Latere Nicolaum Albergatum Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, cum facultatibus contentis in ſequentibus literis.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

664 „ Dùm onus univerſalis Gregis Dominici ſupernâ diſpoſitione nobis injunctum diligenter attendimus, & noſtrum „ proſpicimus imperfectum, videntes quòd „ nequimus circa ſingula per nosmetipſos „ exolvere debitum Apoſtolicæ ſervitutis, „ nonnunquam viros excellentes atque inſignes, dignitatis ſplendore præditos, & „ virtute conſpicuos & Illuſtres, de quorum „ ſpectata fide, ſapientia, altitudine conſilii, „ & ſcientiæ claritate, firmam ſpem, plenamque fiduciam obtinemus, in partem negotiorum & rerum agendarum, ſtatum & Eccleſiam concernentium, aſſumimus, ut „ per ipſos vices noſtras ſupplentes, & ipſorum cooperante ſalubri, nos pro tempore „ alleviantes noſtri oneris gravitatem & miniſterium nobis commiſſum, favente divina gratia, faciliùs & efficaciùs exequi valeamus.

665 „ Cùm itaque nos nuper Baſileenſe „ Concilium ex certis cauſis urgentiſſimis, „ ac paci Eccleſiæ neceſſariis, ad Civitatem „ Ferrarienſem, de Venerabilium Fratrum „ noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu duxerimus auctoritate Apoſtolica transferendum, ac „ poſtmodũ ipſum Concilium, in quo quamprimùm intendimus, & volumus perſonaliter intereſſe, certo tempore tunc expreſſo „ inchoandum ſtatuerimus, ac etiam celebrandum. Nos conſiderantes præcipua virtutum Dona, quibus perſonam tuam Altiſſimus inſignivit, quòdque ſapientia tua in „ magnis & arduis noſtris, & Eccleſiæ negotiis ſumma cum prudentia, integritate „ verſata, ingentem laudem tuis operibus „ comparavit; ac ideo in Domino confidentes, quòd ſolitam prudentiam, fidem & „ integritatem præſtabis ſimiliter in reliquis „ negotiis de cætero committendis, te, de „ eorundem Fratrum conſilio, Sedis Apoſtolicæ Legatum, cum plena poteſtate Legati de latere, necnon noſtrum, & ipſius Sedis in præfato Concilio Ferrariæ celebrando præſidentem, & eadem auctoritate tenore præſentium facimus, conſtituimus, „ & etiam deputamus.

666 „ Circumſpectioni tuæ Concilium „ hujuſmodi in eadem Civitate inchoandi, „ continuandi & proſequendi, ac donec nos „ perſonaliter acceſſerimus, noſtro & ipſius „ Sedis nomine præſidendi, & cum ipſius „ Concilii conſilio & approbatione, auctoritate prædicta, ordinandi, decernendi, & ſta-

;, ſtatuendi omnia & ſingula, quæ ad pacem,
,, exaltationē & reformationem Eccleſiæ uni-
,, verſalis, & pro illius unitate conſervanda;
,, necnon Occidentalis & Orientalis Eccle-
,, ſiarum unione, paceque & tranquillitate
,, populi chriſtiani, ac extirpatione hære-
,, ſum, utilia ſeu neceſſaria videbuntur; nec-
,, non omnium & ſingulorum plenaria exe-
,, cutione, propter quæ Concilium Baſileæ
,, fuit ab initio conſtitutum, & etiam alium
,, vel alios, de quibus, & prout tibi videbitur,
,, de præmiſſis exequendis, loco tui ſubſti-
,, tuendi; contradictores verò quoslibet, &
,, rebelles, cujuſcumque ſtatus, gradus, di-
,, gnitatis, ordinis, vel conditionis fuerint,
,, & quacumque Eccleſiaſtica vel mundana
,, præfulgeant dignitate, auctoritate noſtra
,, per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellat ap-
,, pellatione poſtpoſita, ac etiam cum invo-
,, catione brachii ſæcularis compeſcendi,
,, omniaque alia & ſingula tractandi, ſtatuen-
,, di, agendi, mandandi, ordinandi, conclu-
,, dendi, exequendi, quæ in præmiſſis pro
,, ſtatu prædictæ Sedis, ac Romanæ Eccle-
,, ſiæ, necnon Occidentalis & Orientalis Ec-
,, cleſiæ unitate, reformatione morum, ſta-
,, tuque pacifico Reipublicæ Chriſtianæ no-
,, veris profutura, auctoritate prædicta con-
,, cedimus plenariam poteſtatem, ratum &
,, gratum habituri quidquid per te, aut à te
,, ſubſtituendos in ipſo Concilio, noſtro no-
,, mine fuerit ſtatutum & decretatum: Idque
,, faciemus, auctore Domino, firmiter ob-
,, ſervare.

667 ,, Quocircà circumſpectioni tuæ in-
,, jungimus & mandamus per præſentes, qua-
,, tenus injunctum tuis humeris onus laboris
,, hujuſmodi, pro divina, noſtraque, & ip-
,, ſius Sedis reverentia, ſic in virtute Domi-
,, ni, juxta tibi à Deo datam prudentiam
,, pro univerſalis Eccleſiæ augmento fidei
,, ac populi chriſtiani, fidelium pace & tran-
,, quillitate, coneris laudabiliter exequi, ut
,, ex tuis bonis operibus fructus deſiderati
,, proveniant, atque illam, quæ rectè ſen-
,, tientibus rectèque agentibus pro poſſibili à
,, Deo eſt, propoſitam mercedem æternæ glo-
,, riæ conſequaris. Datum Bononiæ Anno
,, Incarnationis Dominicæ, milleſimo qua-
,, dringenteſimo trigeſimo ſeptimo, IV. No-
,, nas Januarii, Pontificatus noſtri Anno VII.
Hactenus literæ. Notandum tamen ex ſtylo Romanæ Cancellariæ, tunc ſaltem annum non incipere à Kalendis Januarii, ſed à die XXV. Martii, proinde non mirandum, ſi in literis datis hoc Januarii menſe, adhùc dicantur datæ Anno MCCCCXXXVII. cùm reverà ex communi ſtylo datæ ſint ineunte Anno MCCCCXXXVIII. quemadmodùm notata ſunt primeva acta inchoationis Concilii Ferrarienſis, incepta, ut infra, die VIII. ejuſdem menſis Januarii.

668 Deſtinato Legato, remanſit adhùc Bononiæ Eugenius, qui antequam perſonaliter accederet ad Concilium, nonnulla capita concordare voluit cum D. Nicolao Marchione Eſtenſi pro Concilii libertate, Patrumque, ac omnium intereſſentium honore; quæ quidem Capita fuere Bononiæ concordata inter D. Cardinalem S. Clementis Apoſtolicæ Sedis Camerarii, nomine præfati Domini Papæ, & Auguſtinum de Villa prædicti Marchionis Cancellarii, & ad hoc ſpecialiter delegati, infraſcripto concordati edito Inſtrumento.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen.

669 ,, Capitula tractata & concluſa in-
,, ter Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, &
,, Dominum, Dominum Franciſcum tituli
,, Sancti Clementis Presbyterum Cardinalem
,, Venetiarum, Domini Papæ Camerarium,
,, vice & nomine Sanctiſſimi Domini noſtri
,, Papæ Eugenii IV. & Illuſtrem Dominum
,, Nicolaum Marchionem Eſtenſem Ferrariæ
,, &c. ſive Virum egregium Auguſtinum de
,, Villa ipſius Domini Marchionis Cancella-
,, rium ad hoc Nuncium ſpecialem.

,, 670 ,, Primò, quòd dictus Dominus
,, Marchio, filii, & Ferrarienſes, tenebunt
,, & tractabunt Sanctiſſimum Dominum no-
,, ſtrum Papam Eugenium IV. pro vero &
,, unico Papa ac Summmo Pontifice, ipſum-
,, que defenſabunt in ſua libertate, ut decet
,, ſubditos & fideles. Itaque ſemper licebit
,, ei, & Dominis Cardinalibus & Curiæ,
,, ſtare in Civitate & locis dicti Domini
,, Marchionis, & ab eis recedere ſine impe-
,, dimento quocumque, etiamſi mandatum
,, cujuſcumque prætendentis ſe ſuperiorem
,, de jure, vel de facto, quacumque dignitate
,, vel auctoritate ſulciti, de quo etiam fieri
,, deberet mentio ſpecialis, in contrarium
,, interveniret.

671 ,, Item, quòd dictus Dominus Mar-
,, chio, filii, & Civitas provideant, & provi-
,, deri faciant dicto Domino noſtro Papæ,
,, & ejus familiæ, Sereniſſimis Dominis Im-
,, peratoribus venientibus, & Reverendiſſi-
,, mis Dominis Cardinalibus, Camerario &
,, Theſaurario Apoſtolicis, ac eorum Loca-
,, tenentibus, de Domibus neceſſariis & de-
,, centibus, gratis ſine aliqua ſolutione.

,, 672 ,, Item, quòd præfati Dominus no-
,, ſter Papa, Reverendiſſimi Domini Cardi-
,, nales, Camerarius Domini noſtri Papæ,
,, ſeu ejus Locumtenens, & Theſaurarius,
,, ab omnibus & ſingulis gabellis ordinariis &
,, extraordinariis, antiquis & modernis, pro
,, victualibus & veſtibilibus, & rebus qui-
,, buſcumque, pro eorum Domibus & fami-
,, liaribus, tam in eadem Domo, quàm extra
,, exiſtentibus, tàm ingroſſo, quàm minuto
,, emendis, tàm extra, quàm intùs Civita-
tem,

„ tem, ſint penitùs omninò exempti.

672 „ Item, quòd præfati D. Marchio, „ filii, & Cives obſervent ſalvos conductus „ Domini Papæ, aut ejus Camerarii, dùm „ tamen illi, quibus conceduntur hujuſmo- „ di ſalvi conductus, non ſint rebelles & „ banditi in ære, vel perſonis, ac etiam de- „ bitores dicti Domini Marchionis, vel con- „ tra eum aliquid machinentur; in quo caſu „ Sanctiſſimus Dominus noſter eum adjuva- „ bit; aut ſint debitores Civium Venetorum „ & Mantuanorum, ratione debiti commiſſi „ contra illos; & declarentur dicti rebelles „ Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ infra de- „ cem dies.

673 „ Item, licèt de conſuetudine ſu- „ pradictus Dominus noſter Papa deberet „ deputare pedites pro cuſtodia Palatii ha- „ bitationis ſuæ in Civitate Ferrariæ, tamen „ cùm Sanctitas ſua maximam habeat fidem „ in devotione ſupradicti Domini Marchio- „ nis, vult, & contentatur, quòd ipſe Do- „ minus Marchio deputet ipſos pedites, pro- „ ut ſibi videbitur; cum ea conditione ta- „ men, quòd tales pedites & cuſtodes depu- „ tandi, & tunc deputati, præſtent juramen- „ tum fidelitatis in manibus Reverendiſſimi „ D. Camerarii ſupradicti.

674 „ Acta fuerunt hæc inter partes ſu- „ pradictas in Civitate Bononiæ, in domo „ habitationis Reverendiſſimi in Chriſto Pa- „ tris & Domini, Domini Antonii tituli „ Sancti Marcelli, Presbyteri Cardinalis, „ MCCCCXXXVIII. die XVI. Januarii. Et „ voluerunt ſupradictæ partes prædicta Ca- „ pitula ſigillorum contrahentium munimi- „ ne roborari; & quòd de ipſis unum, vel „ plura conficerem Inſtrumenta, ſive hujus „ Capitula, præſentibus Venerabilibus Vi- „ ris Domino Nicolao de Valle, Cameræ „ Apoſtolicæ Clerico, & Chriſtophoro de „ Reate Literarum Apoſtolicarum Scripto- „ re, teſtibus ad præmiſſa habitis, vocatis, „ & rogatis; & me Blondo Antonii Blondi „ Foroliviensi, Sanctiſſimi Domini noſtri „ Eugenii Papæ IV. & ipſius Reverendiſſimi „ Domini Camerarii Secretario, ac Cameræ „ Apoſtolicæ Notario, qui prædicta, dum „ ſic agerentur inter partes, rogatus notavi, „ & in hanc publicam formam, aliena manu, „ propter occupationes, redigi feci, ſigno „ conſueto & nomine meo ad fidem præmiſ- „ ſorum manu propria appoſitis. *Hactenus Capitula concordata*.

675 Interea Baſileenſes habita ſeſſione XXX. die XXIII. menſis Decembris, Decre- tum ediderunt de modo, ſive ſuper modo ſa- cræ Communionis, decernentes, ut infra.

Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu Sancto legitimè congrega- ta &c. ad perpetuam rei memoriam.

676 „ Ut lucidiùs videatur pro declara- „ tione Catholicæ veritatis quid circa per- „ ceptionem Sacræ Euchariſtiæ tenendum „ ſit, & agendum pro utilitate, & ſalute „ populi chriſtiani, poſt diligentem perſcru- „ tationem Divinarum Scripturarum, ſacro- „ rumque Canonum Doctrinarum à Sanctis „ Patribus & Doctoribus traditarum, in hac „ ſancta Synodo longis temporibus habitam, „ conſideratiſque omnibus, quæ pro decla- „ ratione hujus rei conſideranda fuerunt, de- „ cernit, & declarat eadem ſancta Synodus, „ quòd fideles Laici, ſive Clerici communi- „ cantes, & non conficientes, non adſtrin- „ guntur ex præcepto Domini ad ſuſcipien- „ dum ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet & „ vini, ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum. „ Sed Eccleſia, quæ regitur ſpiritu veritatis „ ſecum manente in æternum, & cum qua „ Chriſtus manet uſque ad conſummationem „ ſæculi (ſicut ait divina Scriptura) ordi- „ nare habet, quomodo ipſis non conficien- „ tibus miniſtretur, prout pro reverentia ip- „ ſius Sacramenti & ſalute fidelium viderit „ expedire, ſive autem ſub una ſpecie, ſive „ ſub duplici quis communicet, ſecundùm „ ordinationem ſeu obſervantiam Eccleſiæ, „ proficit dignè communicantibus ad ſalu- „ tem. Nec ullatenùs ambigendum eſt, quòd „ non ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub „ ſpecie vini Sanguis tantùm, ſed ſub qua- „ libet ſpecie eſt integrè totus Chriſtus. „ Laudabilis quoque conſuetudo communi- „ candi Laicum Populum ſub una ſpecie, „ ab Eccleſia & Sanctis Patribus rationabi- „ liter introducta, & hactenus diutiſſimè „ obſervata, & à Doctoribus Divinæ Legis „ ſacrarum Scripturarum atque Canonum „ multam peritiam habentibus, jam à longæ- „ vo tempore commendata, pro lege haben- „ da eſt, nec alicui licitum eſt eam reproba- „ re, aut ſine auctoritate Eccleſiæ ipſum im- mutare. *Hactenus Decretum de Communione* in præfata editum ſeſſione, in qua nihil aliud actum eſt.

677 Adveniente porrò prefixa die, octava nimirum menſis Januarii, inchoatum eſt Con- cilium Ferrariæ, Præſide D. Nicolao tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalē Presbytero Car- dinale, & Apoſtolicæ Sedis Legato, de quo ſupra, & habita eſt, præviis conſuetis ſolem- nitatibus, prima ſeſſio, cui interfuerunt Archie- piſcopi V. Epiſcopi XVIII. electi verò Epiſ- copi IV. & diverſi Ordinum Generales, Ma- giſtri, & Religioſi viri; ac primùm in ea, poſt prædictas ſolemnitates, lectum eſt De- cretum editum à ſaniori parte Concilii Baſi- leen-

leenſis de loci electione: inde recitatæ ſunt literæ Apoſtolicæ translationis Concilii de Baſiles ad Civitatem Ferrarienſem, declarationis ejuſdem translationis, ſalvi conductus, deputationis Legati, & altera ſalvi conductus Marchionis Eſtenſis. Deinde decretum, & ſtatutum eſt, Eugenium Papam ob cauſas juſtas, & neceſſarias, atque urgentes ad removends impedimenta, quæ unioni cum Græcis interponebantur, tranſtuliſſe Concilium Baſileenſe Ferrariam; eamque translationem legitimam & canonicam eſſe; ac proinde Concilium Ferrarienſe œcumenicum legitimum eſſe, nec præfatum Eugenium comprehendi Decretis VIII. & XI. ſeſſionis Concilii Baſileenſis. Congregationem illorum, qui poſt translatum Concilium, Baſileæ pertinaciter remanſerunt, ſive quamcumque aliam præter Ferrariæ legitimè congregatã, non eſſe Concilium Generale, neque auctoritatem ullam, poteſtatemvè habere, omniaque per Baſileenſes geſta, actaque poſt translationem irrita eſſe & nulla, niſi fortè pro reductione Bohemorum aliquid egerint utile, quod ſacrum Ferrarienſe Concilium laudabit, & probabit: omnes porrò, qui in verba olim Baſileenſis Concilii juraſſent, abſolutos, liberatosque eſſe ab eo juramento. Item ſtatutum eſt, nemini omninò licere ex Conciliariis Concilii Ferrarienſis cujuſcumque ſint gradus aut ordinis moleſtare, ſeu quoquomodo etiam in beneficiis aut dignitatibus vexare, quamdiù in Concilio, ſive in Curia Romani Pontificis perſeverabunt: Moleſtatores etiamſi Cardinales, aut inferioris dignitatis ſint, excommunicatos eſſe, Collegia, & Univerſitates, ſacris Interdicta: & niſi intra tres dies à moleſtatione ceſſaverint, ſive beneficio, aut dignitate per ſe pulſos non reſtituerint, ipſos cum omni dignitate, etiamſi Epiſcopali & ſupra, omnique beneficio Eccleſiaſtico ipſo facto eſſe privatos. Eos etiam, qui Conciliarium, ſive Curialium hujuſmodi beneficia ſibi à quovis collata acceptaverint, excommunicatos item eſſe, omnique honore & beneficio privatos, inhabileſque ad futura. Ac demùm in eadem ſeſſione convocati ſunt ad ſacrum Concilium Ferrarienſe, quotquot de jure, vel conſuetudine tenentur Conciliis Generalibus intereſſe.

678 Sed Baſileenſes cùm accepiſſent Generalem Synodum Ferrariæ jam inchoatam congregati, qui remanſerant, ſeſſionem XXXI. habuere voluerunt IX. Kal. Februarii, die videlicet XXIV. menſis Januarii ejuſdem ineuntis Anni MCCCCXXXVIII. Ac in ea ſub ſpecie reformationis primùm ſtatuerunt, ut qui itinere quatuor Dietarum Romã diſtant, cauſæ illorum agitentur in loco, ubi exortæ ſunt, & appellationes frivolæ ad Sedem Apoſtolicam interpoſitæ omninò reiiciantur, appellatio verò, ad evitandos partium ſumptus, Superiori immediato loci committatur: cauſas verò ad Concilium Baſileenſe devolutas, aut ab eodem Concilio rejectas, præcipuè incorporatorum, aut incorporandorum, nullo pacto eſſe transferendas ad Concilium, ſive, ut vocant, conventiculum Ferrarienſe, ſed in eodem Baſileenſi Concilio, ipſo durante, cognoſcendas, & definiendas. Deinde de Beneficiorum collationibus ſancitum eſt, nè Romanus Pontifex ulli deinceps quacumque ex cauſa expectativas, quas vocant, concedat: reſervationes particulares, quæcumque impoſterùm annullantur: Beneficia nonniſi Doctis & literatis conferantur, præſcripto ordine & modo conferendi: ad extremum verò Eugenium Papam velut contumacem, decernitur eſſe ab omni adminiſtratione Pontificatus in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſpenſum, adminiſtrationem verò ad ipſum Concilium eſſe devolutam: ac inde monentur Reges & Principes, cunctique Chriſti fideles, tam Laici, quàm Eccleſiaſtici ſub excommunicationis pœna, & ſuſpenſionis, ne deinceps durante præfata ſuſpenſione eidem Eugenio pareant aut obediant. Quibus aic decretis ſoluta eſt ſeſſio.

CAPUT XI.

De Græcorum adventu; & inchoato cum eis Concilio Ferrarienſi.

679 Miſſos Conſtantinopolim Legatos ab Eugenio unà cum triremibus ad traducendos Imperatorem Græcorum & Patriarcham, cæteroſque Græcos, ut ſupra innuimus, quos circa Idus Auguſti Cretam appuliſſe, tradit Auguſtinus Patricius, ubi conſcriptis trecentis Baliſtariis, pro tuitione Urbis Conſtantinopolitanæ, abſente Imperatore, Conſtantinopolim inde appulcuiſſe III. Nonas Septembris, ab Imperatore, & Patriarcha honorificè ſuſceptos, idem auctor tradit: adveniſſe poſtea Legatos Baſileenſes cum triremibus Avenionenſibus, & conatos perſuadere Imperatori, ut cum eis ad Concilium navigaret, ſubjungit his verbis.

680 „ Dum Græci ſe ad transfretandum „ accingunt, (*videlicet cum Eugenii Legatis*) ecce V. Nonas Octobris Avenionenſes „ triremes appellunt, præfectis Viſenſi, & „ Lauſannensi Epicopis, quorum adventus „ eò viſus eſt Grecis ineptior, quò apertè „ per Legatos Baſileæ proteſtati fuerant, ſe „ Avenionem nullo modo venturos, ſi ubi „ data eſt copia fandi, Concilii Baſileenſis, „ ac multorum Principum literas Imperatori „ primùm reddiderunt, tum Concilii nomine, cujus ſe Legatos eſſe profitebantur, in „ vim præſtiti juramenti expoſtulant Græcos, ut Baſileam, Sabaudiam, ſive Avenionem ad Concilium ſe quamprimùm tranſ-

,, ferant. Oſtendunt monitorium in Euge-
,, nium Pontificem editum, aſſeruntque, ſi
,, ejus triremibus navigare pergant, priùs
,, Eugenium à Concilio Pontificali dignitate
,, dejectum iri, quàm ad eum perveniant,
,, atque eo pacto fruſtrà illos ituros; cum
,, exauctoratus Eugenius Conciliū dare non
,, poterit. Dinlenſem, & Portugallienſem
,, Præſules non eſſe Concilii veros Legatos,
,, ſed adulterinos, & præter Patrum decreta
,, miſſos, quod & literis Concilii approba-
,, bant. Niſi ad unum de nominatis locis ſe
,, conferrent, Principes omnes, quorum
,, literas attulerant, ſimul cùm Baſileenſi
,, Concilio eis ſuturos hoſtes, daturoſque
,, operam, ut aliud Concilium celebrari non
,, poſſit. Sin autem ſecum navigarent, Con-
,, cilium, & Principes fauturos eis contra
,, Turcas, decreturoſque generalem expedi-
,, tionem & Cruciatam in hoſtes. Eadem &
,, Patriarchę Cōſtantinopolitano retulerunt,
,, qui, ubi criminationes Eugenii ex Moni-
,, torio audire cœpit, Avenionſes ſilère juſ-
,, ſit, & abs ſe dimiſit.

681 ,, Sed cùm Legati Papæ Dinlenſis
,, & Portugallenſis, objecta omnia, & diffi-
,, cultates Avenionenſium diſſoluiſſet, Im-
,, perator & Patriarcha ſe cum eis in Italiam
,, navigaturos promiſerunt, multiſque ver-
,, bis hortati ſunt Avenionenſes, ut depo-
,, ſitis odiis, & diſſenſionibus, ſimul Venetias
,, vellent petere; ubi de loco Concilii com-
,, modiori eſſet diſceptandum. Illi verò in-
,, dignati minarum pleni, ſolutis anchoris
,, Peram petunt, & poſt quindecim dies IV.
,, nonas Novembris in patriam revertuntur.
,, Græci verò cum Imperatore, Patriarcha
,, & aliis Patribus ad VII. Kalendas Decem-
,, bris cum novem triremibus iter aggreſſi
,, ſunt, Venetiaſque tandem appulerunt
,, ad VI. Idus Februarii. *Hæc Auguſtinus Patricius de Græcorum adventu, ſub num.*64.

682 Hujus duplicis Legationis ad tra-
ducendum Græcos ad Concilium meminit
etiam Chalcocondylas lib.6. de Rebus Turci-
cis, poſt initium, licèt falsò ſupponat tunc
Felicem jam à Baſileenſibus in Pontificem
creatum, & ab hoc miſſos Legatos: ,, Ea
,, tempeſtate, *inquit*, Germani Baſileæ erant
,, congregati, diſſidentes ſententiis contra
,, Eugenium Pontificem, quem reprobantes,
,, crearunt Pontificem, nomine Felicem,
,, virum inter ipſos imprimis ſpectatæ pro-
,, bitatis. Hunc Concilii conſenſu Pontifices
,, declararunt. Ambo igitur Pontifices tri-
,, remes inſtruunt, & Joannem Bizantii Re-
,, gem accerſebāt. Uterque enim ſub ſe Con-
,, cilium agitari, & Religionis controver-
,, ſiam, quæ cum Græcis interceſſerat, finiri
,, volebat. Cùm ab utroque veniſſent trire-
,, mes, Rex quidem benignis verbis & placi-
,, dè Concilii Baſileenſis Legationem dimit-
,, tebat: dicens, ſe cum Romanis, & Venetis,
,, & cum reliqua Italia jam ante colloqu-
,, tum, qui omnes ſe Romam proficiſci jubeāt.
,, Aſſumens itaque Bizantii Sacerdotes, &
,, Græcorum ſapientiſſimos, & doctiſſimos,
,, navigabat in Italiam. Cùm veniſſet ad
,, Venetos, inde ſolvens, ferebatur Ferrariam,
,, ubi morari Pontificem Eugenium accepe-
,, rat. *Hæc ille*. Addit Georgius Phrantzes
lib.2. cap. 13. Joannem Imperatorem Græco-
rum receſſum ſuum Turcarum Regi indica-
re voluiſſe, ab illo verò diſſuaſum; nè tale iter
arriperet, invidente Græcorum Latinorum-
que unioni; Hinc timorem, & tremorem
ortum inter Cives, nè Imperatore abſente,
Regia Urbs à Turcis invaderetur; rem verò
in deliberationem adductam, an Turcis obſe-
cundandum fore, an ad Synodum abeundum,
ſtatutum tandem adeundum ad Concilium,
Præſiderariis etiam Pontificiis ad tuendam
Urbem relictis.

683 Verùm ante Græcorum Venetias ad-
ventum, celebrata jam prima Concili Fer-
rarienſis ſeſſione, ut ſupra oſtendimus, Pon-
tifice abſente, idem Pontifex cum univerſa
Curia perſonaliter Bononia ſe Ferrariam
contulit, pervenitque die XXIV. menſis
Januarii, ſummo cum honore, prout decebat,
exceptus. Quæ omnia accuratè deſcribit
Andreas à Sancta Cruce, qui ait: ,, Die Ve-
,, neris XXIV. prædicti mensis Januarii San-
,, ctiſs. Dominus noſter Eugenius Papa IV.
,, de Civitate Bononiensi versùs Civitatem
,, Ferrarienſem veniendo Reverendiſſimo-
,, rum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſię
,, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſ-
,, coporum, Electorum, & aliorum Prælato-
,, rum in multitudine copioſa ſolemniter aſſo-
,, ciatus, Monaſterium Sancti Antonii extra
,, muros applicuit, illudque fęliciter intra-
,, vit. Die Lunæ XXVII. præfati mensis ho-
,, ra XXI., vel quasi, prælibatus Dominus
,, noſter Papa, per Patres & Dominos hujus
,, Sacri Concilii, equitando in Cappis, nec-
,, non Clerus Civitatis Ferrariensis proceſ-
,, ſionaliter cum reliquis, honorificè receptus
,, magnificis viris Dominis Antonio de Pace
,, Decretorum Doctore, & milite Sereniſ-
,, ſimi Domini Dominis Joannis Caſtellæ, &
,, Legionis Regis à dextris, ac Nicolao Mar-
,, chione Ferrarienſi à ſiniſtris, pedes equi
,, ipſius Domini noſtri ducentibus, Civita-
,, tem prædictam fœliciter intravit, ac uſque
,, ad Eccleſiam majorem dictæ Civitatis in-
,, cluſivè aſſociatus fuit. Facta quoque per
,, ipſum Dominum noſtrum ante altare in
,, medio ipſius Eccleſiæ paratum oratione,
,, & dicta collecta, ipſe in quadam Cathe-
,, dra ibidem ſolemniter parata ſe repoſuit,
,, & demùm per Reverendum Patrem Epiſ-
,, copum Forolivienſem ſermonem brevem
,, fecit, atque complevit, quo completo ipſe
,, Dominus noſter, data per eum primitùs
,, benedictione, deinde diſcedens, palatium
ſuum

„ ſuum intravit. *Hæc ille*. Et totidem verbis ex eodem Andrea idem habetur In Actis Concilii Florentini parte 1. apud Labæum pag. 884.

684 Eugenio itaque Ferrariæ morante habita eſt ibi in Cappella Palatii Apoſtolici prima generalis Congregatio, die ſabbati VIII. menſis Eebruarii ejuſdem anni, eodem Sanctiſſimo præſente, qui nonnulla de Baſileenſium geſtis locutus eſt, repilogans quæ hactenus egerant, quibus malis quamprimùm providendum decretum eſt. Die inde Lunę x. ejuſdem menſis, in eadem Cappella, abſente Pontifice, præſidente Domino Jordano Cardinale de Urſinis, per Concilii deputatos celebrata eſt altera Generalis Congregatio, ac in ea primùm regulatus eſt ordo inter Patres ſedendi in Concilio: inde decretum eſt, ut duo Promotores deputentur, duoque alii Notarii addantur pro ſcribendis Concilii Actis: Ut fiat Matricula, in qua nomina omnium Concilii Patrum deſcribantur: ac denique, ut nova fieret Prælatorum vocatio, & iterum ſcriberetur per Provincias Dominis Archiepiſcopis, ut unà cum eorum ſuffraganeis, juxta certum tempus præfigendum, ad Concilium accedere teneantur. Ac proinde die Martis XI. prædicti menſis in alia Congregatione generali habita pariter in Cappella Palatii antedicta, eodem Cardinale Jordano de Urſinis Epiſcopo Sabinenſi Pręſidēte, attenta intimatione facta heſterna die In valvis Palatii Apoſtolici, Eccleſiæ majoris Ferrarienſis, & Monaſteriorum, comparuerunt Domini Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Generales Ordinum, Procuratores Generales eorundem, Magiſtri, & Doctores, qui Ferrariæ præſentes aderant, quibus præſentibus diverſa propoſita fuerunt ſtabilienda, & ordinanda, præcipuèque de modo procedendi contra Baſileenſes, in qua re variæ ac diverſæ fuere Patrum Sententiæ: Dictum tandem fuit Prælatos Baſileenſes incidiſſe nedum in pœnas ſtatutas in Bulla tranalationis Concilii per Eugenium publicata, verùm in pœnas per Sacros Canones latas contra Schiſmaticos: inhibendum eſſe universis Chriſtifidelibus cujuſvis gradus, dignitatis, vel præeminentiæ extiterint, ſub graviſſimis pœnis uſque ad interdictum incluſivè, nè præfatis Baſileenſibus adhæreant, vel favorem, & auxilium præſtent. Ad Reges & Principes confeſtim mittendos Legatos cum Viris doctis, & literatis ad informandum eos de peſſimis Baſileenſium geſtis, & bona juſtitia Domini Papæ: Curandum denique nè pecunia ex largitione fidelium depoſita occaſione reductionis Græcorum, in alium vertatur uſum, & nè ad Baſileenſium manus deveniat. Quæ omnia concordata lecta inde, & publicata ſunt in ſubſequenti Congregatione celebrata die Veneris XIX. ejuſdem menſis, pro quibus firmandis Synodali Decreto, In eadem Congregatione indicta eſt ſolemnis ſeſſio pro die ſequenti.

685 Itaque die ſabbati XV. menſis Februarii, Anni Domini MCCCCXXXVIII. celebrata eſt Ferrariæ ſeſſio II. in Eccleſia majori ejuſdem Civitatis, præſidente eodem Sanctiſſimo Domino Papa Eugenio IV. cui interfuerunt Epiſcopi ſeptuaginta duo inter mitratos, electos, & confirmatos, præter Abbates, Generales Ordinum, Magiſtri, & Doctores in numero copioſo. In qua quidem ſeſſione per D. Aloyſium Epiſcopum Forolivienſem alta & intelligibili voce lectum eſt & publicatum Decretum jam per Patres receptum & concordatum in antefatis Congregationibus, approbatum inde, & confirmatum ab Eugenio Papa, prout in ejus Bulla tenoris ſequentis.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

686 „ Expoſcit debitum paſtoralis Offi-
„ cii, cui Divina favente Clementia, licèt
„ inſufficientibus meritis, præſidemus, ut
„ nefarios malignorum exceſſus, illorum
„ præſertim, qui tranquillum Eccleſiæ ſta-
„ tum in varias periculoſaſque, niſi obvietur,
„ procellas, & perturbationes impellere ſa-
„ tagunt, & Petri naviculam fluctibus mer-
„ gere moliuntur, opportunis remediis op-
„ primamus, ac nè in ſua malitia gloriantes,
„ aliis occaſionem malignandi præbeant, pro
„ exceſſibus per eos commiſſis debitę ultio-
„ nis pœnam infligamus: nam ut canonicæ
„ continent ſanctiones, in culpis, quæ multo-
„ rum trahunt jacturam, culpa eſt relaxare
„ vindictam.

687 „ Sanè, cùm in Sacro Baſileenſi
„ Concilio de loci electione pro futuro œcu-
„ menico Concilio ageretur, & per eos, ad
„ quos poteſtas eligendi locum erat devolu-
„ ta, factum eſſet Decretum, ipſumque Am-
„ baſſiatores chariſſimi in Chriſto Filii Joan-
„ nis Imperatoris Græcorum, & Venerabilis
„ fratris Joſephi Patriarchę Conſtantinopo-
„ litani ibidem exiſtentes, acceptaſſent; aliàs
„ verò Avenionem, vel alium locum nomi-
„ nantibus, ad quem præfati Oratores nullo
„ modo ire velle proteſtabantur, aſſerentes
„ pro certo præfatos Imperatorem & Patriar-
„ cham ad dictũ Concilium, niſi perſonaliter
„ intereſſemus, nullatenus acceſſuros; præ-
„ dicti, qui Avenionem petebant, veriti
„ Græcos ipſos ad eos nequaquam ituros,
„ quoddam Decretum, ſive libellum famo-
„ ſum, quod monitorium appellant, adver-
„ sùs nos, licèt nulliter, & de facto in grave
„ ſcandalum, & ſciſſuram Eccleſiæ, in tam-
„ que ſancti operis, unionis videlicet Græ-
„ corum, perturbationem, conflare temerè
„ auſi ſunt.

688 „ Nos pro unitate Eccleſiæ conſer-

„ vanda, & dicta unione conſequenda, præ-
„ dictum Baſileenſē Concilium ex juſtis, ra-
„ tionabilibus, & neceſſariis ac urgentibus
„ cauſis, de conſilio, & aſſenſu Venerabilium
„ Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccle-
„ ſiæ Cardinalium, quam plurimis Venera-
„ bilibus Fratribus, & dilectis filiis, Archie-
„ piſcopis, Epiſcopis, electis, & Abbatibus
„ apud Sanctam Sedē Apoſtolicam exiſtenti-
„ bus, id laudantibus, & conſulentibus, ad
„ Civitatem Ferrarienſem, & Græcis & nobis
„ accomodam tranſtulimus, prout in literis
„ ſuperinde confectis latiùs continetur. Ipſi
„ verò omnem viam juris ſpernentes, & in
„ ſuo obſtinsto propoſito perſeverantes, lite-
„ raſque dictæ translationis, ac omnia in eis
„ contenta parvipendentes, ac mala malis
„ cumulantes, non ſolùm rationabilem tranſ-
„ lationem noſtram ex prædictis juſtiſſimis,
„ & urgentiſſimis causis, ut præmittitur,
„ factam, non acceptarunt, ſed ut infra cer-
„ tum tempus, & ſub ſuſpenſionis pœna præ-
„ dictam translationem revocaremus mone-
„ re iterum temerariè ſunt auſi: Quod qui-
„ dem nil ſiiud erat, quàm ut tanti ſancti
„ operis, tantùm Chriſtianis omnibus opta-
„ bilis proſecutionem deſerere cogeremus.

„ 689 „ Iis verò non ſine diſplicentia ani-
„ mi noſtri intellectis, cùm ea omnia non ſo-
„ lùm in deſtructionem tam ſancti operis,
„ ſed in manifeſtam Eccleſiæ ſciſſuram, ut
„ præmittitur, tendere videremus, transla-
„ tionem per nos tàm neceſſariò factsm, &
„ conditiones in illa purificatas, ac ipſum
„ Ferrarienſe Concilium inchoari, & legiti-
„ mam proſecutionem habere debere, prout
„ in aliis literis noſtris pleniùs continetur,
„ declaravimus; ad illudque inchoandum di-
„ lectum filium noſtrū Nicolaum tituli San-
„ ctæ Crucis in Hieruſalem Sanctæ Romanæ
„ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem, noſtrum
„ ac Sedis Apoſtolicæ Legatum deſtinavi-
„ mus. Quod quidem non parvo Prælatorum
„ numero legitimè congregatum, in publica
„ ſeſſione translationē & declarstionem præ-
„ dictas legitimss, juſtas, & rationabiles, ac
„ urgente neceſſitate, ad tollendum impedi-
„ mentum præfatæ ſanctiſſimæ unionis Occi-
„ dentalis & Orientalis Eccleſiæ, etiam ad
„ evitandum ſciſſuram in Dei Eccleſia nunc
„ imminentem, pro evidentique utilitate
„ totius Reipublicæ chriſtianæ fuiſſe & eſſe
„ factas, ſolemniter declaravit, prout ex
„ ſerie Decreti ſuperinde confecti liquidè
„ conſtat.

690 „ Interea certiores facti, prædictos
„ Imperatorem & Patriarcham, & Græcos,
„ litoribus Italiæ appropinquare ad ipſum
„ Ferrarienſe Concilium, Deo Duce, ea in-
„ tentione & firmo propoſito venimus, ut
„ non ſolùm hoc ſanctæ unionis opus, ſed
„ illa etiam, propter quæ Concilium Baſileæ
„ fuerat congregatum, realiter & cum effe-
„ ctu, adjuvante Domino, proſequemur.
„ Atque etiam advertens dilectus filius no-
„ ſter Julianus tituli Sanctæ Sabinæ Presby-
„ ter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus,
„ cùm prædictos, ut à tàm manifeſtis ſcan-
„ dalis abſtinerent, plurimis validiſſimis ra-
„ tionibus hortaretur, & pro ipſorum obſti-
„ nata mente nullatenus exaudiretur, ſed eo
„ magis ad ipſa ſcandala in Dei Eccleſia per-
„ petranda paratos inſpiceret, nè illorum
„ impietatibus aſſiſtere videretur, indè di-
„ ſceſſit.

691 „ Illi verò neque id conſiderantes,
„ & neſcientes in ſemitis pacis & juſtitiæ di-
„ rigere greſſus ſuos jamque certiores effecti,
„ Græcos ad eos nullatenus accedere velle,
„ ac litoribus Italiæ appropinquaſſe, in ſua
„ cordis duritie perſeverantes, cùm dictam
„ Græcorum unionem, pro qua nobiſcum
„ totis viribus, ingenio, & induſtria labora-
„ re, & nobis aſſiſtere debuiſſent, aliter im-
„ pedire & diſturbare nequirent, pejora pe-
„ joribus adiicientes, ad tantum temerita-
„ tis & audaciæ ſunt progreſſi, ut nos à Pa-
„ pali adminiſtratione ſuſpenſos eſſe, pluri-
„ mis Regum & Principum Oratoribus, qui
„ Baſileæ erant, tàm nefandum ſcelus exe-
„ crantibus, & in contrsrium proteſtatanti-
„ bus, auſu ſacrilego declarare, & ad alia
„ plura, licèt nulliter, & de facto, proce-
„ dere præſumpſerint.

692 „ Nos igitur attendentes exceſſus
„ eorum adeò notorios, ut non poſſint ali-
„ qua tergiverſatione celari, quodque error,
„ cui non reſiſtitur, approbari videtur, &
„ latum pandit delinquentibus iter, is, qui
„ eorum conatibus non reſiſtit, ac nequeſ-
„ mus abſque gravi offenſa Domini noſtri
„ Jeſu Chriſti, & ſuę Sanctæ Eccleſiæ, tot
„ & tantos exceſſus, qui præſertim ſanctam
„ & optatiſſimam unionem Græcorum im-
„ pedire, turbare & penitus tollere viden-
„ tur, ulterius tolerare, adversùs præfatos
„ in Baſilea exiſtentes, hoc ſacro approban-
„ te Concilio, in virtute Altiſſimi decerni-
„ mus, juſtitia mediante, quantum oporteat
„ procedendum. Quapropter matura delibe-
„ ratione prædictos convenientes, & tàm
„ ſcandaloſa & neſaria præſumentes, etiamſi
„ Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſco-
„ pali, Epiſcopali, Abbatiali, aut alia qua-
„ vis auctoritate Eccleſiaſtica vel ſæculari
„ præfulgeant, pœnas excommunicationis,
„ privationis dignitatum, beneficiorum, of-
„ ficiorum, ac inhabilitationis ad futura, in
„ dictis noſtris literis translationis conten-
„ tas, hoc ſancto approbante Concilio, in-
„ cidiſſe decernimus & declaramus. Decer-
„ nentes, atque etism inſuper declarantes
„ irritum & inane, & nullius roboris vel
„ momenti, quidquid per eos tam circa præ-
„ dicta, quàm Curiam noſtrsm ſequentes,
„ vel in ſacro Concilio exiſtētes à die trans-
latio-

Digitized by Google

„ lationis per nos factæ ſub nomine Concilii,
„ vel alias attentatum fuerit, vel impoſterùm
„ quomodolibet contigerit attentsri.

693 „ Mandantes præterea, ipſo etiam
„ approbante Concilio, ſuh dictis pœnis &
„ cenſuris, ac præſtiti juramenti, quo San-
„ ctæ Sedi Apoſtolicæ tenentur adſtricti,
„ violstione, omnibus & ſingulis Cardinali-
„ bus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſco-
„ pis, electis, Abbatibus, & cæteris cujuſ-
„ cumque conditionis & ſtatus exiſtant, in
„ dicta Civitate Baſileenſi ſub prætextu præ-
„ fati Concilii convenientibus, quatenus in-
„ ſra triginta dies à die datę hujus Decreti
„ debeant realiter, & cum effectu à dicta Ci-
„ vitate Baſileæ receſſiſſe; præcipientesque
„ Magiſtro Civium, Conſulibus, & Scabi-
„ nis Civitatem Baſileenſem regentibus &
„ gubernantibus, cæterisque Officialibus,
„ quocumque nomine cenſeantur, quatenus
„ infra dictum triginta dierum terminum
„ prædictos non recedentes, à prædicta Civi-
„ tate expellant, & à ſe realiter & cum effe-
„ ctu reiicisnt. Quòd ſi prædicta infra dictũ
„ terminum facere omiſerint, omnes & ſin-
„ gulos Regentes & Officiales prædictos ex-
„ communicationis, populum verò & Civi-
„ tatem præfatam Eccleſiaſtici interdicti ſen-
„ tentias ipſo facto incurriſſe: qnorum abſo-
„ lutionem, niſi in mortis articulo, inter-
„ dicti verò relaxationem nobis ſpecisliter
„ reſervamus.

694 „ Omnibus inſuper & ſingulis, ad
„ quorum notitiam hæc pervenerint, in vir-
„ tute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommuni-
„ cationis pœna præcipimus, & mandamus,
„ ut ſi prædicti in Baſilea exiſtentes, Cives-
„ que ipſi non obedientes, fuerint contuma-
„ ces, nullus poſt dictnm terminũ ad dictam
„ Civitatem Baſileenſem sccedat, ſed ipſis
„ denegent mercimonia, & cuncta ad uſum
„ hominum neceſſaria. Mercatores quoque,
„ qui causâ dicti olim Baſileenſis Concilii ibi
„ convenerunt, cujuſcumque conditionis
„ exiſtant, ſub eadem excommunicationis
„ pœns inde omuinò diſcedant. Si qui autem
„ noſtra mandsta contempſerint, elapſo di-
„ cto termino, Baſileenſibus in contumscia
„ exiſtentibns, aliqua poteſtate forſitsn præ-
„ ſumentes, cùm ſcriptum ſit: *Juſti tulerunt*
„ *ſpolia impiorum*, poſſint tales hujuſmodi bo-
„ nis à quibuſcumque Chriſtifidelibus impu-
„ nè ſpolisri, bonaque ipſa priùs capientium
„ Dominio cedant. Verumtamen, quia re-
„ deuntibus gremium ſuum nunquam clau-
„ dit Eccleſia, ſi prædicti in Baſilea conve-
„ nientes, vel ipſorum aliqui infra prædictum
„ terminum triginta dierum à die datæ præ-
„ ſentium, ut præmittitur, ad cor redierint,
„ & à dicta Civitate receſſerint, prædictas
„ pœnas quo ad obedientes, ſacro approban-
„ te Concilio, remittimus & relaxamus, eas-
„ que pro infectis ab eorum data, & quæcum-
„ que inde ſecuta haberi volumus, decerni-
„ mus, & mandamus; ſupplentes, præfato
„ approhante Concilio, omnes defectus, ſi
„ qui forſitan ex ſolemnitate jurium in præ-
„ miſſis, vel ex omiſſione aliqua interveniſ-
„ ſent.

695 „ Nulli ergo hominum liceat hanc
„ paginam noſtræ conſtitutionis, declaratio-
„ nis, mandati, remiſſionis, & relsxationis,
„ voluntatis, ſuppletionis, & Decreti Sy-
„ nodalis infringere, vel ei auſu temerario
„ contraire. Si quis autem hoc attentare
„ preſumpſerit, indignationis Omnipotentis
„ Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſto-
„ lorum ejus, ſe noverit eſſe incurſurum.
„ Datum Ferrariæ in Generali ſeſſione Syno-
„ di ſolemniter celebrata, Anno ab Incarna-
„ tione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſi-
„ mo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo,
„ quintodecimo Kal. Martii, Pontificatus
„ noſtri Anno Septimo. *Hactenus Bulla*:
Cujûs data, ut ſupra meminimus, ex
ſtylo Romanæ Cancellariæ, Annum indicat
XXXVII. cùm ſecundùm vulgatum compu-
tum ſit XXXVIII. *Hactenus geſta Concilii*
Ferrarienſis ante Græcorum adventum.

696 Inter hæc Imperator Græcorum, Pa-
triarcha, & alii Græci cum Eugenii & Apo-
ſtolicæ Sedis Legatis Venetias applicuerunt
die IX. ejuſdem menſis Februarii: de cujus
adventu Andreas à S. Cruce Patricius Roma-
nus & Apoſtolici Conſiſtorii Advocatus in
ſuis diſputationibus, ſive collationibus in modũ
Dialogi confectis cum Ludovico Pontano,
collatione prima hæc ſcribit: „ Nona Februa-
„ rii die, Anno MCCCCXXXVIII. magno
„ cum Campanarum pulſu Græci Venetiis
„ recepti ſunt, Duce, Venetorumve Civibus
„ Dominio præſidentibus, in navi, quam Bu-
„ centaurum nominant, obviam euntibus,
„ in quam Imperatore recepto, ad Palatium
„ ſibi diſpoſitum conduxere. Veniebant nam-
„ que, ut aſſerebatur, omni dimiſſa crudeli-
„ tatis pertinacia, ut veritatem cognoſcerent;
„ meritoque plaudendum fuerat: *Hæc ille*.
Cæterùm de apparatu, magnificentia, & ho-
nore, quibus Græcorum Imperator à Venetis
exceptus fuit, fusè ſcribit auctor Græcus re-
latus à Binio in antecedentibus, ſive prælu-
diis ad Florentinam Synodum, & poſt Binium
Labæus tom. 13. pag. 6. Ingreſſi porrò Impe-
rator & Patriarcha in Civitatem Venetiarum,
cùm accepiſſent Ferrariæ eſſe Synodum con-
gregatam, ibique adeſſe Eugenium, plurimùm
lætati, Oratores deſtinsrunt ad ipſum Pontifi-
cem: „ Imperator & Patriarcha (*inquit An-*
„ *dreas à S. Cruce*) Græcorum, primo eorum
„ ingreſſu, ex Venetiis ad Summum Pontifi-
„ cem Oratores deſtinarunt, Sæculares tres,
„ Abbates duos, qui XX. Februarii Pontifi-
„ cem adierunt, data eis licentia publicè diſ-
„ ſerendi, ſæculares convenienter Summi
„ Pontificis in acceſſu genuflexi ſunt, Clerici
ve-

„ verò curvato capite , aliam reverentiam
„ non exhibuerunt . Expoſuerunt Imperato-
„ rem & Patriarcham ad nutum ſuæ Sancti-
„ tatis veniſſe , illicòque pauſa ex longo iti-
„ nere ſumpta , adventuros .

697 Scribit idem Auctor, Pontificem cùm primùm accepiſſet Græcos Venetias appuliſſe, miſiſſe Cardinalem Sanctæ Crucis , ac Marchionem Ferrarienſem ad eos excipiendos , adveniſſe etiam Cardinalem S.Sabinæ, cognominatum S. Angeli , qui Baſileenſi Concilio præfuerat , licèt poſt præfatorum Cardinalis & Marchionis adventum . De hujus tamen Cardinalis cum Baſileenſibus geſtis , audito , quòd jam Imperator & Patriarcha cum Apoſtolicæ Sedis Legatis è Græcia , ſolviſſent , præſtat audire Auguſtinum Patricium §.64. in ſua de Concilio Baſileenſi & Florentino Hiſtoria ; ait namque : „ Græci verò cum
„ Imperatore, Patriarcha & aliis Patribus ad
„ VIII. Kalendas Decembris cum novem tri-
„ remibus iter ingreſſi ſunt , Venetiaſque
„ tandem appulerunt ad VI. Idus Februarii .
„ Quod cùm Baſileæ renunciatum eſſet, illos
„ ſcilicet è Græcia ſolviſſe cum Legatis Pa-
„ pæ , variæ inter Patres ſententiæ , multæ-
„ que contentiones agitabantur . At Julianus
„ Cardinalis Legatus Apoſtolicus convoca-
„ tis Patribus longa & ardenti oratione pri-
„ mùm hortatur Patres , ut dimiſſis odiis at-
„ que contentionibus , Græcis jam jam La-
„ tinorum terras appetentibus obviam irent ,
„ & quos .tantoperè abſentes optaverant ,
„ nunc præſentes non ſpernerent , mitterent
„ Legatos ſuos, qui eos, ſi poſſent, Baſileam,
„ Avenionem , Sabaudiamvè perducere cu-
„ rarent . Quod ſi non perſuaderent,agerent
„ cum eis de loco Concilii , itaut Græcos
„ non propter locum , ſed locum propter
„ Græcos amare videantur , Eugenio Ponti-
„ fici reconciliarentur , nè venientibus Græ-
„ cis ludibrio eſſent , ut qui aliorum concor-
„ diam quærerent , inter ſe diviſi reperiren-
„ tur . Placere Eugenio , ut Sigiſmundi Cæ-
„ ſaris arbitrio cuncta componantur . Nefas
„ eſſe Patribus talem arbitrum recuſare ,
„ cum Cæſar præcipuus ſemper auctor , fau-
„ torque Concilii fuerit. Tolletur à Patribus
„ Monitorium , tollet & Eugenius transla-
„ tionem Concilii,promittetque Decretorum
„ Concilii obſervationem ; ſi talia fuerint ,
„ quæ & reformationi , & honori Sedis Apo-
„ ſtolicæ conſulant . Sed obſtinatis animis
„ fruſtrà narrabatur fabula . Perſtant in ſen-
„ tentia Baſileenſes , & niſi in loco à ſe dele-
„ cto non videntur paſſuri , Concilium cele-
„ brari . *Hæc Auguſtinus Patricius*: qui §.69. tradit, ipſum Græcorum Imperatorem per literas ex Venetiis hortatum Baſileenſes , ut Ferrariã ad Concilium ſe conferrent: „ Græ-
„ corum Imperator , *inquit* , Baſileenſibus ex
„ Venetiis ſcripſit , ſe in Italiam veniſſe , ut
„ impleret promiſſa pro unione , & cùm ipſi
„ non ſatisfecerint conventis , ſe pro œcu-
„ menico Concilio celebrando Ferrariã peti-
„ turum : hortaturque Patres , ut illuc ad
„ Concilium ſe conferant . *Hactenus ille* .

698 Die porrò XXVIII. Februarii Imperator exivit Venetiis navigans per Padum fluvium uſque Francolinum , exinde magno cum comitatu per terram venit Ferrariam , ingreſſus in eam Urbem die IV. menſis Martii,ut notat præfatus Andreas de Sancta Cruce , ſcribens : „ Quarto Martii Græcorum
„ Imperator Ferrariam magno cum Equitum
„ apparatu ingreſſus eſt.Occurrerunt ei Car-
„ dinales obviam omnes , qui tunc Ferrariæ
„ erant extra Civitatem , cum magno Præla-
„ torum comitatu , ſub Pallio aureo ductus
„ eſt ad Palatium Apoſtolicum , & equeſter
„ uſque ad Papæ Cameram , viâ ad hoc in
„ Palatio Ferrarienſi per Marchiones anti-
„ quitùs conſtructâ , exhibitâque Romano
„ Pontifici reverentiâ debitâ , ad Palatium ,
„ Paradiſus cognominatum , pro ſui reſiden-
„ tia diſpoſitum , ſimili pompa aſſociatus eſt.
„ *Hæc ille* .

699 Poſt Imperatorem ſecutus eſt Patriarcha, qui Venetiis remanſerat, totum iter per aquam conficiens , pervenitque Ferrariam die octava ejuſdem menſis Martii : „ Octavo
„ ejuſdem, *ſubjungit Andreas*, applicuit cum
„ ſuorum Clericorum conſortio , per Padum
„ in navi veniens, Civitatiq; appropinquans ,
„ & cum magnus Archiepiſcoporum & Epi-
„ ſcoporum cœtus , & Curialium cæterorum
„ extra Civitatem, ut eum reciperent , fuiſſet
„ egreſſus , eumque diutiùs expectaſſent ,
„ Marchione Ferrarienſi & filio ad eum ac-
„ cedentibus ad navim, in qua venerat, com-
„ pertum eſt voluiſſe , ut Sanctæ Romanæ
„ Eccleſiæ Cardinales eidẽ occurrerent . Die
„ illo his vigentibus , ex navi, qua venerat ,
„ non deſcendit , ibidemque pernoctavit no-
„ cte illa . In diluculo diei ſequentis , requi-
„ ſitis Curialibus ſpeciali Nuncio , ad Por-
„ tum , quo naves Ferrariam applicant , Cu-
„ rialium quiſque equeſter acceſſit , duo
„ Cardinales juniores Diaconi , Proſper de
„ Columna tituli Sancti Georgii ad Velum
„ Aureum , & Firmanus Sanctæ Mariæ in
„ Via lata pariter acceſſerunt Pontificis juſ-
„ ſu;Equitantibus Patriarcha & Græcis aliis,
„ Cardinales ei occurrerunt obviam , nulla-
„ que ad invicem inclinatione facta , nec al-
„ ter alteri pileum flectens, Dominus de Co-
„ lumna , qui ex eis duobus ætate minor ,
„ dignitatis tamen adeptione major Colle-
„ ga , Patriarchæ ſic inquit : *Reverendiſſime*
„ *Pater* , *Dominus noſter Papa miſit nos* , *ut*
„ *aſſociaremur Paternitatem veſtram* . Eoque in medio ſumpto , ad Palatium Apoſtolicum conduxere . Deſcribit inde idem auctor quomodo Patriarcha fuit à Pontifice exceptus , ordinemque ſervatum in diſponendis ſedilibus in Eccleſia , cæteraque omnia, ad præfatũ

Con-

Concilium cum Græcis proſeqnendum, neceſſaria.

700 Cunctis itaque diſpoſitis pro Concilii proſecutione, die IX. menſis Aprilis in majori Eccleſiæ Ferrariæ, eodem Anno MCCCCXXXVIII. Indictione I. celebrata eſt ſeſſio prima cum Græcis, ſed ab inchoatione ipſius Concilii III. cui interfuerunt ex Latinis Patres centum ſexaginta, ex Græcis verò Legati trium Eccleſiarum Patriarcharum Orientis, nimirum Archiepiſcopus Epheſinus Patriarchæ Antiocheni Legatus, Archiepiſcopus Moneſienſis Legatus Patriarchæ Hieroſolymitani, & pro Patriarcha Alexandrino Archiepiſcopus Heracleenſis: adfuit & Apocriſiarius Regis Iberiæ, nimirum ipſe Iberius Metropolita: Cæteri Archiepiſcopi, qui pariter ex Græcia interfuerunt huic ſeſſioni fuere numero XV. Abbates verò, & Monachi plures. Cùmque Patriarcha, infirmitate detentus, perſonaliter minimè adeſſe potuiſſet, conceſſit ſuis, ut intereſſent, dato in ſcriptis ſequenti mandato in publica ſeſſione à quodam Presbytero Græco, primùm in Græco, inde in Latino ſermone recitato, videlicet:

Joſeph miſeratione Dei Archiepiſcopus Conſtantinopolitanæ novæ Romæ.

701 ,, Cum gratia & beneplacito ejus,
,, qui omnia in meliùs diſponit Dei, deſide-
,, rio divinitùs veniens noſtras mentes com-
,, muni intentione poſſideat, aſtantibus Oc-
,, cidentalibus & Orientalibus Eccleſiæ Pon-
,, tificibus, ut omni poſſibili verbo, atque
,, rationabili modo ſacris Scripturis ac divi-
,, nis eloquiis pridem edocti, ſine ulla lite,
,, atque contentione de propoſita quæſtione
,, cum Dei timore ſcrutari poſſimus, atque
,, alterutri convenientes ſecundùm unam Dei
,, voluntatatem, ſuperante veritate uniamur,
,, jam res in hanc negotii ſummam acceſſit,
,, ut nos Orientalis Eccleſiæ, veritatis mani-
,, feſtationem omnibus noſtris periculis præ-
,, ferentes, hùc Deo volente, acceſſerimus;
,, decet nunc rebus principium dare, cujus
,, illud principium eſt, ut Synodus pronun-
,, tietur, cui etiam me cum cæteris Sanctis,
,, & Fratribus meis Pontificibus intereſſe de-
,, cebat, cùm non eſſet conveniens, neque
,, juſtum me abſente vel Pontifices illùc ac-
,, cedere, vel Synodum pronunciare. Sed cùm
,, ægritudo corporis prohibeat, nec ſinat, ut
,, ego adeſſe poſſim, jam per hanc adhortato-
,, riam literam, concedo Reverendiſſimis Pa-
,, tribus Locumtenentibus Sanctiſſimorum
,, Patriarcharum Fratrum meorum, & om-
,, nibus in Spiritu Sancto dilectis Fratribus
,, meis & coadminiſtratoribus Metropolitis,
,, & cæteris Prælatis Eccleſiæ adire in præ-
,, ſentiarum, & perficere œcumenicæ Synodi
,, pronuntiationem. Hujus gratia & præſens
,, exhortatoria litera noſtræ humilitatis ab-
,, ſoluta eſt omnibus vobis, ad prædictorum
,, omnium manifeſtationem & certitudinem.

Hactenus mandatum Patriarchæ. Deinde Eugenius Papa, qui huic ſeſſioni præfuit perſonaliter, approbante Imperatore Græcorum, Legatisque Patriarcharum Orientis, ac cæteris Patribus eidem ſeſſioni intereſſentibus, declaravit, & pronunciavit Ferrariæ celebrari & legitimè congregatum eſſe œcumenicum & generale Concilium pro unione cum Græcis facienda, & ad alia perficienda, quæ Baſileæ erant incepta: publicato ejuſdem Domini Papæ Decreto per Epiſcopum Portugalenſem, tenoris, qui ſequitur.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

702 ,, Magnas Omnipotenti Deo gratias
,, referre nos convenit, qui antiquæ miſera-
,, tionis ſuæ non immemor, Eccleſiam ſuam
,, fæcundioribus ſemper accumulat incre-
,, mentis: & licèt hanc jactari interdum ten-
,, tationum & preſſurarum fluctibus ſinat,
,, nunquam tamen patitur mergi, ſed inter
,, undarum moles inviolabilem ſervat, facit-
,, que ineffabili clementia ſua, ut inter an-
,, guſtias varias robuſtior illa ſemper aſſur-
,, gat. Ecce enim Orientales & Occidentales
,, populi diù ab invicem ſeparati, unum con-
,, cordiæ & unitatis fœdus inire feſtinant; &
,, qui longo à ſeipſis diſſidio avulſos, ut
,, æquum erat, moleſtè ferebant, poſt multa
,, tandem ſæcula, ipſo utique auctore, à quo
,, omne datum optimum provenit, ſanctæ
,, unionis deſiderio corporaliter in hoc loco
,, convenerunt. Noſtrum autem & totius Ec-
,, cleſiæ munus eſt, & eſſe intelligimus, viri-
,, bus omnibus eniti, ut hæc fœlicia cœpta
,, jugi ſolicitudine fœlicem progreſſum exi-
,, tumque conſequantur, ut cooperatores
,, Dei, & eſſe & dici mereamur. Denique
,, chariſſimus filius Joannes Palæologus Ro-
,, mæorum Imperator, unà cum Venerabili
,, Fratre Joſepho Conſtantinopolitano Pa-
,, triarcha, & aliarum Patriarcharum Sedium
,, Apocriſiariis, magnaque cum Archiepi-
,, ſcoporum & Eccleſiaſticorum, Nobilium-
,, que multitudine, octava Februarii menſis
,, proximè præteriti, Venetias, ad ultimum
,, ſcilicet applicuit Portum, ubi ſicut antea
,, ſæpius fecerat, Baſileam juſtis de cauſis,
,, ratione œcumenici ſeu univerſalis Concilii
,, celebrandi, ſe ire non poſſe patenter ex-
,, preſſit; idque Baſileæ congregatis, per lite-
,, ras intimavit, exhortans atque requirens
,, omnes, uti Ferrariam ad hujuſmodi Con-
,, cilium celebrandum electam pro agendo
,, tum ſanctiſſimo hujus unionis opere, ſe ſe
,, transferrent. Nos itaque quibus hæc ſa-
,, cratiſſima unio ſemper cordi fuit, quique
,, hanc ſummo ſtudio perfici cupimus, De-
,, cretum Baſileenſis Concilii cum Græcis

ipſis

,, ipſis conventum, electionemque loci pro
,, œcumenico celebrando Concilio in eadem
,, Baſileenſi Synodo factum, ac per nos poſtea
,, Bononiæ, inſtantibus ipſorum Imperato-
,, ris & Patriarchæ Nunciis, confirmatam,
,, & quæque alia ad ipſum ſanctæ unionis
,, opus ſpectantia, ut eſt officii & debiti no-
,, ſtri, exequi diligenter intendimus. Omni
,, igitur modo & forma, quibus meliùs poſ-
,, ſumus, decernimus, & declaramus, acce-
,, dente conſenſu dictorum Imperatoris, &
,, Patriarchæ, omniumque in præſenti exi-
,, ſtentium Synodo, ſacram eſſe univerſalem
,, ſeu œcumenicam Synodum, in hac Ferra-
,, rienſi Civitate omnibus liberam & ſecu-
,, ram, ſicque dictam Synodum ab omnibus
,, reputari debere, in qua ſine ulla rixoſa de-
,, tentione & pertinacia, atque cum omni
,, charitate ſacrum hoc unionis negotium
,, tractandum, & Deo propitio, ut ſpera-
,, mus, fœlici fine claudendum eſt, unà cum
,, ſanctis operibus reliquis, ad quæ peragen-
,, da Synodus iſta noſcitur inſtituta. Datum
,, Ferrariæ in Generali ſeſſione Synodali in
,, Eccleſia majori Ferrarienſi celebrata, An-
,, no Incarnationis Dominicæ milleſimo qua-
,, dringenteſimo trigeſimo octavo, quinto
,, Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno
,, Octavo. *Hactenus Decretum*, quo ſic pu-
blicato dimiſſa eſt ſeſſio.

703 Cæterùm, hac abſolutâ ſeſſione, ſiluit Concilium uſque ad menſem Octobris, interea nulla publica habita ſeſſione, ſolùmve in privatis diſputationibus inter ſelectos ex Latinis, & Græcis ſuper controverſis articulis, tempus elapſum, nimirum, an Spiritus Sanctus procedat etiam à Filio: An ſit, vel detur Purgatorium: An Animæ ſanctæ ante Judicii diem ſint Dei faciem viſuri, in peccatis verò decedentes, puniantur in Inferno. Item dato etiam, quòd Purgatorium ſit, an ibi reverà ſit ignis, & Animæ igne materiali puniantur; ac denique de poteſtate Romanæ Eccleſiæ, vel Romani Pontificis; & an Eucharistia confici debeat in azymo, vel fermentato, ſelecti ad diſputandum ſuper prædictis fuere ex Latinis ſexdecim Viri docti de Regularium, & Sæcularium numero, totidemque Græci, qui certis diebus in Eccleſia Fratrum Minorum ad diſputandum conveniebant; ac ita in hujuſmodi privatis diſputationibus elapſum eſt præfatum tempus, ab hac ſeſſione ad menſem uſque Octobris, prout fati ſumus.

CAPUT XII.

De Baſileenſium geſtis poſt inchoatum Concilium Ferrarienſe.

704 AUguſtinus Patricius, relatis geſtis per Eugenium in prima, & inde ſecunda ſeſſione Concilii Ferrarienſis, §.69. ſtatim ſubnectit: ,, Hæc, ubi decreta
,, ſunt, & per Provincias Baſileæ vicinas li-
,, teris Pontificis divulgata, plures Baſileam
,, petentes, aut hinc inde Concilii gratiâ
,, diſcurrentes ſunt capti; & Stephanus Dux
,, Bavariæ, & alii nonnulli bellum Baſileen-
,, ſibus nunciarunt. *Hæc ille*. Hujuſmodi tamen Ducis Bavariæ minas non attendentes, immò parvipendentes, proceſſerunt ad celebrandam publicam & ſolemnem ſeſſionem, licèt ſine legitimis Præſidentibus, quæ fuit xxxii. habita die xxiv. menſis Martii, eodem Anno MCCCCXXXVIII. in qua omnia geſta, acta, & decreta per Dominum Eugenium Papam in præfato Concilio Ferrarienſi, quod conventiculum appellant, caſſantur, annullantur, & irritantur, impoſitis pœnis, ac decretis cenſuris contra ſequentes Eugenium, vel eidem Ferrarienſi Concilio adhærentes, ſtatuendo, & decernendo, ut infra.

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu Sancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

705 ,, Pridem in Decreto vigeſimæ nonæ
,, ſeſſionis hujus Sanctæ Synodi, quod inci-
,, pit, *Compatiens*, lucidè extitit declaratum,
,, diſſolutionem hujus ſanctæ Synodi, &
,, tranſlationem ejus in Civitatem Ferra-
,, rienſem per Dominum Eugenium Papam
,, Quartum de facto attentas, tam in eo ca-
,, ſu, quo contra ipſum virtute citatorii in
,, noſtra xxvi. ſeſſione publicati, aut contra
,, quempiam Præſidentium in Concilio Ora-
,, torum ſuorum in aliquo procederetur,
,, quàm in eo caſu, quo Græcos contingeret
,, advenire, nullas eſſe, penitùſque irritas &
,, inanes, hujuſmodi diſſolutionem, & tranſ-
,, lationem repugnare veritati declaratæ per
,, ſacram Synodum Conſtantienſem, dicen-
,, ti, quòd generale Concilium, univerſalem
,, Eccleſiam militantem repræſentans, pote-
,, ſtatem à Chriſto immediatè habet, cui qui-
,, libet, cujuſcumque ſtatus & dignitatis fue-
,, rit, etiamſi Papalis, obedire tenetur in
,, his, quæ pertinent ad fidem, extirpatio-
,, nem ſchiſmatis, & generalem reformatio-
,, nem Eccleſiæ in Capite, & in membris;
,, quòdque ſi in his, & pertinentibus ad ea,
,, obedire contumaciter contempſerit, con-

di-

,, dignæ pœnitentiæ ſubjiciatur. *Et plurimis enarratis, quæ per Eugenium, & ipſum Concilium Baſileenſe hactenus acta fuerant, ſubnectitur.*

706 ,, Cùm itaque ea nulla eſſe, & pe-
,, nitùs invalida, quæ Dominus Eugenius
,, adversùs hanc ſanctam Synodum, in ipſius
,, prætenſa diſſolutione, & translatione in
,, Ferrariam, notoriè conſtet, ipſumq; con-
,, venticulum Ferrarienſe non fore Conci-
,, lium, ſed ſchiſmaticorum conventiculum,
,, dudùm præfato Decreto XXIX. ſeſſionis hu-
,, jus ſanctæ Synodi declaraverimus, meri-
,, toque pœnam ſuſpenſionis ab adminiſtra-
,, tione Papali in ſpiritualibus & temporali-
,, bus jam dudùm contra Romanum Pontifi-
,, cem, Concilium univerſale ſine ipſius con-
,, ſenſu diſſolvere, aut transferre attentan-
,, tem, ordinatam, in ipſum Dominum Eu-
,, genium tulerit, & latam eſſe declaraverit
,, hæc ſancta Synodus, ac etiam quaſcumque
,, ſententias, pœnas, & cenſuras, excommu-
,, nicationis, privationis, inhabilitationis,
,, interdicti, & alias contra hujus ſanctæ Sy-
,, nodi ſuppoſita, & eidem adhærentes, per
,, ipſum Dominum Eugenium latas, & feren-
,, das, caſſas & nullas fuiſſe, & eſſe declara-
,, verimus, non neceſſe arbitramur, ut de-
,, nuò ad ea caſſandum & irritandum proce-
,, damus, quæcumque per ipſum Dominum
,, Eugenium, aut præfatum Ferrarienſe con-
,, venticulum facta ſunt adversùs eandem
,, Synodum, quæcumque ejus ſuppoſita, &
,, quoſcumque ipſis adhærentes, etiam ante
,, ipſius Domini Eugenii ſuſpenſionem ab
,, adminiſtratione Papali, & quæ durante
,, ipſius ſuſpenſione, aut præfato conventi-
,, culo facta ſunt, fiunt, aut fient infuturum,
,, in quibuſcumque per ipſum, videlicet Do-
,, minum Eugenium, ratione Papatus, aut
,, ipſum conventiculum ſub generalis, aut
,, œcumenici Concilii nomine, qui etiam vi-
,, ctualia ſuppoſitis hujus ſanctę Synodi au-
,, ferri, & portantes ea ſpoliari, eorumque
,, ſpolia primo capientium occupanti cedere
,, mandavit: quæ quàm gravia ſint adversùs
,, univerſalem Eccleſiam, & quanta repre-
,, henſione digni ſint, qui talia agunt, cuncti
,, conſpicere poſſunt.

707 ,, Nos quoque omnibus & ſingulis
,, manifeſtantea veritatem, declaramus om-
,, nia prædicta per ipſum Dominum Euge-
,, nium, aut ipſum conventiculum facta, &
,, facienda, etiam contra dilectos Eccleſiæ
,, Cives Baſileenſes, & eorum Civitatem,
,, nulla penitùs, caſſa, & irrita fuiſſe, & eſſe,
,, nec aliquem ipſius Domini Eugenii, præ-
,, fatique conventiculi præceptis, mandatis,
,, aut prohibitionis, etiam prætextu cujuſ-
,, cumque juramenti, aut obligationis, in
,, quibuslibet teneri obedire, imò potiùs ad
,, non obediendum illis omnes & ſingulos
,, catholicos ex præcepto Domini, & Eccle-
,, ſiæ Sponſæ ejus, quam ab omnibus auditi
,, jubet eſſe adſtrictos &c.

708 ,, Inſuper, quoniam in ſupradicto
,, Decreto ſeſſionis noſtræ XXIX. pœnas, &
,, cenſuras juſtiſſimas promulgavit hæc ſan-
,, cta Synodus adversùs omnes, qui ad præ-
,, fatum conventiculum Ferrarienſe accede-
,, rent, aut mitterent, præcepitque ſub eiſ-
,, dem pœnis & cenſuris omnibus & ſingulis
,, in Curia, quam Dominus Eugenius quon-
,, dam tenebat, aut etiam actu de facto te-
,, net, exiſtentibus, ut ſi conventiculum Fer-
,, rarienſe per eum erigi contingeret, ab ejus
,, Curia recederent, & deinceps declarata
,, ſuſpenſione ipſius ab adminiſtratione Pa-
,, pali, etiam ſub pœnis & cenſuris in De-
,, creto noſtræ XXIX. ſeſſionis contentis, man-
,, davimus, ut infra quadraginta dierum ſpa-
,, tium ab eadem Curia recederent; ideò
,, omnes, & ſingulos in conventiculo Ferra-
,, rienſi, aut prætenſa ipſius Domini Euge-
,, nii Curia exiſtentes, & in prædictis no-
,, ſtris Decretis comprehenſos, qui eorun-
,, dem Decretorum monitionibus non pa-
,, ruerunt, citat hæc Sancta Sedes, ut tri-
,, geſimo die à data præſentis Decreti com-
,, putando, in noſtra Generali Congregatio-
,, ne (ſi tunc eam celebrari contingat) alio-
,, quin in proxima ſubſequente compareant
,, coràm eadem Sancta Synodo &c. Datum
,, in ſeſſione noſtra publica, in majori Eccle-
,, ſia Baſileenſi ſolemniter celebrata, IX. Ka-
,, lendas Aprilis, Anno à Nativitate Domini
,, MCCCCXXXVIII.,,

709 Interea contigit, ut Sigiſmundus Imperator die XI. Maii ejuſdem Anni, obiret, cui in Imperio & Regno ſucceſſit poſtea Albertus Dux Auſtriæ: Hinc Principes, & Imperii Electores, poſt præfati Imperatoris obitum, Legationem deſtinarunt ad Eugenium Papam, qui, ut præmiſimus, Ferrariæ cum Græcis œcumenicum Concilium jam inchoaverat: petebant ergò præfati Principes ab Eugenio, ut pro unione, & pace Eccleſiæ pateretur alium locum eligi pro œcumenico Concilio, & contra Baſileenſes nihil ampliùs innovaret: Cui petitioni reſpondit Eugenius, Concilium Ferrariæ eſſe legitimè inchoatum, & à Gręcis approbatum, proinde rebus agendis, & publicæ utilitati non videri expediens illud transferri in alium locum: His tamen non obſtantibus, ſe velle expectare Alberti novi Cæſaris Legatos, & aliorum quamplurimorum Regum, ac Chriſtiani Orbis Principum, quorum conſilio & auctoritate hanc rem pertractare velle. Interea ſe rogare præfatos Electores Principes, ut in aliquo Germaniæ Nationis loco convenirent cum Cæſare ad conventum celebrandum, ad quem, & ipſe Legatos ſuos mitteret, qui optimam ejus mentem ad pacem & unionem Eccleſiæ efficacem ac diligentem operam ad unionem cum Græcis navandam; juſtitiam ac inno-

Digitized by Google

centiam ſuam in adminiſtratione Pontificatus, & Baſileenſium injurias, ac falſas calumnias omnibus planè oſtenderent, cum plena tamen poteſtate Cæſaris, & Principum arbitrio conveniendi cum Patribus, qui Baſileæ remanſerant, ſive etiam, ſi Reipublicæ conducere videretur, alium locum nominandi pro Concilio univerſali. Contra Baſileenſes verò ſe nihil innovaturum, dummodò & interim ipſi quieſcerent, reſpondit, aliàs ſe proteſtari coràm Deo, & hominibus, per ſe non ſtare, quin pax & unitas in Eccleſia Dei perſeveret.

710 Hac Eugenii reſponſione ſatisfacti receſſerunt Legati univerſa Principibus Electoribus renunciantes: Illi verò ſtatim eoſdem ad Baſileenſes miſerunt, orantes, ut proceſſum contra Papam tamdiù prorogarent, ut interea de Concordia tractari poſſet; Hac audita poſtulatione, ſelecti ſunt à Baſileenſibus quinquaginta viri, ad diſcutiendum, videndumve, hac in re quid agendum. Nonnulli, & quidem primiores re diſcuſſa, cenſuerunt ad tres menſes ſuperſedendum à toto proceſſu, nec omninò aliquid contra Eugenium interim faciendum. At Cardinalis Arelatenſis, in eam deſcendit ſententiam, ſuperſedendum utique à ſententia depoſitionis ad id tempus, interim tamen neceſſe eſſe, ut teſtium depoſitione criminationes Eugenii approbarentur, nè diutiùs de ſua innocentia gloriari poſſet Eugenius; nevè Patres falſam calumniam ei ingeſſiſſe arguerentur. Poſſe tamen interea per Principes agi de Concordia.

711 Cæterùm Germani Principes neutralitatem quamdam per ſex menſes inſtituerant, ſtatuentes ſe, & Provinciales ſuos omnia Decreta alterius partis contra alteram partem non ſuſcipere: venerarique, & Eugenium Pontificem, & Concilium Baſilenſe, velleque uſque ad ſextum menſem deliberare, cui parti ſit adhærendum. Interea tamen proteſtari ſe non ab obedientia, & reverentia Sedis Apoſtolicæ. Albertus tamen Cæſar Legatos inſtituit, qui vices ſuas in Baſileenſi Concilio gererent, eoſdem quas Sigiſmundus elegerat, nimirum Epiſcopum Lubecenſem, & Georgium Viſchel: Inſuper, & Concilium Baſileenſe approbavit, & fidem publicam à Sigiſmundo Patribus datam, ſecuritatemque innovavit, ac juſſit Conciliares omnes per totam Germaniam ſalvos eſſe. At Patres pecunias ex Indulgentiis in Auſtria pro Græcorum adventu collectas illi conceſſerunt: poſtulatos inde ab iiſdem Baſileenſibus, ut juberet Decreta Concilii contra Eugenium per Germaniam obſervari: reſponſum fuit, eos præſtolari oportere conventum ad feſtum Divæ Margaritæ indictum, in quo ipſe cum Principibus ſtatueret quid agendum eſſet pro utilitate publica. Prædicta poſtea die celebratus eſt Principum conventus Nurimbergæ, cui interfuerunt Baſileenſium Legati, qui rogati, ut Patres Baſileenſes permitterent Principum arbitrio, & interventione pacem componi inter ſe, & Pontificem, reſponderunt id neque fieri poſſe, neque juſtum videri, quoniam non licerèt ſæculares Principes de rebus Eccleſiaſticis judicare, neque eſſe utile Reipublicæ, ut Principes videantur legem præſcribere Concilio Generali, & Romano Pontifici. Poſtulantibus iterum Principibus, ut ad alium conventum celebrandum ad feſtum Sancti Galli, Legati Pontificis, & Concilii Baſileenſis cum plena concordandi poteſtate adeſſent: à Legatis Baſileenſium hoc pariter negatum omninò fuit, quamvis Principes aſſererent, non Judicis, ſed mediatorum, & Procuratorum pacis officio functuros.

712 Adveniente inde tempore præfixo ad probandas Eugenii criminationes, in eodem Baſileenſi Concilio magna exorta eſt concertatio: quoniam qui in Congregatione habita IV. Kal. Maii, quando propoſita fuerat controverſia, an admittendæ eſſent criminationes contra Eugenium, non eſſe admittendas omninò faſſi fuerant, à congreſſu quoque proteſtando recedentes, illi iidem contradixerunt, conſtanter affirmando, Eugenium non vocandum, nec citandum, productis Principum literis petentium, ut ab hujuſmodi actu ſe abſtinerent. Hi erant Hiſpaniæ, Aragonum, & Navarræ Regum Legati, ac etiam Ducis Mediolanenſis Archiepiſcopus quoque Mediolani, & Barchinonenſis Eccleſiæ Præſul, necnon & Cardinalis Tarraconenſis, qui proteſtati ſunt, neque ſe, neque Principes Provincialeſvè ſuos in eam rem conſentire: Sed his non obſtantibus vocatus eſt Eugenius per edictum, ut infra dicemus, & uſque ad depoſitionem, & electionis in Schiſmate novi Pontificis proceſſum eſt.

CAPUT XIII.

De publicis ſeſſionibus cum Græcis Ferrariæ habitis; & Concilii tranſlatione ad Civitatem Florentiæ.

713 Interea Ferrariæ, & ſi non publicè ſeſſiones, habebantur tamen, ut præfati ſumus privatæ, Latinos inter & Græcos diſputationes; conveneruntque diverſis diebus ad tractandum quæſtionem de Igne Purgatorii: incipientes die IV. menſis Junii, ubi Latini propoſuerunt, Purgatorium ignem eſſe, hoc eſt, in præſenti ſæculo purgari animas peccatorum per ignem, peccata habentium venialia, adjuvante etiam Eccleſia per Sacerdotum preces: illas porrò animas per ſacrificia quoque & eleemoſynas liberari à pœnis. Sanctorum verò ac juſtorum animas eſſe in Cœlo, illaſque ſine ullo medio Trinitatì aſſi-

aſſiſtere, fruique bonis. Peccatorum autem & ſine pœnitantia defunctorum eſſe in Inferno & cruciari, ut animam Judæ: & tria eſſe loca, ac differentias, nempe Sanctorum animas eſſe in Cœlo; peccatorum & ſine pœnitentia decedentium, in Inferno, velut animam Judæ; medium verò locum eſſe habentium peccata venialia, ideſt eorum, qui pœnitentes deceſſerunt, ſed debitam tamen non præſtiterunt de commiſſis, vel omiſſis ſatisfactionem. Ad hanc igitur diſcutiendam quęſtionem, non ſolùm dicta die convenerunt, verùm die XIV. ejuſdem menſis, & die XXV. & XXVII. die porrò XVI. menſis Julii ſoli Gręci cum Imperatore, & Patriarcha convenerunt, diſcutientes ſuper quæſtione de Sanctorum Beatitudine, an ſcilicet Sancti perfectam ſint conſequuti beatitudinem: in qua inter ſe non convenerunt, aliqui affirmantes, negantes alii, utriuſque tamen partis probationes redactas in ſcripto accepit Imperator. Ac die ſequenti, ſcilicet XVII. ejuſdem menſia, iterùm convenerunt, & poſt longam diſputationem concluſum inter eoſdem fuit, Sanctoa conſecutos, & non conſecutos eſſe Beatitudinem, conſecutos in anima, non conſecutos in corpore, animas ſcilicet ad perfectam perveniſſe beatitudinem, in reſurrectione tamen perfectionem eſſe conſecuturas cum propriis corporibus. His peractis privatis diſputationibus, cùm Baſileenſes, ut præmiſimus, adhùc in ſua pertinacia conſiſterent, nec ſpes eſſet eos traducendi Ferrariam, Eugenius ad publicas ſeſſiones celebrandas deveniendum juſſit, editis primùm duabus Conſtitutionibus, de Indulgentiis una, de Decimis ſolvendis altera pro Græcorum ſubſidio; quarum prima ad hunc modum ſe habet,

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Univerſis, & ſingulis, ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

714 ,, Ad ſalutem animarum Chriſti-
,, fidelium, quarum nobis tanquam unico
,, Chriſti Vicario, & totius Dominici Gre-
,, gis Paſtori in terris principaliter cura com-
,, miſſa eſſe dignoſcitur, diligenti ſolicitu-
,, tudine, prout onus ipſius Paſtoralis re-
,, quirit officii, intendentes, ea diligenter
,, quærere, & exequi peroptamus, per quæ
,, & fidei Catholicæ exaltatio deſiderata pro-
,, veniat, & ipſi fideles ex piis eorum ſuffra-
,, giis ſpirituales fructus uheriùs conſequan-
,, tur. Sanè, ut multa omittamus, quæ
,, ſuperiori tempore pro unione Orientalis
,, Eccleſiæ Græcorum multo labore & ſtudio
,, operati ſumus, ante annum per Oratores
,, chariſſimi in Chriſto filii Joannis Palęologi
,, Græcorum Imperatoris, & Ven. Fratris
,, Joſephi Conſtantinopolitani Patriarchæ,
,, ac alios multos timoratos zelo fidei catho-
,, licæ accenſos, & magnæ auctoritatis viros,
,, ad proſecutionem præfatæ unionis, quæ eo
,, in tempore ab aliis deſerta videbatur, in-
,, ſtantiùs requiſiti, ad id etiam urgente nos
,, conſcientia, nè tam ſanctum opus in ma-
,, gnam confuſionem fidei catholicæ, ac per-
,, petuam infamiam Occidentalis Eccleſiæ
,, deſeri pateremur, totum ejus ſancti operis
,, onus ſuſcepit in Dei miſeratione, & fide-
,, lium ſuffragiis confidentes. In qua re tan-
,, tam, tamque ſolicitam operam adhibuimus,
,, ut præfati Imperator, & Patriarcha unà
,, cum Metropolitis, Epiſcopis, Abbatibus,
,, Prælatis, Nobilibus, & aliis Clericis & Lai-
,, cis in multitudine copioſa ad nos venerint,
,, cum quibus, præſtante Domino, œcume-
,, nicum Concilium Ferrarienſe fundavimus,
,, illud cum eis per diſputationes & opportu-
,, nos tractatus uſque in diem præſentem ſoli-
,, citè proſequentes. Verùm cùm ob dicto-
,, rum apparatum ad iter arripiendum, & na-
,, vigationem, ac cuſtodiam Conſtantino-
,, politanę Civitatis, prout conventum fue-
,, rat, graves expenſas ſubierimus, & multò
,, majores quàm ſuppetant facultates, ac de
,, cætero uſque ad reditum eorum in patriam,
,, juxta eis promiſſa, nos ſubire oporteat,
,, rei hujus neceſſitate compellente, cogimur
,, devotorum Chriſtifidelium ſuffragia, &
,, charitativa implorare ſubſidia.

715 ,, Ut igitur ipſi Criſtifideles ad op-
,, portuna tam ſancti operis auxilia faciliùs,
,, & ferventiùs animentur, quo ſpiritualibus
,, muneribus ſe ſenſerint in benedictionibus
,, præveniri: Nos attendentes, quòd Beato
,, Petro Apoſtolorũ Principi, & ęterni Regni
,, Clavigero ac Paſtori Eccleſiæ, ſucceſſori-
,, bus ſuis infinitum illum theſaurum, qui in
,, Chriſti Sanguine fidelibus datur, plena ſit
,, diſpenſandi attributa poteſtas, de omnipo-
,, tentis Dei Chriſti miſericordia, cujus vi-
,, ces, licèt immeriti, in terris gerimus, ac
,, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli au-
,, ctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chri-
,, ſtifidelibus, qui pro ſupportandis oneri-
,, bus, ad tam ſanctum opus nobis incum-
,, bentibus ad certam ſummam, ut accepi-
,, mus hactenus contribuerunt, aut juxta eo-
,, rum facultates contribuent in futurum,
,, eligendi in Confeſſorem Sacerdotem ido-
,, neum ſæcularem, vel regularem, qui omni-
,, bus caſibus, etiam de quibus Apoſtolica
,, Sedes eſſet meritò conſulenda, ſemel in
,, vita, quamprimùm opportunitas aderit,
,, abſolvere valeat, injuncta eis pœnitētia ſa-
,, lutari: deinde etiam ſimilem eligendi Con-
,, feſſorem, qui in mortis articulo, omnium
,, peccatorum, de quibus verè corde contriti
,, & ore confeſſi fuerint, ipſis in ſinceritate
,, fidei, untate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac
,, obedientia, & devotione noſtra, & ſucceſ-
,, ſorum noſtrorum Romanorum Pontificum
,, canonicè intrantium perſiſtentibus, plena-

„ riam remiſſionem, & indulgentiam con-
„ cedere poſſit, tenòre præſentium plenam
„ & liberam concedimos facultatem.

716 „ Quibus & Conſeſſoribus ſic, ut
„ præſertur, eligendis ab excõmuoicationis,
„ ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis ab
„ homine, vel á jure generaliter, vel ſpecia-
„ liter & nominatim latis, in foro pęniten-
„ tiali tantùm, debita ſatisfactione, juxta
„ formam juris injuocta, abſolutionis bene-
„ ficium, omnibus, & ſingulis, de quibus
„ ſupra, impendendi in forma Eccleſiæ con-
„ ſueta: necnon ſuper votis peregrinatio-
„ nis, vel abſtinentiæ, vel ſimilibus, etiamſi
„ de ultramarinis partibus, aut Sancti Jacobi
„ in Compoſtella, vel Apoſtolorum Petri &
„ Pauli liminibus viſitandis, emiſſa fuerint,
„ & noo adimpleta, diſpenſandi, & in alia
„ pietatis opera commutandi. Inſuper etiam
„ quoſcumque uſurarios, aut aliàa turpes
„ queſtores, ſuper uſuris & bonis dumtaxat,
„ de quibus incertum eſt, qnibus perſonia
„ fieri debeat reſtitutio; ac etiam illos, qui
„ arma, vel aliæ prohibita infidelibus, vel
„ hęreticis detulerint, abſolvendi facultatem
„ ſimiliter impartimur: Ita tamen quòd vo-
„ tis obligati expenſas itineris, & oblatio-
„ nes, qoas facturi erant: Uſurarii verò, &
„ ex turpi, vel aliàs indebito lucrò ad reſti-
„ tutionem obligati, ubi pro quibus erat
„ reſtitotio facienda, neſciuntur, & delato-
„ res prohibitorum, ut ſupra præmittitur,
„ lucra, quæ ex talibua quæſierint, ad ſubſi-
„ dium ejuſdem operis exponant, & aliàs
„ prædicti omnes ſatisfaciant, ut tenentur.

717 „ Et nè (quòd abſit) per hujuſmo-
„ di reddantor procliviores ad illicita impo-
„ ſterùm committenda, volumus, quòd ſi ex
„ confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua
„ fortè committerent, quo ad illa dicta re-
„ miſſio nullatenùs ſuffragetur. Quam qui-
„ dem facultatem circa voventes, Uſurarioa
„ indebiti lucri quęſtores, & prohibitorum
„ delatores, ut præſertur, ad eas etiam per-
„ ſonas, quæ pro ſubſidio hujuſmodi hacte-
„ nùs, juxta modos præmiſſos, ſatisfecerunt,
„ dùm tamen ſic ſoluta, in dictum ſubſidium
„ realiter aſſignentur, extendi volumus per
„ præſentes; mandantes & injungentes om-
„ nibus & ſingulis Eccleſiarum Prælatis, Ca-
„ pitulis, conventibus, & aliis quibuſvia
„ Eccleſiaſticis perſonia, quatenùs Indulgen-
„ tias & conceſſiones hujuſmodi in locis eia
„ ſubjectis per Prædicatores idoneos populis
„ ſuis ſolemniter publicari, & exponi faciant:
„ Quibos quidem Prædicatoribus, & omni-
„ bus, qui eos devotè audierint, & in tam
„ pio opere aſſiſtentiam & favorem præbue-
„ rint, auctoritate prædicta duos annos, &
„ totidem quadragenas de injunctis ſibi pœ-
„ nitentiis in forma Eccleſiæ relaxamus. Pe-
„ cunias autem, & alia, quæ pià fidelium lar-
„ gitione, aut aliis quibuſcumqoe erogatio-
„ nibus in ſubſidium hujus ſancti operis ob-
„ veoerint, Ordinarii loci, & illorum, quos
„ cum literis conceſſionum hujuſmodi per
„ noa, vel habentes ad hoc à nobis ſpeciale
„ mandatum deſtinari contigerit, duorum-
„ que bonorum Virorum loci judicio reponi,
„ & conſervari, & hia, quoa ad ipſas pecu-
„ oias recipiendum deputaverimua, conſi-
„ gnari volumus. Ordinationibua aliàs for-
„ ſàn quavis auctoritate in contrarium fa-
„ ctis oon obſtantibus quibuſcumque. Nulli
„ ergò omoinò hominum liceat &c. Datum
„ Ferrariæ VIII. Kalendas Octobris, Ponti-
„ ficatus noſtri Anno VIII. *Hactenus Indul-
gentiarum literæ*.

718 Literæ verò de Decimis directæ ſunt Domino Baptiſtæ de Legname Legum Doctori, Apoſtolicæ Cameræ Clerico, & ejuſdem Eugenii Cappellano; incipiunt, *Dudùm Baſileenſe Concilium*, datæ ſunt VI. Nonaa Octobris ejuſdem Anoi. In eis porrò enarrata ſerie geſtorum pro traducendis Græcis uſque ad eorum adventum in Civitatem Ferrariæ, immò ad diem præfatarum literarum datæ, & expenſarum factarum & faciendarum pro eiſdem Græcis, juxta concordata & promiſſa mandat & præcipit, ut Decimæ per Concilium Baſileenſe impoſitæ, juxta Decretum ſupra ſuo loco recenſitum, ſolvantur & exigantur ab oniverſis Eccleſiaſticis perſonia, & Sæcularibua bona Eccleſiaſtica poſſidentibus, tam exemptis, quàm oon exemptis, cujuſcumque ordinis, dignitatis, & præeminentiæ extiterint, etiamſi Cardinalatus dignitate præfulgeant, exceptis tamen utenſilibus ſacris, quæ, juxta ſtatuta in Concilio Viennenſi, non eſſe comprehenſa decernit. Quibus expeditis literis & publicatis reaſſumptæ ſunt ſolemnes ſeſſiones, ac publicæ incœptæ diſputationes inter Latinos & Græcos.

719 Die itaque VIII. menſis Octobris, Anno Domini MCCCCXXXVIII. Domini Eugenii Papæ IV. Pontificatua Anno VIII. Indictione I. convocatis Latinis & Græcis Patribus in Papæ Palatio, ac ejuſdem Palatii Cappella, ipſo Pontifice podagra laborante, præſente tamen & præſidente, adſtantibus etiam Imperatore Græcorum, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Patriarcha cum aliarum Orientis Sedium Patriarchalium Legatis habita eſt ſeſſio IV. enumerata ab inchoatione Concilii, ab adventu autem Græcorum ſeſſio II. licèt in vulgatis editionibus dicatur ſeſſio I. ſic enumerata, quia ab hac initium ſumpſerunt ſolemnes utriuſque Eccleſiæ Patrum tractatus, & Conciliares diſputationes, quem ordinem ad vitandam confuſionem & nos ſervabimus, hanc ſcilicet nominando ſeſſionem primam, ſive, ut alii dicunt, collationem primam. Erant ad diſputandum ſelecti ex utraque parte Viri docti; ex Latinis, ut notat Andreas à Sancta Crucé in Collat. 2. Dominus Cardinalis Sanctæ Sabinæ, cogno-

mi-

minatus Sancti Angeli, qui præfuerat Concilio Baſileenſi; Archiepiſcopus Coloſſenſis ex Sacro Prædicatorum Ordine; Epiſcopus Foroliviensis Ordinis Minorum; & Petrus Perquerii ejuſdem Ordinis Magiſter in Sacra Pagina; Provincialis quoque Lombardiæ Ordinis Prædicatorum; & Joannes de S. Thoma Ordinis Eremitarum. Auctor Græcus in vulgatis editionibus ſeſſ. I. addit etiam, ſelectum fuiſſe Dominum Cardinalem Albergatum tituli Sanctæ Crucis, cognominatum Cardinalem Firmanum; & loco Archiepiſcopi Coloſſenſis recenſet Archiepiſcopum Rhodi Andream. Notat tamen Horatius Juſtinianus, eundem fuiſſe Archiepiſcopum Coloſſenſem, ac Rhodii, Rhodiis cognominatis à Latinis Coloſſenſibus, ex Apollinis Coloſſo in ea Civitate erecto. Ex parte verò Græcorum ſelecti fuerant Marcus Archiepiſcopus Epheſinus Metropolita Ruſſiæ, qui ex Poloniæ partibus cum magno Equitum apparatu per terram ad Concilium venerat menſe Auguſti. Archiepiſcopus Nicænus, quidam ſæcularis, & duo Cruciferi Sanctæ Sophiæ, quos omnes ſuis propriis cum nominibus recenſet pariter antedictus auctor Græcus, inquiēs: *Erant porrò à nobis delecti Domnus Marcus Metropolita Epheſi, Domnus Iſidorus Ruſſiæ, Domnus Beſſario Nicææ, Magnus Vaſorum Cuſtos Xanthopulus, cognomento Iiderophas, Domnus Michael Balſamon Magnus Bibliothecar. & Domnus Georgius Gemiſtus.* Conſedentibus ergò omnibus, honoris gratiâ, Græcis conceſſa eſt licentia inchoandi diſputationem: Quare Beſſario Archiepiſcopus Nicenus concionem habuit, qua Synodum laudibus exornavit, ejuſque Præſides, quantùm opus fuit, honoribus cumulavit: protracta verò oratione uſque ad Veſperam, dimiſſa eſt ſeſſio, altera indicta in Sabbatum proximum. Extat hujuſmodi oratio in actis hujus ſeſſionis, eandem etiam in præfata ſecunda collatione refert Andreas à Sancta Cruce, licèt in verbis, non tamen ſententiis, aliqualiter diverſam.

720 Adveniente Sabbati die, XI. ejuſdem menſis Octobris, habita eſt ſecunda ſeſſio, ac in ea Andreas Archiepiſcopus Rhodii concionem pariter habuit, Nicænum imitatus, qua Pontificem, Imperatorem, & Patriarcham ornavit encomiis, ac Synodi laudes & gloriam celebravit: *Et ſtudio copiosè dicendi*, inquit Auctor, *ita orationem habuit, ut jam adveſpeſceret, atque ita dimiſſa eſt Synodus, indicta rursùs ſeſſione ad ſequentem tertiam feriam.* Subjungit inde, interea quæſitum eſſe, quiſnam eſſet diſputationem aggreſſurus, quisvè modus adhibendus in ipſo progreſſu, & undè ordienda diſputatio; & nùm interrogationibus, & reſponſionibus eſſet utendum, an verò longi ex utraque parte producendi ſermones: concluſum verò fuiſſe congreſſum fiendum dialectico more; Græcos verò diſputationem aggreſſuros, ſcribit Andreas à Sancta Cruce, qui in ſecunda illa collatione complectit quæ geſta ſunt in prima, ſecunda, & tertia ſeſſione, Latinos optionem dediſſe Græcis, quam partem vellent aſſumere, an proponentium, vel reſpondentium, elegiſſe verò partem proponentium.

721 Die XVI. ejuſdem menſis feriâ III. celebrata eſt ſeſſio III. ac in ea Marcus Epheſius, impetratâ dicendi licentia, de pace ſermonem habere cœpit, à Chriſto Domino Sanctæ Eccleſiæ ſuæ relictam, eamque Romanam Eccleſiam contempſiſſe conatus eſt demonſtrare propter novum dogma introductum, & additionem Symbolo factã: „ Dogma ſibi, *inquit*, ſeorsùm conſtituit, edi„ ditque, neque in Divina Scriptura apertè „ dictum, neque à Synodis generalibus co„ gnitum, neque noſtrorum Patrum præci„ puis probatum: quod etiam cauſa fuit pa„ cis ſolvendæ, & ſcandalorum origo, juxta „ ſermonem Domini. *Hæc ille*, ſubjungens & petens, ut recitentur Sanctorum Patrum deffinitiones in ſeptem Conciliis Generalibus editæ, ut veritas ad illarum regulam ſolidetur, ac ita iterum pax, & concordia utriuſque Eccleſiæ firmetur.

722 Andreas Epiſcopus Coloſſenſis, ſive Rhodi pro Latinis reſpondit, Romanæ Eccleſiæ ſemper in corde fuiſſe pacem, & Eccleſiæ unionem, nunquam Eccleſiæ Græcæ ſubſidium adversùs enaſcentes hæreſes denegaſſe, Romanos Pontifices, aut per ſe, aut per ſuos Legatos in Conciliis contra eaſdem hæreſes congregatis præfuiſſe. Poſt exortum ſchiſma pacem ſemper miſſis Legatis, & datis literis expetiviſſe. Verùm Epheſius iterùm exorſus eſt, dicens, vera eſſe à Coloſſenſi pronunciata, ſed impertinentia: ex quo ipſi Pontifices propter præfatam additionem, & novum introductum dogma cauſam ſchiſmati dediſſent; pacem verò ſecuturam, ſublato à Symbolo tali additamento, novoque dogmate. Cui Andreas reſpondit, antiquam illam eſſe Conſtantinopolitanorum accuſationem, dicentium erraſſe Romanam Eccleſiam, quòd vocem, *Filioque*, propria auctoritate addidiſſet ad Symbolum. Et dènique concludens, ſubjungit: „ Dixiſti tu quidem per Syno„ dicas deffinitiones vetitum eſſe nobis quid„ quam addere, etiam ſi verum ſit, nos au„ tem ſumus demonſtraturi multis rationi„ bus poſteriori Synodo eamdem ſemper eſſe „ poteſtatem, atque prioribus ad res omnes „ Eccleſiaſticas moderandas. *Et infra.* Nos „ opportuno tempore duo hæc demonſtrabi„ mus: Primùm, neque additamentum eſſe, „ neque fuiſſe additum: Alterum, & ſi addi„ tum eſt, tanquam verum & neceſſarium „ eſſe additum. *Hæc ille.* Quibus dictis dimiſſa eſt ſeſſio.

723 At die ſequenti XV. ſcilicet ejuſdem menſis Octobris iterùm convenientes Patres cum Pontifice, Imperatore, & Patriarcha,

ſicut

ſicut in ſuperioribus, habita eſt ſeſſio IV. cujus acta Andreas à Sancta Cruce ſuccintè recenſet in Collatione III. in qua Coloſſenſis, ſive Rhodius, volens reaſſumere ſermonem, & probare, quòd promiſerat in fine prçteritæ ſeſſionis, detentus fuit ab Epheſio, aſſerens, ſe velle priùs loqui, & petens iterùm, ut deffinitiones Synodorum legerentur: hinc non modica orta eſt diſſenſio, an primùm iterùm audiendi Græci, nùm verò Latini; in qua etiam Nicænus, & Iſidorus Ruſſiæ pro Græcis, pro Latinis verò Joannes à Sancto Thoma ſuam unuſquiſque protulère ſententiam: Denique Cardinalis Julianus habito priùs brevi & ſecreto colloquio ad aures cum Sanctiſſimo, retulit Imperatori, mentem Pontificis fuiſſe, ut hujuſmodi controverſia remitteretur ſex Deputatis, qui ſimul convenientes privatim, eam dirimerent, nè impoſterùm ſimilis ampliùs oriretur diſſenſio; Cui propoſitioni Imperator reſpondit, ſe poſtea deliberaturum circa expoſita de conveniendis ſex Deputatis, & hoc dicto Papa, Imperator, & cæteri propter horæ tarditatem ſurrexerunt ſeſſione dimiſsa. Verùm ſtatim factus eſt conventus in domicilio Patriarchæ coràm Imperatore, Cardinalibus, Præſulibus, & aliis Viris Eccleſiaſticis, & concluſum fuit in gratiam Græcorum, ut primùm in futura ſeſſione legerentur deffinitiones Synodorum, & ſacrum Symbolum.

724 Ac ita die XVI. ejuſdem menſis Octobris ferià v. celebrata eſt ſeſſio v. iiſdem, qui ſupra intereſſentibus, ac in ea, juxta Epheſii mentem, & prout in prædicto privato conventu concordatum fuerat, primo loco recitatum eſt Symbolum trecentorum & octo Patrum, qui in Nicæna prima Synodo convenerunt, quod incipit; *Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, omnium viſibilium, & invifibilium Factorem*; eo recitato retulit Epheſius geſta Synodi Epheſinæ Act. VI. in quo recitato primùm eodem Nicæno Synodo, cui Patres adhæſerunt, & inde altero Symbolo depravato à Neſtoriano quodam, quod iidem Patres reprobarunt, adjecit & Patrum eorundem Decretum, ad hunc modum ſe habens: „ His igitur perlectis, ſta-
„ tuit ſancta Synodus alteram fidem nemini
„ licère proferre, aut conſcribere, aut com-
„ ponere præter deffinitam à Sanctis Patri-
„ bus, qui in Nicæa cum Spirltu Sancto con-
„ gregati fuerunt. Qui verò auſi fuerint
„ aut componere fidem alteram, aut proferre,
„ vel offerre converti volentibus ad agnitio-
„ nem veritatis, ſive ex Gentilitate, ſive ex
„ Judaiſmo, ſive ex qualicumque hæreſi; hos
„ quidem, ſi ſunt Epiſcopi, aut Clerici, alie-
„ nos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Cle-
„ ricos à Clericatu decrevit, ſi verò Laici
„ fuerint, anathemati ſubiici.

725 Deinde recitavit Sancti Cyrilli ſententiam in Epiſtola data ad Joannem Antiochenum, quæ incipit: *Lætentur Cæli, & exultet terra. Solutus eſt enim medius paries maceries*, in cujus fine ait: „ Nullo autem
„ modo patimur, ut ab aliquo fides illa, ſive
„ fidei Symbolum concutiatur, quòd à San-
„ ctis quondam Patribus Nicçnis editum eſt.
„ Neque enim aut nobis, aut ulli omninò
„ alteri, vel unam voculam ibi poſitam, im-
„ mutare, aut unam etiam ſyllabam præteri-
„ re permittimus; memores ejus, qui dixit;
„ *Nè transferas terminos antiquos, quos po-*
„ *ſuerunt Patres tui*. Non enim ipſi locuti
„ ſunt, ſed ipſe ſpiritus Dei, ac Patris; qui
„ procedit quidem ex ipſo; eſt autem non
„ alienus à Filio, exigente hoc eſſentiæ ra-
„ tione; *vel, ut vertit Epheſius*, non eſt ta-
„ men alienus à Filio, ſecundùm eſſentiæ ra-
„ tionem. *Hæc ex Cyrillo*; unde ex hoc idem Epheſius concludere conabatur, non licuiſſe, nec licère, nec unam addi voculam, vel ſyllabam præfato Nicæno Symbolo.

726 Ad hæc verò adjecit recitare deffinitionem IV. generalis Synodi Chalcedonenſis, quæ habetur Act. v. ejuſdem, incipitque: *Sancta & magna univerſalis Synodus &c. hæc deffinivit, quæ ſubter ſcripta ſunt*: „ Dominus
„ noſter & Salvator Jeſus Chriſtus notitiam
„ fidei Diſcipulis ſuis firmans, dixit &c. De-
„ cernimus igitur ordinem, & omnes formu-
„ las cuſtodientes, quæ de fide ſunt conſti-
„ tutæ, & nos ſanctæ Synodi quondam in
„ Epheſo factæ, cujus Præſides fuerunt bea-
„ tiſſimæ memoriæ Cæleſtinus Romanorum,
„ & Cyrillus Alexandrinorum, præſulgere
„ quidem rectæ & immaculatæ fidei expoſi-
„ tionem Sanctorum & Beatiſſimorum tre-
„ centorum decem & octo Patrum, qui Ni-
„ cçæ temporibus piæ memoriæ Conſtantini
„ Imperatoris congregati ſunt: Servari au-
„ tem & ea, quæ apud Conſtantinopolim à
„ Sanctiſſimis centum quinquaginta Patri-
„ bus decreta ſunt, ad expellendas quidem
„ hæreſes, quæ eo tempore germinaverant;
„ & ad confirmationem ejuſdem Catholicæ
„ & Apoſtolicæ noſtræ Fidei, *Hæc ibi*. Et ſtatim recitantur Symbola, Nicænum ſcilicet & Conſtantinopolitanum. Et notabat Epheſius, eandem Chalcedonenſem Synodum utrũque Symbolum pro uno habuiſſe, nam ambobus recitatis, ſtatim ſubjungitur: „ Suffi-
„ ceret quidem ad plenam cognitionem &
„ confirmationem pietatis hoc ſapiens & ſa-
„ lutare Divinæ Gratiæ Symbolum: de Pa-
„ tre enim & Filio, & Spiritu Sancto perfe-
„ ctionem docet, ac Domini noſtri inhuma-
„ nationem fideliter accipientibus repræſen-
„ tat; *ſive, ut Epheſius eſt interpretatus ex*
„ *Actis* v. *Synodi*: De Patre enim, & Filio,
„ & Spiritu Sancto doctrinam perfectam
„ edocet, & incarnationem Domini fideli-
„ ter ſuſcipientibus manifeſtat.

727 Item ab eodem recitata eſt pars ultima definitionis, quæ ſequitur ad Symbola;

quæ

quæ incipit: *Sufficeret quidem*, ut ſupra, ubi
dicitur: ,, His igitur cum omni undique exa-
,, cta cura & diligentia à nobis diſpoſitis,
,, definivit ſancta & univerſalis Synodus, al-
,, teram fidem nulli licere proferre, aut con-
,, ſcribere vel componere, aut ſentire, aut
,, alios docere. Eos autem, qui audent com-
,, ponere fidem alteram, aut proferre, aut do-
,, cere, aut tradere alterum Symbolum volen-
,, tibus ad agnitionem veritatis converti, vel
,, ex Gentilitate, vel ex Judaiſmo, vel ex
,, hæreſi quacumque; hos ſi Epiſcopi fuerint,
,, vel Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epi-
,, ſcopatu, & Clericos à Clero: ſi verò Mo-
,, nachi, aut Laici, anathematizari eos.

728 His recitatis, protulit & acta v. Sy-
nodi Generalis Conſtantinopolitanæ II. Ex
quibus recitavit præfata recenſita IV. Synodi
acta inſerta & relata in collatione VI. ejuſdẽ
Chalcedonenſis Synodi, Symbolum ſcilicet
Nicænum, & eandem definitionem ſupra re-
citatam, *ſufficeret* &c. *His igitur* &c. Item &
fidei confeſſionem Eutychii Patriarchæ miſſam
ad Vigilium Papam in literis incipientibus:
Scienter quantorum bonorum, & inſertam in
literis ejuſdem Vigilii, datis ad præfatum Eu-
tychium incipientibus: *Repletum eſt gaudium*,
relectis in collatione I. ejuſdem V. Synodi:
In qua quidẽ fidei confeſſione dicitur: ,, Ideo
,, feſtinantes unitatem conſervare ad Apoſto-
,, licam Sedem veſtræ Beatitudinis, ma-
,, nifeſtum facimus, quòd nos ſemper & ſer-
,, vavimus, & ſervamus fidem ab initio tra-
,, ditam à magno Deo & Salvatore noſtro
,, Jeſu Chriſto, Sanctis Apoſtolis, & ab illis
,, in omni Mundo prædicatã, & à Sanctis Pa-
,, tribus explanatam, & maximè ab his, qui
,, in ſanctis quatuor Synodis cõgregati ſunt;
,, quos per omnia & in omnibus amplecti-
,, mur, & ſuſcipimus &c. *Et infra*. Ad hæc
,, autem ſuſcipimus ſexcentos triginta ſan-
,, ctos Patres Chalcedone congregatos, qui
,, etiam ipſi per omnia conſenſerunt prædi-
,, ctis tribus Synodis, & ſecuti ſunt prædi-
,, ctum Symbolum, ſive mathema à trecentis
,, decem & octo Sanctis Patribus explana-
,, tum: & anathematizaverunt eos, qui aliud
,, præter prædictum Symbolum præſumunt
,, docere, aut exponere, aut tradere ſanctis
Eccleſiis Dei. *Hæc ibi*. Recitavit inſuper quan-
dam acclamationem Joannis Patriarchæ Con-
ſtantinopolitani, ubi dicitur: ,, Neque enim
,, fas eſt quidquam dimovere, verbiſque ina-
,, nibus, aut frivolis diſputationibus vacare
,, fideles, ſed animum adiicere ad ſacrum
,, Symbolum, in quo baptizati omnes ſumus:
,, quòd Nicæna quidem Synodus cum San-
,, cto Spiritu edidit, & Conſtantinopoli
,, Sanctorum Patrum conventus approbavit,
,, & ſacra Synodus Epheſina confirmavit,
,, obſignavitque ſanctũ Chalcedonenſe Con-
,, cilium: quam fidem nullo modo, nulla ra-
,, tione labefactare quiſpiam poterit; quæ
,, non rectè credentibus omnem tollit occa-
,, ſionem. Hanc igitur fidem inconcuſſam te-
,, nentes, nulla inter vos diſſidia facite, ſed
,, omni novitate & nugaci diſceptatione ab-
,, jecta, uno ore glorificemus ſanctam, &
,, conſubſtantialem Trinitatem.

729 Similiter protulit & recitavit defini-
tionem fidei VI. Generalis Synodi Conſtan-
tinopolitanæ III. quæ habetur collat. XVIII.
incipitque. *Sancta magna, atque univerſalis
Synodus* &c. *Decrevit, quæ habentur in ſubditis*,
Unigenitus Dei Patris Filius &c. Et poſtea;
,, Unde hoc ſanctum noſtrũ univerſale Con-
,, cilium impietatis errorem, qui nunc uſque
,, à quibuſdam temporibus factus eſt, procul
,, abiiciens, Sanctorum autem, ac probabi-
,, lium Patrum inoffensè recto tramite iter
,, conſecutum ſanctis, & univerſalibus quin-
,, que Synodis piè in omnibus conſonuit &c.
,, Et illud hinc à centum quinquaginta, Deo
,, inſtituente, confirmatum eſt, quod etiam
,, ceteræ ſanctæ Synodi ad extinguendam
,, omnem peſtiferam hæreſim alacriter ſuſce-
,, perunt, & confirmaverunt Symbolum, &
,, hoc noſtrum ſanctum, & univerſale à Deo
inſpiratum conſignavit Concilium. *Hæc ibi*;
ubi ſtatim recitatur Symbolum Nicænum, in-
de Conſtantinopolitanum, & poſtea: ,, San-
,, ctum & univerſalem Concilium dixit: ſuf-
,, ficiebat quidem ad perfectam orthodoxæ
,, Fidei cognitionem, atque confirmationem,
,, pium atque orthodoxum hoc divinæ gratiæ
,, Symbolum. Sed quoniam &c. *& in fine de-
,, finitionis*: His igitur cum omni undique
,, cautela atque diligentia à nobis formatis,
,, definimus aliam fidem nulli licere proferre,
,, aut conſcribere, componere, aut ſapere,
,, vel etiam aliter docere. Qui verò præ-
,, ſumpſerint fidem alteram componere, vel
,, proferre, vel docere, vel tradere aliud
Symbolum &c. *Sicut in definitione Concilii
Epheſini ſuperiùs relata ſub num.* 2061.

730 Porrò recitavit ſententiam Agatho-
nis Papæ in Epiſtola data Imperatoribus, in-
cipiente, *Conſideranti mihi*, relecta act. IV.
ejuſdem VI. Synodi, in qua Pontifex ait:
,, Quæ regulariter à ſanctis atque Apoſtoli-
,, cis prædeceſſoribus, & Venerabilibus quin-
,, que Conciliis definita ſunt, cum ſimplici-
,, tate cordis, & ſine ambiguitate à Patribus
,, traditæ fidei conſervamus; unum ac præ-
,, cipuum bonum habere ſemper optantes at-
,, que ſtudentes, ut nihil de eis, vel augea-
,, tur, ſed eadem, & verbis & ſenſibus illiba-
,, ta cuſtodiantur. *Item* & alteram ejuſdem
Agathonis ſententiam depromptam ex altera
ejus litera Synodica data Imperatoribus, in-
cipiente: *Piiſſimis Imperatoribus &c. Omnium
bonorum ſpes*. Relecta pariter in eadem act.
IV. ubi ait: ,, Hæc eſt perfecta noſtra ſcien-
,, tia, ut terminos catholicæ, atque Apoſto-
,, licæ fidei, quos uſque hactenus Apoſtolica
,, Sedes nobiſcum, & tenet, & tradit tota
men-

Digitized by Google

„ mentis cuſtodia conſervemus, credentes in „ Deum Patrem Omnipotentem, Factorem „ Cœli & Terræ viſibilium omnium & inviſibilium, & in Filium ejus unigenitum, qui „ ante omnia ſæcula ex eo natus eſt; verum „ Deum de Deo vero, lumen de lumine, natum non factum, conſubſtantialem Patri, „ ideſt ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ; per „ quem omnia facta ſunt, quæ in Cœlo, & „ quæ in terra: & in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum „ & conglorificandum. *Hactenus Agathonis ſententia.*

731 Denique protulit definitionem ſeptimæ Generalis Synodi Nicænæ II. quæ habetur act. VII. incipiens: *Sancta & magna ac Univerſalis Synodus &c. Qui lucem agnitionis ſuæ nobis donavit.* Eamque recitavit unà cum Symbolo in ea inſerto, ſine voce, *Filioque*, in Articulo de Spiritu Sancto; anathematiſmos quoque recitavit ſubſequentes & Patrum acclamationes: ubi poſt Patrum ſubſcriptiones dicitur: „ Sancta Synodus exclamavit: omnes ita credimus, omnes idipſum ſapimus, „ omnes conſentientes ſubſcripſimus. Hæc „ eſt fides Apoſtolorum, hæc fides Patrum, „ orthodoxorum, hæc fides Orbem terrarum „ firmavit. Credentes in unum Deum in Trinitate laudandum, honorabiles imagines, „ oſculamur. Qui ſic ſe non habent, anathema ſint. Qui ſic non ſentiunt, procul ab „ Eccleſia pellantur. Nos antiquam legiſlationem Eccleſiæ catholicæ ſequimur. Nos „ Patrum leges cuſtodimus. Nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, de Eccleſia anathematizamus &c.

732 Interea cùm Epheſius definitionem VII. Synodi, & Symbolum recitaſſet, productus eſt à Latinis antiquus manuſcriptus codex, in quo præfata continebatur VII. Synodi definitio, ac in ea, ubi de Spiritu Sancto agitur, repertum eſt ad ea verba, *ex Patre procedentem*, additum, & ex Filio: erat namque ſcriptum: *Et in Spiritum Sanctum, Dominum vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit.* Hinc Cardinalis Julianus aſſumens ſermonem, dixit, impoſſibile eſſe ſuſpicari in vetuſtiſſimo illo codice aliquam in eo factam mutationem. Et quòd, ut teſtatur auctor Græcus, facta collatione cum Græco codice, repertum fuiſſe in ſubſcriptionibus, aliiſque rebus cum eo per omnia concordantem, excepto illo additamento. Addidit Cardinalis Julianus, antiquum Virum doctum Hiſtoricum referre eum tali additamento fuiſſe in ſeptima Synodo recitatum. Rem quoque narrat Andreas à Sancta Cruce in Collat. V. ubi ait: „ Sed cùm ſeptimæ Synodi legeretur „ Symbolum, Cardinalis Librum Latinum „ exhibuit antiquiſſimum, ubi in Symbolo illius Concilii, erat *Filioque*; & adjunxit „ quod ex Chronica Martiniana (*Supple.* „ *Martini Poloni*) habetur in illo Concilio „ dogma illud fuiſſe explicatum: & lectis ſubſcriptionibus, inventum eſt, Petrus Romanæ Urbis Sedis Presbyter locum tenens „ Hadriani Papæ Romæ, & Petrus Abbas „ Sanctorum Andreæ & Sabæ, Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Hæc ille*, qui poſt concluſionem Epheſii, qui dixit, non licere ſibi, nec cuiquam, ex hactenus lectis ſacrorum Conciliorum deffinitionibus præfatam additionem Symbolo admittere, ſubjunxit, petens à Pontifice, ut Symbolum cum illa additione, ſicut in codice præfato continebatur, legeretur. Quod quidem factum eſt, & dimiſſa eſt ſeſſio.

733 Cæterùm recitatum Symbolum in ſeptima Synodo cum illa additione, *Filioq*; non leves conjecturæ demonſtrant: ut enim notat Baronius ad Annum Domini DCCXXXVII. Iconoclaſtæ eùm prohibuiſſent, nè cum illa additione Symbolum recitaretur (ut ſub num. 39. ejuſdem anni) probabile eſt in definitione fidei contra eoſdem Iconoclaſtas pronunciata, Patres eum illa additione Symbolum fidei recitaſſe. Deinde in Capitularibus miſſis à Carolo Magno Hadriano Papæ continentibus accuſationes contra VII. Synodum, quæ habentur apud Binium, & Labæum, poſt acta ejusdem ſeptimæ Synodi, reprehanditur Tharaſius, quòd in ejus Epiſtola data ad Antiochenos & Alexandrinos, quæ incipit: *Multa & magna providentia*, recitata & recepta act. III. ſeptimæ prædictæ Synodi, dicat: *Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificatorem ex Patre per Filium procedentem.* Dicit namque contradictor: *Quod Tharaſius non rectè ſentiat, qui Spiritum Sanctum non ex Patre & Filio ſecundùm Nicæni Symboli fidem, ſed ex Patre per Filium procedentem in ſuæ credulitatis lectione profiteatur.* Ex qua quidem reprehenſione evincitur, eodem appoſitore teſte, creditum jam fuiſſe Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere, & quidem ſecundùm fidem Nicæni Symboli, cujus rei cauſa reprehendit Tharaſium, quòd dixerit procedere *per Filium*, & non dixerit *ex Filio*: Et cùm non reprehendat Synodum, contra quam directè ſcribebat, clarum ſit, Synodum dixiſſe procedere *ex Filio*, nam ſi *per Filium*, aut tacuiſſet proceſſionem *ex Filio*, oppoſitor præfatus eam reprendiſſet, ſicut Tharaſium dicentem *per Filium*, & non *ex Filio*, reprehendit. Hadrianus porrò oſtendit in defenſione Tharaſii, complures Sanctos Patres, citatis & relatis illorum teſtimoniis, dixiſſe Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, & hoc idem eſſe ac procedere à Filio, ſive ex Filio, prout etiam nonnulla ex allegatis ab eo Sanctorum Patrum Teſtimoniis, demonſtrant. Sed iterum ad geſta Concilii.

734 Die XX. Octobris, feria ſecunda celebrata eſt ſeſſio VI. Iiſdem Papa, Imperatore, & cæteris, qui ſupra intereſſentibus Patribus,

in

Digitized by Google

in quo Coloſſenſis, ſive Rhodius aggreſſus eſt reſpondere ad allegata ab Epheſio in ſuperiori ſeſſione, quæ omnia ad tria reduxit capita: primùm, quòd Eccleſia Romana fecit additamentum Symbolo, addendo *Filioque*, cùm in Symbolo, vel Symbolis in ſeptem prioribus generalibus Conciliis recitatis, tale non legatur additamentum. Secundùm, non licuiſſe hoc fieri additamentum, attentis eorundem Conciliorum Definitionibus. Tertium verò, hujuſmodi additamentum nec rectè ſe habere, nec eſſe neceſſarium: proindeque paratum ſe eſſe oſtendit, probare, illud non eſſe propriè & verè additamentum, ſed explanationem, & declarationem. Secundò, quòd non ſit interdicta explanatio. Tertiò verò, quòd ſit utile, neceſſarium, & verum: ac denique, quòd omnis Chriſtianus debeat omninò veritatem recipere.

735 Itaque quòd non ſit additio probavit ex hoc principio, quia nulla ſcientiæ explanatio, vel expoſitio rectè dici poteſt additio: & cùm vox illa, *Filioque*, ſit explanatio, vel expoſitio, non poteſt dici additio; nam additio extrinſecus fit: quod enim alicui additur, extrinſecus additur, ut tradit Ariſtoteles lib. 1. de generatione cap. 38. ubi agens de nutritione, ait: *Neceſſe eſt, quod nutritur ali addito extrinſecus aliquo*. Eſſe porrò explanationē demonſtrat: quia illa vox, *Filioque* continetur in altera voce *ex Patre*, quæ habetur in Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano: ac ita vox *Filioque* eſſe explicationem articuli in Symbolo contenti, ubi dicitur: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre procedit*. Ut in Symbolo Synodi ſecundæ. Exemplo utitur ejuſdem ſecundæ Synodi, in qua plura fuere addita Symbolo, quę in Symbolo Nicęno non leguntur, nec perinde additamenta dicuntur, ſed explanationes: ait namque: „ In Symbolo „ primæ non dicebatur: *Viſibilium omnium* „ *& inviſibilium*; nec etiã illud, *Filium natum* „ *ante omnia ſæcula*; nec illud, *Deum verum* „ *de Deo vero*; nec *Spiritum Sanctum Domi-* „ *num & vivificantem*: & tamen ſecundæ Sy- „ nodi Patres, poſitis illis vocibus, nihil ſe „ addidiſſe arbitrati ſunt. *Hæc ille*: probatque hoc teſtimonio Gregorii Theologi, ideſt Nazianzeni in Epiſtola ad Cledonium ſecunda, quæ eſt oratio 52. ubi ait: „ Nos fidei „ Nicænæ, quæ à Sanctis Patribus, qui illùc „ ad evertendam Arrianam hæreſim conve- „ nerunt, edita eſt, nec quicquam unquam „ prætuliſſe, nec præferre poſſe: verùm fide „ illius eſſe, Deoque adiuvante fore; illud „ inſuper explicantes, quòd ab illis minus „ plenè de Spiritu Sancto dictum eſt, propte- „ rea, quod hæc queſtio nondùm excitata & „ agitata fuerat, nempè unam, eamdemque „ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti divinita- „ tem agnoſcendam eſſe, Deum quoque vi- „ delicet Spiritũ profitendo. *Hactenus Gregorius*. Addit Coloſſenſis in ſecunda Synodo ſublatum à Symbolo, *ex ſubſtantia Patris*: In quarta Synodo additum: *Conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem*, & hoc ad deſtruendum falſum Eutychis dogma: hujuſmodi tamen variationes non vocari propriè additamenta, ſed explicationes. Et deniq; utitur ratione allegata ab Epheſio, qui ſibi obiiciens cùr Patres tertiæ Synodi non meminerint Symboli ſecundæ Synodi, ſed primæ tantùm: reſpondit, quia ambo unum ſunt, & nihil diſferunt: ſi ergò unum ſunt, cùm tamen conſtet multas particulas eſſe adjectas in ſecunda Synodo, etiam non obſtante adjectione illius verbi, ſivè nominis, *Filioq*; idem cenſeri debet cum Nicæno Symbolo, cùm illa adjectio ſit explanatio, & explicatio, non verò additum extraneum.

736 Eſſe porrò puram explanationem & explicationem, ac continere in eo quod dicitur *ex Patre procedere*, adeout cùm dicitur procedere ex Patre, intelligatur quoque implicitè procedere ex Filio, probat teſtimonio Cyrilli Alexandr. lib. 9. in Joannem ſuper illa verba Evangeliſtæ cap. 14. verſ. 16. ubi ait: *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum mittet vo-* „ *bis*: Cùm enim eſſentialia Dei Patris bona „ participet Filius, habet etiam eodem mo- „ do Spiritum, quod Pater habere intelligi- „ tur, non ſuperadditum, non extrinſecus; „ ſtultum enim, vel potiùs inſanum eſt ita „ ſentire: ſed quemadmodùm unuſquiſque „ noſtrum proprium in ſeipſo continet Spi- „ ritum, & ex intimis viſceribus foràs effun- „ dit: propterea enim corporaliter inſufflavit illum Salvator, ut oſtenderet, ita ex „ divina ſubſtantia, ut Deum decet, effundi, „ quod ex ipſa eſt, ſicut ex ore humano pro- „ dit halitus corporaliter. *Ex his concludit*, ait Coloſſenſis, Filium eò quòd habeat omnia naturalia & eſſentalia Patris bona, habere etiam, ut producat Spiritum, ſicut & Pater, manentibus proprietatibus perſonalibus. Ex quo ſequitur, Filium ita ſe habere ad Spiritũ, ut Pater.

737 Cæterùm eo in loco Cyrillus clarè demonſtrat, Spiritum Sanctum æque à Patre & Filio procedere; nam ait: „ Alium porrò „ Paracletum Spiritum vocat Dei, ac Patris „ ſubſtantiæ, ſive ſuæ. Una enim in ambobus „ eſt ſubſtantiæ ratio, quæ ipſum non exclu- „ dit, ſed efficit, ut diſtinctiùs tantùm intelli- „ gatur in eo, quod in propria exiſtit hypo- „ ſtaſi. Nec enim Filius Spiritus eſt, ſed re „ vera & propriè eſſe & exiſtere id quod eſt, „ fide credimus. Spiritus quippe eſt Patris „ & Filii. *Et paulo poſt*. Spiritus enim ejus „ eſt; unde Veritatia Spiritum illum nomi- „ navit, ſeipſum veritatem eſſe dicens: at „ enim iis, qui Filium à Dei & Patris ſub- „ ſtantia alienum eſſe putant, jure dicet ali- „ quis; quomodo quæſo, Veritatis Spiritum,

Digitized by Google

„ ideſt Filii, dat Pater, non tanquam pere-
„ grinum, aut alienum, ſed ut proprium Spi-
„ ritum, cùm ſecundùm vos diſtinctum ha-
„ best à ſua ſubſtantia Verbum, ſive Filium,
„ & Spiritum eſſe Filii nullus ambigat.
„ *Et infra*. Cùm ergò Spiritus ipſe Dei Pa-
„ tris ſit, ac Filii, quomodo non unam om-
„ ninò habebunt ſubſtantiam, & diſtinctè
„ ſimul, atque conjunctim? Pater enim Pater
„ eſt, ac non Filius, & Filius eſt Filius, ac
„ non Pater: Verumtamen Pater in Filio, &
„ Filius eſt in Patre: dat verò Paracletum,
„ ſive Spiritum Sanctum, non ſeorſim qui-
„ dem Pater, ſeorſim verò Filius, ſed potiùs
„ Sanctis à Patre traditur per Filium. Idcir-
„ cò enim cùm Patre dare dicitur, is per quē
„ omnia traduntur, dat quoque Filius, in ex
„ quo omnia dat Pater. *Hæc Cyrillus*.

738 Subnectit inde Coloſſenſis teſtimonium aliud depromptum ex Epiſtola XLIII. Magni Baſilii ad Gregorium Fratrem de differentia eſſentiæ & hypoſtaſi, in qua Sanctus Doctor hæc ait: „ Qui Patrem intellexit, &
„ ipſum in ſeipſo intellexit, & Filium ſimul
„ ea intelligentia complexus eſt. Qui verò
„ hunc acceperit, Spiritum à Filio non divi-
„ ſit: ſed juxta ordinem quidem perſonarum,
„ conſequenter, juxta verò naturam, con-
„ junctim, trium perſonarum fidem eadem
„ ratione contemperatam in ſeipſo expreſſit.
„ Et qui de Spiritu ſolo loquitur ſimul iſta
„ confeſſione, & eam, quæ illum concernit,
„ cujus Spiritus eſt, conjunxit, & quoniam
„ ex Chriſto Spiritus, & teſte Paulo, ex
„ Deo eſt, fit, ut quemadmodùm in catena,
„ qui unius annuli ſummitatem apprehendit,
„ hoc ipſo ſimul, & alterum inſertum attra-
„ hit, ita & hic, qui Spiritum trahit, ut
„ Propheta, inquit, per ipſum, & Filium,
„ & Patrem unà ſimul attraxerit. Et ſi quis
„ verè Filium apprehenderit, habebit & ip-
„ ſum utrinque, hinc Patrem illius, illinc
„ Spiritum Sanctum unà compactum. Neque
„ enim à Patre abſcindi poterit, qui ſemper
„ eſt in Patre: neque à proprio Spiritu ſe-
„ jungetur unquam, qui in ipſo operatur
„ omnia. Conſimiliter & qui Patrem aſſe-
„ quutus fuerit, & Filium unà cum illo, &
„ Spiritum Sanctum eadem virtute aſſequu-
„ tus eſt. Non enim poteſt aliqua ullo pacto
„ excogitari vel ſectio vel diviſio, ut ſive Fi-
„ lius abſque Patre cogitari, ſive Spiritus à
„ Filio ſejungi queat, ſed ineffabilis quædam
„ in iſtis, & quæ nulla cogitatione apprehen-
„ di poterit, tam communio, quàm diſcre-
„ tio deprehenditur. *Hæc Baſilius*. Et concludit Coloſſenſis, quòd ita ſe habent divinæ perſonæ, ut una illarum cogitatione apprehēſa, cæteræ quoque intelligantur ſecundùm Baſilium, ac ita neceſſe eſſe, ut qui intelligit Spiritum produci à Patre, intelligat quoque eundem produci à Filio, allegans & aliud Baſilii teſtimonium in Homilia XV. quæ eſt de fide, ubi dicit: „ Quæcumque habet, Pater,
„ habet & Filius, niſi quòd Filius non eſt
„ Pater: omnia eſt Filius, quæcumque Pa-
„ ter, eo uno dempto, quod non eſt Pater,
„ has mihi ſerva proprietates: manens igitur
„ Filius in eſſe Filii, omnia eſt quæcumque
„ Pater, ſecundùm ipſius Domini vocem di-
„ centis: *Quæcumque habet Pater, mea ſunt*:
„ quia profectò imaginis ſunt ea omnia, quæ
„ inſunt prototypo.

739 Denique proceſſit Coloſſenſis ſive Rhodius ad probandum præfatam explicationem per illam vocem factam, nullibi eſſe prohibitam, quoniam etiam ſanctæ Scripturæ explanantur, & tamen Paulus cap. I. ad Galatas dicit: *Si quis vobis evangelizaverit præter, id quod accepiſtis, anathema ſit*. Illi enim reprehenſione digni ſunt, qui exponendo in contrarium ſenſum ſententiam extorquent, quomodo tempore Pauli nonnulli in Judaicum ſenſum ſequentes literam, Scripturam exponebant: unde in ſecunda ad Corinth. cap. III. ait: *Litera occidit, Spiritus autē vivificat*. Probat inde auctoritate Gregorii Nazianzeni Orat. XXXIX. de Epiphania, ſive in ſancta Lumina, non eſſe attendendas ſylabas, ſemel quòd non ſit variata ſententia, ubi ait: *Neque enim de vocabulis diſſidebimus, quamdiù Syllabæ ad eamdem ſententiam ferent*, idem ex eodem Nazianzeno confirmante Gregorio Palama, à Græcis in maxima habiti æſtimatione, qui ait: *De vocibus parùm curo; non enim in ſolis vocibus, ſed in rebus conſiſtit pietas, juxta Gregorium Theologum: Dogmata, & res mihi curæ ſunt: & ſi, qui in re convenias, contra voces non pugno*.

740 Deinde poſt nonnullas alias probationes, hanc addidit: ſemel licuiſſe Eccleſiæ addere Symbolo ſyllabas & verba ad illud explanandum cogente neceſſitate propter novas enaſcentes hæreſes, ut factum eſt in Concilio Conſtantinopolitano primo; ubi Patres propter Macedonii hæreſim Nicænum Symbolum novis verbis explanarunt, excuſantibus ſe ac dicentibus, id ſe feciſſe propter pericula, quæ occaſione falſi dogmatis Eccleſiæ emergebant; ut referunt Patres IV. Synodi, Concilii ſcilicet Chalcedonenſis, act. V. poſt recitatum Symbolum: cùm porrò Eccleſia ſit una: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium*, ut ait Paulus ad Epheſios cap. 4. quod ſemel licuit, eadem interveniente cauſa, ſemper licet, proinde urgente neceſſitate, propter illos ſcilicet, qui novum dogma introducebant contra Spiritus Sancti proceſſionem à Filio, licere potuit Eccleſiæ Romanæ eam in Symbolo facere explicationem. Hoc namque prohibitum haud eſſe in Decreto Epheſinæ Synodi, quoniam in eo prohibetur, ne altera fides, aut Symbolum conſcribatur, formetur, prædicetur, doceatur, ut verba definitionis clarè manifeſtant: nō verò prohibetur explanatio, ſive expoſitio a

ca-

Digitized by Google

cæteræ autem ſubſequentes Synodi, in earum definitionibus, eandem & eundem habentem ſenſum, prohibitionem addiderunt ſecutæ Synodi Epheſinę formulã, & ſemper poſteriorum Synodorum Patres, ad priores ſe referentes, ut acta ipſa declarant. Cyrillum verò in Epiſtola ad Joannem Antiochenum dicentem, neque unam ſyllabam, aut vocem immutandam Symbolo, eſſe intelligendum, concludit Coloſſenſis de vocibus, & ſyllabis, quæ ſententiam mutant, & ad alium ſenſum genuinã Symboli intelligentiam transferunt. Hęc itaq; omnia Coloſſenſis pronunciavit in hac ſeſſione VI. reliqua in ſequenti ſeſſione.

741 Cæterùm Gregorius Nazianz. qui ſecundæ Synodi interfuit, in oratione habita in eadem Synodo, propter eos, qui de vocibus hypoſtaſis & perſonæ contendebant, ait: *Deſinant enim, qui de his inter ſe contendunt. ineptire, perinde ac ſi fidei noſtræ pietas in nominibus, non in rebus conſiſtat*. Et paulò infra. *An fieri poteſt, ut quidam magis inter ſe concordent, atque idem dicant, quam cum ita ſentiunt, tametſi alioqui ſyllabis diſcrepent?*

742 Die Sabbati XXV. ejuſdem menſis Octobris habita eſt ſeſſio VII. iiſdem pariter intereſſentibus Patribus, in qua iterum Coloſſenſis, ſive Rhodius ſermonem reaſſumpſit: cùm enim Græci privatim dicerent, præfatum Rhodium non ſatisfeciſſe propoſitis ab Epheſio per ea, quæ allegaverat in ſuperiori ſeſſione, iterùm exorſus eſt probare vocem illam *Filioque*, Symbolo additam non eſſe additionem, benè verò explicationem ex intrinſecis ipſius Symboli erutam. Ac ita primùm demonſtrant præfatam vocem additam Symbolo, non eſſe contrariam definitioni tertiæ Synodi, quia ibi prohibetur, nè quis aliam fidem componat, aut conſcribat, aut doceat, preter traditam in Symbolis Nicæni, & Conſtantinopolitani ibidem recitatis: atqui per illam vocem non eſſe traditam aliam fidem: nam credere, Spiritum Sanctum procedere ex Filio ſicut ex Patre, non eſſe aliam fidem, ſe jam probaſſe in ſuperiori diſputatione faſſus eſt, ſed eſſe explanationẽ, & explicationem nullo modo Decreto præfato interdictam.

743 Ad textum verò Cyrilli, quod iterum recitavit, quo prohibetur, nè una vocula, aut ſyllaba addatur, vel minuatur, aut immutetur, ex conſtitutis per Sanctos Patres in Symbolo Nicæno, reſpondit intelligendum eſſe de additione, vel immutatione, quæ aliam fidem exprimat: nam verba Cyrilli referenda eſſe ad Decretum tertiæ Synodi, cui ille interfuit, & in qua ipſa Epiſtola recitata fuit: ac ita, quòd nulli liceat immutare aliquam voculam, nec ſyllabam, quæ aliam fidem doceat, faſſus eſt. Addens etiam ex verbis ſubſequentibus Cyrilli elici, cùm dicat: *Neque nobis ipſis permittimus concutere Nicænam fidem, præterea nec vocem immutare, aut ſyllabam præterire*. Cùm itaque per vocem illam nihil immutetur de fide Nicæna, ſequi, inquit, Epiſtolam Cyrilli non militare contra præfatam adjectam vocem: ſubjunxit etiam & aliam rationem, dicens: Decreta illa, quibus prohibebatur, & præſertim Decretum tertiæ Synodi eſſe condita poſt definitiones: Et ſicut hoc non obſtante Eccleſiæ ſemper licuit Definitiones & Decreta condere, accedente neceſſitate, ſicut propter novas hæreſes factum eſt in ſubſequentibus Synodis, ita etiam, eadem attenta neceſſitate, licitum erit ipſum Symbolum explicare. Deinde exemplum attulit de Evangelio, in quo perfecta fides continetur, & tamen Doctores tàm Græci, quàm Latini illud explanarunt, & explicarunt, quemadmodùm & univerſam ſacram Scripturam: dicere autem non eſſe appoſitam prohibitionem, falſiſſimum eſſe probavit ex verbis Pauli ad Galatas cap. I. *Si quis evangelizaverit vobis præter id, quod accepiſtis, anathema ſit*. Et ex cap. ultimo Apocalypſis: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Si quis diminuerit de vobis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ*: His tamen non obſtantibus prohibitionibus, Ario utente verbis Chriſti dicentis, Joan. 14. *Pater meus major me eſt*, ad ſuam hæreſim conſtabiliendam, licuit Patribus verba illa explicare: ergò, inquit, quoties occurrit neceſſitas, & licebit Evangelium, & Symbolum, & univerſalem Scripturam explicare, cùm in hac nulla cadere poſſit prohibitio, quæ uniceè cadit contra eos, qui aut addendo, aut minuendo, aliam fidem componunt, præter traditam à Sanctis Patribus, tàm in Symbolo, quàm in univerſis ſacrorum Conciliorum definitionibus. Hoc idem conſtare clariſſimè demonſtravit ex ipſo Decreto definitionis Synodi Chalcedonenſis, *ſufficeret quidem &c.* In quo Patres palàm fatentur, in Concilio Conſtantinopolitano per adjectionem verborum factam Symbolo Nicæno, ad ſignificandam Spiritus Sancti Divinitatem, nullam factam fuiſſe additionem, ſed solùm explicationem: *Decrevit ante omnia* (inquiunt Patres in prædicto Decreto) *fidem integram & intemeratam permanere trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, & confirmat doctrinam, quæ de ſubſtantia Spiritus Sancti à Patribus centum quinquaginta poſtea congregatis in Regia Civitate, tradita eſt propter illos, qui Spiritui Sancto repugnabant; quam illi omnibus notam fecerunt, non quaſi aliquid deeſſet prioribus, adiicientes, ſed ſuum de Sancto Spiritu intellectum contra illos, qui Dominationem ejus reſpuere tentaverunt Scripturarum teſtimoniis declarantes*.

744 „ In hoc eodem ſenſu dixit & expoſuit teſtimonia Joannis Conſtantinopolitani, Vigilii Papæ, & Agathonis: immò demonſtravit in Symbolo recitato ab Agathone Papa in ea Epiſtola ab Epheſio citata, quæ-

dam verba eſſe dempta, quædam adiecta ex iis, quæ recitantur in Symbolo Niceno. Dicit enim Agatho in Symbolo: *Credentes &c. Et in Filium ejus unigenitum, qui ante omnia ſecula ex eo natus eſt*: In Niceno dicitur: *Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, natum ex Patre*. Et ita in Symbolo Conſtantinopolitano: undè apparet in Symbolo recitato ab Agathone, omiſſa verba: *& in unum Dominum Jeſum Chriſtum*: Item in Symbolo Agathonia dicitur: *per quam omnia facta ſunt, quæ in Cælo, & quæ in Terra*: At nec in Niceno, nec in Conſtantinopolitano habentur verba illa, *quæ in Cælo, & quæ in Terra*; & ita conſtat hæc verba adiecta eſſe ab Agathone. Et his non obſtantibus, nec reprehenſus fuit Agatho, nec ejus Symbolum rejectum, immò receptum cum univerſa Epiſtola. Ex quo ſequi, concluſit, mentem Patrum Epheſinæ & Chalcedonenſis Synodorum prohibentium, addi, vel minui, fuiſſe prohiberi additionem, vel diminutionem exprimentea aliam fidem.

745 Cùm verò Epheſius oppoſuiſſet Concilium Epheſinum, in quo Patres, attanta Symboli Niceni integritate, auſi non fuerunt addere in præſato Symbolo vocem *Deiparæ*; reſpondit Rhodius, ſivè Coloſſensis, id non feciſſe, quia neceſſarium non exiſtimarunt, cùm ex verbis ipſis Symboli id neceſſariò ſequeretur: Ex quo enim in Symbolo dicitur: *ex Patre natum & conſubſtanzialem Patri*, ſequitur Filium Deum eſſe, æque ac Pater eſt, & cùm poſtea dicatur: *Incarnatus, & homo factus*, ſequi neceſſe eſt Beatam Virginam peperiſſe Deum & hominem: ſubjunxit inde Rhodius, Definitionea Patrum in materia fidai æquipollere Symbolo: Non minus enim de fide credenda ſunt, quæ habentur in Symbolo, ac quæ habantur in definitionibus Patrum: unde Patres definiendo ſubiecerunt & Symbolo Dafinitiones, & communiter de utriſque interdixerunt, nè fieret additio, vel diminutio, nec alia componeretur fidea. Et ita ſatis fuiſſe, *inquit*, Patres Epheſinos in ipſa diffinitione dixiſſe, Beatam Virginem eſſe Deiparam, quæ tantæ eſt auctoritatis, quantæ eſt Symbolum ipſum. Nec dicendum, ſi voluiſſe haud potuiſſa, quia non minoria auctoritatis fuit Concilium Epheſinum, cui interfuerunt ducenti Patres, ac ſecunda, in qua fuerunt centum & quinquaginta: Et ſi licuit Patribus ſecundæ Synodi propter hæreſim contra Divinitatem Spiritus Sancti, addere Symbolo Nicæno voces 'explicantes Divinitatem ejuſdem Spiritus Sancti, licuiſſet etiam Epheſinis Patribus addere eidem Synodo voces explicantes Deitatem Chriſti hominis, & Dei Maternitatem Beatæ Virginis.

746 Deinde procedens ulterius Rhodius his præſuppoſitis, aggreſſus eſt probare, licuiſſe Romanæ Eccleſiæ explicare proceſſionem Spiritus Sancti à Filio per illam vocem *Filioque*, eamqne promulgare, motam primùm ex dictis Sanctorum Patrum, ac inde maxima interveniente neceſſitate: & quo ad dicta Sanctorum Patrum allegavit primùm Teſtimonia Sancti Auguſtini in libris de Trinitate, & in libro de Fide ad Petrum (licèt hic liber Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis ſit, non Auguſtini, ut tunc credebatur). Item Ambroſii, Gregorii Magni, & Hilarii. Omiſſis poſtea Latinis Patribus, adduxit ex Græcis Teſtimonium Baſilii in Canonicis Epiſtolis, in quibus ponit naturalem ordinem in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Gregorii Baſilii Fratris Homilia 4. *Pater noſter*, ubi ait: Filium eſſe ex Patre immediatè; & hoc eſſe filii proprium. Athanaſii in Epiſtola ad Serapionem dicentis: ſicut ſe habet Filius ad Patrem, ita ſe habet Spiritua ad Filium. Baſilii exponentis illud Zaccariæ cap. 4. ubi ait; Quemadmodum Pater habet Spiritum Sanctum naturaliter, & ſubſtantialiter, ita & Filius habet eundem Spiritum Sanctum: Joannis Chriyſoſtomi in homilia 38. dicentia: omnia quæ Pater eſt, eſſe Filium, præter hoc, quod ille quidem eſt genitor, hic verò genitus: Metaphraſtea in vita Beati Dionyſii, ubi ait: *Menſque ad Cælos evebitur Chriſtus, ad Patriam redit in ſedem: ac Spiritum, qui ab ipſo procedit, ad gentes quæ non credebant inſtituendas mittit in Diſcipulos*: Ac denique Anaſtaſii Synaitæ, in ſermone de rectis, ubi dicit: *Spiritus oris ejus, Dei ſcilicet, Spiritus Sanctus dicitur, cùm os ſit unigenitus: & rursùs; ſpiritus ex ipſo procedens, & miſſus non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filia*.

747 Explicationem porrò præſatam, urgente neceſſitate, ab Eccleſia Romana factam per illam vocem *Filioque*, demonſtravit Rhodius, aſſeruitque, ut quemadmodùm Eccleſiæ Orientalis propter novas exortaa in ea hæreſes, coacta fuit aliqua ex Nicæna Symbolo explicare: ita Eccleſia Latina propter ſubortum in Occidente errorem contra proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, coacta fuit præſatam facere explicationem. Et hunc errorem in Occidente primùm à Neſtorianis diſſeminatum aſſeruit; Et quidem fuiſſe Neſtorianorũ dogma probavit ex Neſtorii Symbolo, dicens in eo hæc verba contineri, nimirum: *Spiritus Sanctus non eſt ex Filio, neque accipit eſſe à Filio*: Addidit, Theodoretum quoque Neſtorio adhærentem idam tradidiſſe: quoniam verba Pauli ad Galatas cap. 4. *Spiritum Filii*, expoſuiſſe, inquit, *conſubſtantialem Filio*. Et hac de cauſa Cyrillum contra Theodoretum dixiſſe, Spiritum Sanctum eſſe per Filium, & eſſe Filii, & effundi ab ipſo, quod non dixiſſet, concluſit, niſi hac Neſtorii & Theodoreti opinione compulſus ad evertendam pravam illorum ſententiam.

748 Cæterùm hoc dogma primùm à Neſtorianis exortum, liquet ex expoſitione Symboli depravati eorundem Neſtorianorum, ex-

hi-

hibiti à Chariſio Presbytero, & relecti Actione VI. Concilii Epheſini, poſt recitatam ejuſdem Chariſii Confeſſionem fidei: in quo Symbolo inter alia de Perſona Spiritus Sancti dicitur: *Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium, ſuam ſubſiſtentiam habentem*. Et Theodoretus eandem in hoc ſecutus Neſtorii ſententiam, contra Capitulum IX. Cyrilli, in quo dicit Cyſillus, Spiritum Sanctum eſſe propſium Filii, ait: „ Proprium
„ autem Spiritum Filii, ſi quidem ut ejuſdem
„ cum eo naturæ, & ex Patre procedentem
„ dixit, ſimul confitebimur, & tanquam piam
„ ſuſcipiemus vocem: ſi verò tanquam ex
„ Filio, aut per Filium exiſtentiam habeat,
„ hoc ut blaſphemum & impium reiicimus.
„ Credimus enim Domino dicenti: *Spiritus,*
„ *qui ex Patre procedit*: Sed, & ſaeratiſſimo
„ Paulo dicenti ſimiliter: *Nos autem non ſpi-*
„ *ritum Mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex*
„ *Deo Patre eſt*: *Hæc ille*. Cui calumniæ reſpondens Cyrillus, ait: „ Novimus ad hęc
„ Sancti Spiritus operatione coaterentem
„ nequiſſimas, immundaſque virtutes: Sed
„ non ita dicimus eum, ſicut unumquemque
„ ſcilicet Sanctorum, virtute Spiritus Sancti
„ tanquam aliena uſum. Erat enim, & eſt
„ ejus Spiritus ſicut, & Patris. Et hoc nobis
„ benè ſatis explanabit Divinus Paulus ſcri-
„ bens (ad Rom. cap. 8.) *Qui autem in carne*
„ *ſunt, Deo placère non poſſunt. Vos autem*
„ *non eſtis in carne*; ſed in Spiritu: *ſi tamen*
„ *Spiritus Dei habitat in vobis*; *ſi quis autem*
„ *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*.
„ Procedit enim ex Deo, & Patre Spiritus
„ Sanctus ſecundùm Salvatoris vocem; ſed
„ non eſt alienus à Filio: omnia enim habet
„ cum Patre; & hoc ipſe edocuit, dicens de
„ Spiritu Sancto (Joan. 15.): *omnia quæ-*
„ *cumque habet Pater, mea ſunt. Propterea*
„ *dixi vobis, quia de meo accipiet, & annuntia-*
„ *bit vobis*. Hæc Cyrillus, qui in reſponſione ad oppoſitionem Orlentallnm contra eundem Capitulum ait: *Sanctis quidem viris, in quibus donorum Sancti Spiritus diſtributio præcellit, bene congruit hæc vox, Chriſto autem non item. Proprius enim eſt ejus Spiritus Sanctus, quemadmodum ſcilicet eſt Dei Patris: operatus autem ſicut Pater per Spiritum ita & ipſe*. Hinc lib. XI. in Joannem cap. I. ſuper illa verba: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*: ait: *clarificat itaque Filium Paracletus, ideſt proprius ejus Spiritus, qui omnia poteſt, & omnia novit*. Et paulò poſt: *Sed quoniam conſubſtantialis eſt Filio, & modo Deo congruenti per ipſum procedit, omnem ejus perfectiſſimam in omnibus operandi vim, atque efficacitatem habens, idcircò dicit: Quid de meo accipiet*. Et infra. *Citra culpam igitur*, inquit, *& reprehenſionem omnem dici poteſt ab unigenito quidquam accipere Spiritum ejus: Nam cùm per ipſum procedat naturaliter, utpote cùm ſit ejus proprius, unà cum omnibus, quæ perfectè habet accipere dicitur quæ ejus ſunt*.

749 itaque ad Rhodii, ſivè Coloſſenſis diſputationem, iterum convertendo ſermonem, concluſit, dicens ex Neſtorii & Theodoreti dogmate, Romanam Eccleſiam impulſam Cœtum Occidentalium Epiſcoporum coegiſſe, præfatamque feciſſe explicationem: quoniam jam in Gallia & in Hiſpaniis canebatur Symbolum cum voce illa *Filioque*. Nec rem feciſſe indecentem demonſtravit, nam ante primam generalem Synodum, diverſæ aliæ particulares celebratæ fuerant, præcipuè Antiochiæ in cauſa Pauli Samoſateni, Anciræ in materia de lapſis tempore perſecutionis, ac etiam Neoceſareæ, quas poſtea Sancta Generalis Synodus Nicæna recepit, licèt nonnulla Neocæſareæ ſancita de ſeptem Diaconis non recepiſſet. Sardicenſe quoque Concilium, in quo ut ait Sozomenus lib. I. Eccleſ. Hiſtoriæ cap. IX. & X. recepta fuit Nicęna fides, & ſancitum ſanam, & rectam eſſe editam à trecentis decem & octo Patribus fidem, receptum fuiſſe abſque ulla dubitatione à Patribus ſecundæ Generalis Synodi. Obiicienti verò, cùm Orientales non fuère vocati ad illam Synodum, ubi facienda erat talis explicatio. Primò reſpondit, jam non conſtare ſi fuerint, nec nè vocati: ſecundò, quatenus non fuerint vocati, quòd Romana Eccleſia non tenebatur eos vocare; quoniam auctoritas Concillorum non pendet à numero Patrum, ut de ſe patet, quia eiuſdem ſunt auctoritatis Concilia Generalia, ſivè à pluribus à minoribus Patribus fuerint celebrata, ſed ab auctoritate Romani Pontificis, qui ea approbavit, & approbat: ſubjunxit inde, nec eſſe, nec fuiſſe convocare Gręcos ad Synodum, ubi illa facta fuit explicatio, cùm ſcirent jam Eccleſiam Romanam Symbolum canere cum illa explicatione, Græcis non repugnantibus, & adhùc unionem cum ea tenentibus.

750 Addidit inde teſtimonium Sancti Maximi in Epiſtola ad Marinum excuſantis Romanam Eccleſiam in eo quod ab Orientalibus accuſabatur, quaſi dicendo, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, duas cauſas Spiritus Sancti admitterent. Item licuiſſe Tharaſio Conſtantinopolitano Patriarchæ in ſua Epiſtola ad ſeptimã Synodum aſſerere, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, quod idem eſt, ac dicere *ex Filio*, ergò multò magis id licère potuiſſe Romano Pontifici, præcipuè in Patrum Cętu. Item non fuiſſe reprehenſam Eccleſiam Romanam in Synodo contra Photium celebrata de hoc dogmate tunc jam in Eccleſia prædicta recepto: & cùm ageretur contra Schiſmatis Auctorem, ſi à Patribus illius Synodi habitum fuiſſet contrarium rectæ fidei, nullatenus ſilentio præteriiſſent. Horſmidam quoque, qui claruit ante V. Synodum ſub Juſtino Imperatore in Epiſtola ad Joannem Antio-

Digitized by Google

tiochenum, & Orientales, profeſſum eſſe Spiritum Sanctum etiam procedere à Filio. Et ideò concludens dixit,hoc dogma cauſam non extitiſſe diſſidii. In Romana Eccleſia, vel Romano Pontifice, ſummam reſidére auctoritatem explanandi ea, quæ fidem ſpectant, Cyrillum ipſum Alexandrinum fateri,aſſeruit: probavitque inſuper auctoritate Agathonis in Epiſtola citata ab eodem Epheſio, ubi ſcribit: „ Si ſilentio texero veritatem, quam „ erogare nummulariis juſſus ſum per illa „ verba: *Paſce oves meas: & tu aliquando* „ *converſùs confirma Fratres tuos*: quando- „ quidem nobis incumbit neceſſitas docendi „ Chriſtianos, quæ pertinant ad veritatem. „ *Et paulò ante*: Tota Chriſtianorum Ec- „ cleſia Catholica, & omnes univerſales „ Synodi fideliter amplectentes ejus doctri- „ nam, & omnes Sancti Doctores & Eccle- „ ſiæ luminaria in omnibus ejus doctrinam „ ſecuti ſunt &c. His itaque ac aliis à Rho- „ dio expoſitis, dimiſſa eſt ſeſſio.

751 Cæterùm quoad teſtimonium Sancti Maximi, qui claruit ſub Heraclio Imperatore, ferè duo integra ſęcula ante exortum Photianum ſchiſma, in Epiſtola ad Marinum Presbyterum, cujus fragmentum habetur tom.v. Conciliorum Labęi pag. 1772.

752 Viſum eſt ejus verba afferre: „ ait „ namque; Non in tot hujus Sanctiſſimi „ Papæ Synodica, quot ſcripſiſtis Capitu- „ lis, Conſtantinopolitani reprehenderunt, „ ſed in duobus tantùm: quorum alterum „ eſt, de Divinitatis ratione, quia dixit, „ ajunt, *procedere etiam ex Filio Spiritum* „ *Sanctum*. Alterum verò de Divina Incar- „ natione, quoniam ſcripſit, *inquiunt*, abſ- „ que Originali, & actuali peccato Domi- „ num eſſe. Et in priore quidem conſonantia „ protulerunt teſtimōia Latinorum Patrum, „ necnon & Cyrilli Alexandrini de ſacro „ ipſius opere, quod in Sanctum Evangeli- „ ſtam fecit Joannem, ex quibus non cauſam „ Spiritus Sancti Filium ſe facere monſtra- „ verunt. Unam enim norunt cauſam Filii „ ac Spiritus eſſe Patrem, alterius quidem „ ſecundùm generationem, alterius verò „ ſecundùm emiſſionem; ſed ut hunc per eum „ prodire inſinuarent, & hac ſubſtantiæ „ communionem, & diſſimilitudinem de- „ monſtrarent. *Hactenus Sanctus Maximus*. Mentem porrò S. Maximi in hac defenſione aperit Anaſtaſius Bibliothecarius, eodem loco relatus à Labæo, paulò ante præfatum Sancti Maximi fragmentum, ubi ait: „ Præ- „ terea interpretati ſumus ex Epiſtola ejuſ- „ dem Sancti Maximi ad Marinum ſcripta „ prasbyterum circumſtantiam de Spiritus „ S.proceſſione,ubi fruſtrà cauſari contra nos „ innuit Græcos, cùm nos non cauſam, vel „ principium Filium dicamus Spiritus San- „ cti, ut autumant, ſed unitatem ſubſtantię „ Patris, ac Filii non neſcientes, ſicut pro- „ cedit ex Patre, ita eum procedere fatemur „ ex Filio, miſſionem nimirum proceſſionem „ intelligentes: piè interpretans, utriuſque „ linguæ gnaros ad pacem erudiens, dum „ ſcilicet & nos & Græcos edocet ſecundùm „ quiddam procedere, & ſecundùm quiddam „ non procedere Spiritum Sanctum ex Filio: „ Difficultatem exprimendi de alterius in „ alterius linguæ proprietatem ſignificans. „ Siquidem, & hujuſmodi pia interpretatio- „ ne Sanctus olim Athanaſius Orientales, & „ Occidentales ſuper ſubſiſtentiæ, vel per- „ ſonæ nomine diſſidentes univit, dum unum „ idemque utroſque corde credere, ſenſuque „ retinere perdocuit: licet ob linguæ varie- „ tatem aliter atque aliter ore confiterentur, „ & importunis contentionibus deſævirent. *Hæc Anaſtaſius*.

753 Teſtimonium porrò Hormiſdæ relatum à Rhodio,reperi in Epiſtola 79. ejuſdem, data Juſtino Auguſto, apud Labæum, tom.4. Concil. pag. 1551. in qua Epiſtola cùm agat Hormiſda de Divinitatis & Incarnationis myſterio, inter alia habet: „ Magnum eſt ſan- „ ctæ & incomprehenſibile Myſterium Tri- „ nitatis, Deus Pater, Deus Filius, Deus „ Spiritus Sanctus, Trinitas indiviſa, & ta- „ men notum eſt, quia proprius eſt Patris, „ ut generet Filium, proprium Filii Dei, ut „ ex Patre Patri naſceretur æqualis, pro- „ prium Spiritus Sancti, ut de Patre & Fi- „ lio procederet ſub una ſubſtantia Deitatis. *Hæc Hormiſda*. Data eſt Epiſtola VII. Kalendas Aprilis, Valerio viro clariſſimo Conſule, hoc eſt, Anno Domini DXL. Quæ, cùm ſit data ad Juſtinum Imperatorem, latère non poterat Græcos, hanc fuiſſe Romanæ Eccleſiæ fidem, eamque profiteri, Spiritum Sanctum procedere à Patra, & Filio, nec proinde tunc ſciſſi ſunt Græci, aut ab Eccleſia Romana ſeparati, hoc non obſtante dogmate, immò hanc fidem tenendam admonet monet in fine Epiſtolæ Hormiſda, dicens: *Si, ſi quæ prædicta ſunt, validis teneantur fixa radicibus, nec à paterna traditione receditur, & conſtanter quæſtionibus obviatur*.

754 Die prima menſis Novembris ejuſdem Anni celebrata eſt ſeſſio VIII. iiſdem, qui ſupra pariter intereſſentibus, in qua Beſſarion Nicænus ex Græcorum parte diſputare aggreſſus eſt, & reaſſumptis breviter quæ in præcedentibus ſeſſionibus adducta fuerant, ad argumentum Rhodii, ſive Coloſſenſis, qui probaverat prædictam vocem, *Filioque*, Symbolo appoſitam non eſſe additionem, ſed explicationem, quoniam nulla expoſitio ab extrinſecis principiis deſumi poteſt, ſed dumtaxat ab intrinſecis, negavit id eſſe verum, immò probavit eandem expoſitionem factam per verbum, *Filioque*, ab extraneis principiis deſumptam; quia præcipuè deducta eſt ex illo principio, *quòd omnia bona eſſentialia Patris ſunt Filii*, ac ideò ſi Spiritus Sanctus pro-

procedit à Patre, ſequitur, quòd etiam procedat à Filio: At qui hoc principium eſt extrinſecum, & ideo conſequentia ſequitur ex principio extrinſecus aſſumpto; & concludens, inquit, dato etiam, quòd vox, *Filioque*, dici poſſet explicatio, non tamen effugi poteſt, quin ſit additio: Si additio, cùm interdictum ſit additionem fieri Symbolo, non licuit Eccleſiæ Romanæ eam vocem ſuperaddere.

755 Ad ea porrò, quæ Coloſſenſis allegavit, nimirum licere, & licuiſſe explanationes fieri, non tamen additiones, nec licuiſſe alteram fidem, vel contraria fidei exponere, docere, vel componere, licuiſſe tamen fieri explanationes, quæ aliam fidem, vel fidei contraria non exprimunt, reſpondit Nicænus, explanationes aliam fidem exprimentes, vel dogmata fidei contraria inducentes, ſemper, & ab initio fuiſſe interdictas, & nunquam licuiſſe, licuiſſe verò declarare & explicare, quæ in fidei principiis continentur, eaſdem explicationes addere tam Symbolo, quàm in fidei definitionibus uſque ad ſecundam Synodum, verùm poſtea vetitum fuiſſe in III. Synodo, non explanare, ſive explicare, ſed hujuſmodi explicationes Symbolo addere; quoniam explicare ſemper licuit, licebitque, non ita quidquam addere Symbolo etiam ſub prætextu explicandi contenta in eodem Symbolo, quod feciſſe Patres III. Synodi, ait, conſiderantes hujuſmodi facultatem obeſſe magis, quàm prodeſſe Eccleſiæ, propter eos, qui ad deſtruendam fidem eâ utebantur. Undè Beatus Cyrillus in Epiſtola ad Acacium Melitenenſem, quæ habetur apud Labæum 3. part. Concilii Epheſini, num. 35. ſcripſit: „ Sancta quippe œcumenica Synodus, quæ Epheſi convenit, neceſſariò providit, non oportere aliam fidei expoſitionem in Eccleſias Dei inferri, præter eam, quæ jam extabat, quam Beatiſſimi Patres noſtri Sancto in Spiritu locuti definiverunt. *Ita Cyrillus*, ex quo ſubintulit Nicænus, hujuſmodi prohibitionem primùm factam in Epheſina Synodo, & cùm contraria exponere dogmata nunquam licuiſſe, ſequi aliud eſſe prohibitum eo Decreto, præter id, quod vetitum erat, & hoc eſſe vocum immutationem, quæ uſque ad id tempus licuerat, ut fecerunt Patres ſecundæ Synodi. Et hac de cauſa prædictos Epheſinæ Synodi Patres hujus Decreti conditores, ſe obſervatores primos exhibuiſſe, nolentes vocem *Deiparæ*, licèt admodùm neceſſariam tunc temporis Symbolo addere, quamvis hæc vox eſſet explanatio eorum, quæ in Symbolo continentur, quemadmodùm ſequentium poſtea Synodorum Patres auſi non fuerunt quidquam aliud addere, neque per modum explicationis, & licèt plures feciſſent explicationes, eas tamen Symbolo nequaquam addiderunt: Hoc idem feciſſe Gregorium allegatum à Coloſſenſi, nimirum fidem explanaſſe, ſuam tamen explicationem Symbolo non addidiſſe, ſubjungens, quòd ſi Latini probarent, poſt Epheſinam Synodum, aliquam dictionem, vel ſyllabam additam fuiſſe, Græcos eſſe paratos in ſententiam Latinorum deſcendere.

756 Ad teſtimonium Gregorii Theologi dicentis, non eſſe ſyllabarum & dictionum habendam rationem, reſpondit, illum locutum de vocibus ſynonimis idem habentibus ſignificatum, quales ſunt *perſona & hypoſtaſis*, *veſtis & indumentum*, aliiſque conſimilibus: hoc autem non habere locum in præſenti controverſia, ubi agitur de vocibus diverſa ſignificantibus, ut ſunt *Pater*, *& Filius*. Et ex hoc reſpondit ad aliud argumentum allegatum à ſimili, videlicet, quòd idem Symbolum diverſis vocibus recitatur à Græcis, & Latinis, concedens hoc verum eſſe, ſed non rectè ex hoc inferri conſequens, ait: quia etſi voces ſint diverſæ, vocabula ſcilicet Græca, & Latina, eundem tamen habent ſignificatum, in præſenti verò controverſia agi de voce aliud ſignificatum habente; quoniam vox illa, *Filioque*, diverſa eſt à *Patre*, & ſignificat Spiritum Sanctum à Filio quoque procedere, quemadmodùm procedit à Patre.

757 Ad illud verò de principiis, eorumvè conſequentiis ex ipſis principiis deductis, à Coloſſenſi allegatum, reſpondit primum gratum fore, ſi probetur controverſam concluſionem ex prædictis principiis verè & rectè inferri poſſe. Et quamquàm id probatum foret, tamen eam doctrinam Symbolo, ait, quam demonſtrativa concluſio eſt addenda ejuſdem demonſtrativi ſylogiſmi principia. Addit inde, non licère deductas ex ſcriptura conſequentias ipſi addere ſcripturæ, ita pariter nec licebit, deductas ex Symbolo conſequentias eidem addere Symbolo. Eccleſiam verò paris ſemper extitiſſe auctoritatis faſſus eſt, ſed hac adjecta limitatione, ut anteriorum Conciliorum Decreta evertere minimè debeat, aliàs ſeipſam deſtrueret. Licuiſſe inſuper nedùm Agathoni, Cyrillo, & Sophronio ſacram Scripturam interpretari, ac fidei articulos exponere, nulla exiſtente prohibitione, verùm & cuilibet fidelium, non tamen addere Symbolo expoſitiones, attenta prohibitione. Denique ad illud à Coloſſenſi dictum, quòd ad dicta tertiæ Synodi referenda ſint omnia ſequentium Synodorum, & ex illa interpretanda poſteriora, reſpondit utique, non tamen ut dicta tertiæ Synodi ſint aliorum explanationes, nam priora non ſunt expoſitiones poſteriorum, ſed potiùs poſteriora priora exponunt. His, & aliis à Nicæno adductis, dimiſſa eſt ſeſſio.

758 Die porrò IV. Novembris habita eſt ſeſſio IX. in qua idem Nicænus iterùm reaſſumpto ſermone, ad reliqua à Coloſſenſi adducta reſpondere curavit: Et primò dixit, ſecundùm Cyrillum idem eſſe fidem evitare, & fi-

Digitized by Google

& fidem declarare, dicere quid diverſum eſſe, alienum eſſe à mente Cyrilli, ac utique falſum. Inſuper & falſum Agathonem Pontificem exponendo, quædam Symbolo addidiſſe, quædam detraxiſſe, immò potiùs quodvis additamentum, vel diminutionem prohibuiſſe. Item, vocem *Deiparæ* ad Symbolum declarandum neceſſariam fuiſſe, cùm in Actis Synodi habeatur inſerta, attamen auctoritate Concilii additam Symbolo haud fuiſſe, quamvis ad declarandam fidem eſſet neceſſaria. Denique falſum eſſe, ait, Romanam Eccleſiam Sanctorum Patrum vocibus motam, aut neceſſitate cogente, talem feciſſe additionem jure ſuo uſam; nec quacumque attenta neceſſitate id facere ſibi licuiſſe, prohibentibus Synodicis Decretis: Id enim, quòd Eccleſiæ univerſali eſt interdictum, multò magis eſt interdictum Eccleſiæ Romanæ: *Quoniam igitur*, ait, *quantacumque facultate polleat Romana Eccleſia, minùs tamen Synodo œcumenica, & univerſali Eccleſia, ſi nos id univerſali negamus Eccleſiæ, multò magis negabimus Romanæ: negamus autem non ipſi à nobis, ſed arbitramur hoc Patrum decretis negatum*. His dictis quæſivit Nicænus, quomodò interdictum Patrum Latini intelligerent, an ſcilicet ad Symbolum, vel ad aliud referrent. Ad quod Coloſſenſis volens reſpondere, longam habuit de Spiritus Sancti proceſſione orationem, verùm Græci ad propoſitum non ſpectare dixerunt, ac ideò aures ei non præbuerunt: & ſic eſt ſeſſio abſoluta.

759 Seſſio inde x. reaſſumpta eſt die Sabbati VIII. ejuſdem menſis Novembris, in qua acceſſit diſputare Joannes Provincialis ex parte Latinorum, ac in ea diſputatione conatus eſt probare additionem illam particularem, *ex Filioque*, nulla ratione prohibita, ſed potiùs licitam eſſe declarationem. Itaque non eſſe additamentum probavit primò, quòd ſicut Evangelium propriè non eſt additamentum veteris Legis, ſed potiùs explicatio eorum, quæ continentur in veteri Lege, ita additamentum dici non poteſt particula illa *Filioque*, ſed explicatio eorum, quæ continentur in Symbolo. Quòd autem novum Teſtamentum non ſit additio veteri Teſtamenti, ex hoc probavit, quia omnia, quæ habentur in novo, virtute continentur in veteri: ad quod probandum allegavit teſtimonia Sancti Auguſtini lib. 17. contra Fauſtum, cap. 18. & lib. de Catechiz. Rudibus, ac etiam in quæſtionibus veteris & novi Teſtamenti, qu. 69. dicente Auguſtino in primo loco: *Chriſtus non venit Legem ſolvere, ſed adimplere; non ut adderentur Legi, quæ deerant, ſed ut ſcripta fierent &c.* In altero verò loco: *In veteri Teſtamento eſt occultatio novi: in novo Teſtamento eſt manifeſtatio veritatis*. In tertio verò loco, relatis verbis Evangelii Matthæi, cap. 5. *Oculum pro oculo &c.* ſubjungit Auguſtinus, nihil aliud voluit: *niſi, quod Legis habuit ſenſus: ſenſus enim Legis ad ſalutem hominis pertinet*. Adjecit & teſtimonium Magni Gregorii lib. 1. in Ezechiel. Homi. 6. ad illa verba, *Rota in Rota*, dicentis: *In Teſtamenti veteris litera Teſtamentum novum latuit*. Et infra. *Quod prædicat, lex, hoc etiam Prophetæ: quod denunciant Prophetæ, hoc exhibet Evangelium, hoc prædicaverunt per Mundum*. Quibus allegatis concludens, ait: „ Si ergò, juxta Auguſtinum, tanta myſteriorum novi Teſtamenti copia, quod implicitè concluderetur in Lege veteri, non dicitur additio, ſi ſenſum ſpectes; mirum non eſt, ſi qua horum explicatio non dicitur ſimpliciter & propriè additio, videlicet ſecundùm ſenſum, ſed potiùs complicatæ rei evolutio. *Hæc ille*, addens, hoc ipſum planè etiam conſtare ex contextu ſucceſſionis in expoſitione Articulorum Fidei; quia, ut ait Auguſtinus in Pſal. 50. *Tempora variata ſunt, non fides*.

760 Deinde progreſſus eſt probare hujuſmodi additamentum per explanationem eorum, quæ implicitè continētur five in Scriptura, five in Symbolo, aut Fidei deffinitionibus, non eſſe vetitum; ad quod probandum, uſus eſt doctrinâ D. Bonaventuræ Dub. 2. in Prologum Sententiarum diſt. 1. ubi Sanctus Doctor tria additamentorum genera diſtinguit: unum, in quo additum eſt contrarium; alterum, in quo eſt diverſum; tertium verò, in quo eſt conſonum; & ait, primum eſſe erroris; ſecundum, præſumptionis; tertium verò fidelis inſtructionis, quia, *quod implicitum eſt, explicat*. Cùm itaque in hac verbali additione, *Filioque*, neque contrarium quid, neque diverſum exprimatur, ſed quod conſonum eſt, & in ipſo Symbolo implicitè continetur, ſequitur ſub nulla cadi prohibitione, & licitè & rectè factam explicationem illam, & Symbolo additam, atpotè ei conſonam & convenientem.

761 Ad illud autem, quod Nicænus dixerat, nimirum Eccleſiæ Patres ante tertiam Synodum, habuiſſe Scripturæ declarandæ, ac Symboli augendi poteſtatem, ademptam verò poſtea propter abuſum in Epheſina, & inde in Chalcedonen. Synodo, negavit Joannes Provincialis id eſſe verum, prohibitionem verò Epheſinæ, & Chalcedonenſis Synodorum, eos ſolos adſtringere, qui addendo, vel minuendo, Eccleſiam evertere conabantur: Eccleſiæ verò legitimæ congregatæ nunquam addendi facultatem præreptam eſſe, ubi hæreſeos periculum & neceſſitas ipſa eandem requirunt. Unde ait Patribus in particulari nunquam licuiſſe aliquam facere Symbolo additionem, neque per modum explicationis, vel ipſam explicationem addere Symbolo, hoc ſolùm licuiſſe in Synodo œcumenica Congregatis, ut tradit Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 10. Doctrina porrò Sancti Thomæ loco citato in corpore hæc eſt: „ Reſpondeo, *inquit*, dicendum, quod ſupra

,, pra dictum eſt art.8. Nova editlo Symboli ,, neceſſaria eſt ad vitandum inſurgentes er- ,, rores . Ad illius ergò auctoritatem perti- ,, net editio Symboli, ad cujus auctoritatem ,, pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt ,, fidei, ut ab omnibus inconcuſſa fide te- ,, neantur . Hoe autem pertinet ad anctori- ,, tatem Summi Pontificis , ad quem majo- ,, res & difficiliores Eoclefiæ quæſtiones re- ,, feruntur &c. *Hac D.Thomas* .

762 Deinde expoſuit prohibitionem Cōcilii Epheſini, de non addendo & minuendo Symbolo, uſus doctrinâ D.Bonaventuræ in 1. ſen. diſt. x1, dub. 11. ubi reſpondens ad objectionem deductam ex præfata addendi & minuendi prohibitione, ait: *Secundùm veritatem autem excommunicationis ſententia non ſe extendit niſi ad contradicentes, quia non fuit eorum intentio præcludendi viam ad explicationem fidei faciendam majorem, ſi Deus alios magis illuminaret: ſi hoc dixiſſent, conſtat quòd non benè moti fuiſſent, & ſententia eorum meritò abolenda eſſet.* Ipſe etiam D. Thomas 2.2. queſt.1. art.10. in reſponſione ad ſecundum, eodem modo ſolvit objectionem deductam ex Decreto tertiæ Synodi, inquiens : ,, Ad ſecundum dicendum, quòd prohibitio & ſen- ,, tentia Synodi ſe extendit ad privatas per- ,, ſonas , quarum non eſt determinare de fide: ,, non enim per hujuſmodi ſententiam Syno- ,, di Generalis ablata eſt poteſtas ſequenti ,, Synodo novam editionem Symbóli facere, ,, non quidem aliam fidem continentem, ſed ,, eamdem magis expoſitam . Sic enim quæ- ,, libet Synodus obſervavit, ut ſequens Sy- ,, nodus aliquid exponeret ſupra id, quod ,, præcedens Synodus expoſuerat, propter ,, neceſſitatem alicujus hæreſis inſurgentis: ,, pertinet ad Summum Pontificem, cujus, ,, auctoritate Synodus congregatur, & ejus ,, ſententia confirmatur. *Hactenus Divus* ,, *Thomas* .

763 Poſtea idem Joannes Provincialis aggreſſus eſt probare mentem Patrum tertiæ Synodi unicè fuiſſe interdicere, aut privatis perſonis, aut privatis Eccleſiis aliam fidem exponere, & contrariam Symbolo Nicæno inducere: & hoc primùm ex actis ejuſdem Concilii Epheſini, ubi actione 1. non comparente, licèt citato, Neſtorio, juſſum eſt legi Nicænam Synodum, ut cum eo facta ſermonum de fide collatione, reciperentur, quæ cum illo convenirent, quæ verò diſcreparent, reiicerentur: ,, in primis autem (*dixit Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus*) recite- ,, tur fides, quam trecenti decem & octo Pa- ,, tres, & Epiſcopi Niceæ quondam congre- ,, gati expoſuerunt; ut ſententiis ad fidei ,, doctrinam ſpectantibus cum ea expoſitione ,, collatis, conſentientes quidem, confirmen- ,, tur, diſſentientes autem, reiiciantur. *Hæc ille*, & lectum eſt Symbolum. Ex quo ſubintulit Joannes, ſequi videtur, Synodum voluiſſe, ut fides conſona Patribus non prohiberetur, ſed ſolùm ea, quæ ab illis diſſentit. Ac ita per verba illa adjecta in Decreto diffinitionis: *Nulli liceat proferre alteram fidem, præter ea, quæ Niceæ conſtituta eſt*, nihil aliud interdicere voluiſſe, quàm explanationem alterius fidei diſcrepantis à fide Nicænorum Patrum. Poſtea, ait Joannes, recitatum eſt Symbolum Nicænum: deinde lecta eſt Epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, in qua verba Nicænæ Synodi declarat, & exponit, demonſtrans in ea expoſitione, Beatam Virginem eſſe Deiparam, hortanſque in fine Neſtorium, ut eam ſentiat & doceat: abſoluta poſtmodùm ejuſdem Epiſtolæ lectura, Cyrillus dixit: *Sanctitatem veſtram rogatam cupio, ut coram exponat, rectè nè & inculpatè, ſanctoque illi Concilio convenienter hæc ſcripſerim, an ſecus.* Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymorum reſpōdit: *Sacro fidei Symbolo Niceæ quondam edito, jam recitato, & ſanctiſſimi Archiepiſcopi Cyrilli Epiſtola, per omnia ſibi utraque conſentanea, ac inter ſe conſentientia comperio, quocirca piis hiſce dogmatibus aſſentior & ſubſcribo.* Idemque dixerunt cæteri Patres. Ad hæc verò poſtulante Palladio Epiſcopo Amaſeæ lecta eſt Epiſtola Neſtorii ad Cyrillum, ac poſtea, interrogante Cyrillo, ſi contenta in ea eſſent conſona fidei Nicænæ, Juvenalis dixit: *Nullo modo conſona eſt piæ fidei expoſitæ à Sanctis Patribus, qui Niceæ convenerunt, & eos anathematizo, qui ita credunt: Etenim aliena ſunt hæc omnia ab orthodoxa Fide*: & in eundem ſenſum locuti ſunt cæteri Patres.

764 Ex his conſtat, inquit Joannes, quis fuerit ſcopus Synodo, Patribusque, qui interdictum poſuere, *nè cui liceat proferre alteram fidem præter Nicænam*: fidem enim intelligunt contrariam, pugnantem, diverſam, peregrinam, alienam à recta fide. Quare vox illa ſignificat diſcrepantiam & contrarietatem, non alteram expoſitionem veritati fidei conſentientem. Hoc & Cyrillus ipſe teſtatur, qui apertiùs dilucidiùſque expoſuit, dilatavitque Nicænam fidem. Hoc etiam habetur evidentiùs in Epiſtola, quam tertia hæc Synodus ſcripſit ad Imperatores, recenſendo quid ipſa geſſerit: nam inter alia, *literas*, inquit, *Cyrilli comperimus dogmati, & ſenſui Patrum conſentaneas, & nullo modo à fide tradita per Apoſtolos, Nicænoſque Patres alienas: Dogmata verò Neſtorii pugnantia deprehendimus cum dogmatibus, & fide Catholica.* Hæc ille.

765 Denique ex Epiſtola Cæleſtini ad Neſtorium data, quæ incipit, *aliquantis diebus*, eadem in actione prima ejuſdem Epheſinæ Synodi relecta, probavit Joannes Provincialis idem aſſumptum, & fortiùs inſtitit: nam in ea inter alia ſcribit Cæleſtinus: *Quis unquam non dignus eſt anathemate judicatus, vel adiiciens, vel detrahens fidei? Plenè ete-*

nim ac manifeſtè tradita ab Apoſtolis nobis, nec augmentum, nec imminutionem requirunt. Legimus in libris noſtris, non addi debere, nec detrahi: magna quidem & addentem & detrahentem pœna conſtringit (Apocal. cap.22.) Ex quo teſtimonio primò hanc deduxit conſequentiam, nimirum etiam ante Epheſinam Synodum vetitum fuiſſe, ac pœna mulctatum addere, ſeu detrahere etiam ipſi Apoſtolorum Symbolo: & tamen conſtat ab Apoſtolorum Symbolo ſublatum, *Deſcendit ad inferos*, quod nec in Nicæno, nec in Conſtantinopolitano legitur: ſed quia factum à Patribus, nemo de hoc reprehendit; Cœleſtinum verò reprehendere Neſtorium, ait, quòd à Symbolo ſuſtulerit vocem Deiparæ, cùm antecedenter dicat: *Unde hæc in populos Epiſcopo prædicare, quibus Virginei partus reverentia ſancietur? Non debent veteris fidei puritatem blaſphema in Deum verba turbare*; & ſtatim ſubjũgit, vetitum eſſe Apoſtolorum Symbolo addere, vel detrahere: quæ tamen vox *Deipara* non explicitè cõtinetur in Symbolo, ſed implicitè tantùm, ac proinde ſequi, vetitum eſſe aliquid addere, vel detrahere Symbolo, ſive ex contentis in eo explicitè, ſive implicitè, quia ſic addere, vel detrahere, eſt quid contrarium veritati fidei addere, vel detrahere: unde quia Nicæna Synodus, Conſtantinopol. quoque, & reliquæ, ſi quid ex vocibus addiderunt, vel detraxerunt, nihil fidei contrarium, aut ſano ſenſui, & veritati adverſum addiderunt, ut fecerat Neſtorius, ideò in vetitum, illæ manus non appoſuerunt, quemadmodùm appoſuerat Neſtorius. Et ideò concludit, prohibitionem de non addendo, & minuendo, verſari circa ea, quæ contra rectam fidem addita, vel detracta ſunt: cùm verò vox illa, *Filioque*, non ſit additamentum contrarium rectæ fidei, quin potius illi conſonum, non cadi ſub Patrum interdicto.

766 Die XI. ejuſdem menſis Novembris habita eſt ſeſſio XI. in qua Julius Cardinalis reaſſumpſit argumentum, ut probaret Decretum Epheſinæ Synodi non omne additamentum vocum, ſive verborum interdicere, benè verò illud, quod eſt veritati fidei contrarium. Et primò probavit ex fidei expoſitione exhibita à Chariſio Presbytero, & recitata actione VI. ejuſdem Synodi Epheſinæ, & ab ipſamet Synodo recepta: in qua tamen aliquod eſt immutatum, ex iis quæ habentur in Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano: quoniam in præfata Chariſii expoſitione illa verba Niceni: *Eos autem, qui dicunt, erat aliquando, quando non erat*, ſunt omiſſa. Habẽtur tamen hæc alia: *Et in Spiritum Sanctum conſubſtantialem Patri, & Filio*, quæ non habentur nec in Symbolo Nicæno, nec in Symbolo Conſtantinopolitano. Cùm ergò hac non obſtante omiſſione, vel verborum additione, Epheſina Synodus damnaſſet præfatã fidei expoſitionẽ, quemadmodùm damnavit expoſitionem alteram à Neſtorianis editam, ac pariter ibidem recitatam, prohibuiſſetque nihil addendum & minuendum, ſequi, ait Julianus, mentem Concilii fuiſſe prohibere additionem, vel detractationem alteram, & quidem contrariam inducentes fidem.

767 Secundò, inquit hæc Synodus, non ſolùm cavit, nè cui liceat proferre, conſcribere, & reliqua, ſed etiam nè aliud ſentire liceat præter fidem Niceæ expoſitam: ergò non licebit credere, Deum eſſe æternum, immenſum, vel alia fidei dogmata, quæ expreſſè non habentur in Symbolo Nicæno: quod cùm ſit prorsùs alienum à veritate, dicendum, mentem Patrum Concilii fuiſſe dumtaxat interdicere aliam fidem contrariam expoſitæ à Patribus Niceæ Synodi, veritati diſſonam.

768 Ad ea verò, quæ dixerat, licere privatis perſonis exponere auctoritate propria, & prout libuerit declarare, non tamen licere Catholicæ Eccleſiæ, reſpondit potiùs contrarium ex verbis Decreti elici, nam in principio legitur: *Nemini liceat*, & reliqua. In fine verò: *Si Epiſcopus, & Clericus Epiſcopatu deponi*, & reliqua, *ſi Laicus* &c. Ex quibus infertur Decretum latum contra omnes generaliter & particulariter: & cùm Laici non ſoleant in Eccleſia Symbolum cantare, fit, ut interdictum Clericos comprehendat & Laicos, & ità tam in Eccleſia, quàm extra Eccleſiam: unde ſequitur privatis etiam perſonis vi illius Decreti interdictam fuiſſe alterius fidei conſcriptionem. Quantùm verò ad expoſitionem fidei Agathonis Papæ, ſubjunxit Julianus Cardinalis, eam factam nomine totius Occidentalis Eccleſiæ, cui ſe ſubſcripſerunt Epiſcopi centum & viginti quinque. Et poſt alia probavit exemplo Leonis Magni, & Flaviani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, qui cùm in Concilio Chalcedonenſi accuſati fuiſſent, egiſſe contra prohibitionem Epheſinæ Synodi addendo plura in expoſitione fidei Nicænæ, non perinde damnati fuerunt à Concilio, immò laudati, quia in eorum expoſitione nihil contra Nicænam fidem addiderunt, ſed omnia illi conſona expoſuerunt. Et his dictis atque expoſitis, abſoluta eſt ſeſſio.

769 Cæterùm, quæ de literis S.Leonis ad Flavianũ Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ait Julianus Cardinalis, hæc adnotanda ſunt, videlicet præfatum Sanctum Pontificem ſcripſiſſe Synodicas, ſive Encyclicas literas eidem Flaviano, continentes explicationem catholicæ fidei contra falſum & impium Eutychetis dogma, aſſerentis in Chriſto Domino unã tantum naturam, duas verò inconfuſas & diſtinctas denegantis: quæ quidem literæ incipiunt: *Lectis dilectionis tuæ literis*. Et relectæ ſunt actione ſecunda Synodi Chalcedonenſis: Cùmque ergò Beatus Leo in explicando catholicam Fidem plura adderet ultra ea, quæ habentur in Symbolo Nicæno, crimina-

natus eſt ab Eutychianis, quòd contra præ-
ſcriptum in Decreto Epheſinæ Synodi Nicæ-
no Symbolo additionem feciſſet: Hoc teſtan-
tur Patres ejusdem Chalcedonenſis Synodi in
Allocutione ad Marcianum Imperatorem, ut
habetur in par.3. Concilii Epheſini apud La-
bæum pag.820. ubi inquiunt: ,, Unde nobis
,, impenetrabilem in omni errore propugna-
,, torem Deus providit, & Romanæ Eccleſiæ
,, Papam ad victoriam præparavit. *Et paulò*
,, *poſtea*. Sed nè quis fidei ejus concordiam
,, vitans, & propriæ ſeductionis convictio-
,, nem celare contendens, quaſi peregrinam
,, quandam, & ignoratam regulis, Epiſtolæ
,, ejus feriem accuſet, afferens quòd non li-
,, ceat cuiquam exponere fidem præter Pa-
,, tres, qui apud Nicæam concorditer con-
,, venerunt: unam quidem eſſe velut princi-
,, pali loco trecentorum decem & octo Pa-
,, trum doctrinæ confeſſionem, Lex nobis
,, Eccleſiæ præcipit, quàm velut commune
,, Sanctorum Decretum, ad eorum qui vo-
,, cantur in adoptionem filiorum, tradimus
,, firmitatem. Adversùs autem eos, qui verita-
,, ti reſiſtunt, variæ nobis certaminum cauſæ
,, tributæ ſunt, à piis viris congruenter ad-
,, hibitæ contra ea, quæ ab his fallaciter in-
,, feruntur. Et credentibus quidem ſufficit
,, ad utilitatem fidei indiſcuſſa perſpectio, ad
,, confeſſionem pii dogmatis devotos pertra-
,, hens animos. His verò, qui doctrinam re-
,, ctam pervertere moliuntur, ad ſingula, quæ
,, malè pariunt oportet occurrere, & eorum
,, objectis congrua quæque providere. Nam
,, ſi omnes contenti eſſent fidei conſtituto, &
,, pietatis ſemitam nulla innovatione turba-
,, rent, deceret Eccleſiæ Filios nihil ampliùs
,, excogitare, quàm Symbolo conſtat eſſe
,, declaratum: ſed quia multi à recta linea
,, per anfractus erroris exorbitant, novum
,, quoddam ſibimet iter mendacii conſtruen-
,, tes; neceſſe nobis eſt, veritatis eos inven-
,, tione convertere, commenta quoque eo-
,, rum (devia ſalutaribus adjectionibus) re-
,, futare, non ut novum ad pietatem (quaſi
,, fidei deſit) ſemper aliquid exquirentes,
,, ſed ut contra ea, quæ ab illis innovata ſunt,
,, excogitantes quæ ſalubria judicantur. *Hæc*
illi.

770 Deinde & ipſa verba Symboli affe-
rentes, demonſtrant majorem explicationem
propter enatas hęreſes neceſſariã fuiſſe: ,, Di-
,, xit fides, *inquiunt*: Credo in unum Domi-
,, num Jeſum Chriſtum Filium Dei, conſub-
,, ſtantialem Patri. Hoc verbum perfectum
,, eſt, atque ſufficiens his, qui ad confeſſionem
,, fidei devotum animum deferre conten-
,, dunt, unam Divinitatis naturam Patris,
,, Filiique ſignificans; itaut non alterius
,, quidem ſubſtantiæ Patrem, alterius verò
,, ſenſus excogitet, & Arii contra pietatem
,, ſententis malignitatibus conveniat. Sed
,, quia Photinus, atque Marcellus aliam ad-
,, versùs Filium blaſphemiam innovarunt,
,, eum prorſus exiſtere audaci calumnia ne-
,, gantes, ſed unum, eumdemque ipſum Pa-
,, trem, & Filium, & Spiritum Sanctum ap-
,, pellatum eſſe affirmantes, & uſque ad vo-
,, cabulorum tantummodò ſonum Trinitatis
,, definivere ſubſtantiam; contra eos quoque
,, trium ſubſiſtentiarum Patres intulere do-
,, ctrinam, non extra Scripturam Sanctam
,, hanc inventionem ſibi confingentes, nec
,, intelligentiam fidei veluti imperfectam pe-
,, nitùs tranſeuntes, ſed eam divinitus inſpi-
,, ratis explanantes eloquiis. *Hactenus Pa-*
tres. Similia adducentes occaſione hæreſis
Macedonii, Neſtorii, aliorumque hæreticorum
præcedentium, & in fine allocutionis in defen-
ſam Sancti Leonis Papæ concludentes, ajunt:
,, Non igitur nobis admirandæ Romanæ Ur-
,, bis Præſulis Epiſtolam, velut innovationis
,, offendiculum criminentur; ſed ſi non eſt
,, divinis Scripturis coaptata, redarguant;
,, ſi non præcedētium Patrum ſententiis adu-
,, nata, ſi non impiorum accuſationem con-
,, tinet, ſi non defenſionem Nicænæ fidei pro-
,, fert, ſi non eorum, qui novitates appetunt,
,, commenta ſubruit, ſi non vaniloquorum
,, contagia prodigioſa ſubvertit. Si quis enim
,, Patrum depravat intelligentiam, hic pœnæ
,, transgreſſionis habetur obnoxius, non qui
,, transgreſſionem ſua cura redarguit. *Hacte-*
nus antedicti Patres.

771 Hoc ergò fuit Eutychetis argumen-
tum, ut duas in Chriſto naturas denegaret,
quòd in Nicæna fide non reperiebatur defi-
nitum dogma de duabus naturis: & quoniam
interdictum erat Decreto Epheſinæ Synodo,
non licere quidquam addere, vel detrahere à
conſtituto per Sanctos Patres, qui in Nicæna
convenerunt Synodo, inferebat novum dog-
ma, ut ipſe fatebatur, de duabus naturis in
Chriſto, eſſe additum contra Patrum præ-
ſcriptum, Symbolo & Nicænæ fidei: unde in
libello ſuæ confeſſionis fidei, quem exhibuit
in Pſuedoſynodo Epheſina, primùm recitavit
Nicænum Symbolum, ut tradunt acta Syno-
di Chalcedonenſis act.1. quo recitato ſubjun-
xit: ,, Sic ab initio à progenitoribus meis
,, accipiens, credidi & credo; in hac autem
,, genitus ſum, & ſtatim conſecratus ſum
,, Deo, & ſuſcepit me ipſius miſericordia.
,, Et in hac fide baptizatus ſignatus ſum, &
,, uſque hodie vixi, in ea & opto mori. Hanc
,, fidem & memorata hic anterior ſancta &
,, univerſalis Synodus confirmavit, cujus
,, Præſul fuit beatæ & ſanctæ recordationis
,, Pater noſter & Epiſcopus Cyrillus, & defi-
,, nitionem protulit, eum, qui præter iſtam
,, addiderit aliquid, aut minuerit, aut do-
,, cuerit, damnationibus, quæ tunc ſcriptæ
,, ſunt, ſubjacere. *Hæc Eutyches*. Sed Dioge-
nes Epiſcopus Cyzici fraudem Eutychetis in
præmittendo Symbolo Nicæno aperiens dixit:
,, Doloſè præpoſuit Synodum Sanctorum

„ Patrum, quæ in Nicæa facta eſt, accepit
„ namque additamenta à Sanctis Patribus,
„ propter perverſum intellectum Apollina-
„ ris,& Valentini,& Macedonii, qui eis ſimi-
„ les ſunt: & additum eſt in Symbolo San-
„ ctorum Patrum: *Qui deſcendit, & incar-*
„ *natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Vir-*
„ *gine*. Hoc namque prætermiſit Eutychea,
„ ſicut Apollinariſta. Nam etiam Apollina-
„ ria ſuſcipit ſanctam Synodum, quæ in Ni-
„ cæa facta eſt, ſecundùm propriam perver-
„ ſitatem intelligens verba. *Effugit de Spi-*
„ *ritu Sancta ex Maria Virgine*, ut nè omni-
„ nò unionem carnis confiteretur. Etenim
„ Sancti Patres, qui in Nicæa convenerunt,
„ quod *Incarnatus eſt* dixerunt: Sancti tamen
„ Patres, qui poſt ipſos fuerunt, explanave-
„ runt dicentes: *De Spiritu Sancto ex Maria*
„ *Virgine*.

772 Dioſcorus quoque in Pſeudoſynodo Epheſina, ut habetur in actis Chalcedonenſis præſatæ Synodi actione 1. non alia ratione damnavit Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Euſebium Epiſcopum Dorylæi, niſi quòd Decretum Epheſinæ Synodi de non addendo, aut minuendo Nicænæ fidei non ſervaſſent, quia docuerunt duas in Chriſto naturas, non repertas in Nicæna fide:
„ Dioſcorua Epiſcopus Alexandriæ dixit:
„ (*inquiunt acta Pſeudoſynodi*) Exiſtimo
„ omnibua placere, quæ ſunt expoſita à San-
„ ctis Pattibus, qui in Nicæa olim congre-
„ gati ſunt, quæ & confirmavit, & ſola te-
„ nère definivit, quæ hìc pridem ſancta Sy-
„ nodus collecta eſt, (Deo amabilia) & ſuſ-
„ ficienter habentia. Audivimus autem de-
„ finientes eos ita: *Si quis præter hæc dixerit,*
„ *aut ſapuerit, aut retractaverit, aut quæſi-*
„ *verit, ſubjaceat ſententiæ*. Quid vobis videtur? *Et reliqua*. Et poſt reſponſionem Thalaſii Epiſcopi Cæſareæ, aliorumque ſuæ factionis Epiſcoporum, ſententiam protulit
„ Dioſcorus; dicens: „ Quoniam ſancta &
„ magna Synodus, quæ jam dudùm in Nicæa
„ congregata eſt per voluntatem Dei rectam
„ noſtram & immaculatam fidem expoſuit,
„ quam & nuper hìc congregata ſancta Sy-
„ nodua confirmavit, & hanc ſolam teneri,
„ & in Eccleſia tradi definivit, ordinans &
„ hoc, quatenua nulli liceat alteram fidem
„ præter hanc, vel exponere, vel inquirere,
„ vel innovare aliquid, aut penitùs commo-
„ vere de noſtra Venerabili Religione: eos
„ autem, qui præter hæc tentant, aut ſapere,
„ aut quærere, aut componere, aut omninò
„ quæ ordinata ſunt retractare, certia ſub-
„ jecit damnationibus, itaut ſi Epiſcopi
„ ſint, alieni ſint ab Epiſcopatu, & Clerici à
„ Clericatu: ſi verò Laici, priventur commu-
„ nione: hæc namq; ex nuper lectis didicimua
„ monumentis. Apparent verò, ſicut omnia
„ veſtra ſancta & univerſalia Synodus pervi-
„ det, omnia penè renovantes, & immutan-
„ tes, Flavianus quondam Eccleſiæ Conſtan-
„ tinopolitanæ Urbis Epiſcopus, & Euſe-
„ biua Dorylæi, & ſcandali & conturbatio-
„ nis facti occaſio ſanctiſſimis Eccleſiis, &
„ ubique catholicis populis: certum eſt, hos
„ ex ſemetipſis Synodicis olim à Sanctis Pa-
„ tribua definitia damnationibus ſubjacere.
„ Unde & nos quæ eorum ſunt confirmantes,
„ memoratoa, ideſt Flavianum & Euſebium,
„ ab omni Sacerdotali & Epiſcopali digni-
„ tate eſſe judicamus alienoa. *Hæc Dioſcorus*.

773 At Patres Chalcedonenſes, dùm hęc legerentur, injuſtè eos damnatoa conſpicientes, exclamaverunt: *Anathema Dioſcora. Hac hora damnavit, hac hora damnetur, & reliqua*. Deinde in fine Actionis primæ, inſtantibus Synodi Judicibua, ac ampliſſimo Senatu, abſoluti ſunt Flavianus, & Euſebius, damnatus Dioſcorus cum ſuia. En ergo quomodo hæretici abusi ſunt Epheſino illo Decreto? Ex eo namque non rectè interpretato, anſam acceperunt novas hæreſes introducendi, & temeraria audacia damnandi rectè ſentientes, qui ſana, & Catholica doctrina præfatia erroribus ſe opponebant, quaſi attento præſato Decreto nemini licuiſſet novaa hæreſea impugnare. Licuit Leoni, licuit Flaviano veram fidem exponere contra Eutychetis, & Dioſcori blaſphemiam, ipſamque Nicænam fidem explanare clariùs per ſanctarum Scripturarum, & primorum Eccleſia Patrum doctrinam, & quidem poſt ſæpeſatum Epheſinum Decretum, ut ex Actis ipſius Chalcedonensis Synodi apparet: ergo etiam licuit propter novum errorem de proceſſione Spiritua Sancti Eccleſiæ Romanæ fidem Nicænam explanare, & verum dogma ſtatuere & firmare, atque credendum fidelibus proponere: & quidem ſine violatione Decreti Epheſini, rectè & ſanè interpretati, juxta intellectum Patrum antedictæ Chalcedonensis Synodi.

774 Die xv. Novembris celebrata eſt ſeſſio XII. in qua Epheſius ex Græcorum parte brevi præmiſſo proœmio, reaſſumpsit quæ in prioribus ſeſſionibus dicta fuerant circa fidei confeſſionem à Charyſio Presbytero exhibitam, & à Synodo Epheſino receptam ut Catholicam, & dixit Catholicam fuiſſe ſenſu tantùm, non autem verbia cum diversis ab ea, quæ Niceæ tradita eſt, conſtaret: neque ut Catholicam receptam à Patribus, & probatam, ſed ut congruentem, Catholicamque fidem ſequentem. Poſtulante Cardinale Juliano, an illa confeſſio recepta à Synodo ſuiſſet nec ne: reſpondit Epheſius, receptam ut Charysii propriam, non ut communem. Et replicante Juliano, an Synodua ut veram recepiſſent nec ne? ſubiunxit Epheſiua, Chariſium non accuſaſſe ſimpliciter Neſtorianoa, quòd alteram fidem edidiſſent, ſed propter tria: primò, quòd loco fidei Nicænæ perver-

ſam

Digitized by Google

ſam ſuam traderent fidem, veluti communem inſtitutionem iis, qui accedebant ad fidem ex hæreſibus, non ſine gravi injuria præfatæ Synodi. Secundò, quòd in ea inſeruiſſent prava, & perverſa, plenaque impietatis dogmata, cujus rei cauſa perfidiam potius, quàm fidem eam Chariſius vocabat. Tertiò, quia ipſum Chariſium, qui illam expoſitionem non admittebat, perſequebantur tamquam hæreticum. Ac ita Chariſium, ut oſtenderet ſe Catholicum, & cum Neſtorianis non ſentire, illam fidei confeſſionē, prout voluit, & quibus verbis volvit, compoſuiſſe: ac hoc nunquam fuiſſe interdictum: & licitum ſemper eſſe & fuiſſe cuique, prout uvlt, & quibus verbis vult ſuam fidem in Eccleſia exponere, quod & in poſterioribus Synodis plures Præſules fecère: nam hoc pacto Agathonem expoſitionem fidei miſiſſe ad ſextam Synodum, Sophronium Patriarcham Hieroſolymitanum in ſua ordinatione, ad Patriarcham Conſtantiopolitanum ſuam pariter fidei confeſſionem deſtinaſſe, & poſt alia, poſtulavit, an illa expoſitio fidei, ut privata fidei confeſſio habenda eſſet, an verò ut communis inſtitutio loco Symboli ab omnibus Chriſtianis recipenda, vel tenenda.

775 Ad hæc Cardinalis Julianus reſpondit, Neſtorianos compoſuiſſe Symbolum, quod loco Nicæni tradebant, parvipendentes Nicænum Symbolum, & impia dogmata continebat: quæ fuit vera reprobationis cauſa, nam ſi vera & Catholica dogmata in eo expoſita fuiſſent, Patres illud non reprobaſſent. Falſum eſſe, ait, reprobatum Symbolum Neſtorianorum, quia Neſtoriani perſequebantur Chariſium, cùm non eſſet curæ Patribus de perſona, ſed de dogmate: unicam ergo fuiſſe cauſam reprobationis illius Symboli, quia ſcilicet falſa & contraria fidei Catholicę dogmata continebat. Ad id verò quod dixerat Epheſius, Synodum Epheſinam nunquam prohibuiſſe, nè quis ſuam expoſitionem fidei privatim edat, dummodo à recta fide non deſectat, allegato exemplo Agathonis, Sophronii, & aliorum: reſpondit Julianus quærendo ab Epheſio, An Agatho, & Sophronius, qui ſuam fidei expoſuere confeſſionem, interdictum fidei violaſſent, nec ne. Negante Epheſio, ea ducto ratione, quòd illæ fuerunt expoſitiones privatę non communes Eccleſiæ. Reaſſumens ſermonem Julianus dixit, quòd ſi nec Chariſius, nec alii violarunt Decretū, licitumque erat eis privatam Confeſſionem exhibere, ac cuique ſic privatim licère, dummodo conſona fidei Catholicæ exponant; licebit quoque Catholicæ Eccleſiæ, aut ei, qui Catholicam docet Eccleſiam, inſtruendique populos poteſtatem habet, addere Symbolo expoſitionem alicujus fidei Dogmatis, cùm fuerit opus, vel neceſſarium.

776 Ad hæc verò Epheſius dixit, Chariſium non fuiſſe redargutum, cùm nihil reprehenſione dignum commiſiſſet, ex hoc tamen non ſequi, Patres Epheſinæ Synodi licentiam conceſſiſſe volētibus immutare Symbolum, quod illi non fuerit interdictum. An liceat Eccleſiæ Catholicæ immutare commune Symbolum, alio tempore rem eſſe examinandam; quæſivit inde, an licuerit Neſtorianis Symbolum immutare, ſi in eo vera dogmata tradidiſſent, ac poſtponere Nicænum Symbolum, & ſuum in Baptiſmo tradere.

777 Julianus Cardinalis primò duo deduxit ex Epheſii dictis: unum, quòd Decretum interdicti velit, cuivis vetitam eſſe mutationem, aut ſubrogationem alterius Symboli: alterum licère cuicumque ſuam fidei confeſſionem exponere, prout libuerit, dummodo à recta fide ſeu confeſſione non recedat, vel commune Symbolum non inſeſtet. His ſtantibus oſtendit ipſum Decretum contradictoria continere; nam Decretum dicit: *nemini liceat proferre*, & reliqua: quòd ſi ſenſus eſt, ut nemini liceat aliis verbis eamdem fidem exponere, cùm ex fine Decreti conſtet eſſe cuicumque interdictum, ſive Epiſcopo, ſive Clerico ſive Laico, ſequitur manifeſta contradictio, explicato Decreto ſecundùm Epheſii mētem. Ac ideo ad vitandam contradictionem, dicendum eſſe Decreti ſenſum verumvè intellectum eſſe, nemini licère alteram fidem, ideſt contrariam, proferre, aut componere, quæ nimirum adverſetur fidei traditæ in Symbolo: & poſt alia reſpondit ad quæſita dicens, Symbolum à Neſtorianis editum, ſi pium extitiſſet, ac in ea vera & Catholica explanata eſſet Doctrina, utique manſiſſet, ſicut illud Chariſii, Agathonis, & Sophronii, nec fuiſſet reprobatum; nam propter adulterinam doctrinam in eo contentam, eſſe à Synodo reprobatum. Ad ſecundum porrò quæſitum reſpondit: licèt cuique permiſſum ſit propriam fidem exponere, quæ tamen pia ſit, & conſona Catholicæ veritati, non tamen licet eam expoſitionem cuicumque tradere Catholicæ Eccleſiæ, utcommune Symbolum, non vi Decreti Epheſini, ſed vi alterius generalis interdicti, nam inferiores, ſubiecti, & privatæ perſonæ jus non habent, nec facultatem proponēdi Eccleſiæ fidem, hoc ipſi ſoli Eccleſiæ, & ejus Capiti conceſſum eſt: Eccleſiam habere, ſubditos inſtruere, non ſubditos Eccleſiam: ac ideo ſemel quòd Symbolum Neſtorianorum fuiſſet pium, licuiſſe eis illud proferre: non tamen tradere ut Symbolum commune Eccleſiæ loco Nicæni.

778 Denique poſt plura idem Julianus Cardinalis, ut probaret decretum Epheſinum voluiſſe tantùm interdicere novam fidei expoſitionem contrariam fidei in Symbolo contentæ, non verò expoſitionem quamlibet, licèt piam, veramque fidem tradentem, ac in omnibus fidei in Symbolo traditæ conſonam, uſus eſt teſtimonio Cyrilli in Epiſtola data Anaſtaſio, Alexandro, Martiniano, cæteriſque

que Monachis, & Monaſticam vitam agentibua, incipiente, *Studium ac diligentiam veſtræ charitatis*, quæ habetur apud Labæum 3. par. Concilii Epheſini pag. 1180. ubi Cyrillus ante expoſitionem Symboli Nicæni hæc præmittit: „ Jam enim & Sancta Synodus, „ illa inquam, in Epheſo juxta voluntatem „ Dei congregata, cùm adversùs Neſtorii „ perverſam opinionem ſententiam tulit, & „ ſanctam & accuratam, ſimul quoque pari „ ſententia, & pœna condemnavit vocum „ novitates aliorum, quotquot, vel poſt „ illum ſorent, vel ante illum ſuerunt, qui „ eadem cum illo ſaperent, dicereque, vel „ ſcribere auderent. *Hæc Cyrillus*, ex quo Teſtimonio concludens, ait Julianus, luculenter patère, Neſtorium, & cum eo ſentientes damnatos eſſe à Synodo, propter falſa illorum dogmata, ac ita vocem illam Decreti, *alteram fidem*, ſignificare fidem contrariam, & à recta diſcrepantem, qualis erat fides à Neſtorio, & Neſtorianis conficta, impiumque traditum ab iisdem Symbolum, quod hujuſmodi prohibitioni, & interdicto cauſam præbuit, ut ex ipſius verbis Cyrilli deducitur. Deinde contradictum Epheſinm, qui dixerat aote tertiam Synodum non fuiſſe interdictum illud, de oon addendo, vel detrahendo aliquid Symbolo Nicæno: probavit hoc eſſe falſum, ac ſemper fuiſſe interdictum quid novi, & à fide diſſentientis addere, & minuere, primò ex Teſtimonio, quo uſus eſt Cyrillus in Epiſtola ad Joannem Antiochenum, quæ incipit: *Lætentur Cæli*, ut in 3. par. Coneil. Epheſini cap. 34. apud Labæum pag. 1105. nbi ait: *Neque enim aut nobis, aut nulli alteri omninò vel unam voculam ibi poſitam immutare, aut unam etiam ſyllabam præterire permittimus: memores ejus, qui dixit: Ne transferas terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* (Prover. cap. 22.) *Non enim ipſi locuti ſunt, ſed ipſe Spiritus Dei ac Patris.* Ex quo ſubintulit Julianus: Sanctos Patres, immo & ipſum Spiritum Sanctum, quorum teſtimonio niſi Patres Epheſini Decretum illud ediderunt, fuiſſe ante tertiam Synodum, immò ante primam, ante etiam Chriſti fidem. Secundò probavit Teſtimonio Cœleſtini Papæ data ad Neſtorium, quæ incipit: *Aliquantis diebus*, ut in 1. parte Concilii Epheſini cap. 18. apud Labæum pag. 353. qui fatetur io ea non licere adiicere quidquam, vel detrahere Catholicæ fidei: Eam tamen Epiſtolam, ait ſcriptam fuiſſe ante tertiam Synodum. His verò, & aliis à Juliano ejuſdem argumenti allegatis rationibus, cùm rogaſſet ut dimiſſa hac diſputatione, procederetur ad videodum, an revera Spiritus Sanctus procedat à Filio, dimiſſa eſt ſeſſio.

779 Die XXVII. Novembris habita eſt ſeſſio XIII. in qua recepti fuerunt Oratores Ducis Burgundii, nimirum Epiſcopi quatuor, Archidiaconus unua, duo prænobiles Equites, aliique Monachi & Laici. Cùmque ingreſſi ſedente Concilio, Papam tantummodo ſalutaſſent, quo de more ſalutato, oullam Domino Imperatori reverentiam exhibuiſſent, ipſoque inſalutato, ad Latinorum partem tranſeuntes, conſediſsent: Offenſus ipſe Imperator, recitatis jam literis per eoſdem Oratores redditis latino dumtaxat idiomate, ſurrexit, ſurrexeruntque omnes, & dimiſsa eſt ſeſſio. Deinde Imperator idem, cùm ſibi illatam injuriam exiſtimaſaet proteſtatus eſt, ſe oolle ampliùs intereſse Synodo, immò velle diſcedere, niſi iterum coacta Synodo à præfatis Oratoribus in ea debita præſtaretur reverentia. Re verò diſcuſsa, conventum eſt cum Papa, ut iterum colligeretur Concilium, & in eo à prædictis Oratoribus debita Imperatori exhiberetur reverentia.

780 Itaque die IV. Decemb. celebrata eſt ſeſſio XIV. ubi conſedentibus Patribus, Papa, & Imperatore, iterum ingreſſi prædicti Ducis Burgundiæ Oratores, & Vicarii, reverentiam Imperatori præſtitère, ſed non uti par erat, ait Scriptor Græcus, id quòd forti animo tulit Imperator, & juſſit diſputaotes ſermonem aggredi. Cœpitque ſermonem habere Epheſius ex Græcorum parte, dicens habitos eſſe longos ſermones, propterea paucis eſſe agendum, & reſponſiones reddendas propemodùm affirmatione & negatione: addens, Chariſium nihil ipſis attuliſſe quod carum & gratum eſſet. Inde Cardinalis Julianus reſpondens, ſermonem adeò prolixum inſtituit, ut Epheſio nec unum verbum reſpondere permiſerit, indicta poſt quem dicendi finem impoſuit ſeſſione ad VIII. diem Decembris. Andreas verò à Sancta Cruce Collat. XII. tradit, Legationem Ducis Burgundiæ factam à tribus Epiſcopis, nimirum Morinenſi, Cabilonenſi, & Nivernenſi, necnon, & Abbate Generali Ordinis Ciſtercienſium. Dicit inſuper Cabilonenſem Epiſcopum in publica ſeſſione exhibuiſſe ipſi Domino Imperatori præfati Ducis literas credentiæ, quibus receptis miſiſſe ſuum Interpretem ad reſpondendum ſecretè prædictis Oratoribus, quem demum reverſum ad Imperatorem, iterum rediiſſe ad eoſdem Oratores. Deinde refert prolixam Orationem eruditam tamen & gravam, habitam ab Abbate Generali præſato, cujus initium eſt: *Si fiſcellam junco texerem*; quæ omnia omiſit Græcus Actorum Concilii Scriptor.

781 Celebrata inde eſt ſeſſio XV. die præſcripta, videlicet VIII. menſis Decembris, in qua Epheſius ex Græcorum parte iterum longa & prolixa oratione conatus eſt probare, non licuiſſe Symbolo vocem illam addere, *Filioque*, cùmque Græci exiſtimarent, neminem obſiſtere potuiſſe, Cardinalis Julianus, redactis omnibus Epheſii dictis in viginti Capita, reſpondens demonſtravit, Eccleſiam Romanam præfatam addendo vocem nequiquàm

Digitized by Google

quàm erraſſe. Epheſius iterùm in octo Capita dividens Juliani dicta, inſtit, fas non fuiſſe, aut eſſe ulla ratione Symbolo addere, vel vocem unam, aut ſyllabam. Ac denique oravit, ut Symbolum, prout à Sanctis Patribus conditum fuerat, teneretur, expungeretur vox illa, *Filioque*, addita contra Patrum præſcripta, & hac via, ablato ſchiſmate, fieret Eccleſiarum unio. E' converſò verò Cardinalis Julianus ad reſponſa promptus, inſtitit, non eſſe ampliùs habendam quæſtionem de præfata explanatione, vel additione, cùm ſemel poſita, niſi conſtaret blaſphemum eſſe, non poſſe expungi: examinandum ergò, etſi blaſphema expungenda, ſi pia ſecùs. Subjungente Epheſio, quòd deberet expungi, & ſeorſim in definitione poni: Contradixit Julianus inſtans eſſe examinandam, videndumque, ſi blaſphema, nec nè, quòd ſi non blaſphema, retinendam eſſe, nullo pacto expungendam. At Imperator interlocutus, obtinuit, ut controverſia de additione vocis, *Filioque*, omiſſa ageretur de Spiritus Sancti proceſſione: Idque ipſis poſcentibus Græcis, non in publico fieret, ſed privatim per ſelectos duodecim Viros ex Græcis, totidemque ex Latinis; & quidquid ſecundùm Deum illis viſum eſſet ab utraque parte tenendum.

782 His concordatis, cœptum eſt diſputari de transferendo Concilio Ferrariæ in Civitate Florentiæ, & propter Annonæ penuriam, & potiſſimùm causâ peſtis, quæ invaleſcere ab Autumno tempore incœperat Ferrariæ. Diſſentiebant Græci, volentes, ut ubi incœptum erat, ibidemque abſolveretur Concilium, ſed urgente Pontifice, & conteſtante peſtem cauſam legitimam eſſe translationis Concilii œcumenici, Græci inter ſe unà cum Imperatore & Patriarcha, hoc, licèt ægrotante, plures habuere conferentias, donec tandem aſſenſum præbuerunt, in gratiam præcipuè Imperatoris, ſub ea tamen conditione, ut Pontifex Orientalibus de alimentis, & vitæ neceſſariis provideat: Id quod præſtit Eugenius, data Græcis pro itinere conficiendo Florentiam versùs, & inſuper in ſubſidium Regiæ Urbis Conſtantinopolitanæ, abſente Imperatore, miſſis undeviginti Florenorum millibus, ut auctor Græcus recenſet. Cæterùm, cùm ipſe Imperator, Græcis jam aſſentientibus, dixiſſet, juſtum eſſe, ut cauſa tranſlationis Concilii palàm fieret, prout cum Papa convenerat, id quidem juſtum eſſe & Græci reſponderunt, ac ideò conveniendam eſſe Synodum.

783 Itaque rebus ſic conſtitutis celebrata eſt ſeſſio XVI. die x. menſis Januarii, ineunte Dñi Ann. MCCCCXXXIX. licèt ſtylo Romanæ Cancellariæ dicatur celebrata eodem, quo ſupra, Anno, videlicet MCDXXXVIII. In ea itaque ſeſſione, conſedentibus Patribus unà cum Pontifice & Imperatore, abſente tamen Patriarcha, quia ægrotante, præmiſſis conſuetis precibus, ab Archiepiſcopo Gradenſe Latino idiomate, inde ab Archiepiſcopo Mytilenenſe Græcè lecta eſt Eugenii Conſtitutio de transferendo Concilio, quam valdè mutilam, & ſatis perbrevem recenſet Auctor Græcus, integram verò exhibet Andreas à S. Cruce ad calcem XIV. collationis, ad hunc modum ſe habentem.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

784 „ Decet œcumenici Concilii locum, „ ad quem Viri electi ex toto chriſtiano Orbe „ conveniunt, in quo inter alia hominibus „ neceſſaria, hoc potiſſimùm ſit, aeris ſalubritas, nè ob infecti aeris contagionem peſtiferam, quam cuncti naturaliter timent, „ fugiunt & metuunt hi, qui in Concilio „ præſentes ſunt, abire inde, re infecta „ compellantur, abſentes verò illùc accedere recuſent. Expedit profectò eos, qui ad „ res arduas in Synodis pertractandas confluunt, omni alia cura, omnique timore „ vacuos eſſe, ut rebus publicis quietiùs, „ liberiùsvè intendant. Optaviſſemus idem „ ipſum univerſale Concilium, quod in hac „ inchoavimus Civitate, apud eandem continuare, & in ea perfectam Occidentalium, „ & Orientalium Eccleſiarum unionem conſummare fœliciter, & ibi finem optatum „ imponere, ubi initium dedimus. Et quamquàm cùm peſtis Autumno proximo hanc „ Urbem affligeret, à pleriſque inſtantia fieret, ut Synodus ipſa ad locum transferretur non infectum; quia tamen, ſicut aſſolet, adveniente Hyeme, illa prorsùs ſperabatur ceſſare, uſque ad hunc diem dilatum „ extitit. Cùm verò illa in dies perſeveret, „ timeaturque veriſimiliter proximo Vere, „ atque Æſtate, vehementiùs invaleſcere, „ omnes judicant, conſuluntque non modo „ utile, ſed neceſſarium fore, ut ad alium „ hoc morbo liberum confeſtim migrandum „ ſit locum. Quocircà ex hac, & nonnullis „ aliis rationabilibus cauſis, conſentientibus „ chariſſimo filio noſtro Joanne Palæologo „ Romæorum Imperatore, & Venerabili fratre noſtro Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano, ſacro approbante Concilio, „ ipſam œcumenicam, ſeu univerſalem Synodum ab hac Civitate Ferrarienſi ad Civitatem Florentinam, omnibus manifeſtè „ liberam, ſecuram, pacificam, & quietam, „ aeriſque ſalubritate lætantem, & ad quam „ inter Tyrrhenum, Hadriaticumque Mare „ optimè ſitam, ab Orientalibus & Occidentalibus commodè accedi poteſt, harum ſerie, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ Sancti, ex nunc transferimus, & translatum eſſe decernimus, cum his plenis ſecuritatibus, & ſalvis conductibus, quo initio hujus ſacri Concilii præbuimus. Nulli

er-

„ ergò omninò hominum liceat hanc pagi-
„ nam noſtræ translationis, & conſtitutionis
„ infringere, vel ei auſu temerario contra-
„ ire. Si quis autem hoc attentare præſum-
„ pſerit, indignationem Omnipotentis Dei,
„ & Beatorum Apoſtolorum ejus Petri, &
„ Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Fer-
„ rariæ in ſeſſione publica, in Eccleſia majo-
„ ri ſolemniter celebrata, Anno Incarnatio-
„ nis Dominicæ MCCCCXXXVIII. quarto
„ Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno
VIII. *Hactenus Conſtitutio*.

785 Scriptor Græcus Actorum Concilii Florentini in ſeſſione XVI. Decretum Eugenii his dumtaxat conceptis verbis recenſet, nimirum: „ Eugenius Epiſcopus &c. Con-
„ venerat Ferrariæ Synodus œcumenica eo
„ conſilio, ut illam inibi abſolveretur; ſed
„ quia eam Urbem peſtis mortifera obſidet,
„ idque hyberno tempore, nè Vere etiam
„ graſſetur, ſecundùm Leges, & Canones no-
„ ſtros Synodum hanc Ferrariâ transferimus
„ Florentiam, Urbem liberam & pacificam,
„ ſalubritate aeris,& ſanitate fruentem. *Hactenus verba Decreti*, à præfato Scriptore relata; qui quidem Scriptor multa etiam omiſit eorum, quæ habita fuerunt in diſputationibus, præcipuèque inter Cardinalem Julianum, & Epheſium ſuper controverſia de additione à Latinis Symbolo facta, quæ tamen recenſet Andreas à Sancta Cruce in Collatione XIII. XIV. Et inter plura notandum, Cardinalem Julianum ex Marci Papæ Epiſtola ad Athanaſium, & Liberii altera ad eundem Athanaſium, quæ extant apud Labæum tom.2. Concil. poſt eorundem Pontificum vitam, allegaſſe Decretum Concilii Nicæni prohibentis aliam fidem proferre, præter ſancita in prædicto Concilio, conceptum ferè iiſdem verbis,quibus Decretum Synodi Epheſinæ, ex quo inferebat Julianus, quòd ſi non obſtante præfato Decreto, licuit Patribus ſecundæ Synodi explanare fidem Nicænam, & Symbolo explanationem addere,ſequi, mõtem Concilii fuiſſe, prohibere, nè alia fides contraria illi jam definitæ adderetur, non verò prohibere veræ fidei per alia verba explanationem. Et hoc idem intendiſſe Patres Epheſinæ Synodi, qui dumtaxat Decretum Nicænum innovarunt, & ſecundùm eundem eſſe intelligendum ſenſum, quo Patres Niceni primò illud publicantes intelligi voluerunt. Alia quoque plura omiſit, allegata à præfato Juliano, quæ videri poſſunt in præfatis Collationibus.

CAPUT XIV.

De iis, quæ geſta ſunt Florentiæ, conti nuata ibidem Generali Synodo pro Græcorum unione.

786 Publicata Conſtitutione ſupra recenſita pro Concilii translatione, & dato Græcis commeatu, die XVI. Januarii egreſſus Papa è Palatio, venitque cum magno apparatu extra Urbis mœnia ad Monaſterium Sancti Antonii, & die XVII. iter aggreſſus eſt versùs Mutinam, exindè profectus eſt Florentiam; & poſt aliquot dies ſecuti ſunt multi ex Græcis, ad extremum cum reliquis ipſe Patriarcha, à Civibus Florentinis tam Imperatore, quàm poſtea Patriarcha honorificè & feſtivè receptis. Eugenius verò cùm primum Florentiam appuliſſet, literas ferè encyclicas miſit ad diverſos Principes, nimirum ad Regem Daciæ, ad Regem Scotiæ, ad Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, ad Ducem Bavariæ, ad Marchionem Brandeburgenſem, ad Ducem Saxoniæ, & ad Archiepiſcopos Colonienſem, Trevirenſem, & Moguntinenſem, eos certiores reddens de præfati Concilii translatione, hortans inſuper, ut ſuos Oratores,Prælatos quoque illùc ad intereſſendum Concilio mittant. Extant literæ apud Labæum ad calcem Collationis XIV.Concilii Florentini, auctore Andrea à Sancta Cruce, de quo pluriès ſermonem habuimus, hunc habentes tenorem.

Eugenius Epiſcopus &c. Chariſſimo filio Henrico Regi Daciæ ſalutem.

787 „ Cùm variæ nobis, multiplicesque
„ ſemper hactenus incumbuerint ſolicitudi-
„ nes ad commiſſum deſuper officium Paſto-
„ ralis curæ Gregis Dominici debitè exe-
„ quendum, magna & omni ex parte lauda-
„ bilis ſollcitudo eſt viſa circa rem unionis
„ Orientalis Eccleſiæ cum Eccleſia Occiden-
„ tali, quæ pro Dei miſeratione noſtris tem-
„ poribus eſt oblata: ad quam tractandam,
„ ut dudùm jam fœliciter cœpimus, unio-
„ nem, ac ipſo Domino & Deo noſtro pro-
„ pitio obtinendam, totis animi & corporis
„ viribus properamus. Et licèt multos ha-
„ ctenus in ea re perpeſſi fuerimus labores,
„ pluribus tamen anteactis menſibus immix-
„ ta laboribus ipſis multa ob ſupervenientem
„ in Civitate Ferrarienſi peſtem ſubivimus
„ etiam mortis pericula, quam ingentem &
„ continuò invaleſcentem, multis ac penè
„ omnibus in eo loco pro œcumenico Conci-
„ lio exiſtentibus, locum alium propter hoc
„ deſiderantibus, ea ratione inclinare ſuper-
„ ſedimus, ut ſi fortè per Hyemis adventum,
„ & veriſimile erat, ea ceſſaret peſtis, in-
choa-

„ ehoatam hujuſmodi unionem Orientalia
„ Eccleſiæ in loco, ubi cœpta fuerat, ad op-
„ tatum finem perduceremua.

788 „ Cùm verò ea peſtis per Ipſam Hye-
„ mem, ut antea, perſeveret, nullique amo-
„ dò dubinm videretur, quin, & per Æſtatem
„ continuò invaleſceret, nè tantùm, & die-
„ bus noſtris incomparabile bonnm ex hu-
„ juſmodi morbo turbari poſſet, & liberum
„ eſſet omnibus pro Dei gloria in hoc œcu-
„ mico Concilio in Vinea Domini Sahaoth
„ collaborandi nobiſcum, ntriuſque Occi-
„ dentalis, & Orientalis Eccleſiæ accedente
„ cōſenſu exinde ſacrum œcumenioum Con-
„ cilium (prout ex copia translationis, quam
„ hic mittimua interclusſam, videre poteris)
„ tranſtulimus ad Civitatem Florentinam,
„ locum quidem ad id idoneum, & ſemper
„ aliàs; quoties de ipſo futuro Concilio tra-
„ ctatum fuit, nominatum, ſanquàm omni-
„ bus nationibus, ut audiebamus, valdè
„ gratum.

789 Ea autem translatione facta, & Ce-
„ dulis de noſtro, & Romanæ Curiæ diſceſſu,
„ ex more, publico in loco affixis, iter in-
„ greſſi, tandem, Duce Domino, ipſam Flo-
„ rentinam Civitatem præſenti die applicui-
„ mus, ubi magna cum Cleri, & Populi ala-
„ critate ſuſcepti fuimus. Quòd tuæ Celſi-
„ tudini ad gaudium facimus ootum, ean-
„ dem in Domino exhortantes, ut poſtquàm
„ cœptnm pridem pro dicta nnione Orienta-
„ lis Eccleſiæ, aliiſque maximis in Dei Ec-
„ cleſia bonis operibus, Concilium œcume-
„ nicum, auctore Deo, eſt in loco ſalubri,
„ tuto, libero, & omnibus populis, nationi-
„ buſque grato, tuos Oratores ad id mittere,
„ ac Prælatos in tuis Dominiis conſtitntos,
„ ut veniant, hortari velis, nè per tuam Ex-
„ cellentiam aliqualiter, quin utriuſque Ec-
„ cleſiæ unio cum cæteris ſanctis operibus
„ inchoatis fœliciter perficiatur. Datum
„ Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ
„ MCCCCXXXVIII. &c. *Hactenus literæ.*

Quas etiam ad alios ſupramemoratos Princi-pes tranſmiſit.

790 Conſtitutis ergò Patribns Florentiæ, jubente Imperatore, convenerunt ſimul Græci, tractantea de modo, quo agendæ eſſent ſeſſiones, concluſumque apnd eos fuit, habendos eſſe privatim conventus ad evitandam confuſionem, re patefacta Latinis, indicta fuit prima ſeſſio Florentiæ habenda die xxvi. menſis Februarii, qua adveniente die celebrata eſt, fuitque in ordine ſeſſio xvii. In qua Julianus Cardinalis ſermonem habere cœpit, inter alia dicens, annuiſſe Pontificem, cùm adhùc eſſet Ferrariæ Domino Imperatori, ut pro unione fienda privatim conventus fierent. Dixit inſuper, non videri ſibi utile, nec conveniens iterùm reverti ad eandem controverſiam de additione facta Symbolo, cùm ſatis de ea diſputatum eſſet, ſed procedendum ad aliam controverſiam, videndumque, an Spiritus Sanctua procedat à Filio, & etiam ad inveniendum modnm ineundæ unionis. Reſpondente Imperatore, ſe arbitrari aliqnod medium eſſe pro ineunda unione inventum, ſed per deventum ad diſputationem proceſſionis Spiritus Sancti, non intendere à prima diſputatione de additione facta Symbolo recedere, replicavit Julianus Cardinalis, ſe paratum omni tempore, ſi de qua re in ea dubitaverint, eiſdem pleniſſimè ſatisfacere: quibus ſic abſolutis, indicta eſt ſeſſio publica ad ſecundam diem Martii. Cùmq; interea Græci tractatu habito cum Imperatore conſtituiſſent privatim inter ſe convenire, ac ſeorſim ſeſſionem celebrare, atque de modo in ea ineundæ unionis exquirere, Sanctiſſimo non placuit, ac ideò proceſſum eſt ad publicam ſeſſionem habendam.

791 Die ergò ſtatuta, videlicet ſecunda menſis Martii, celebrata eſt ſeſſio xviii. Florentiæ ii. abſentibus Imperatore, & Patriarcha ob valetudinem, cunctis tamen Græcis aliis intereſſentibus, ipſo Pontifice preſidente; Joannes Provincialis Lombardiæ aggreſſus eſt loqui, & facto proœmio, interrogavit, an à quo Spiritus Sanctus accipit eſſe, ab eo dicatur procedere? Et affirmante Epheſio, ſic Joannes eſt argumentatus: A' quo Spiritus Sanctus accipit eſſe in divinis, ab eo etiam procedit; dicitur autem Spiritum accipere eſſe à Filio, ergò Spiritus procedit à Filio: Epheſio verò negante, Spiritum Sanctum accipere eſſe à Filio, probavit hoc Joannes teſtimonio Sancti Epiphanii in Ancorato, ubi de perſona Patris verba faciens, ait: *Filium illum dico, qui ex ipſo eſt; Spiritum verò Sanctum, qui ſolùm ex ambobus eſt.* Et item in eodem libro: *Et quemadmodum nemo vidit Patrem niſi Filius, neque Filium niſi Pater, neque Spiritum Sanctum novit quiſquam, niſi Pater, & Filius, à quo accipit & procedit: nec Filium & Patrem niſi Spiritus Sanctus, qui verè clarificat, qui docet omnia, qui eſt à Patre & Filio.* Ex quibus Epiphanii verbis Joannes hanc deduxit conſequentiam, nimirum: ſi à quo accipit eſſe Spiritus ab eo procedit; cùm ſecundùm Epiphanium accipiat eſſe à Filio, ſequitur, quod procedat etiam à Filio.

792 Ad hæc Epheſius reſpondit, teſtimonium Epiphanii non probare intentum à Juliano, quoniam Epiphanius non dicit, *Spiritus Sanctus accipit eſſe à Filio*, ſed ſimpliciter *accipit*. Hoc autem, ait, ab Evangelio ſumpſit, ubi Dominus dicit: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Si enim ita ſentiret, ſubjunxit, ad hunc modum diceret: *Nemo novit Patrem, & Filium, niſi Spiritus Sanctus, à quibus procedit, & à quibus accipit*; & procedere atque accipere, ſumeret pro eodem. Cùm verò dicat, *à quo procedit, & à quo accipit*, declarat aliud ſe intelligere per verbum *procedere*; & aliud per *accipit*, quod *procedere*

ſignificet ipſam exiſtentiam Sancti Spiritus, quæ eſt à Patre; *accipere* autem denotet conſenſionem, & convenientiam Sancti Spiritus cum Patre & Filio. Adduxit inde Teſtimonium Chryſoſtomi homil.78. in Joannem, exponentis verba illa, *de meo accipiet*, hoc eſt, à mea ſcientia: & Cyrilli in Theſauris cap. 14. dicentis: non enim Filius, dum dixit, *de meo accipiet, & annuntiabit vobis*, ſuam differentiam à Patre ſignificare voluit, ſed quod futurum eſſet, ut Spiritus Sanctus ejus uteretur verbis: quippe qui ejuſdem ſit ſubſtantiæ, ejuſdemque omninò naturæ, & æquè, ac ille operetur, atque loquatur,

793 Hac ſtante Epheſii reſponſione, quæſivit Joannes, an cùm dicimus creaturas eſſe à Deo, intelligamus creaturas accipere eſſe à Deo? Affirmante Epheſio, ſubjunxit Joannes: Si eſſe à Deo, dicit ſeù importat accipere eſſe à Deo, cùm Epiphanius dicat: *Spiritus eſt à Filio*, ſequitur, quòd accipiat eſſe à Filio. Tunc Epheſius dixit, Teſtimonium hoc Epiphanii prædictis verbis allegatum, eſſe apud Græcos ſuſpectum, ac proinde poſtulavit afferri codicē. Interea tamen plura alia, donec afferretur codex, diſcuſſa ſunt; allato denique codice, recitatum eſt ex eo præfatum teſtimonium, cùm ventum fuit ad illa verba, *qui eſt à Patre & Filio*, repertum eſt in eo codice, non eſſe verbum, eſt, & legi: *Nec Filium, nec Patrem* (ideſt novit) *niſi Spiritus, qui glorificat, & teſtificatur, qui à Patre, & Filio*; unde Epheſius reaſſumens dixit, quòd cùm non ſit verbum, *eſt*, optimè poſſe explicari præfatum teſtimonium; ut taliter ſit. Spiritus à Patre & Filio, ut habeat ſubſiſtentiam à Patre, & à Filio dari, & accipi ab his, qui in ipſum credunt. At Joannes reſpondit, non eſſe appoſitum, *eſt*, cùm dicitur *à Patre & Filio*, factum eſſe ex auſu multorum Doctorum, qui nominibus poſitis omittunt verbum, quod neceſſariò intelligendum eſt, quemadmodum Doctores de diſtinctione, ac diſcretione loquentes utuntur his terminis, *à quo aliquid, & ad quod aliquid*. Deinde, inquit, paulò ſupra, *Filium* (inquit Epiphanius) *voco, qui ex ipſa* eſt; *Spiritum verò, qui ab utrique, ubi ſubintelligitur, eſt*, & ita etiam ſubintelligi debet in præſenti.

794 In hac eadem diſputatione Epheſius allegavit teſtimonium Baſilii Magni Serm.5. cap.13. ubi dicit: *Generat Deus non ut homo; verè tamen generat: & quod ab ipſo genitum eſt, emittit per os, non quale eſt hominum; nam neque os Dei corporeum intelligimus, ex ipſo autem Spiritus & non aliunde*, ex hoc ſubintulit Epheſius de mente Baſilii ex ſola Patris perſona, & non aliunde, hoc eſt non ex alia perſona accipere eſſe Spiritum Sanctum. Cui teſtimonio reſpondit Joannes, Baſilium diſputaſſe contra Eunomium aſſerentem, Spiritum Sanctum eſſe creaturam, ac ideo dixiſſe ex ipſo Patre, & non aliunde, ut oſtenderet eſſe ex natura ejus, non creatura. Dixit etiam eundem Baſilium lib.3. contra Eunomium apertè aſſerere, Spiritum Sanctum accipere à Filio ſuum eſſe. His itaque, & aliis ex utraque parte deductis, dimiſſa eſt ſeſſio, altera indicta in ſubſequentem feriam v.

795 Cæterùm plura in Ancorato Epiphanii reperiuntur, ex quibus colligi poteſt, Spiritum Sanctum accipere eſſe etiam à Filio, ac ita à Filio quoque procedere. In primis ait: *Unigenitus enim unus ipſe Filius, Spiritus Sanctus ipſe Spiritus Dei, ſemper exiſtens cum Patre, & Filio, non alienus à Deo, ſed à Deo exiſtens, à Patre procedens, & à Filio accipiens*. Et paulò poſt. *Et Spiritus quidem, Spiritus Sanctus, Filius verò Filius; Spiritus autem à Patre procedens, & ex Filio accipiens*. Et poſt alia. *Et Spiritus Sanctus unici nominis eſt, non Filii habens nomen, non Patris nomenclaturā, ſed Spiritus Sanctus ſic appellatus, non alienus à Patre. Ipſe enim unigenitus dicit Spiritus Patris, & qui ex Patre procedit, & de meo accipiet, ut ne alienum putetur à Patre, & Filio, ſed ejuſdem eſſentiæ, ejuſdem Deitatis*: & paucis interjectis, *ſed Spiritus Patris, & Spiritus Filii non juxta aliquam compoſitionem, quemadmodùm in nobis anima & corpus, ſed in medio Patris & Filii, ex Patre & Filio, tertius nomenclatura*. Et poſtea, *Dicit igitur B. Petrus ad Ananiam: Quid tentavit te Diabolus, ut mentireris Spiritui Sancto? Et ait; non mentitus es hominibus ſed Deo. Ergo Deus eſt ex Patre, & Filio Spiritus, cui mentitus eſt ille, qui de precio aliquid detraxit*.

796 Deinde, poſt multa in eodem Ancorato, ipſemet Epiphanius videtur exponere ſuam mentem, quid intelligat per illa verba, *De meo accipiet*, accipere nimirum eſſe etiam ab eo: loquens enim de inhabitante Spiritu Chriſti in nobis, ait: *At arbitror, quòd ambo habitant in homine juſto, Chriſtus, & Spiritus ipſius; ſi verò Chriſtus ex Patre creditur, Deus ex Deo, & Spiritus ex Chriſto, aut ab utriſque, ſicut Chriſtus dicit, qui ex Patre procedit, & hic de meo accipiet; Chriſtus verò ex Spiritu Sancto &c.* Et infra; *Vita item eſt totus Deus: igitur vita ex vita eſt Filius: Ego enim ſum*, inquit, *veritas*, & *vita; Spiritus autem Sanctus ab utriſque, Spiritus ex Spiritu*. Et paucis interjectis. *Si enim Filium vocat eum, qui eſt ex ipſo, Spiritum verò Sanctum, qui ab utriſque, quæ ſolùm fide intelliguntur à Sanctis, lucida, lucem dantia; lucidam ſanè operationem habent, & per fidem lucis conſona ad ipſum Patrem ſiunt: audi ò bone, quòd Pater veri Filii eſt Pater, totus lux, & Filius veri Patris; lux de luce, non ſicut factura, aut creatura, nomine ſolùm: & Spiritus Sanctus Spiritus veritatis eſt, lux tertia à Patre, & Filio*. Et inferius repetit ea, quæ poſt initium etiam dixerat, nimirum, quæ à Juliano Cardinale allegata fuerant, immò quæ relecta fuerunt in ipſo textu in ſupra re-

Digitized by Google

cenſita ſeſſione, hoc eſt : *Si itaque à Patre procedit , & ex meo , inquit , Dominus , accipiet , quemadmodum nemo novit Patrem niſi Filius , neque Filium niſi Pater ; ſic auſim dicere, quod neque Spiritum , niſi Pater & Filius , ex quo procedit , & à quo accipit : & neque Filium & Patrem , niſi Spiritus Sanctus , qui verè glorificat , qui docet omnia , qui teſtificatur de Filio , qui ex Patre, & ex Filio ſolus Dux eſt veritatis .*

797 Die verò conſtituta, nimirum quinta menſis Martii, feria v. celebrata eſt ſeſſio XIX. Florentiæ III. In qua Joannes Provincialis iterum reaſſumpto ſermone, cœpit examinare Baſilii teſtimonium allegatum ab Epheſio in præterita ſeſſione , demonſtrans verba illa Baſilii in ſermone v. ubi dicit : *Spiritum Sanctum ex ore Patris prodire , & non aliunde* , non excludere proceſſionem à Filio , ſed *non aliunde*, importare, *non ex alia ſubſtantia, quàm divina* , nam aliàs Baſilius ſibimetipſi contradiceret, cùm in lib. 3. contra Eunomium ſcribat: *Spiritum Sanctum habere eſſe ex Filio* . At Epheſius dixit , mentem Baſilii fuiſſe demonſtrare , Spiritum Sanctum eſſe ejus plenæ ſubſtantiæ , cujus eſt Pater & Filius , & non alterius , ut aſſerebant hæretici . Deinde , mentem Baſilii non fuiſſe probare quænam ſit cauſa Spiritus , Pater nè , an Filius : ac denique proprium inſtitutum prædicti Baſilii illud fuiſſe , ut Spiritus ſit ſubſtantiæ Patris , & non aliunde . Joannes verò primam partem admiſit , non tamen ſecundam , immò ex dictis ejuſdem Epheſii in præterita ſeſſione , inferri contrarium ; nam Epheſius uſus teſtimonio Baſilii dicentis, Spiritum Sanctum eſſe ex ore Patris , & non aliunde , expoſuit pro *non aliunde* , quòd non haberet eſſe ex alia perſona , ſed ſolùm à Patre , ac ita , expoſuit Baſilium quaſi demonſtraret , Spiritum Sanctum procedere à ſolo Patre ; dicere verò modò mentem Baſilii non fuiſſe probare , an Spiritus Sanctus procederet à Patre , vel alio , videbatur contraria aſſerere . Quæſivit inde Epheſius, an bona ſit iſta illatio: Spiritus Sanctus eſt ex ſubſtantia Patris , & Filii , ergò ex utriuſq; perſona procedit? Reſpondit Joannes, actiones eſſe ſuppoſitorum : & cùm Pater non aliter, quàm generando communicet ſubſtantiam ſuam Filio , ſpirando communicet eamdem ſubſtantiam Spiritui Sancto : Patrem & Filium eſſe unum principium ſpirationis : quia inter Patrem & Filium , quatenus ſpirant Spiritum Sanctum nulla eſt relativa oppoſitio . Ad exemplum Jacobi generantis Joſeph , reſpondit , paritatem non habere locum, quia natura per humanam generationem communicata non eſt una numero in generante & in genito : at in Divinis eſt eadem numero natura , quæ communicatur à Patre per generationem Filio , & à Patre , & Filio per ſpirationem Spiritui Sancto . Cùm verò Epheſius quæſiviſſet , qua ratione dixerit , Spiritum Sanctum à communi natura Patris, & Filii procedere , cum faſſus eſſet in humanis , Filium non produci à natura abſtractè ſumpta . Joannes reſpondit, nomen ſubſtantiæ dupliciter ſumi, uno modo pro natura , altero modo pro ſubſiſtentia , hypoſtaſi , & perſonalitate , qua ſuppoſita diſtinctione , plura locutus eſt quomodo ſe habeant in divinis generatio Filii , & Spiritus Sancti ſpiratio . Et cùm plura hinc inde dicta eſſent , attenta horæ tarditate , dimiſſa eſt ſeſſio , altera indicta ad diem Sabbati .

798 Adveniente præfati Sabbati die VII. ſcilicet ejuſdem menſis Martii, habita eſt ſeſſio XX. Florentiæ IV. in qua, poſtulante Epheſio, lectus eſt locus Baſilii ex lib. 3. contra Eunomium , ex codice à Latinis allato , & repertum eſt, ita Baſilium ſcribere , videlicet : *Cur enim neceſſe eſt , ſi dignitate & ordine tertius eſt Spiritus , tertium quoque ipſum eſſe natura ? Dignitate namque ſecundum eſſe à Filio , cùm habeat eſſe ab ipſo , atque ab ipſo accipiat & annuntiet nobis , & omninò ab illa dependeat, cauſa , ſermo pietatis tradit* . Sic recitato loco præfato , dixit Epheſius , præfatum codicem à dogmatis defenſoribus eſſe corruptum , factumque additamentum occulta manu : protulitque alium codicem vetuſtiſſimum, in quo tale quid non habebatur . Ad hæc reſpondit Joannes Provincialis , librum à Domino Nicolao de Cuſa Conſtantinopoli illùc fuiſſe delatum , ex membranis ipſis conſtare eſſe vetuſtiſſimum , à Latinis nec hactenus uſum , & facta diligenti indagatione ; exquiri poſſe, an ulla in eo raſura , ſive depravatio , vel manus adjectio deprehendi poſſit . Addidit inde vitium depravandi codices , expungendi è libris, ab hoſtibus fidei deprehenſum primùm in Oriente , & ab ipſis Græcis habuiſſe originem . Et hoc demonſtravit ex Epiſtola Cyrilli ad Joannem Antiochenum, incipiente, *Lætentur Cœli* , ubi etiam tradit Epiſtolam Athanaſii ad Epitectum fuiſſe corruptam . Item ex altera ejuſdem Cyrilli Epiſtola data ad Acacium, incipiente, *Mutua ſalutatio* . Ad extremum verò quæſivit , ut ſi ipſi alios codices Baſilii vetuſtiſſimos haberent , producerent, ac tunc locus ille pleniùs poterit conſiderari .

799 Epheſius verò reſpondit, etiam apud eos eſſe quoſdam Baſilii codices pari modo corruptos , & cum tali additamento , ſed per plures incorruptos. Verùm eſſe quod Cyrillus ſcripſit de falſatis Epiſtolis , ſed hoc etiam fuiſſe Occidentalium vitium : nam Zòſimum Papam miſiſſe, ait ad Cartaginenſe (VI.) Nicænos Canones falſatos , præcipuè addito Canone de Appellatione ad Romanum Pontificem , qui in genuinis Canonibus , qui integri ſolùm reperiebantur apud Cyrillum , & Atticum , à quibus Patres Carthaginenſes poſtularunt , non fuit repertus . His dictis devenit ad locum Baſilii , & ex altero codice

legit illius teſtimonium, in quo verba illa indicantia proceſſionem Spiritus Sancti à Filio non habebantur. Sed Joannes negavit, Zoſimum miſiſſe Canones corruptos ad Patres Carthaginenſis Concilii, immò ex Canone de Appellatione ad Romanum Pontificem, Athanaſium ſuam cauſam defendiſſe, & appellaſſe ad Romanum Pontificem, Julianumque Papam invehiſſe contra Antiochenos, quòd auſi fuiſſent convenire abſque conſenſu Apoſtolicæ Sedis, prohibente Nicæna Synodo, & ſtatuente, nullam fore unquam ratam, legitimamque Synodum, niſi comprobata ſit auctoritate Romanæ Eccleſiæ.

800 Deinde omiſſa diſputatione, an Zoſimus Canones Nicænos corruperit, nec ne, ventum eſt ad locum Baſilii, & cùm Baſilius dicat, Spiritum Sanctum ita ſe habere ad Filium, atque ita pendere ex eo, ſicut ſe habet ad Patrem, & dependet ab eo, quæſivit Joannes ab Epheſio, ut declararet quid ſit dependere ab alio, & quid illud, à quo illius eſſe dependet. Reſpondit Epheſius, Baſilium ſeipſum exponere, & quid ſibi velit hæc vox, *dependere*, cùm dicat: *Dependet à Filio, hoc eſt, coordinatus eſt illi, & cum eo ſine ulla disjunctione percipitur*. Hinc ſubjunxit, ita Spiritum Sanctum coordinatum eſſe Filio, quaſi connumeratum cum ipſo. Subjungente Joanne, ſi de mente Baſilii dependere non eſt aliud, quàm Spiritum Sanctum ordinari ad Filium: ergò hic ordo aut erit originis, vel origo. Reſpondit Epheſius, nil aliud importare, quàm eſſe collocatum poſt Filium, quia neceſſe eſt poſt Patrem numerari Filium, & poſtea Spiritum Sanctum. Ergo à parte rei, ait Joannes, ſublata voce noſtra, qua numeramus, nullus ordo conſideratur. Reſpondit Epheſius, eſſe ordinem ex natura rei, quòd poſt Patrem numeratur Filius, & inde tertius numeratur Spiritus Sanctus, nè ſi præponatur Filio, & referatur ad Patrem, & ipſe quoque videatur eſſe Filius. Tunc Joannes ex textu Baſilii probavit, quòd ſicut Filius ordine & dignitate eſt ſecundus poſt Patrem, ita & Spiritus Sanctus ordine & dignitate eſt tertius poſt Filium in Trinitate, & ſicut Filius, qui ordine & dignitate eſt ſecundus poſt Patrem accipit eſſe à Patre, ita eadem ratione Spiritus Sanctus ordine & dignitate tertius, accipit eſſe à Patre & Filio. Tota ergo vis argumenti Joannis fuit demonſtrare, quòd ſi ſecundùm Baſilium ita ſe habet ordine & dignitate Spiritus Sanctus ad Filium, ſicut Filius ad Patrem, ſequitur, quòd ſicut Filius accipit eſſe à Patre, ita Spiritus Sanctus à Filio: verùm Epheſius negavit, quòd eodem modo, quo Filius eſt ſecundus ordine & dignitate à Patre, ita Spiritus Sanctus ſit ordine & dignitate tertius, nec hoc aſſerere Baſilium, immò aſſeruiſſe Eunomium à Baſilio impugnatum. Joannes verò probavit, non eſſe impugnatum Eunomium à Baſilio, quòd aſſeruerit Spiritum Sanctum eſſe ordine & dignitate tertium, ſed quia ex hoc inducebat Spiritum eſſe etiam tertium natura, cùm non ſequatur, eſt tertius ordine & dignitate: ergò eſt tertius natura. Ac denique cùm Epheſius contenderet nullo modo Spiritum Sanctum eſſe ordine & dignitate tertium, nec hoc admiſiſſe Baſilium, benè verò Eunomium: Joannes probavit etiam teſtimonio S. Athanaſii in Dialogo cum Ario, & in Epiſtola prima ad Serapionem, quòd Spiritus Sanctus tertius ſit dignitate. Ac denique deduxit, Spiritum Sanctum talem habere ordinem ad Filium, quem Filius habet ad Patrem, ac ita ſicut Filius accipit eſſe à Patre, ita Spiritus Sanctus à Filio. Quibus ſic concluſis, dimiſſa eſt ſeſſio, altera indicta in feriam III. proximè ſequentem.

801 Cæterùm quo ad teſtimonia allegata ex Magno Baſilio, in primis optimè Joannem expoſuiſſe illud allegatum ab Epheſio lib. 5. contra Eunomium, nimirum verba illa, *& non aliunde*, intelligenda non ex alia natura, non verò excludere voluiſſe aliam perſonam, conſtat ex verbis antecedentibus: invehens namque contra Eunomium, ait Baſilius: „ Tu
„ verò ſimiliter ſicut infideles, contra divi-
„ nam doctrinam te opponis, & ad blaſphe-
„ miam feſtinas; & quoniam proceſſio Spi-
„ ritus ex Deo, generatio vocata non eſt,
„ idcircò nec Spiritus oris Dei eſſe credis,
„ ſed manuum Dei opus, & humana exempla
„ deſpiciens, evertis, quæ ex ipſis intelli-
„ guntur divina dogmata, cùm oporteret
„ divini dogmatis verba cum timore audire,
„ & quiquid dicitur cum pietate recipere,
„ nec ſtultiſſimè ea, quæ ſunt pietatis cavil-
„ lari. *His dictis ſtatim ſubjungit*. Generat
„ Deus non ut homo: generat autem verè:
„ & quod ex eo genitum eſt, edit verbum
„ non humanum: edit autem verbum verè ex
„ ipſo, & emittit per os Spiritum non qua-
„ lis hominis eſt, quoniam nec os Dei cor-
„ porale: ex ipſo autem Spiritus, non aliun-
„ de. *Hæc ille*. Itaque aſſumptum Baſilii fuit probare, Spiritum Sanctum non eſſe creaturam, ut Eunomius fatebatur, ideo dixit ex Deo & Patre eſſe Spiritum, ſicut ex Deo & Patre eſt verbum„ *& non aliunde*, id eſt non ex alia natura, ſicut nec Filius ex alia natura. Et ideo ſubjungit: „ Operatur Deus, non
„ corporeis manibus: operatur autem non ex
„ ipſo, creaturas producens, ſed per creatio-
„ nem ſubſiſtere faciens, ſicut non ex ſeipſo
„ opus producit homo, qui manibus opera-
„ tur. Nec tranſmoveas divinorum verborum
„ terminos, Filius eſt Filius, & Spiritus eſt
„ Spiritus, non creatura. Nec de Filio quæ-
„ ras, cur non Spiritus vocatus eſt, nec de
„ Spiritu, cur non Filius, nec creaturam eſſe
„ Filium, vel Spiritu maledico ore dicas.
Hactenus Baſilius: cujus ſcopum fuiſſe, ex deductis liquet, probare Spiritum Sanctum

non

non eſſe alterius naturæ à divina, non creaturam, ſed Deum, quemadmodum eſt Filius; & ideò poſtquam de Filio dixit à Patre genitum, & ejuſdem naturæ cum Patre, ſubjunxit de Spiritu pariter ex Deo eſſe, & non aliunde, ideſt non ex alia natura, ſed ejuſdem naturæ cum Deo.

802 Alterum poſtea teſtimonium allegatum à Joanne ex lib. 3. contra Eunomium, verba illa: *Cùm ab ipſo habeat eſſe, & ab ipſo accipiat, & annuntiet nobis, atque omninò ab illa dependeat cauſa*, in noſtris codicibus impreſſis hodie deſunt. Nec alia habentur verba præter iſta: *Cur enim neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus, natura quoque ipſum tertium eſſe? Dignitate namque ipſum ſecundum eſſe à Filio, pietatis ſermo fortaſſe tradit: natura verò tertia uti, nec à divinis ſcripturis docti ſumus, nec ex antecedentibus poſſibile eſt conſequenter colligi*. Veroſimile ergò eſt; noſtros incidiſſe in corruptos codices Græcos, eoſque eſſe interpretatos: nam etiam alii ſcriptores, ex integro Baſilii textu eo uſi ſunt teſtimonio, quo uſus fuit Joannes, & quidem habente prædicta verba. Sic Gennadius, qui fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus poſt Concilium Florentinum. In expoſitione pro eodẽ Concilio Florentino ſect. 2. ad probandum Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio, integro Baſilii teſtimonio utitur, inquiens: „ Quod verò ex Filio Spiritus „ Sanctus accipit, & habet eſſe, Magnus Ba- „ ſilius in tertio adversùs Eunomium teſta- „ bitur, cujus principium: *Vix tandem ex* „ *ſaturatus adverrùs Unigenitũ blaſphemiis*. In „ eo tractatu dicit: *Quæ neceſſitas urget, ſi* „ *auctoritate, & ordine tertius eſt Spiritus, eum* „ *natura etiam tertium eſſe. Quod auctoritate* „ *quidem ſecundus à Filio ſit, & ab eo habeat* „ *eſſe, & ab eo accipiat, & annunciet nobis,* „ *& in ſumma ab eo dependeat cauſa; religio-* „ *nis ratio tradit*. Audiſti Cœleſtem Patrem „ hunc; cùm, *ab eo*, inquit, *habeat eſſe &* „ *ab eo accipiat*. Vidiſti ut omnia noſtro ſen- „ ſui conſentanea ſunt. *Hæc Gennadius*. Sed longè ante Gennadium Hugo Eterianus, qui claruit circa Annũ Domini MCLX. ut in ſua Bibliotheca teſtatur Poſſevinus, integrum textum S. Baſilii profert lib. 3. de hæreſibus, quas in Latinos Græci devolvunt cap. 13. inquiens: „ Nunc autem unus eſt Filius Dei „ Unigenitus, verusque Deus, qui ut ſuum „ mittit Spiritum, ſic eſſe tribuendo emittit: „ quod Magnus Baſilius in tertio adversùs „ Eunomium ſermone patenter affirmat, di- „ cens ſic: *Quæ utique neceſſitas, ſi dignitate* „ *atque ordine tertius exiſtit Spiritus Sanctus,* „ *tertium eſſe ipſum & natura? Dignitate* „ *namque ſecundus à Filio, ab illo eſſe habens,* „ *& ab eo accipiens, nobis annuntiat: & omninò* „ *illi cauſæ innixum tradit ſermo pietatis. Na-* „ *tura verò tertium uti neque à ſanctis ſcriptu-* *ris addocemur*. Hæc Baſilius apud Eterianum: unde apparet, codices allatos à Græcis fuiſſe corruptos, noſtros quoque impreſſos, ex Græcorum corruptis codicibus translatos. Immò Beſſarion in Epiſtola, ſive libello de ſucceſſu Synodi Florentiæ cap. 1. fusè agit de hoc Baſilii teſtimonio, & ita ſe habere, prout à Latinis fuerat in ſuo codice exhibitum teſtatur; immo notat, & jam à corruptore additum eſſe *fortaſſe tradit*, hoc eſt adverbium illud *fortaſſe*, cùm in genuino textu Baſilii non habeatur: & liquet ex teſtibus à Gennadio, & Eteriano allegatis. Addit idem Beſſarion ſex Baſilii codices in Concilio fuiſſe exhibitos, tres ab Archiepiſcopo Mytilenenſi, unum à Latinis, alterum à Patriarcha, ſextum ab Imperatore & uno excepto nimirum, quem aſportaverat Dominus Patriarcha, cæteros quinque textum integrum habuiſſe, nimirum cum verbis illis, *ab illo eſſe habens, & ab eo accipiens &c.* Notat hoc idem S. Antoninus, qui eidem Concilio præſens adfuit, in par. 3. cap. XI. in principio, inquiens: „ Poſt aliquas „ phyſicas & ſubtiles rationes & reſponſiones „ inductas, placuit Patribus procedere per „ locum ab auctoritate, qui eſt potiſſimùm „ in Theologica facultate. Inductæ ſunt „ auctoritates multorum Doctorum græcè „ ſcribentiũ, ut Athanaſii, Cyrilli, Dydimi, „ Chryſoſtomi, & permaximè Magni Baſi- „ lii, qui habetur apud eos in magna vene- „ ratione ſanctitatis & doctrinæ, qui in li- „ brum ad Eunomium de Spiritu Sancto ex- „ preſsè aſſerit, Spiritum Sanctum procedere „ non ſolùm à Patre, ſed à Filio. Et cùm „ reſponſalis jam non haberet quid diceret, „ ſubterfugium quæſivit, negans hoc Baſiliũ „ in eo libro ſcripſiſſe, ſed mendosè inter- „ pretatum, cùm in codicibus ſuis græcè „ ſcriptis ſecum delatis hoc minimè reperi- „ retur. Adducti ſunt plures codices Baſilii „ ad Eunomium græcè exarati, quorum ali- „ qui erant apud Græcos, alii penès Lati- „ nos noſtros græci ſermonis peritos: & cùm „ in noſtris, & aliquibus Græcorum de Con- „ ſtantinopoli adductis liquidè haberetur, „ Spiritum Sanctum à Patre & Filio proce- „ dere, deprehenſa eſt malitia Græcorum, „ quòd ſcilicet corruperant ſcripta Baſilii, „ Filium ſubtrahendo in ipſa proceſſione. *Hactenus S. Antoninus*.

803 De falſatis ab hæreticis literis hæc Cyrillus in Epiſtola citata à Joanne, quæ incipit, *Lætentur Cœli*, data ad Joannẽ Antiochenum, ac in ejus fine ſcribit: „ Quòd „ autem nonnulli ex eis, qui recta pervertere „ ſolent, voces meas detorquent ad id, quod „ eis videtur; iſtud Sanctitas tua non miretur, „ cùm ſciat, cujuſvis hæreſeos ſectatores ex „ divina ſcriptura ſui erroris occaſiones colli- „ gere, ea, quæ per Spiritum Sanctum rectè „ dicta ſunt, perverſa intelligentia corrum- „ pendo; atque ita in extinguibilem flam- „ mam ſuper capita ſua congerendo. Quia

ve-

„ verò didicimus, quosdam orthodoxam
„ præclariſſimi Patris noſtri Athauaſii Epi-
„ ſtolam, quam ad Beatum Epictetum ſcri-
„ pſit, adulteratam, depravatamque ediſſe,
„ multoſque graviter hinc lędi; rati hoc uti-
„ le, & neceſſarium Fratribus fore, ex vetu-
„ ſtis exemplaribus, quæ ſincera, incorrupta-
„ que apud nos extant exempla, ad Sancti-
„ tatem tuam tranſmiſimus. *Hæc Cyrillus*.
Et in fine Epiſtolæ datæ ad Acacium Melitenę Epiſcopum, qui de eo conqueſtus erat per Epiſtolam, quòd conſenſiſſet Orientalibus, cujus Epiſtolæ initium eſt: *Res ſanæ dulcis, & commendabilis*, hęc, & alia habet: „ Venit
„ à me Paulus religioſiſſimus Epiſcopus Emi-
„ ſenus, qui poſtquam de recta, & inculpata
„ fide aliquandiù ſermonem contuliſſemus,
„ rogavit ex me, & quidem inſtanter, iis nè
„ aſſentirer, quæ celebris memoriæ Beatiſ-
„ ſimus Pater noſter Athanaſius ad Epicte-
„ tum Corinthiorum Epiſcopum quondam
„ ſcripſerat. Ego verò reſpondi, prorſus &
„ per omnia iis me aſſentiri; modò tamen
„ ſcriptum illud apud vos reſtet incorru-
„ ptum. Multa enim ab inimicis veritatis in
„ eo depravata eſſe. Tùm ille, ſe quoque
„ Epiſtolam illam aqud ſe habere ajebat:
„ velle autem ex iis, quæ apnd nos erant
„ exemplaribus cognoſcere, ipſorum libri
„ corrupti ne ſint, an ſecus. Porrò autem
„ cùm vetuſta exemplaria accepiſſet, eaque
„ cum illis, quæ ſecum attulerat, contuliſ-
„ ſet, invenit illa eſſe adulterata; petiitque
„ ex libris, qui apud nos erant, exempla
„ deſcribere, ut ad Antiochenam Eccleſiam
„ tranſmitteret: quod & factum eſt. Et hoc
„ eſt qnod Reverendiſſimus, ac pientiſſimus
„ Epiſcopus Joannes Careno de me ſcripſit;
„ nempe quòd, quæ de Incarnatione Chriſti
„ ſunt, expoſuerit, Patrumque una nobiſ-
„ cum contexuerit traditionem, quam pro-
„ pemodùm, ut ita dicam, ex hominum
„ animis expungi periculum erat. Quòd ſi
„ qui Epiſtolam, tanquam Philippo Reveren-
„ diſſimo Romanæ Eccleſiæ Preſbytero ſcri-
„ ptam, attulerint perinde ſonantem, ac ſi
„ ſanctiſſimus Epiſcopus Sixtus depoſitionē
„ Neſtorii moleſtè acceperit, eique opem
„ tulerit; nè credat hoc Sanctitas tua. Scri-
„ pſit enim conſona Sanctæ Synodo, omnia-
„ que illius geſta confirmavit, ac nobis ſentit.
„ Si qua verò etiam Epiſtola à quibuſdam
„ circumferatur, tamque à me de iis, quæ
„ Epheſi acta ſunt pœnitentiam agente, per-
„ ſcripta, & id quoque contemnatur. *Hacte-
nus Cyrillus*. Hinc Athanaſius in Epiſtola data ad Serapionem Fratrem, quæ incipit: *Legi literas tuæ Reverentiæ*; hæc ad rem in fine ſcribit: „ Nemini autem harum litera-
„ rum exemplar edas, aut tibiipſi tranſcri-
„ bas: nam hoc ipſum Monachis quoque in-
„ junxi. Sed pro tuo candore, ſi quid ſcriptis
„ deeſt, addas, atque ita ea ad nos quam-
„ primùm remittas. Ex Epiſtola mea ad fra-
„ tres cognoſcere poteris, quid in ſcriptis
„ meis ſim paſſus. *Et paulo poſt*. Pleriqua
„ enim non fidem aut intentionem ſcribentis
„ reſpiciunt, ſed aut per invidiam, aut per
„ contentionem ſuæ jam antea conceptæ in
„ animo opinionis, prout volunt, verba acci-
„ piunt, & ſcripta pro ſua libidine immu-
„ tant. *Hæc Athanaſius*.

804 De combuſtis, & deletis Concilii Nicæni Canonibus, de quibus Joannes Provincialis in prædicta ſeſſione mentionem fecit, extat inter opera S. Athanaſii Epiſtola ejus, & Ægyptiorum Epiſcoporum, data ad Marcum Pontificem, incipiens: *Ad vos perveniſſe non dubitamus*; & reſcriptum Marci ad eosdem, incipiens: *Doleo Fratres*. Apud Labæum tom. 2. Concil. pag. 763. recitatur Epiſtola Athanaſii & Ægyptiorum ad Liberium Papam, quæ incipit; *Veſtræ Beatiſſimæ Paternitatis*, ac inde reſcriptum Liberii ad eoſdem, quod incipit: *Olim, & ab initio*. Et pag. 844. recitetur pariter Epiſtola eorundem Ægyptiorum ad Felicem Papam II. incipiens, *Veſtro Sancto ſuggerimus Apoſtolatui*. De infeſtationibus Arianorum. Ad quam ſequitur reſponſio ejuſdem Felicis, quæ incipit: *Sacram veſtram Synodicam*. Extant pariter apud eundem Labęum literæ Julii Papæ Primi ad Orientales, quarum præcipuè eſt illa ſecunda, qua Orientalibus conqueſtis, quòd Athanaſium in communionem recepiſſet, reſpondit, incipitque: *Decuerat vos adversùs Sanctam Romanam Eccleſiam*, in qua plures Concilii Nicæni Canones, extra vulgatos recenſet, ſed hujuſmodi literæ apud nonnullos videntur ſuſpectæ, & non genuinę.

805 Circa id quod Epheſius dixit de Zoſimo Papa, quòd falſatos Canones miſerit ad Patres Concilii Africani, nimirum ſub nomine Nicęnorum Canonum, cùm reverá tales non eſſent, notandum eſt, ſub Aurelio Epiſcopo, collectam Synodum Carthagine ad effectum videndi de modo proſequendæ appellationis ad Sedem Apoſtolicam interpoſitæ. Et primùm dictum fuit, ut tam exemplaria Nicæni Concilii, quæ tunc habebant, & à Patribus conſtituta erant, quàm etiam quæ illic à prædeceſſoribus eandem firmantes Synodum, vel quæ ſecundùm eam formam per omnes Clericorum gradus, à ſummo uſque ad ultimum, ſalubriter ordinata fuerant, in medium proferentur. Cùmque eidem Synodo interfuiſſent Fauſtinus Epiſcopus Plebis Potentianæ Provinciæ Italiæ, Philippus, & Aſellus Prebyteri, Zoſimi Papæ, & Apoſtolicæ Sedis Legati, præfatus Fauſtinus dixit: ſibi aliqua fuiſſe à Sede Apoſtolica injuncta per ſcripturam, aliqua etiam in mandatis, tractanda cum eis, & pręcipuè de Nicænis Canonibus, ut conſervarentur, & conſtituta eorum, & conſuetudo, quia aliqua ordina, & Canona tenebantur,

ali-

aliqua conſuetudine erant firmata. Proinde de his agendum primùm poſtulavit. His dictis, placuit Patribus, ut recitaretur commonitorium Zoſimi ab iisdem Apoſtolicæ Sedis Legatis allatum & exhibitum, habens infraſcriptum tenorem,

Fratri Fauſtino, & Filiis Philippo, & Aſello Presbyteris, Zoſimus Epiſcopus.

806 ,, Vobis Commiſſa negotia non la-
,, tent. Vos ita ut noſtra, immò quia noſtra
,, ibi in vobis præſentia eſt, cuncta pera-
,, gite; maximè cùm hoc noſtrum poſſitis
,, habere mandatum, verba Canonum, quæ
,, in pleniorem firmitatem huic Commoni-
,, torio inſeruimus. Ita enim dixerunt, di-
,, lectiſſimi Fratres, in Concilio Nicæno,
,, cùm de Epiſcoporum appellatione decer-
,, nerent. Placuit autem, ut ſi Epiſcopus
,, accuſatus fuerit, & judicaverint congre-
,, gati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu
,, ſuo dejecerint eum, & appellaſſe Epiſco-
,, pus videatur, & confugerit ad Beatiſ-
,, ſimum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, &
,, voluerit audiri, & juſtum putaverit, ut
,, renovetur examen; ſcribere his Epiſcopis
,, dignetur, qui in finitima, & propinqua
,, Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia
,, requirant, & juxta fidem veritatis defi-
,, niant. Quod ſi is, qui rogat cauſam ſuam
,, iterum audiri, deprecatione ſua moverit
,, Epiſcopum Romanum, ut è latere ſua Preſ-
,, byterum mittat, erit in poteſtate Epiſco-
,, pi Romani quid velit, & quid exiſtimet.
,, Et ſi decreverit mittendos eſſe, qui præ-
,, ſentes cum Epiſcopis judicent, habentes
,, auctoritatem ejus, à quo deſtinati ſunt,
,, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderint
,, ſufficere Epiſcopos, ut negotio terminum
,, imponant, faciet quod ſapientiſſimo con-
,, ſilio ſuo judicaverit.

807 His recitatis Alypius Epiſcopus, Eccleſiæ Tagaſtenſis Legatus reſpondit, inſpexiſſe Græca Concilii Nicæni exemplaria, hunc verò Canonem non reperiſſe, proinde ſcribendum ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ac etiam ad Alexandrinum, & Antiochenum, apud quos authentica Acta præfati Concilii ſervabantur, ut exemplaria ad ipſos tranſmitterent, ad auferendam omnem impoſterum ambiguitatem. Deinde ex eodem Commonitorio recitatus eſt alter Canon citatus à Zoſimo de Appellationibus Clericorum, ex Concilio Sardicenſi, ſic ſe habens: ,, Oſius Epiſcopus dixit: Quid me
,, adhùc moveat, reticere nō debeo. Si Epiſ-
,, copus, fortè iracundus (quod eſſe non
,, debet) citò, aut aſperè commoveatur
,, adversùs Presbyterum, ſive Diaconum ſuū,
,, & exterminare eum de Eccleſia voluerit,
,, providendum eſt, nè innocens damnetur,
,, aut perdat communionem: Et ideo ha-
,, beat poteſtatem ejectus, ut finitimos in-
,, terpellet Epiſcopus, ut cauſam ſuam au-
,, diant, & diligenter tractent, quia non
,, oportet negari audientiam roganti. Et ille
,, Epiſcopus, qui aut juſtè, aut injuſtè eum
,, ejecit, patienter accipiat, ut negotium diſ-
,, cutiatur, & probetur ejus, aut emendetur
,, ſententia.

808 Hoc ergo recitato Canone, S. Auguſtinus, qui aderat Legatus Provinciæ Numidiæ, dixit ſe utique, & hunc Canonem ſervaturos, facta diligentiore inquiſitione Concilii Nicæni. Fauſtinus verò Apoſtolicæ Sedis Legatus reſpondit, quod ſi aliqua de hoc Canone eſſet dubietas, reſcribendum ad Epiſcopum Romanum, atque informandum, ſi in approbatis Canonibus inveniri poſſet. Poſtulante inde Concilio, allata ſunt exemplaria Concilii Nicæni, quæ apud ipſos erant, & recitatum eſt Symbolum fidei, & Canones xx, quæ in vulgatis editionibus nunc etiam extant: Cùmque præfati duo Canones non eſſent reperti, decreta eſt Legatio ad Atticum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & ad Cyrillum Epiſcopum Alexandrinum pro authenticis Concilii Nicæni exemplaribus, & ſimiliter reſcriptum eſt ad Bonifacium Papam datis literis ferendis per eoſdem Apoſtolicæ Sedis Legatos. Miſiſſe ad Africanos authentica exemplaria Concilii Nicæni Cyrillum, ejus literæ incipientes; *Scripta venerationis veſtræ:* ſicut, & Atticum quoque Epiſcopum Conſtantinopolitanum eadem miſiſſe, ejuſdem ſimiliter literæ incipientes: *Per filium noſtrum Marcellum*, relatæ à Labço tom. 2. Conciliorum pag. 1673. demonſtrant. Extant pariter literæ datæ ad Bonifacium, incipientes, *Quoniam Domino placuit*, apud eundem Labçum pag. 1670, quibus eum certiorem reddunt de geſtis in Synodo, & de exorta controverſia ſuper genuitate Canonum Nicænæ Synodi, quos in Commonitorio allegaverat Zoſimus, & de ſuſpenſa deciſione, donec facta diligenti inquiſitione, videretur, ſi revera talia decreviſſe Nicænos Patres: Cùm verò receptis exemplaribus, quæ tranſmiſerant Atticus, & Cyrillus, nihil eorum reperiſſent, vità functo Bonifacio, ante etiam Legatorum adventum, reſcripſerunt ad Cæleſtinum Papam Bonifacio ſubrogatum, alias literas incipientes: *Optaremus*, relatas ſimiliter à Labço pag. 1674. quibus rogarunt, ut cauſas terminare ſineret in partibus, ubi initia habent: *Præfato itaque debitæ ſalutationis officio*, inquiunt, *impendiò deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes, non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere*. Et paulo poſtea. *Quomodo ipſum tranſmarinum judicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexum, vel propter ſenectutis in-*

fir-

firmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Quo verò ad Canones Nicænos allegatos à Zoſimo, ſcripſerunt, ſe nec in exemplaribus ab Attico, nec in aliis à Cyrillo tranſmiſſis, eos reperiſſe, Hæc ſanè totius facti hiſtoria.

809 Ut itaque aliqua dicamus, operæpretium eſt adnotare, Canones allegatos à Zoſimo in præfato Commonitorio extare inter Acta Synodi œcumenicæ Sardicenſis, ubi Can. IV. ſic legitur: „ Oſius Epiſcopus di-
„ xit: Quod ſi aliquis Epiſcopus judicatus
„ fuerit in aliqua cauſa, & putat, ſe bonam
„ cauſam habere, ut iterùm judicium reno-
„ vetur, ſi vobis placet, Sancti Petri Apo-
„ ſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur,
„ vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam
„ ab aliis Epiſcopis, qui in Provincia proxi-
„ ma morantur, Romano Epiſcopo. Et ſi
„ judicaverit renovandum eſſe judicium, re-
„ novetur, & det Judices. Si autem proba-
„ verit talem cauſam, ut ea reſricentur, quæ
„ acta ſunt, quæ decreverit Romanus Epi-
„ ſcopus, confirmata erunt. Si ergo hoc om-
„ nibus placet, ſtatuatur. Synodus reſpon-
„ dit, placet. *Hactenus Canon*, cui proponente Gaudentio, adjectus eſt & Canon, quo ſancitum eſt, ut pendente Appellatione alicujus Epiſcopi ad Apoſtolicam Sedem, alter Epiſcopus in eadem Cathedra non ordinetur, niſi cauſa in judicio Romani Epiſcopi fuerit determinata. Canone inde VIII. Oſius Epiſcopus dixit: „ Et hoc placuit, ut ſi Epi-
„ ſcopus accuſatus fuerit, & omnes judica-
„ verint congregati Epiſcopi Regionis ipſius,
„ & de gradu ſuo eum dejecerint: ſi appel-
„ laverit, qui dejectus videtur, & confuge-
„ rit ad Beatiſſimum Romanæ Eccleſiæ Epi-
„ ſcopum, & voluerit ſe audiri; ſi juſtum
„ putaverit, ut renovetur examen, ſcribere
„ his Epiſcopis dignetur Romanus Epiſco-
„ pus, qui in finitima & propinqua alterâ
„ Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia
„ requirant, & juxta fidem veritatis defi-
„ niant. Quòd ſi is, qui rogat, cauſam ſuam
„ iterum audiri, deprecatione ſua moverit
„ Epiſcopum Romanum, ut de latere ſuo
„ Presbyteros mittat, erit in poteſtate ipſius
„ quid velit, & quid æſtimet. Si decreve-
„ rit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epi-
„ ſcopis judicent, ut habeant auctoritatem
„ perſonæ illius, à quo deſtinati ſunt, erit
„ in ejus arbitrio. Si verò crediderit ſuffi-
„ cere Epiſcopos Comprovinciales, ut nego-
„ tio terminum imponat, faciet, quòd ſa-
„ pientiſſimo conſilio ſuo judicaverit. *Hactenus*. Sequitur inde & Canonem, quo prohibetur, nè Epiſcopi ad Comitatum accedant, niſi fortè, qui ab Imperatore fuerint vocati, vel invitati.

810 Hos ergò Canones Sardicenſes tanquàm Nicænos allegavit Zoſimus, vel quia Concilium Sardicenſe reputatum eſt unum & idem cum Nicæno, cujus rei cauſa, licèt œcumenicum non numeratur, ut diſtinctum à Nicæno, cùm poſt Nicænum loco ſecundi Concilii computatur primum Conſtantinopolitanum, poſt Sardicenſe celebratum; & hoc, quia, eodem Præſide Oſio, & iiſdem ferè Patribus, qui Nicææ interfuerunt, celebratum; adeout habitum fuerit velut Interpres Concilii Nicæni; vel quia fortè in eadem Nicæna Synodo eadem conſtituta fuiſſent, excidiſſe poſtea Arianorum dolo; vel denique, quia utriuſque Concilii Canones Collector in unum reduxerit, veluti ſub Concilio, ſeu nomine Concilii Nicæni, expuncto titulo Concilii Sardicenſis, quod ab Arianis valdè diffamatum fuerat. Et quidem Dionyſius, qui hos Canones de Græco in Latinum eſt interpretatus, ita in unum congeſſit cum Canonibus Nicæni Concilii, ut unum & idem videatur Nicænum, & Sardicenſe; & ita veroſimile eſt extitiſſe in Bibliotheca Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tempore Zoſimi Papæ, & in cauſa fuiſſe, cùr Sardicenſes Canones tanquàm Nicæni allegaſſent.

811 Cognitos porrò in Africa fuiſſe tempore Concilii Carthaginenſis primi, ſub Julio I. Papa celebrati, circa Annum Domini CCCXLVIII. immediatè poſt Sardicenſe, conſtat ex Canone V. præfati Carthaginenſis Concilii, ubi edito Canone: *non licère Clericum alienum ab aliquo ſuſcipi ſine literis Epiſcopi ſui*. Gratus Epiſcopus dixit: *Hæc obſervantia pacem cuſtodivit; nam & memini in ſanctiſſimo Concilio Sardicenſi ſtatutum, ut nemo alterius Plebis hominem uſurpet*. Quod quidèm cautum eſt Canone XVIII. & XIX. Sardicenſis. Hujuſmodi Acta excidiſſe poſtea, nec Sardicenſium Canonum notitiam aliquam remanſiſſe apud Africanos, liquet ex ipſomet S. Auguſtino in lib. 3. contra Creſconium cap. 54. ubi demonſtrat, non aliud Concilium Sardicenſe agnoſcere, præter Concilium ibidem ab Arianis coactum, ubi ait:
„ Diſce ergò quod neſcis, Sardicenſe Con-
„ cilium Arianorum fuit, quod notum jam
„ diù eſt, ut habemus in manibus contra-
„ ctum maximè contra Athanaſium Epiſcopū
„ Alexandrinum Catholicum, qui eorum
„ errorem ex ipſa Civitate ortum, præ cæteria
„ acriter arguebat & refellebat. *Hæc Auguſtinus*. Hoc autem Concilium illud fuit, vel Conciliabolum à Semiarianis Philippopoli in Thracia celebratum, cohoneſtatum inde nomine Sardicenſis, ut legitimum Sardicæ ab orthodoxis Patribus habitum Concilium obſcurarent, vel ſaltem de fide ſuſpectum redderent: cujus rei causâ per univerſum Orbem miſſis literis, velut unicum Concilium Sardicenſe & germanum evulgarunt; ac in eo Julium Papam, Oſium Cordubenſem, Maximinum Treverenſem, alioſque orthodoxos Epiſcopos damnarunt. Si ergò Acta Concilii Sardicenſis, & primæ Synodi Car-

Digitized by Google

Carthaginenſis, apud Africanos non excidiſſent, non indubium revocaſſent citatos à Zoſimo Canones, licèt ſub nomine Nicænorum Canonum, reperiſſent ſaltem in Actis Sardicenſis Synodi ejuſdem auctoritatis, ac Synodus Nicæna, & ſatis fuiſſet eis, ad effectum acquieſcendi, nulla facta ulteriori inquiſitione. Ex ejuſdem porrò ignorantiæ fonte emanavit Canon XXII. Concilii Milevitani II. ubi Presbyteris, Diaconis, & Clericis inferioribus interdicitur appellare ad tranſmarina. Et fortaſsè occaſionem præbuit Zoſimo præfatos Canones mittendi ad Patres Africanos, ut ſcirent contra Nicænos, vel Sardicenſes Canones egiſſe, inhibendo, nè gravati provocarent ad tranſmarina, hoc eſt ad Apoſtolicam Sedem.

812 Denique de modo potiùs proſequendæ Appellationis, quam de ipſa Appellatione ortam controverſiam apud Patres Carthaginenſes probabile eſt; nam in recitato Canone, miſſo in ſuo Commonitorio à Zoſimo, duo ſancita leguntur: unum, quòd Pontifex Romanus poſſit appellantis juſtitiæ ſubvenire per literas, ſcribendo Epiſcopis finitimæ Regionis, ut diligenter de cauſa inquirant, ac definiant; alterum per Legatos à latere miſſos in Africam, qui præſentes cum Epiſcopis cauſam Appellantium videant, & judicent. Hoc ſecundum non placuiſſe Africanis, liquet ex Epiſtola præfati Concilii ad Cœleſtinum datam, incipiente, *Optaremus*, in cujus fine habetur: „ Executores etiam Clericos veſtros, quibuſque potentibus nolite mittere, „ nolite concedere, nè famoſum typhum ſæculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere. *Hæc ibi*. Solebant namque hujuſmodi Legati pro executione mandatorum uti ſæculari brachio, & manu armata, & vi contumaces compellere. Hoc namque jactabat Antonius quidam Epiſcopus Feſſalienſis, jam depoſitus, qui & appellaverat ad Apoſtolicam Sedem, & dimiſſus fuerat cum literis commendatitiis ad Primatem Numidiæ, nimirum, quòd ſi ſuæ Sedi non eſſet reſtitutus, Cœleſtinum Legatos Militum comitatu ſtipatos miſſurum, quorum vi in ſuam Sedem foret reſtitutus. Quare S. Auguſtinus in Epiſtola 202. data ad Cœleſtinum, quæ incipit: *Primùm gratulationem*, erga finem ait: „ Quia ergò Paſtorali, vigilique cautela Beatiſſimus Papa Bonifacius in Epiſtola ſua poſuit, de Antonio loquens Epiſcopo, & ait: *Si ordinem rerum nobis fideliter indicavit*. Accipe nunc quæ poſt ejus ſanctæ memoriæ Viri in Africa literas geſta ſunt, & ſubveni hominibus, opem tuam in Chriſti miſericordia multò avidiùs, quàm ille poſcentibus, à cujus inquietudine deſiderant liberari. Judicia quippè illis, & publicas poteſtates, & militares impetus, tanquàm executuros Apoſtolicæ Sedis ſententiam, ſive Ipſe, ſive rumores creberrimi comminantur, ut miſeri homines Chriſtiani catholici graviora formident à catholico Epiſcopo, quàm cùm eſſent hæretici, à catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non ſinas iſta fieri, obſecro te per Chriſti ſanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum Præpoſitos populorum monuit, nè violenter dominentur inter fratres. *Hæc, & alia Sanctus Auguſtinus*.

813 Porrò in eadem Epiſtola oſtendit conſueviſſe Africanos ad Apoſtolicam Sedem appellare, & recentiora etiam adducit exempla, inquiens: „ Exiſtat exemplo, ipſa Sede Apoſtolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam, nec Epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ, ut à noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priſcus Provinciæ Cæſarienſis Epiſcopus, aut ad primatū locus ſicut cæteris, & mihi patere debuit, aut Epiſcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius ejuſdem Provinciæ Victor Epiſcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua & Priſcus fuit, nuſquàm niſi in Diœceſi ejus ab alio communicatur Epiſcopo. Clamet, inquam, aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius ejuſdem Provinciæ Laurentius Epiſcopus, & prorsùs hujus vocibus clamet, aut in Cathedra, cui ordinatus ſum, ſedère debui. Sed quis iſta vituperet? niſi qui parùm attendit, nec inulta omnia relinquenda, nec uno modo omnia vindicanda, *Hactenus S. Auguſtinus*. Sed de his ſatis.

814 Die x. ejuſdem menſis Martii, feriâ III. habita eſt ſeſſio XXI. Florentiæ v. in qua diſputationem reaſſumpſit Epheſius, reſpondens ad ea, quæ in præterita ſeſſione Joannes Provincialis ex magno Athanaſio allegavit ad probandum, Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio; nimirum ex ejuſdem Sancti Patris Dialogo cum Ario habito in Concilio Nicæno, & in prima Epiſtola ad Serapionem; nam primo loco, ut citatus fuerat à Joanne, ait Athanaſius: *Si igitur non eſt ex ſubſtantia Patris & Filii, cùr de eo Filius mentionem facit in traditione ſanctificationis?* ubi ait: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (Matth. 28.) Et ex hoc dixit, ſic Athanaſium concludere: *Quoniam in Sacramento tres enumerantur perſonæ, Spiritum eſſe ex ſubſtantia Patris, & Filii*; & ita neceſſariò habere eſſentiam à Patre, & Filio. In ſecundo verò loco dixit, ſic habere Athanaſium: *Spiritus à Filio accipit, juxta Domini vocem: De meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Et de Filio quidem dicitur: *In nomine Patris veni*:

Digitized by Google

de Paracleto autem: Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Si ergò talem ordinem & naturam habet Spiritus ad Filium, qualem habet Filius ad Patrem, qui Spiritum dicit creaturam, quo pacto non idem etiam de Filio neceſſariò ſentiat? Ex quibus concludebat Joannes, Spiritum Sanctum de mente Athanaſii à Patre, & Filio procedere, cùm eundem ordinem dicat habere Spiritum ad Filium, quem habet Filius ad Patrem.

815 Epheſius ergo in præſenti ſeſſione reſpondit, Athanaſium diſputare contra Spiritus Sancti impugnatores, qui licèt Filium coæqualem Patri profiterentur, Spiritum tamen Sanctum inter creaturas adnumerabant, & minorem eſſe aſſeverabant; undè nil ex dictis in Dialogo aliud voluiſſe Athanaſium, quàm oſtendere, Spiritum Sanctum eſſe ejuſdem ordinis, ejuſdemque voluntatis & operationis cum Patre, & Filio, cùm per hæc Sancti Patres, & Doctores conſueviſſe demonſtrare idemtitatem naturæ. Ad ſecundum teſtimonium ex prima Epiſtola ad Serapionem, reſpondit per illa verba, non voluiſſe Athanaſium explicare diſtinctionem, neque unde utraque perſona ſui eſſe cauſam habeat, ſed eorum potiùs unitatem & connaturalitatem ex idemtitate voluntatis, & operum proportione apparentem. Itaque non dixit, *inquit*, Filium habere ſuum eſſe à Patre, Spiritum verò à Filio, neque Filium à Patre generari, Spiritum verò produci à Filio, ut ex tali locutione inferri potuiſſet conſequentia deducta à Joanne. Nunc penitùs his omiſſis, *ſubjunxit*, beneplacitum Patris memorat in operibus Filii, & versùs beneplacitum Filii in operibus Spiritus Sancti, beneplacitum explicans per verbum mitti, ſive per miſſionem, uſus teſtimonio Gregorii Theologi, Oratione in Natalem Domini. Et poſt aliqua ait, magnum Athanaſium alibi fateri, ſolum Patrem eſſe fontem Spiritus Sancti, ut in Oratione de æterna Filii, & Spiritus exiſtentia, ac ità ſolùm à Patre procedere, allegans verba Athanaſii dicentis: *Disjungimur autem à judaizantibus, & à depravantibus Chriſtianiſmum, qui Deum de Deo negantes, unum Deum aſſerunt, æquè ac Judæi; non quia ſolus Pater ingenitus, ſoluſque fons Deitatis, Deum affirmantes ipſum, ſed veluti carentem Filio, & Verbum vivens non fructificantem.* Ex quibus hanc conſequentiam deduxit, nimirum: Si Deitatis fons eſt ſolus Pater, quemadmodùm & ſolus ingenitus, hoc eſt, ſolus Filii Genitor, ſic erit ſolus Spiritus Sancti Productor:

816 At Joannes Provincialis reſpondens, iterum aggreſſus eſt examinare Baſilii teſtimonium, ac demonſtrare, genuinum textum nullo pacto ea continere, prout in codice ab Epheſio allato legebatur: & probavit ex alio loco Baſilii in quadam homilia de Spiritu Sancto, ubi inter alia, ait: *Spiritus nec eſt, nec non.i iatur Filius; neque enim à Spiritu accipimus aliqua, quomodo à Filio Spiritus.* Ex quibus deduxit Joannes, quòd ſi Spiritus non eo modo accipit à Filio, quo nos à Spiritu, ſequitur, Spiritum accipere à Filio quod divinum eſt. Deinde textum Baſilii recitavit, ſicut in utroque codice legebatur, Epheſii ſcilicet, & ipſius Joannis, & probavit textum ut habebatur in codice Epheſii, fuiſſe corruptum, aliàs Baſilius ineptè eſſet locutus: & præcipuè propter illa verba, *tradit fortaſſe pietatis ſermo*, quoniam nunquam dubitativè loqui potuiſſet, volens confutare Eunomium, expoſuit inde Baſilii mentem, ex qua demonſtravit, prædictum textum legendum prout in ſuo codice continebatur.

817 Ad hæc porrò devenit ad Athanaſii teſtimonia, probans reſponſionem, & expoſitionem Epheſii nullius fuiſſe momenti: verba ergo Athanaſii confutantis voces & Apologiam Arii in præcitato Dialogo retulit, nimirum: *Si non eſt Spiritus Sanctus ex ſubſtantia Patris & Filii, cùr Filius Dei connumerat illum in Symbolo ſanctificationis, euntes docete omnes, dicentes?* Quod teſtimonium ſic expoſuit: ſi Spiritus Sanctus non eſſet ex ſubſtantia Patris & Filii, nullo modo eſſet in Sacramento ſanctificationis connumeratus. Ergo, ſubintulit, Spiritum Sanctum ita habere eſſe ex ſubſtantia Filii, ſicut habet eſſe, & accipit ex ſubſtantia Patris. Ad alteram verò Athanaſii ſententiam non rectè ab Epheſio explicatam, dixit Joannnes, neceſſariò ſequi, ut Spiritus Sanctus dignitate & ordine ſit à Filio ſecundus, ſi rectè Athanaſii verba attendantur, cùm dicat, talem naturam & ordinem habere Spiritum ad Filium, qualem Filium ad Patrem; unde hoc ſtante, ſicut ordo naturæ Filii ad Patrem importat productionem Filii à Patre, ſic etiam ordo Spiritus ad Filium, recta exiſtente comparatione, importare debet productionem Spiritus à Filio. His & aliis examinatis dimiſſa eſt ſeſſio, indicta alia in Sabbatum proximum.

818 Adveniente præfata Sabbati die, nimirum XIV. menſis Martii celebrata eſt ſeſſio XXII. Florentiæ verò VI. in qua Epheſius conatus eſt refutare expoſitionem teſtimonii Baſilii in ſuperiori ſeſſione à Joanne exhibitam, quaſi prædicta explicatio diſſona eſſet Grammaticæ regulis; plurimùm hinc inde diſputatum eſt: ac denique deventum ad hoc: an Spiritus, qui datur à Filio ſit creatura, vel Creator: Creatorem eſſe Spiritum Sanctum, dixit Joannes, ejusque operationes creaturas. Quæſitum inde fuit à Joanne: nùm dona Sancti Spiritus dentur cum ipſo Spiritu, & cum perſona, & hypoſtaſi ejuſdem Spiritus nec nè: & an eadem ſint dona, quæ accipiuntur à Sancto Spiritu. Tacente verò Epheſio, & nihil ad interrogata reſpondente, Imperator dixit, omittendam hujuſmodi diſputationem, ac deveniendum ad principale quæſitum.

Digitized by Google

tum. Iterum ergo reaſſumptum eſt examinandum Baſilii teſtimonium, quod ambiguum dixit Epheſius: non ambiguum, ſed luce clarius, demonſtravit Joannes.

819 Epheſius verò non habens quid reſpondere ad Joannis dicta, ad alteram quæſtionem devenit, inferens, ſi Spiritus Sanctus acciperet eſſe à Patre & Filio, quod haberet, & acciperet eſſe à duobus principiis, ac ideò negavit in divinis ordinem primi, ſecundi, & tertii, dicens, non eſſe in perſonis prima, ſecunda, & tertia, neque unum, duo, tria, ſed unum, & unum, & unum, & una eſſentia: & quia generare & producere non ſunt naturales proprietates, ſed perſonales: ſi Spiritus Sanctus producitur à Patre & Filio, ſequi inferebat eſſe in duobus duo principia, duaſq; cauſas.

820 Ad hæc verò Joannes reſpondit, non duo principia, aut duas cauſas eſſe Patrem & Filium reſpectu Spiritus Sancti, licèt à duobus accipiat eſſe, ſed unum principium, unamque cauſam; nam inquit: Pater, ut Pater ad Filium refertur, Filii enim Pater eſt: ſimiliter Filius ut Filius refertur ad Patrem: Patris namque Filius: & Filio non exiſtente, impoſſibile eſt eſſe Patrem: cùm hæc relativa ſint ad aliquid. Spiritus autem Sanctus per ſe, neque ad Patrem, neque ad Filium refertur, quatenus Pater & Filius, ſed refertur ad ſpirantem: cùm verò non ſint duo ſpirantes, ſed unus ſpirator, quis una eſt potentia ſpirativa in Patre & Filio, licèt originaliter dicatur Patris, à quo illam accipit Filius, ſequitur unum tantùm eſſe principium Spiritus Sancti, licèt in duabus perſonis diſtinctis. Epheſio verò non rectè percipiente dicta Joannis, clariùs illi expoſita fuerunt: & inde iterum Joannis aggreſſus eſt repetere locum Magni Baſilii, illumque explicare, & poſt longam diſputationem abſoluta eſt ſeſſio, & alia indicta in feriam tertiam.

821 Itaque die XVII. Martii, feria III. habita eſt ſeſſio XXIII. Florentiæ VII. ac in ea Epheſius plura dixit, ut probaret Baſilii mentem nunquam fuiſſe concedere, Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio, quia aliàs ſcripturæ contradiceret, quod de tanto Patre indignum eſt præſumi: ac ideo allegavit locum Joannis cap. 15. ubi de Spiritu Sancto dicitur: *Qui à Patre procedit*, & vim multam fecit in iſtis verbis, dicens: non dixit etiam de proceſſione loquens, qui à nobis procedit, ſive qui à me & Patre procedit: nam ita dixiſſet, ait, ſi ſuam etiam eſſe noſſet perſonam.

822 Deinde allegavit dicta Sanctorum Patrum, videlicet Gregorii Theologi Orat. 1. de Filio, dicentis, Spiritum procedere à Patre, ſicut docet ſcriptura: S. Dionyſii Areop. lib. de divinis nominibus, ubi appellat Patrem fontem ſuperſubſtantialis Deitatis. Et Leontii Cæſarem Epiſcopi diſputantis cum Philoſopho in actis Concilii Nicæni apud Gelaſium Cyzicen. lib. 2. ubi Leontius dicit: *Suſcipe unam Deitatem Patris, qui ineffabiliter generavit: & Filii ex eo geniti, & Spiritus Sancti procedentis ex ipſo Patre, qui & Filii proprius eſt*. At Joannes verba Chriſti Domini, Joan. 15. expoſuit ex aliis ejuſdem verbis in cap. 16. ubi ait: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: propterea dixi; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Cæterùm Epheſius reaſſumpſit teſtimonium Leontii ſupra relatum, ut probaret à ſolo Patre procedere, addens & alia ab eodem Leontio recitata. Deinde allegavit Baſilium ad Amphilochium cap. 28. ubi ait, Spiritum Sanctum dici Spiritum Chriſti propter conſubſtantialitatem naturæ. Et in ſermone contra Sabellium, Arium, & Eunomium, ubi palàm fatetur ſe noſſe Spiritum cum Patre, ſed non Patrem, accipere illum cum Filio, non Filium nominari: & intelligere ejus cognationem cum Patre, quoniam ex ipſo procedit: ac ideo juxta has ſententias alia loca Baſilii interpretanda, dixit: Addidit & Symbolum Nicænum, & definitiones primorum Conciliorum, in quibus ſolùm ſit mentio de ejus proceſſione à Patre. Cyrillum porrò in ſuis anathematiſmis refutatum à Theodoreto in medium produxit: item & in ejus expoſitione ſuper Lucam, ut demonſtraret etiam à mente Cyrilli alienam fuiſſe proceſſionem à Filio.

823 At Joannes inter multa demonſtravit, Baſilium Magnum eo pacto interpretatum ſcripturam, quo Beatus & Magnus Auguſtinus, hunc verò eodem uſum argumento, quo Baſilius in lib. 15. de Trinitate, ſic affatum: *Si enim quidquid habet Filius, à Patre habet, à Patre utique habet, ut ex ipſo etiam procedat Spiritus Sanctus*. Poſtea plura hinc inde dicta ſunt, donec abſoluta eſt ſeſſio: & tractatum eſt de medio conſequendæ unionis, ſatisfactis Græcis ex eo quod percepiſſent, Latinos nec duo principia, nec cauſas admittere in divinis, à quibus Spiritus Sanctus accipiat eſſe. Indeque inter ſe convenientes Græci, legerunt Epiſtolam Sancti Maximi, quam nos ſupra retulimus, ubi docet, Latinorum Patrum ſententiam eſſe, ut una ſit Spiritus Sancti cauſa Pater & Filius, & dixerunt quòd ſi Latini reciperent præfatam Epiſtolam, parati erant ſe illis uniri.

824 Die porrò vigeſima prima Martii convenerunt iterum Patres, & habita eſt ſeſſio XXIV. Florentiæ VIII. abſentibus Marco Epheſio, & Antonio Heracleenſi Epiſcopis, non obſtante Imperatoris mandato, ut convenirent. In ea verò ſolùm verba Joannes Provincialis, & preclarè expoſuit verba illa Evangelii: *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Probans per verbum, *mittam*, Spiritum Sanctum à Filio quoque procedere, à quo mittitur, vel miſſus eſt; demonſtravit

poſtea, non proinde rectè inferri eſſe à duobus principiis, ſeu ſpiratoribus, ſed ab uno principio, & uno ſpiratore: „ Eſt, *inquit*, „ enim Pater, Pater & ingenitus; & Filius, „ Filius genitus, ſecundùm cauſam, & cau- „ ſatum: pari ratione debemus & Spiritui „ Sancto aliquem aſſignare ordinem ad Pa- „ trem & Filium, nè confuſio ponatur ne- „ ceſſariò in divinis. Cùm verò Pater gene- „ rando communicet hanc eſſentiam Filio, „ quatenus eſt Filio communicabilis, Filius „ verò hanc à Patre accipiat, ut ſibi commu- „ nicabilem, communicet eandem Spiritui „ Sancto; ut communicabilem illi ab ipſo „ Filio; quoniam una eſt eſſentia, ſecundùm „ quam hic generatur, ille procedit; idcirco „ unum principiũ & cauſa eſt Spiritus San- „ cti Pater & Filius, & procedit ex ambobus. *Hæc ille*. Deinde, ut ſubnectit auctor Græcus, allata ſunt teſtimonia Sancti Leonis Magni, Gregorii Dialogi, Sancti Ambroſii, Sancti Hieronymi, Sancti Auguſtini, & aliorum Latinorum Doctorum, pro dictis in medium codicibus, & viſum eſt omnium illorum ſententia, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: cùmque legendo, & declarando Sanctorum Patrum codices dies inclinaſſet, ſeſſio dimiſſa eſt, indicta altera in feriam III. hæc namque celebrata eſt die Sabbati.

825 Itaque prædicta feria die XXIV. Martii celebrata eſt ſeſſio XXV. Florentiæ IX. in qua Joannes Provincialis iterum exorſus eſt probare teſtimonio Sanctorum Patrum Orientalium proceſſionem Spiritus Sancti à Patre & Filio: ac iterum primo loco allegagavit Baſilium lib. 2. contra Eunomium, dicentem: *Nam ſicut Filius ordine quidem ſecundus à Patre eſt, prior enim eſt poſitus in connumeratione Pater, dicente Domino: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & præterea dignitate; ex Patre enim Filius, non ex Filio Pater; natura verò æqualis; Ego enim & Pater unum ſumus: ita & Spiritus Sanctus ordine quidem eſt ſecundus à Filio, ut in connumeratione declaratum eſt, itemque dignitate; Spiritus enim Filii dicitur ut qui per Filium datur. Miſit enim, inquit, Spiritum Filii ſui in corda noſtra, non autem Filius Spiritus, natura verò æqualis Patri & Filio Spiritus Sanctus. Quorum enim eadem operatio, eadem eſt quoque natura*. Allegavit inſuper Epiphanium in Ancorato dicentem: *Si Chriſtus ex Deo creditur, ut Deus de Deo, ita & Spiritus Sanctus ex ambobus. Quemadmodũ nemo novit Patrem, niſi Filius; ita dicere audeo, nec Filium niſi Spiritus, qui ex ambobus procedit*. Item & Cyrillum adduxit in Epiſtola ad Neſtorium incipiente: *Salvatore noſtro*, ubi ait: *Ita profluit à Filio Spiritus, ſicut planè à Patre*. Item produxit aliud teſtimonium Athanaſii, & Dydimi dicentium: *Si ex Patre procedit, & de meo accipiet, & annuntiabit vobis: Ex Patre igitur & Filio Spiritus Sanctus*. Alia teſtimonia ejuſdem Cyrilli in Epiſtola: *Lætentur Cœli*, & alia: *Domino & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto*, necnon ex Nicæna Synodo recenſet Scriptor Græcus; eas tamen non recitat, ſed ſubjungit, quòd cùm jam adveſperaſceret, Ruthenum dixiſſe: qui ſolus currit, & ſolus certat in ſtadio, victoriam adeptus videtur: & qui ſolus diſputat nemine reſpondente, videtur invictè diſſerere. Hoc enim dixit, quia nec in hac ſeſſione intereſſe voluit Epheſius, nemoque & reſpondere eſt auſus. Imperator verò poſtulavit libros, ut teſtimonia à Joanne allegata examinarentur. Sed dictum eſt à Juliano Cardinali, præfata teſtimonia eſſe à Notariis excepta, poſſeque ab eis conſiderari: cæterùm ſi hoc eis ſatis non eſſet, convenirent uno die in Templum Sancti Franciſci, ubi Sereniſſimus Imperator morabatur, ubi congregatis libris, fieret conferentia. Et his dictis dimiſſa eſt ſeſſio.

826 Proſequitur inde Auctor Græcus, quòd congregati Græci cum aliis Latinis in Templo Sancti Franciſci, & inſpectis libris tàm Græcis quàm Latinis, cognoverunt eſſe aliquam conciliandæ pacis rationem; Patriarcham verò miſiſſe ad Dominum Papam, qui dicerent, ut ſuſpenderet ſeſſiones uſque ad Dominicam in Albis, ut interea haberent inter ſe conſultationes. Congregati poſtea inter ſe Græci feria ſecunda majoris hebdomadæ, conſultationem habuerunt ſuper unione: In qua conſultatione Antonius Heracleæ Epiſcopus contradixit unioni: ita & Marcus Epheſius, qui auſus eſt ſchiſmaticos, & hæreticos appellare Latinos propter dogma de Spiritu Sancti proceſſione à Filio: cui obſtitit Nicænus, aſſerens, neceſſe eſſe damnare etiam Sanctos Patres ut hæreticos, ſemel quòd Latini ex hoc damnari debent, cum ex illorum codicibus conſtaret & ipſos conceſſiſſe Spiritum Sanctum à Filio procedere. Epheſius verò reſpondit, eos codices fortaſſe eſſe corruptos. At Nicænus ſubjungit, dicens: *Et quis audeat hoc affirmare? Totos ſermones, & expoſitiones Evangelii integras in eadem Theologicas enarrationes? Certe ſi ea velimus inducere, nihil aliud remanebit in libris, quàm albæ membranæ*. His & aliis ſermonibus inter eos habitis, non ſine diſſenſione, dimiſſa fuit eorum conſultatio.

827 Deinde convenientibus iterum inter ſe feria quarta majoris hebdomadæ, Epiſcopus Mitylenenſis demonſtravit, Sanctum Maximum apertè aſſerere, Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedere, & dictum fuit hoc idem aſſeruiſſe magnum Tharaſium, quas ſententias Patriarcha exſcribi juſſit, indicto conventu pro feria V. ſed ægrotante Patriarcha, dilatus eſt ad diem Sabbati ſancti; verùm propter eandem infirmitatem anteſati Patriarchæ convenire non potuerunt uſque ad feriam VI. poſt Paſcha, eaque die decretum

eſt

eſt inter eos, ut omiſſis diſputationibus, ſi eſſet aliqua via ineundæ unionis, tractaretur per ſelectos Patres cum Domino Papa, & facta die Sabbati ante Veſperas eidem Domino Papæ relatione, reſpondit: quatuor eſſe, quæ eis proponenda erant: primùm, an eſſet eis ſatisfactum per clariſſimam & evidentem demonſtrationem, qua erat jam ex ſcripturis demonſtratum, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: quod ſi ſecus dicerent, de quo dubitabant, ut remedium adhiberi poſſet. Secundum ut dicerent, ſi ex ſcripturis haberent in contrarium auctoritates; quòd ſi ſic, proferrent. Tertium, ſi haberent valida ſcripturæ loca probantia magis pium fuiſſe ſequi Græcorum, quàm Latinorum ſententiam. Ac denique, ſi hæc ei non placerent, congregaretur Synodus, & per majorem partem ſuffragiorum adhibito juramenti ſacramento fieret deciſio. Cùmq; Græci non haberent quid poſſent ad ea reſpondere, iterum contentio inter eos. At interea Archiepiſcopus Nicænus Beſſario eruditiſſimam ad ſuos Græcos orationem habuit pro unione in decem capita diviſam.

828 In prmio enlm capite egit de cauſis ſchiſmatis, probavitque, quòd ſi ante hoc generale Conciliũ aliqua de ſua à Latinis diviſione ſuppeteret excuſatio, poſt verò Concilium ſine ſcelere dividi ab eis non poſſent. In ſecundo capite probavit neceſſe eſſe ſanctos Doctores tam Occidentales, quã Orientales eſſe invicem concordes. In tertio ratione & exemplis oſtendit, quòd quamvis nulla omninò ſit in Sanctorum Patrum dictis contradictio, ſi tamen aliquid tale apparenter ſaltem eſſet, oporteret etiam contrarii concordare, tanquam ſummè neceſſarium fidei. In quarto demonſtravit, quòd ad intelligentiam illorum Doctorum qui obſcuriùs locuti ſunt, utendum ſit illis Patribus, qui apertiùs & clariùs loquuntur. In quinto ex dictis Orientalium Doctorum probavit propoſitionem per importare cauſalitatem, ac eandem vim habere, ac propoſitio, *ex*. Et attulit in ſexto capite teſtimonia Sanctorum Patrum, qui uſi ſunt hac propoſitione, *per*, tanquam cauſam ſignificante: & ſubſequenter in capite ſeptimo allegavit plura Sanctorum Patrum dicta aſſerentium, Spiritum Sanctum ex Filio, & ex ambobus prodire & profluere: hinc cap. VIII. demonſtravit Patres Occidentales id idem hac in re aſſerere quod aſſerunt Orientales. Ad extremum verò frivolas nonnullorum reſponſiones refutavit, hortans inde Græcos ad unionem. Sed poſt Nicænum tres quoque orationes pro eadem unione ad eoſdem Græcos habuit Georgius Scholarius. Poſt hæc verò habitis inter Græcos & Latinos à ſelectis viris diverſis conſultationibus, ac iterum examinatis ex productis codicibus Sanctorum Patrum, dicti tandem Sabbato Pentecoſtes convenientes Græci in Palatio, ſive Domo Patriarchæ, præſente Imperatore, poſt brevem orationem habitam à Georgio Scholario, quam his verbis concluſerat; *Quapropter ſententiæ huic, ſive propoſitioni aſſentior, quòd Spiritus Sanctus procedat ex Patre & Filio, ſive ex Patre per Filium, tanquam ab uno principio, & una cauſa: & hanc veriſſimam eſſe ajo*; Patriarcha ſuam ſententiam his verbis expoſuit.

Sententia Patriarchæ.

829 „ Quoniam Sanctorum Patrum Oc-
„ cidentalium & Orientalium dicta audivi-
„ mus, quorum aliqua aſſerunt, Spiritum
„ Sanctum procedere ex Patre & Filio, ali-
„ qua verò ex Patre per Filium: licèt vox
„ iſta, *ex Filio*, idem ſit quòd per Filium:
„ & *per Filium*, idem ſit quod, *ex Filio*: nos
„ autem omiſſa voce *ex Filio*, dicimus, Spi-
„ ritum Sanctum procedere ex Patre per Fi-
„ lium æternaliter & ſubſtantialiter, tan-
„ quam ab uno principio & cauſa: præpo-
„ ſitione *per*, hic ſignificante cauſam in San-
„ cti Spiritus proceſſione, *Haſtenus Patriarchæ ſententia*. Deinde & Imperator ſuam pariter ſententiam dixit, & pronunciavit ſequentibus verbis.

Sententia Imperatoris.

830 „ Ego, præſentem hanc ſanctam &
„ generalem Synodum nulla ex parte infe-
„ riorem exiſtimo omnibus ante hac cele-
„ bratis: nam & ſi illæ Patrum numero, qui
„ convenerunt, huic ſuperiores fuerint, nec-
„ non virtute multùm antecellerint, Cyrillo,
„ ac Gregorio Theologo Illuſtres redditæ,
„ aliiſq; aliis Doctoribus, nihilo tamen ſecu-
„ riùs & hanc ſanctam eſſe arbitrior & vene-
„ randam: neque minore hanc, quam illas
„ obſervantia proſequor. Nam & quod in
„ iſta agitatur maximum & divinum eſt: &
„ qui illud tractarunt, ſunt viri ſacri ac ve-
„ nerabiles, incipiendo primùm ab ipſo Pa-
„ triarcha ſanctiſſimo. Quoniam igitur Sy-
„ nodus quidem hæc eſt hujuſmodi, ego ve-
„ rò Dei, qui me unxit, beneficio ſum Im-
„ perator, & ſequi debeo ſententiam Synodi,
„ majoriſque illius partis; necnon defendere
„ quod fuerit ſancitum à pluribus, juxta
„ morem in antiquis Conciliis ſervatum;
„ propterea dico, & ſacri Imperii robore ac
„ poteſtate pronuntio, me hujus ſacræ Syno-
„ di, pluriumque ejus Patrum conſtantiſſimè
„ ſequi ſententiam, velleque eam modis om-
„ nibus defendere in perpetuum, tũ ob præ-
„ dictas cauſas, tum quia ego cenſeo, ſan-
„ ctam Eccleſiam in ſacris dogmatibus nullo
„ modo poſſe errare, communi ac Synodica
„ conſideratione utentem. Unus quippe, vel
„ duo, vel tres, aut plures ex hominibus, qui
„ nunc degunt, privatam adhibentes conſi-
de-

Digitized by Google

„ deratinnem, fieri poteſt ut errent: at uni-
„ verſam Dei Eccleſiam, de qua Dominus
„ dixit ad Petrum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc*
„ *Petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ*
„ *inferi non prævalebunt adversùs eam*, com-
„ muniter errare omninò eſt impoſſibile:
„ alioquin & ſermo Salvatoris evanuit, &
„ fides noſtra debili fundamento eſt nixa,
„ ſed quoniam utrumque abſurdum eſt, id-
„ circò & Eccleſiam Dei neceſſe eſt nullo
„ poſſe capi errore: & nos eam, ejusque ſen-
„ tentiam omninò ſequi: & ante omnes me,
„ qui Dei beneficio Imperialem habitum ge-
„ ro, & tenère ac defendere ipſam, hoc po-
„ ſito, ut neque ſacro Symbolo noſtro quic-
„ quam addere nos Latini cogant, neque
„ ex ritibus noſtræ Eccleſiæ aliquid immute-
„ tur. *Hactenus Imperatoris ſententia*.

831 Hac prolata ſententia, eidem adhæſit Iſidorus Ruſſiæ Locumtenens Patriarchæ Antiocheni, Nicænus porrò pro concione dixit, impoſſibile eſſe Chriſtiano ſalutem conſequi, ni fateatur, Spiritum Sanctum eſſe ex Patre, & Filio: quare Rhutenus, Nicænus, Lacedemonius, Mitylenenſis, Rhodius, Nicomedienſis, Diſtrenſis, Gennenſis, Dramenſis, Melenicenſis, Gregorius Protoſyncellus à confeſſionibus ac locum tenens Patriarchæ Alexandrini, Heracleenſis pariter locum tenens ejusdem Patriarchæ Monembaſienſis locum tenens Patriarchæ Hieroſolymitani, & Pachomius Hieromonachus, in eandem abierunt ſententiam. Sed diſſenſerunt Marcus Epheſius, Sophronius Anchialenſis, & nonnulli pauci; ſed die 3. menſis Junii feria VI. iterum convenientes in domo Patriarchæ, ipſomet Patriarcha primùm ſententiam ferente ac profitente, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, tanquam à cauſa, cæteri Patres Græci, ſolo diſſentiente Marco Epheſio, eidem Sententiæ ſubſcripſerunt. Deinde feria V. iterum convenientes, ſententias omnium in tomum exſcripſerunt, tribus confectis exemplaribus, quorum unum miſerunt feria VI. ad Papam, quo perlecto cùm diceretur: *Credimus Spiritum Sanctum eſſentialiter à Patre, & Filio eſſe æternaliter, & ex Patre, & per Filium procedere æternaliter, & eſſentialiter*, facta die ſabbati Cardinalium Congregatione coràm Sanctiſſimo, intereſſentibus Græcorum deputatis, placuit, ut iterum legeretur tomus, quo peracto, Papa juſſit, ut eo loco amoveretur præpoſitio, *per*, & transferretur quocumque vellent, ad auferendam quamlibet ambiguitatem. Hinc deſcendentes Græcorum deputati, & facta relatione, convenerunt Græci die Dominico inter ſe, alium tomum exſcripſerunt, cujus etiam tria confecta fuerunt exemplaria, unum pro Imperatore, alterum pro Patriarcha, tertium exhibendum Papæ, cui feria II. obtulerunt, & perlectum in Congregatione Dominorum Cardinalium, coràm ipſis deputatis, placuit Sanctiſſimo, ac univerſæ Congregatio ni præfatorum Dominorum Cardinalium, qui ſurgentes deoſculati ſunt Græcos, quos Papa inde dimiſit, injuncto, ut hora 20. redirent. Ipſis verò redeuntibus, lectus eſt idem tomus latinè, & græcè: cùmque approbatus eſſet ab omnibus, iterum amplexus conſecuti ſunt & deoſculationes. Poſtea Papa miſit ad Imperatorem Valereſum Cretenſem, & Chriſtophorum Coronenſem Præſules, ac Magiſtrum Thomam, ut de unione facta nuntiarent, in quod Imperator, ac univerſi cum gaudio acceperunt.

CAPUT XV.

De aliis Geſtis Concilii Florentini in Cauſa Græcorum.

832 Compendioſè ſcriptor Græcus, à quo iſte excerpimus, Concilii geſta recenſet, breviterque acta circa alias controverſias deſcribit, nos verò nonnulla addemus ex Andrea à Sancta Cruce Patricio Romano, qui & eidem Concilio interfuit, & acta exſcripſit: ac primùm ad majorem eruditorum ſatisfactionem, nec non, & dogmatis proceſſionis Spiritus Sancti à Filio clariorem pro refutandis Græcis notitiam, afferam teſtimonia allegata à Joanne Provinciali, & adductas rationes, prout idem Andreas à S. Cruce refert tum Collat. XXI. tum Collatione XXII. quibus Marcus Epheſius intereſſe noluit: indeque ad cætera procedemus Acta.

833 Itaque anteſatus Joannes Provincialis in prædicta Collat. XXI. & publica ſeſſione Papa, & Imperatore cum cæteris Patribus tum Græcis, uno excepto Epheſio, tum Latinis præſentibus, in medium produxit Teſtimonia illa Scripturæ, quæ de Spiritus Sancti loquuntur miſſione: nimirum illud Pauli ad Galat. cap. 4. *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra*. Ad Romanos cap. 8. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Et Actorum cap. 16. *Tentaverunt ire Bithyniam, & non permiſit Spiritus Jeſu*. Ex quibus hoc confecit argumentum. Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii Dei: & hoc importat habitudinem, & quemdam reſpectum. Sed non poteſt dici, quòd Spiritus Sanctus ſit Spiritus Filii Dei ſecundùm humanitatem tantùm: quia aliàs non haberet Chriſtus Spiritum Sanctum in ſe, niſi ut alii homines, quod quidem falſum eſt, dicente Joann. Epiſtola 4. *De Spiritu ſuo dedit nobis*, & nemo hominum dat, aut unquam dedit de Spiritu ſuo, nam Apoſtoli imponebant manus, & illi accipiebant Spiritum Sanctum, nec dicit ſcriptura, quòd ipſi darent Spiritum Sanctum: ergo remanet, quòd Spiritus Sanctus

ctus dicatur Spiritus Filii, & Chriſti, ut eſt perſona Divina, ſeu ſecũdùm Divinitatem, & quatenus Deus eſt. Si ergo Spiritus Filii, ut Deus, vel erit Spiritus Filii propter habitudinem originis, vel reſpectum, aut ſine tali habitudine, hoc ſecundum dici nequit; quoniam nihil abſolutè dicitur eſſe alterius, niſi ut ejus poſſeſſio, quia ſcilicet dominium habet ſuper illud, ut de ſervo, qui dicitur eſſe Domini, ac de aliis rebus, quæ abſolutè dicuntur eſſe alterius: nam licèt etiam amici, & fratres dicantur alterius, non tamen dicuntur eſſe abſolutè alterius, quia nec amicus eſt ſub dominio amici, nec frater fratris. Itaque ſi Spiritus dicitur abſolutè eſſe Filii, cùm dici non poſſit eſſe ejus propter dominium & poſſeſſionem Filii ſuper Spiritum, neceſſe eſt ut dicatur talis propter reſpectum & habitudinem originis, ſicut in Divinis Filius ipſe dicitur eſſe Patris, cùm in Divinis una perſona nec ſit alterius ſerva, nec ſubdita, nec dominium habeat ſupra alteram. Si ergò ut Spiritus dicatur Filii, eſt habitudo originis, hoc erit, quia eſt ſecundus à Filio ordine, & dignitate, ac Filius ejus principium & cauſa, nam Græci utuntur nomine cauſę, licèt tamen hujuſmodi cauſa nullã inferat dependentiam.

834 Deinde allegavit duo alia ſcripturæ loca, Joannis ſcilicet, cap. 14. *Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo*; & cap. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem mittam vobis*; ex quibus ſecundam adduxit rationem hoc videlicet modo: Nullus poteſt mitti ab alio, niſi mittens habeat auctoritatem ſuper illum: quod patet ab exemplis de Dominis mittentibus ſervos: & de Conſiliariis mittentes Dominum ad Prælium, quoniam præſtant ſapientia, & notitia ipſo Domino; & in hoc ſenſu non poteſt dici Spiritus mitti nec à Patre, nec à Filio, quoniam non eſt illorum ſervus, nec ipſi præſtant majori ſapientia & notitia: ſunt namque tres Divinæ perſonæ ejuſdem ſapientiæ. Eſt & alia miſſio, quæ dicitur emanatio: quomodo arbores emittunt flores, & producunt fructus, & in hoc apparet origo, quia arbor emittendo, producit ſibi ſimile: nam ex illis ſeminibus generantur & arbores ſimiles: Et hoc pacto poteſt dici una perſona mitti ab altera, quoniam una habet originem ab altera. Cùm ergo dicatur, quòd perſona Spiritus mittitur, oportet, quòd hæc temporalis miſſio de neceſſitate præſupponat originem ab illa perſona, à qua mittitur; & quoniam ſecundùm allegatas ſcripturas dicitur Spiritus à Patre mitti, & à Filio, ſequitur, ut ab utroque æternaliter habeat originem.

835 Altera ratio ab eo allegata fundatur in verbis Pauli in Ep. 2. ad Cor. cap. 1. ubi de Spiritu Sancto ait: *Unxit nos, & ſignavit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*: Spiritus ergo facit nos Filios adoptivos, & per eum configuramur Filio Dei. At illud, per quod alteri configuratur, oportet ut habeat eſſe ab eo, cui figurat aliud: ſicut ſemen quod producit, ſimile ab eo eſt, cui ſimile per eum generatur; quo pacto ſemen hominis non Leonem, ſed hominem producit. Cùm ergo Spiritus habeat hoc, quod per ipſum figuramur Filio, neceſſe eſt dicere, quod Spiritus habeat eſſe à Filio. Et ait ſuper hac ratione fundatos nonnullos Græcos, Baſilium præcipuè, & Athanaſium, ſcribere, quòd ſicut Filius eſt imago Patris, ut exiſtens naturaliter à ſuo exemplari, ita Spiritus dicitur imago Filii.

836 Et ſanè Baſilius lib. 5. contra Eunomium, ſub titulo: *Quod niſi Spiritus ex Deo, quis dicat, nec Verbum?* paulò poſt initium citat Apoſtolum in 1. ad Corinth. cap. 3. dicentem: *Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritate, tanquam à Domini Spiritu*. Et deinde ſtatim idem Sanctus ſubnectit: „ Per Verbum ergò „ in Spiritu creatura ſecundùm imaginem „ eſt. *Et infrà*. Quapropter cùm unus ſit „ Deus, Deus etiam Filius natura paterna „ & nomine paterno, & cùm Filius unus „ Dominus ſit, Dominus etiam Pater imaginis nomine vocatus, ſicut ejus exemplar „ atque genitor; ſic & Spiritus Dominus à „ Domino nomen habens, à quo etiam datur, Dominus etiam ab imagine ſua Spiritus. *Hæc ille*: Sanctus porrò Athanaſius tom. 2. in Epiſtola ad Serapionem Epiſcopum, de Spiritu Sancto, cujus initium eſt: *Admirabere forſitan qui factum ſit*; paulò poſt initium: Ex eo probat Spiritum Sanctum non eſſe Creaturam, quoniam unctio eſt, & ſignaculum: „ Unctio, *inquit*, & ſignaculum dicitur, & eſt Spiritus Sanctus. Etenim Joannes ſcribit: *Et vos unctionem accepiſtis ab eo, ut maneat in vobis, nec opus habetis, ut quiſquam vos doceat, ſed ſicut illius unctio, Spiritus ejus docet vos de omnibus*. Rurſus in Iſaia: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxit me*. Paulus ſic ſcribit: *In quo & credentes ſignati eſtis*. Et iterum: *Nè contriſtetis Spiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis*. Unctiones autem in hoc unguntur, ac ſignantur. Quòd ſi unctiones in hoc unguntur ac ſignantur, haudquaquam erit Creatura Spiritus. Neque enim quod ungit ſimile eſt iis, quæ unguntur. Siquidem hæc unctio halitus eſt Filii, ut qui habet Spiritum dicat, *Chriſti bonus odor ſumus*: Jam, & ſignaculum Filius exprimit, ut is, qui ſignatur, habeat Chriſti formam, ſicut dicit Apoſtolus: *Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*: Quòd ſi Spiritus bonus odor, ac forma Filii eſt, manifeſtum eſt Spiritum non eſſe Creaturam. Quandoquidem nec „ Filius cùm ſit in forma Patris eſt creatura. *Hæc Athanaſius*.

837

837 Deinde Joannes Provincialis quartam propoſuit rationem fundatam in illis verbis Joann. cap. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Nam ſi Spiritus, *inquit*, accipit à Filio, neceſſe eſt, ut procedat ab eo: quia non poteſt dici, quòd Spiritus accipiat aliquid, quod prius non habuerit; nam ſic eſſet indigentis, & mutabilia naturæ: oportet ergo, ut quidquid Spiritus acceperit à Filio, ab æterno acceperit. Quòd ſi ab æterno Spiritus accepit à Filio, tunc ſequitur, quòd ab æterno proceſſit ab eo: & ratio hujus dicti innititur verbis Chriſti, eodem cap. 16. Joan. *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt, præterea dixi, de meo accipiet*. Ac ita ſi omnia, quæ Filius habet, accepit ab æterno Patre, ergo accepit & naturam Divinam, & virtutem ſpirativam ab æterno Patre: nam virtus ſpirativa non repugnat filiationi: & ideo verba illa, *omnia, quæ habet Pater, mea ſunt*, exponuntur de omnibus, quæ non repugnant proprietati ſuæ. Ex quibus etiam deducitur, ut ait Joannes Provincialis, quòd prima radix proceſſus Spiritus Sancti eſt Pater, & quòd Filius non habeat ex ſe, ut producat Spiritum, ſed à Patre: & propter hoc Doctores dicunt, quòd principaliter procedit à Patre, quia Filius ex ſe non habet, niſi à Patre; citatque Divum Auguſtinum lib. 4. de Trinit. cap. 20. dicentem, Patrem eſſe Principium, & fontem totius Trinitatis, & hac de cauſa Chriſtum dixiſſe: *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre; Et quem mittet Pater in nomine meo*. Et propter hoc illa perſona, quæ procedit à Patre, & Filio, aliquando refertur ad Patrem, à quo eſt Filius, nulla facta mentione de Filio, quia ex hoc ſatis intelligitur, quod procedit à Filio: & cùm Pater ſit primum Principium, & origo totius Trinitatis, & Divinitatis, non habet ab alio, quod producat perſonam in Divinis, ſed ex ſe habet, quia à nullo eſt; Filius autem ex ſe non habet, quia eſt perſona, quę ab alio.

838 Denique aliam rationem attulit fundatam in illo Pauli ad Hebræos, cap. 4. *Per Spiritum ſemetipſum obtulit*, ex quo conformiter etiam ad alia teſtimonia infertur, quòd Filius operatur per Spiritum Sanctum, & ex hoc ſic eſt argumentatus. Quandocumque aliquis per aliquem dicitur operari, oportet, quòd operans det virtutem operativam ei, per quod operatur, ut tradunt Philoſophi, ergo ſi Filius operatur per Spiritum, quoniam & multa fecit miracula in virtute Spiritus Sancti, ſequitur, quòd aut Spiritus det Filio virtutem operativam, vel è contrà; & cùm virtus operativa non ſit aliud, quàm Divina eſſentia, cùm in Deo idem ſit eſſe & operari, ſequitur, quòd idem ſit dare virtutem operativam, ac dare eſſentiam: At nemo dicit, Filium accipere eſſentiam à Spiritu Sancto, ac proinde nec virtutem operativam: ergò ſequitur, quòd ſi Chriſtus dicitur operari per Spiritum, det ipſe virtutem operativam, & ſic eſſentiam Spiritui Sancto: Cùm ergò accipere eſſentiam, & virtutem, ſit ipſum, quòd procedere, ſequitur, quòd Spiritus Sanctus à Filio procedat. Et ex his infertur, quòd quando Doctores Sancti Græci dicunt, quòd Spiritus Sanctus eſt à Patre per Filium, vel quòd Pater ſpirat Spiritum per Filium, neceſſe eſt dicere, quòd Spiritus Sanctus accipiat eſſe à Filio, quia ſemper id, per quod quis operatur eſt principium illius operationis.

Teſtimonia Latinorum Patrum, quos ipſi Græci commendarunt, & recipiunt, à Joanne Provinciali allegata in eadem Collatione.

839 Secutus Joannes Provincialis Divi Thomæ normam & regulam, proceſſit probare, Spiritum procedere à Filio poſt allegatas rationes, ex teſtimoniis Sanctorum Patrum Latinorum, eorumque præcipuè, quos Græci & recipiebant, & commendabant; nam in v. Synodo œcumenica II. Conſtantinopolitana, Collat. 3. inter plura à Patribus ſancita, profeſſi ſunt poſt decreta priorũ Conciliorum Generalium de recta Fide, & ſtatu Eccleſiaſtico, ſe quoque recipere Sanctos Patres tùm Græcos, tùm Latinos, qui rectam fidem uſque ad extremum vitæ prædicaverunt, quoſdam propriis nominibus deſignantes, cæteros ſub generali clauſula comprehendentes, hoc ſcilicet edito Decreto: „ Super hęc ſequimur per omnia & Sanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Auguſtinum, Theophylum, Joannem Conſtantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum; & ſuſcipimus quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum expoſuerunt. Suſcipimus autem & alios Sanctos & orthodoxos Patres, qui in Sancta Dei Eccleſia rectam fidem irreprehenſibiliter uſque ad finem ſuæ vitæ prædicaverunt. *Hæc illi*, quæ continentur in Decreto confeſſionis Fidei ejuſdem Synodi. Hinc eſt, quòd tùm in ipſa Synodo, tùm in poſterioribus ad firmanda Fidei dogmata uſi ſunt ipſi Græci etiam Latinorum Patrum teſtimoniis, quorum aliqua dumtaxat indicabo.

840 In Collatione VI. præfatæ v. Synodi lecta, & recepta fuit Epiſtola Cæleſtini Papæ data ad Neſtorium, cujus initium: *Aliquantis diebus vitæ noſtræ*, ut apud Labæum par. I. Concili Epheſini, cap. 18. tom. 3. pag. 355. Item & Epiſtola Sancti Leonis Papæ ad Flavianum, incipiens: *Lectis dilectionis tuæ litteris*, quæ pariter habetur apud Labęum tom. 4. pag. 344. lecta, & recepta fuit. Et in Collatione VIII. allegatum fuit teſtimonium Sancti

cti Auguſtini pro anathematizandis hæreticis poſt mortem. In VI. Synodo œcumenica, & Conſtantinopolitana III. Actione IV. recitata fuit Epiſtola Agathonis Papæ, data Imperatoribus Conſtantino, Heraclio, & Tiberio, quæ incipit: *Conſideranti mihi*, ac in integrum recepta, cum teſtimoniis ibidem relatis Ambroſii, & Leonis Magni. Ad probandum item naturalem & humanam Chriſti voluntatem, Theophanes Abbas Act. VIII. recitavit primum teſtimonium Sancti Athanaſii, deinde Sancti Auguſtini lib. 5. adverſus Julianum, & poſtremò Ambroſii lib. 2. ad Gratianum cap. 3. & in Actione X. recitata eſt Epiſtola Sancti Leonis Papæ ad Imperatorem Leonem, cujus initium, *Promiſiſſe*, quæ extat tom. 3. Concilior. apud Labæum, pag. 1421. eſtque Magni Leonis Epiſtola 97. Ac iterùm allegatum eſt teſtimonium Sancti Auguſtini ex eodem lib. 5. contra Julianum, & ejuſdem Sancti Ambroſii, tùm lib. 2. ad Gratianum, tùm lib. 6. in Lucam. In ſeptima inſuper Synodo pro ſanctarum Imaginum veneratione, Actione IV. Sancti Magni Gregorii Epiſtola data ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, quæ incipit, *Qualis, & quæ dilectio*, recitata fuit. Plura adducere poſſem, ſed quoniam quiſque in Actis præfatorum Conciliorum poteſt pro ſuo libitu inſpicere, omittimus, nam ſatis hęc ſunt, ut appareat Græca œcumenica Concilia non aſpernata Latinorum Patrum teſtimonia, ſed eis uſa pro dogmatibus Fidei ſtabiliendis.

841 His ergò præmiſſis, deveniendo ad ea, quæ attulit Joannes Provincialis, in primis in medium protulit, quæ in laudem Magni Leonis protulerunt Patres Synodi Chalcedonenſis in allocutione ad Marcianum Auguſtum, ut habetur tom. 4. Concilior. apud Labæum part. 3. ejuſdem Concilii, pag. 825. ac etiam in ſexta Synodo in Sermone ad Conſtantinum Imperatorem habito Act. XVIII. protulit ejuſdem Leonis teſtimonium de Spiritus Sancti proceſſione à Filio ex ejus Epiſtola 93. data Turibio Epiſcopo Aſturicenſi, cujus initium, *Quàm laudabiliter*, & in qua cap. 1. ſcribit: „ Primò itaque Capitulo demonſtratur, quàm impiè ſentiant de Trinitate Divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unam, atque eandem aſſerunt eſſe perſonam, tanquàm idem Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur; nec alius ſit, qui genuit; alius, qui genitus eſt; alius, qui de utroque proceſſit. Quod blaſphemiæ genus de Sabellii opinione ſumpſerunt, cujus Diſcipuli etiam Patripaſſiani meritò nuncupantur. *Hæc Leo*. Aliud porrò teſtimonium ex Sermone 1. de Pentecoſte ejuſdem Sancti Leonis attulit, quòd nos ex textu tranſcriptum ſic habere dicimus: „ Cùmque in perſonarum proprietatibus alius ſit Pater, alius ſit Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen alia Deitas, nec diverſa natura eſt: ſiquidem cùm & de Patre ſit Filius unigenitus, & Spiritus Sanctus Patris, Filiique ſit Spiritus, non ſicut quæcumque creatura, quæ Patris, & Filii eſt, ſed ſicut cum utroque vivens, & potens, & ſempiternus, & ex eo quod eſt Pater, Filiuſque ſubſiſtens. *Hactenus Leo*. Addo & aliud teſtimonium ejuſdem ex ſecundo Sermone de Pentecoſte, ubi ait: „ Sempiternum eſt, Patri conſempiterni Filii ſui eſſe Genitorem; ſempiternum eſt Filio intemporaliter eſſe à Patre progenitum; ſempiternum quoque eſt Spiritui Sancto, Spiritum eſſe Patris, & Filii.

842 Deinde produxit Fidei confeſſionem Damaſi Papæ in Epiſtola data ad Paulinum Antiochenum Epiſcopum, quæ ita ſe habet: „ Credimus in unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, viſibilium, & inviſibilium Factorem, per quem creata ſunt omnia in Cœlo, & in terra: Hunc benedictum, & hanc eſſe unam Divini Nominis Trinitatem; Patrem non Filium, ſed habere Filium, qui Pater non ſit, Filium non eſſe Patrem, ſed Filium de Patris natura; Spiritum Paracletum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre procedens, & Filio. *Hæc Damaſus*. Hujus Epiſtolæ ſit pariter mentio in ſuprafata allocutione Patrū Synodi Chalcedonenſis ad Marcianum Auguſtum.

843 Verùm in Epiſtola Damaſi, quæ modò circumfertur, hujuſmodi teſtimonium deſideratur. Duæ Damaſi Synodicæ Epiſtolæ recitantur à Theodoreto lib. 5. Hiſtoriæ cap. X. & XI. una data ad Orientales Epiſcopos, quæ incipit: *Quòd debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam*, contra Apollinarem, & Timotheum; altera, cujus initium: *Quoniam poſt Concilium Nicænum*, data ad Paulinum, ſed corrupto titulo, cùm non ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum, ſed ad Paulinum Epiſcopum Theſſalonicæ in Macedonia data inſcribatur, quæ continet anathematiſmos adverſùs Sabellium, Arium, Eunomium, alioſque hæreticos impiè de Trinitate ſentientes; & nec in una, nec in altera, recitata à Joanne Provinciali verba reperiuntur. Cùm tamen prædictus Joannes allegaverit vetuſtiſſimum codicem, non eſt dubitandum de genuitate allati teſtimonii; quoniam & in Actis Concilii Romani ſecundi ſub Damaſo, tùm ex Creſconiana collectione Canonum, tùm ex alia vetuſtiſſima aſſervata in Bibliotheca Vaticana, in explanatione Fidei, ut videre eſt apud Labæum tom. 2. Concilior. 2. pag. 894. dum agitur de Spiritus Sancti perſona, dicitur: „ Spiritus enim Sanctus non eſt Patris tantummodò, aut Filii tantummodò Spiritus, ſed Patris, & Filii Spiritus. Scriptum eſt enim: *Si quis dilexerit Mundum, non eſt Spiritus Patris in illo*. Item ſcriptum eſt: *Qui autem Spiritum Chriſti non*

„ *habet*, *hic non eſt ejus*. Nominato itaque „ Patre, & Filio, intelligitur Spiritus San- „ ctus, de quo ipſe Filius in Evangelio di- „ cit: *quia Spiritus Sanctus à Patre procedit*; „ & *de meo accipiet*, & *annuntiabit vobis*.

844 Itaque à Theodoreto corruptam Epiſtolam, ac prædicta verba eraſa, non leves conjecturæ demonſtrant; ipſe namque palàm negabat proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, reprehendens Cyrillum, ut etiam ſupra adnotavimus, quòd in Anathematiſmo ix. dixerit, Spiritum Sanctum eſſe proprium Filii, dicens Theodoretus in fine reprehenſionis: „ Proprium autem Spiritum Filii, ſi- „ quidem, ut ejuſdem cum eo naturæ, & ex „ Patre procedentem dixit, ſimul confitebi- „ mur, & tanquàm piam ſuſcipiemus vocem. „ Si verò tanquam ex Filio, aut per Filium „ exiſtentiam habeat, hoc ut blaſphemum „ rejiciemus. *Hæc ille*. Cùm ergò doctrina Damaſi de Spiritus Sancti proceſſione à Filio difformis eſſet opinioni Theodoreti, nè teſtimonio tanti Pontificis, & Romanæ Synodi ſtabiliretur, veroſimile eſt & Epiſtolam corrupiſſe, abraſis verbis illis, quæ exprimebant proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. Apparet inſuper eadem Epiſtola, ut apud ipſum Theodoretum legitur, prout etiam innuimus, in ipſo titulo corrupta, cui appoſita eſt hujuſmodi inſcriptio: *Confeſſio Fidei Catholicæ, quam Damaſus Papa in Macedoniam miſit ad Paulinum Epiſcopum, cùm eſſet Theſſalonicæ*, quandò univerſi codices Latini referant ſcriptam Paulino Epiſcopo Antiocheno, cui cùm adverſaretur Theodoretus propter ſchiſma Meletiani, ipſo favens Meletio, nè conſtaret Romanum Pontificem communicaſſe cum Paulino, non ſic cum Meletio, præfatum Epiſtolæ titulum immutavit, & loco Epiſcopi Antiocheni ſubſtituit Epiſcopum Theſſalonicenſem. Et certè ea tempeſtate non Paulinus, ſed Acholius Eccleſiam moderabat Theſſalonicenſem, qui interfuit Concilio œcumenico Conſtantinopolitano 1. ut notat Socrates lib. 5. Hiſtor. cap. 8. ubi ait: „ Itaque in unum conveniunt, qui fidem te- „ nebant conſubſtantialis, Timotheus Ale- „ xandriæ, Cyrillus Hieroſolymorum; Me- „ letius autem jam pridem aderat, eo ſcilicet „ tempore, quò propter deſignationem Gre- „ gorii illò accerſitus. Acholius etiam Theſ- „ ſalonicæ Epiſcopus, & alii complures; erant „ omnes numero centum quinquaginta. *Hæc ille*. Hunc Acholium baptizaſſe Theſſalonicę Theodoſium Imperat. Anno CCCLXXIX. teſtantur Sozomen. lib. 7. cap. 4. & Socrates lib. 5. cap. 6. Eidem in Sede Theſſalonicenſi ſucceſſiſſe Aniſium, teſtantur literæ S. Ambroſii eidem Aniſio datæ, quarum initium: *Jamdudùm te teneo*, ex lib. 3. Epiſt. 23. Acholio denique anteceſſit Alexander, qui Athanaſio literas fecit, ut tradit idem Athanaſius Apologia 2. de fuga ſua. Alexandro proceſſit Aetius, Aetio verò Iremenus, ac ita illis temporibus non invenitur inter Epiſcopos Theſſalonicenſes aliquis appellatus Paulinus, & per conſequens manifeſtè apparet præfatam Epiſtolæ inſcriptionem ab ipſo Theodoreto immutatam, ipſamque etiam Epiſtolam mutilatam & corruptam.

845 Iterum modò ad alia à Joanne allegata Latinorum Patrum teſtimonia; nam poſt Damaſum Papam recitavit teſtimonia Hilarii Epiſcopi Pictavienſis, qui fuit coævus Athanaſio, in libris, quos de Trinitate ſcripſit: Et primò ex lib. 8. de Trinitate, ubi Hilarius propoſita difficultate, quid velint verba illa: *Cùm venerit Advocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ipſe teſtificabitur de me*; poſt aliqua ſuam ſententiam aperiens, ait: „ Neque in hoc nunc calumnior libertatem „ intelligentiæ, utrùm ex Patre, an ex Filio „ Spiritum Paracletum putant eſſe. Non „ enim in incerto Dominus reliquit; nam „ ſub iiſdem dictis ita loquutus eſt: *Adhùc* „ *multa habeo vobis dicere*; *ſed non poteſtis* „ *portare illa modò*: *Cùm venerit ille Spiri-* „ *tus veritatis, diriget vos in omni verita-* „ *te*. „ *Non enim à ſemetipſo, ſed quæcum-* „ *que audierit loquetur*, & *futura annuntiabit* „ *vobis*. *Ille me honorificabit, quoniam de* „ *meo accipiet*, & *annuntiabit vobis*. A' filio „ igitur accipit, qui & ab eo mittitur, & à „ Patre procedit. Et interrogo utrùm id- „ ipſum ſit à Filio accipere quod à Patre pro- „ cedere. Quod ſi nihil differre creditur in- „ ter accipere à Filio, & à Patre procedere, „ certè idipſum atque unum exiſtimabitur, „ à Filio accipere quod ſit accipere à Patre. „ Ipſe enim Dominus ait: *Quoniam de meo* „ *accipiet*, & *annuntiabit vobis*, *omnia quæ-* „ *cumque habet Pater, mea ſunt, propterea* „ *dixi, de meo accipiet*, & *annuntiabit vobis*. „ Hoc, quod accipiet, ſive poteſtas eſt, ſive vir- „ tus, ſive doctrina eſt, Filius à ſe accipiendum „ eſſe dixit; & rursùm hoc ipſum ſignificat „ accipiendū eſſe à Patre. Cùm enim ait, om- „ nia quæcumque habet Pater, ſua eſſe, & „ idircò dixiſſe ſe de ſuo accipiendum eſſe, „ docet etiam à Patre accipienda, à ſe tamen „ accipi, quia omnia, quæ Patris ſunt, ſua „ ſint. *Hæc Hilarius*, qui & citatur etiam lib. 2. de Trinitate, ubi de Spiritu Sancto hæc pariter habet, inquiens: „ De Spiritu „ autem Sancto nec tacère oportet, nec lo- „ qui neceſſe eſt, ſed ſileri à nobis eorum cau- „ ſa, qui neſciunt, non poteſt. Loqui autem „ de eo non neceſſe eſt, quia de Patre, & Fi- „ lio auctoribus confitendus eſt. *Et in fine* „ *lib.* 12. Conſerva, oro, hanc Fidei meæ in- „ contaminatam Religionem, & uſque ad „ exceſſum ſpiritus mei dona mihi hanc con- „ ſcientiæ meæ vocem; ut quòd in regene- „ rationis meæ Symbolo baptizatus, in Pa- „ tre, & Filio, & Spiritu Sancto profeſſus

ſum

ſum, ſemper; obtineam Patrem ſcilicet te noſtrum, Filium tuum unà tecum adorem; & Sanctum Spiritum tuum, qui ex te per Unigenitum tuum eſt, promerear.

846 Poſt Hilarium recitavit quaſdam auctoritates, veluti ex Divi Hieronymi ſcriptis depromptas, & primò ex ejus prima Epiſtola ad Damaſum data: „ Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & unum Dominum noſtrum Jeſum Filium Dei, & in Spiritum Sãctum Deum; non tres Deos, ſed Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum Deum colimus & confitemur, non ut unum ſolitarium, non eundem, qui ſibi Pater ſit, ipſe & Filius; ſed Patrem, qui genuit & Filium, qui genitus eſt; Spiritum verò non genitum, non creatum, non factum, ſed de Patre, Filioque procedentem. *Et in Epiſtola ad Auguſtinum, & Alipium.* Credamus in Spiritum Sanctum Deum verum ex Patre, Filioque procedentem, æqualem per omnia Patri, & Filio voluntate, æternitate, ſubſtantia. *Ac denique in expoſitione Symboli Nicæni.* Et in Spiritum Sanctum, qui de Patre, & Filio procedit, qui eſt Deus verus, ſicut & Filius.

847 At hæc incerta ſunt, an ſint D. Hieronymi primum namque teſtimonium depromptum eſt ex Symbolo Damaſi, de quo ſupra, inter opera Divi Hieronymi tom. 9. edit. Mariani Victorini, impreſſa Pariſiis de Anno 1623. pag. 59. ſub annotatione Epiſtolæ 16. In expoſitione verò Symboli Nicæni, quæ habetur in eodem tomo, ſub titulo: *Explanatio Fidei ad Cyrillum*, notata etiam Epiſtola 18. habetur: „ Tres perſonæ ſunt, quibus, verè æquales, Divinæ, uniuſque ſubſtantiæ, ideſt, de Patre Filius, & Spiritus Sanctus propriè & verè de Patre, Filioque procedit. *Hæc ibi.* Sed incertum eſt apud Eruditos, an hujuſmodi Fidei explanatio ſit reverà Divi Hieronymi; nec allegatum teſtimonium ex Epiſtola ad Auguſtinum, & Alipium reperire potui in genuinis Divi Hieronymi Epiſtolis. In Symbolo Ruffini ad Laurentium, eodem Divo Hieronymo Interprete palàm aſſeritur, Spiritum Sanctum ab utroque procedere. Dicitur namque in eo: „ Ut ergo fiat diſtinctio perſonarum, affectionis vocabula ſecernuntur, quibus ille Pater intelligatur, ex quo omnia, & quia ipſe non habet Patrem. Iſte Filius, tanquam qui ex Patre natus ſit, & hic Spiritus Sanctus tanquam de utroque procedens, ut cuncta ſanctificans. *Hactenus Ruffinus.* Sic pariter Didymus lib. 2. de Spiritu Sancto, Hieronymo etiam Interprete, concedere videtur, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, inquiens: „ Ex hoc colligitur quàm indiviſa ſit ſubſtantia Trinitatis, & Patrem verè eſſe Patrem, & Filium verè Patris Filium, & Spiritum Sanctum verè Patris, & Dei eſſe Spiritum, & inſuper ſapientiæ, & veritatis, ideſt, Filii Dei. *Et infra.* Quomodo igitur ſupra de naturis incorporalibus diſputantes intelleximus, ſic & nunc Spiritum Sanctum à Filio accipere id, quod ſuæ naturæ fuerat, cognoſcendum eſt; & non dantem, & accipientem, ſed unam ſignificare ſubſtantiam. Siquidem & Filius eadem à Patre accipere dicitur, quibus ipſe ſubſiſtit. Neque enim quid aliud eſt Filius, exceptis his, quę ei dantur à Patre; neque alia ſubſtantia eſt Spiritus Sanctus præter id, quod datur ei à Filio. *Et item paulò antea* ſuper illa verba: *Non enim loquetur à ſemetipſo*, exponens, ait: Hoc eſt, non ſine me, & ſine meo, & Patris arbitrio, quia inſeparabilis à mea, & Patris voluntate; quia non ex ſe eſt, ſed ex Patre, & me: Hoc enim ipſum, quod ſubſiſtit, & loquitur, à Patre, & me illi eſt.

848 Poſt verò recenſita tanquam ex Hieronymo teſtimonia, allegavit nonnulla Ambroſii loca idem comprobantia, & primò, ex lib. 1. de Spiritu Sancto ad Gratian. cap. 10. ubi Beatus Ambroſius ait: „ Spiritus quoque Sanctus, cùm procedit à Patre, & Filio, non ſeparatur à Pātre, non ſeparatur à Filio. Quemadmodùm enim ſeparari poteſt à Patre, qui Spiritus oris eſt? Quod utique & æternitatis indicium, & Divinitatis exprimit unitatem. *Item cap. 19.* Accipe nunc, quia ſicut Pater fons vitæ eſt, ita etiam Filium pleriq; fontem Vitæ memorarunt ſignificatum, eò quòd apud te, inquit, Deus omnipotens, Filius tuus fons Vitæ ſit, hoc eſt fons Spiritus Sancti, quia Spiritus vita eſt, ſicut Dominus ait: *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus, & Vita ſunt*; quia ubi Spiritus, & ubi Vita, etiam Spiritus Sanctus. *Et lib. 2. cap. 12.* Quid ergo non enim à ſe loquitur? hoc eſt, non ſine me loquitur, quia loquitur veritatem, ſapientiam aſpirat. Non ſine Patre loquitur, quia Dei Spiritus eſt; non à ſe audit, quoniam ex Deo omnia. Omnia accepit à Patre Filius, quia iterùm ait: *Omnia, quæ Pater habet, mea ſunt.* Et quę accepit ipſe per unitatem naturæ, ex ipſo per eandem unitatem accepit & Spiritus, ſicut ipſe Dominus Jeſus declarat de Spiritu ſuo, dicens: *Propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quod ergò loquitur Spiritus, Filii eſt; quod dedit Filius, Patris eſt. *Hæc, & alia ex Ambroſio allegavit Joannes Provincialis.*

849 Clariſſimè tamen loquitur idẽ Sanctus Ambroſius in Serm. 1. de Pentecoſte, inquiens: „ Magna eſt, fratres chariſſimi, feſtivitas, in qua ſicut audiſtis, acceperunt Apoſtoli Spiritum Sanctum, qui cum Patre & Filio unus & perfectus eſt Deus, ejusdem ſubſtantiæ, Majeſtatis & potentiæ: qui non ex tempore, ſed ab æterno à Patre, Filioque inſeparabiliter procedit. Qui etiã

„ Dei donum dicitur: *Et tract. in Symbolum*
„ *Apoſtolorum*, cap.1. Unde credimus Filii,
„ & Spiritus Sancti ſubſtantiam ante omnem
„ exiſtere creaturam, extra omnia tempora;
„ Quod Pater eſt Genitor, Filius eſt genitus,
„ Spiritus Sanctus Genitoris, Genitique ſan-
„ ctitas, Spiritusque. *Et cap.2.* Pater ergo,
„ Pater eſt ſine initio (neque enim eſt aliun-
„ de unde Pater ſit) & Filius eſt abſque ini-
„ tio temporis, de Patre eſt: namque crea-
„ tor omnium temporum: & ideo non ſumit
„ initium ex tempore, quia verbum, qnia
„ virtus, quia ſapientia eſt, quæ omne tem-
„ pus & anteeedit & fecit. Spiritus autem
„ Sanctus verè Spiritus eſt, procedens qui-
„ dem à Patre, & Filio. *Et cap.4.* Quod au-
„ tem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ini-
„ tio careant, hinc etiam patet, quia quòd
„ Pater eſt, eſſe non cœpit, nec Filius cœpit:
„ Spiritus verò Sanctus, qui ab utroque pro-
„ cedit, nec ipſe cœpit, quia proceſſio ejus
„ continua eſt.

850 Poſt Ambroſium Auguſtinum citavit, & primùm loca Fulgentii de fide ad Petrum, velut ex Auguſtino recitavit: quæ ſcilicet habentur cap.1. & 2. nam cap.1. ait Fulgentius: „ Æternum quippe & ſine initio eſt,
„ quòd Filius de Patris natura natus exiſtit;
„ & æternum, ac ſine initio eſt, quod Spiritus
„ Sanctus de natura Patris, Filiique procedit.
„ *Et cap.2.* Neque enim in illa Trinitate pro-
„ prium eſſe ſolius Patris, quia non eſt natus
„ ipſe, ſed unum Filium genuit: neque pro-
„ prium ſolius Filii, quia noo genuit ipſe,
„ ſed ſolus de Patris eſſentia natus eſt; neque
„ proprium Spiritus Sancti, quia nec natus
„ eſt ipſe, nec genuit, ſed ſolus de Patre, Fi-
„ lioque procedit. *Et in regulis fidei cap.11.*
„ Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites,
„ eumdem Spiritum Sanctum, qui Patris &
„ Filii unus eſt Spiritus, de Patre & Filio
„ procedere. Dicit enim Filius: *Cùm venerit*
„ *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*, ubi
„ ſuum Spiritum eſſe docuit, quia ipſe eſt
„ veritas. De Filio quoque procedere Spiri-
„ tum Sanctum, Prophetica, atque Apoſto-
„ lica doctrina nobis commendat. Iſaias enim
„ dicit de Filio: *Percutiat terram virga oris*
„ *ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet*
„ *impium*. De quo & Apoſtolus ait: *Quem*
„ *interficiet Dominus Jeſus Spiritu oris ſui*.
„ Quem etiã ipſe unicus Dei Filius Spiritum
„ oris ſui ſignificans, poſt reſurrectionẽ inſuf-
„ flans in Diſcipulos, ait: *Accipite Spiritum*
„ *Sanctum*. De ore verò ipſius Domini Jeſu,
„ ait Joannes in Apocalypſi, quia gladius
„ utraque parte acutus procedebat. Ipſe ergò
„ Spiritus oris ejus, ipſe eſt gladius, qui de
„ ore ejus procedit. *Hæc Fulgentius ut allegatus à Joanne Provinciali*.

851 Et ſtatim in medium protulit diverſa veri Auguſtini teſtimonia, ex diverſis ejuſdem Sancti Doctoris ſcriptis deprompta, & præcipuè ex lib.3. contra Maximinum Arianum Epiſcopum cap.14. ubi ait: „ Quæris à
„ me, ſi de ſubſtantia Patris eſt Filius, de
„ ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus San-
„ ctus, cùr unus Filius ſit, alius non ſit Fi-
„ lius? Ecce reſpondeo, ſive capias, ſive non
„ capias: de Patre eſt Filius, de Patre eſt
„ Spiritus Sanctus; ſed ille genitus eſt, iſte
„ procedens: ideo ille Filius eſt Patris, de
„ quo eſt genitus; iſte autem Spiritus utriuſ-
„ que; quoniam de utroque procedit. Sed
„ ideo cùm de illo Filius loqueretur, ait, *De*
„ *Patre procedit*: quoniam Pater proceſſionis
„ ejus eſt auctor, qui talem Filium genuit,
„ & gignendo ei dedit, ut etiam de ipſo pro-
„ cederet Spiritus Sanctus. *Hucuſque, prout recitavit Joannes*. Sed plura ſubjungit ad rem Sanctus Auguſtinus, ut etiam planè ſatisfaceret quæſtioni à Maximino propoſitæ: ſubnectit ergo Sanctus Doctor: „ Nam niſi pro-
„ cederet & de ipſo, non diceret Diſcipulis;
„ *Accipite Spiritum Sanctum*: cùmque inſuf-
„ flando daret, ut à ſe quoque procedere
„ ſignificans, apertè oſtenderet flando, quod
„ ſpirando dabat occultè. Quia ergò ſi na-
„ ſceretur, non tantùm de Patre, nec tantùm
„ de Filio, ſed de ambobus utique naſcere-
„ tur, ſine dubio Filius diceretur amborum.
„ Ac per hoc, quia Filins amborum nullo
„ modo eſt, non oportuit naſci eum de am-
„ bobus. Amborum, eſt ergo Spiritus San-
„ ctus, procedendo de ambobus. Quid au-
„ tem inter naſci & procedere interſit, de il-
„ la excellentiſſima natura loquens, explica-
„ re quis poteſt? Non omne, quod procedit
„ naſcitur; quamvis omne procedat, quod
„ naſcitur; ſicut non omne, quod bipes eſt,
„ homo eſt, quamvis bipes ſit, qui homo eſt.
„ Hæc ſcio. Diſtinguere autem inter illam
„ generationem, & hanc proceſſionem neſcio,
„ non valeo, non ſufficio. Ac per hoc, quia &
„ illa, & iſta eſt ineffabilis, ſicut Propheta de
„ Filio loquens ait: *Generationem ejus quis*
„ *enarrabit*? Ita de Spiritu Sancto veriſſimè
„ dicitur; proceſſionem ejus quis enarrabit,
„ ſatis ſit ergo nobis, quia non eſt à ſeipſo
„ Filius, ſed ab illo, de quo natus eſt; non
„ eſt à ſeipſo Spiritus Sanctus, ſed ab illo, de
„ quo procedit, & qnia de neroque procedit,
„ ſicut jam oſtendimus, unde & Spiritus Pa-
„ tris dictus eſt, ubi legitur: *Si autem Spiri-*
„ *tus ejus, qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis*,
„ *habitat in vobis*: Et Spiritum Filii, ubi le-
„ gitur; *Qui autem Spiritum Chriſti non ha-*
„ *bet, hic non eſt ejus*: Non enim duo ſunt
„ Spiritus Sancti, tanquam ſingulis ſingu-
„ lorum, unus Patris, & alter Filii, ſed unus
„ potiùs Patris & Filii: De quo uno Spiritu
„ ſcriptum eſt: *Etenim in Spiritu uno nos om-*
„ *nes in unum corpus baptizati ſumus, ſive*
„ *Judæi, ſive Græci, ſive ſervi, ſive liberi: &*
„ *omnes unum Spiritum potavimus*. Et alio
„ loco; *Unum corpus, & unus ſpiritus*. Hæc
Sanctus Auguſtinus.

852

852 Adduxit inde & aliud S. Auguſtini teſtimonium in tract. 99. in cap. 16. Joannis, ubi exponit verba illa ejuſdem Evangeliſtæ; *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur*. Nos integrum textum afferemus, ac ita etiam, quæ recitare omiſit Joannes. Poſtquam enim demonſtravit Filium à Patre genitum, & Spiritum Sanctum ab eodem Patre procedere, poſuit hanc quæſtionem, dicens: *Hic aliquis forſitan quærat, utrùm & à Filio procedat Spiritus Sanctus?* Cui quæſito reſpondens, ait: „ Filius enim ſolius Patris eſt Filius, & Pater ſolius Filii eſt Pater; Spiritus autem Sanctus nō eſt unius eorum Spiritus, ſed amborum. Habes ipſum Dominum dicentem; *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Habes & Apoſtolum; *Miſit Deus*, inquit, *Spiritum Filii ſui in corda veſtra*. Numquid duo ſunt, alius Patris, alius Filii? abſit. *Unum* enim *corpus*, ait, cùm ſignificaret Eccleſiam, moxque addit; *Et unus ſpiritus*. Et vide quomodo illic impleat Trinitatem: *Sicut vocati eſtis*, inquit, *in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus*, hic utique Chriſtum intelligi voluit. Reſtat, ut etiam Patrem nominet. Sequitur ergò; *Una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*. Cùm ergò ſicut unus Pater, & unus Dominus, ideſt Filius, ita ſit & unus Spiritus: profectò amborum eſt; ſicut ipſe Chriſtus Jeſus dixit; *Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Et dicit Apoſtolus: *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra*. Habes & alio loco eundem Apoſtolum dicentem: *Si autem Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum ex mortuis, habitat in vobis*. Hic utique Spiritum Patris intelligi voluit; de quo tamen alio loco dicit: *Quisquis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Et multa alia ſunt teſtimonia, quibus hoc evidenter oſtenditur, & Patris & Filii ipſum eſſe Spiritum, qui in Trinitate dicitur Spiritus Sanctus.

853 His præmiſſis & paucis interjectis, ſubjungit: „ Cùr ergo non credamus, quòd etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cùm Filii quoque ipſe ſit Spiritus? Si enim non ab eo procederet, non poſt reſurrectionem ſe repreſētans Diſcipulis ſuis inſufflaſſet, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*. Quid enim aliud ſignificavit illa inſufflatio, niſi quòd procedat Spiritus Sanctus & de ipſo? Ad hoc pertinet etiam illud, quod de muliere, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, ait: *Tetigit me aliquis; ego enim ſenſi de me virtutem exiſſe*. Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritū Sanctum, & eo loco clarum eſt, ubi Angelus dicenti Mariæ: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*. Reſpondit: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Ipſe Dominus promittens eum Diſcipulis, ait: *Vos ſedete in Civitate, quouſque induamini virtute ex alto*. Et iterum: *Accipietis*, inquit, *virtutem Spiritus Sancti ſupervenientem in vos, & eritis mihi teſtes*. De hac virtute credendus eſt dicere Evangeliſta; *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*.

854 Et poſt hæc ſtatim ſibi obiicit illud idem, quod Græci pro ſolido fundamento negandi proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, ſibi uſurpant. *Si ergo*, ait Auguſtinus, *& de Patre & Filio procedit Spiritus Sanctus; cur Filius dixit: de Patre procedit?* Cui objectioni occurrens, inquit: „ Unde illud eſt, quod ait: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me?* Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris, quantò magis illic intelligendus eſt & de ipſo procedere Spiritus Sanctus, ubi ſic ait: *De Patre procedit*, ut non diceret, de me non procedit? A' quo autem habet Filius ut ſit Deus, eſt enim de Deo Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus: ac per hoc Spiritus Sanctus, ut etiam de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet, Patre. Hic utcumque etiam illud intelligitur, quantùm à talibus, quales nos ſumus, intelligi poteſt, cur non dicatur natum eſſe, ſed potius procedere Spiritus Sanctus. Quoniam ſi & ipſe Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod abſurdiſſimum eſt: Filius quippe nullus eſt duorum, niſi Patris & Matris. Abſit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium tale aliquid ſuſpicemur. Quia nec Filius hominū ſimul & ex Patre, & ex Matre procedit: ſed cùm in Matrem procedit ex Patre, non tunc procedit & ex Matre, & cùm in hanc lucem procedit ex Matre, non tum procedit ex Patre. Spiritus autem Sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul de utroque procedit; quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de ſe, ita de illo quoque procedat. Ac per hoc ſicut Pater cùm habeat vitam in ſemetipſo, dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo: ſic ei dedit vitam procedere de illo, ſicut procedit de ipſo. *Hactenus Sanctus Auguſtinus*.

855 Satis hæc eſſent pro Divi Auguſtini apertiſſima ſententia de proceſſione Spiritus à Filio, attamen Joannes duo alia ejuſdem Sancti Doctoris loca ad idem intentum retulit, unum ex lib. 4. de Trinit. cap. 20. alterum ex lib. 15. cap. 26. Primo namque loco ſcribit Auguſtinus: „ Sicut enim natum eſſe, eſt Filio à Patre eſſe, ita mitti eſt Filio cognoſci quod ab illo ſit, & ſicut Spiritui Sancto Donum Dei eſſe eſt à Patre proce-

de-

„ dere, ita mitti eſt cognoſci quod ab illo „ procedat. Nec poſſumus dicere, quòd Spiritus Sanctus & à Filio non procedat; neque enim fruſtrà idem Spiritus & Patris & „ Filii Spiritus dicitur. Nec video quid aliud „ ſignificare voluerit, cùm ſufflans faciem „ Diſcipulorum, ait: *Accipite Spiritum Sanctum*, neque enim flatus ille corporeus, cum „ ſenſu corporaliter tangendi procedens ex „ corpore, ſubſtantia Spiritus Sancti fuit, „ ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantùm à Patre, ſed & à Filio „ procedere Spiritum Sanctum. *Hæc ibi & alia*. In ſecundo porrò loco plura repetit, quæ ſunt ſupra recenſita, & iisdem ferè verbis, nos tamen breviter aliqua dumtaxat referemus; ait ergo: „ Deinde in illa ſumma „ Trinitate, quæ Deus eſt, intervalla temporum nulla ſunt, per quæ poſſit oſtendi, „ vel ſaltem requiri, utrùm priùs de Patre „ natus ſit Filius, & poſtea de ambobus proceſſerit Spiritus Sanctus. Quoniam ſcriptura ſancta Spiritum eum dicit amborum. *Hæc ille*, quod quidem probat iisdem ſcripturis & teſtimoniis, quibus uſus eſt ad idem probandum in tract. 99. in Joannem. Dicit verò poſt multa: „ Ideo enim cùm Spiritum „ Sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, nè in hoc „ vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate, „ vel duos, qui non ſunt de alio quispiam ſuſpicetur. Pater enim ſolus non eſt de alio; „ ideò ſolus appellatur ingenitus, non quidem in ſcripturis, ſed in conſuetudine diſputantium, & de re tanta ſermonem quaiem voluerint, proferentium. Filius autem „ de Patre natus eſt; & Spiritus Sanctus de „ Patre principaliter & ipſo ſine ullo temporis intervallo dante, communiter de utroque procedit; Diceretur autem Filius Patris & Filii, ſi, quod abhorret ab omnium „ ſanorum ſenſibus, eum ambo genuiſſent. „ Non igitur ab utroque eſt genitus, ſed procedit ab utroque amborum Spiritus. *Hæc, & alia ibi*.

856 Recitavit porrò Joannes etiam teſtimonium Papæ Hormisdæ in literis datis ad Juſtinum Imperatorem, quarum initium: *Inter ea, quæ ad unitatem Eccleſiæ*. Inter ejusdem Epiſtolas, 79. ubi de ſumma Trinitate loquens, ait: „ Magnum eſt ſanctæ & incomprehenſibile myſterium Trinitatis, Deus „ Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, Trinitas indiviſa: & tamen notum „ eſt, quia proprium eſt Patris, ut generaret „ Filium, proprium Filii Dei, ut ex Patre Patri naſceretur æqualis; proprium Spiritus „ Sancti, ut de Patre & Filio procederet ſub „ una ſubſtantia Deitatis. *Hactenus Hormiſda*.

857 Ad hæc adjecit & teſtimonia Magni Gregorii, id eſt Dialogi, ut ipſe Joannes cognominat, & primum deſumptum eſt ex Symbolo, quod, teſte Joanne, Diacono in ejuſdem vita lib. 2. cap. 2. recitare conſueverat, in quo hæc habentur: „ Credo in unū Deum „ Omnipotentem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres Perſonas, unam ſubſtantiam: Patrem ingenitum, Filium genitū: „ Spiritum verò Sanctum, nec genitum, nec „ ingenitum, ſed coeternum, de Patre, & Filio „ procedentem. *Hæc ibi*. Alterum deſumpſit ex lib. 2. Dialogorum, cap. 38. & ultimo, ubi Gregorius ait: „ Ipſa quoque veritas, ut Fidem Diſcipulis augeret, dixit: *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos*. Cùm „ enim conſtet, quia Paracletus Spiritus à „ Patre ſemper procedat & Filio, cùr ſe Filius receſſurum dicit, ut ille veniat, qui „ à Filio unquam recedit? Tertium inde teſtimonium adduxit ex lib. 1. Moralium, „ cap. 7. in fine, ubi Gregorius ait: „ Peractisque conviviis, holocauſtum Job pro „ Filiis obtulit: quia pro Apoſtolis de prædicatione redeuntibus, Patrem Chriſtus „ Redemptor exoravit. Bene autem mittendo ſanctificare dicitur, quia dum Spiritum „ Sanctum, qui à ſe procedit, Diſcipulorum „ cordibus tribuit, quidquid eis culpæ ineſſe potuit, emendavit. *Et lib. 2. cap. 27.* In „ cunctis namque fidelibus, ait, Spiritus venit, ſed in ſolo mediatore ſemper ſingulariter permanet: quia ejus humanitatem „ nunquam deſeruit, ex cujus divinitate procedit. *Hæc ibi*. Citat denique eundem Gregorium in lib. 3. Moralium: verùm ſi non erravit Typographus, erravit Joannes, nam teſtimonium hoc ab eo allegatum, non in lib. 30. bene verò 30. reperitur ſub cap. 5. ubi allegans Gregorius verba Domini dicentis, Joan. cap. 16. *Venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palàm de Patre annuntiabo vobis*, ubi ſubjungit Gregorius: „ Palàm quippe de Patre annuntiare ſe aſſerit: quia per „ perfectam tunc Majeſtatis ſuæ ſpeciem, & „ quomodo ſe Genitori non impar oriatur, „ quomodo utrorumque Spiritus utrique „ coæternus procedat, oſtendit. *Hæc ibi*.

858 Ex Boetio item teſtimonium aliud deſumptum & recitavit ex libro de Fide & Trinitate, ubi ait: „ Hæc autem Religio „ una, quæ vocatur Chriſtiana & Catholica, „ his fundamentis nititur, aſſerens ab æterno, id eſt, ante Mundi conſtitutionem, ante „ eſſe, videlicet quod temporis poteſt retinere vocabulum, divinam Patris ac Filii & „ Spiritus Sancti extitiſſe ſubſtantiam, ut „ Deum dicat Patrem, & Filium, & Spiritum „ Sanctum, non tamen tres Deos, ſed unum: „ Patrem habere Filium ex ſua ſubſtantia „ genitum, nota ſibi ratione coæternus. *Et poſt aliqua*. Spiritum Sanctum, neque Patrem, neque Filium, ac ideo in illa natura „ neque genitum, neque generantem, ſed à „ Patre & Filio procedentem, *Et in fine lib. de Trinit.* Ac ſi meminibus omnium in prio-

„ prioribus de Deo ſententiarum, ita cogitemus proceſſiſſe ex Deo Patre Filium, & „ ex utroque Spiritum. *Hæc Boetius*. Adjecit & teſtimonium Iſidori Hiſpalenſis lib. 12. Etymol. cap. 3. ubi ait: „ Hoc autem intereſt „ inter naſcentē Filium & procedentem Spi„ ritum, quia Filius ab uno naſcitur, & Spi„ ritus ab utroque procedit: ideo dicitur: „ *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non* „ *eſt ejus*.

859 Ad extremum verò Joannes diverſa allegavit teſtimonia ex Conciliis Toletanis, in quibus clariſſimè deciſum fuit, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, & ex Concilio quodam Generali celebrato ab Epiſcopis Tarraconenſibus, Carthaginenſibus, Luſitanis, & Bœticis, ſive Galleciis, juſſu Leonis Magni Papæ, ut in fine ejus Epiſtolæ datæ ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem, cujus initium: *Quàm laudabiliter*, contra Priſcillianiſtas, in qua præſcripta regula Fidei, & refutatis prius Priſcillaniſtarum erroribus, quos eidem Leoni Turibius propoſuerat, ait: *Dedimus itaque literas ad Fratres & Coepiſcopos noſtros Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallæces, eiſque Concilium Synodi Generalis indiximus*. In Concilio à præfatis Epiſcopis celebrato immediatè poſt Toletanum I. & poſt editos XX. Canones, quæ habentur inſerti in prædicta Synodo Toletana I. edita fuit Regula Fidei contra omnes hæreſes, quæ tunc invaleſcebant, & maximè contra Priſcillianiſtas, ac in ea juxta traditam ab eodem Leone doctrinam in dicta Epiſtola ad Turribium catholica dogmata firmarunt, interque & hoc unum, videlicet, quòd Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio: nam dicunt: „ Credimus in unum Deū „ Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, „ viſibilium & inviſibilium Factorem, per „ quem creata ſunt omnia in Cœlo & in Ter„ ra: hunc unum Deum, & hanc unam eſſe „ divinæ ſubſtantiæ Trinitatem: Patrem au„ tem non eſſe ipſum Filium, ſed habere Fi„ lium, qui Pater non ſit, Filium non eſſe „ Patrem, ſed Filium Dei de Patris natura: „ Spiritum quoque Paracletum eſſe, qui nec „ Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre, Fi„ lioque procedens. Eſt ergo ingenitus Pater, „ genitus Filius, non genitus Paracletus, „ ſed à Patre Filioque procedens. *Hæc in prædicta regula fidei*. Nec præſumendum textum corruptum, quoniam, ut præfati ſumus, hæc doctrina expoſita eis fuit à Leone Papa, in antedicta Epiſtola ad Turibium, in qua ſub §. 1. palàm teſtatur, Spiritum Sanctum ab utroque procedere.

860 Hæc porrò fidei regula, licèt aliis terminis, in aliis ſubſequentibus & Nationalibus in Hiſpania celebratis Conciliis, firma & rata habita fuit: nam in Concilio Bracarenſi I. apud Labæum tom. 2. pap. 1508. indicto à Pancratiano Epiſcopo Bracarenſi, tēpore Honorii, ac Theodoſii Imperatorum, ſententiam proponente Pancratiano, & dicente: *Credo in Spiritum Sanctum procedentem à Patre & Verbo, unicum in Deitate, cum ipſis, qui per ora Prophetarum locutus eſt, ſupra Apoſtolos ſedit, Mariam Chriſti Matrem replevit*. Omnes Epiſcopi reſponderunt: *Similiter & nos credimus*. In altero Toletano Concilio, ſive potiùs Hiſpanico ſub Magno Leone celebrato Anno CCCCXLVII. Eadem regula fidei, & totidem verbis, quibus ſupra ædita fuit, ut videre eſt apud eundem Labæum tom. 3. pag. 465. Et revera fuiſſe Concilium indictum ab eodem Leone, notant Scriptores, licèt appoſita ſit præfata fidei regula, in altero Concilio, ſeù potiùs ad calcem Toletani primo, quoniam illud non ſub Leone, ſed ſub Anaſtaſio Papa celebratum adnotatur. In Concilio Toletano III. ſub Papa Pelagio II. & Recaredo Gotho Hiſpaniarū Rege, nuper cum univerſa natione, abjurata Ariana hæreſi, ad catholicam Fidem converſo, eoque pariter præſente: in doctrina fidei, quam expoſuerunt Patres, inter alia circa perſonam Spiritus Sancti, dixerunt: *Spiritus aquè Sanctus confitendus à nobis, & prædicandus eſt à Patre & Filio procedere, & cum Patre & Filio unius eſſe ſubſtantiæ*. Deinde recitata eſt fides Nicæna, & Symbolum Conſtantinopolitanum, in quo dixerunt: *Credimus & in Spiritum Sanctum Dominum & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem*, ex quo tempore, ab Anno ſcilicet 589. quo hoc Concilium celebratum ſuit, non eſt dubitandum, quin in Hiſpaniarum Eccleſiis recitatum fuerit Symbolum, cum illa additione *Filioque*. Poſtea in Concilio Toletano IV. de Anno DCXXXIII. ſub Honorio I. Papa & Siſenando Rege cap. 1. in doctrina fidei idem dogma Patres profitentes, ſe à ſcripturis, & Sanctis Patribus accepiſſe faſſi ſunt: *Patrem à nullo factum, vel genitum: Filium à Patre non factum, ſed genitum; Spiritum verò Sanctum, nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio*. Sic pariter & in Concilio VI. Toletano ſub eodem Honorio I. celebrato, An. ſcilicet DCXXXVIII. cap. 1. de perſona Spiritus Sancti, dictum eſt: *Spiritum verò Sanctum, neque genitum, neque creatum, ſed de Patre, Filioque procedentem, utriuſque eſſe Spiritum: ac per hoc ſubſtantialiter unum ſunt, quia & unus ab utroque procedit*. In Symbolo inſuper recitato in Concilio VIII. Toletano ſub Martino Primo Papa, & Receeſvintho Rege, Anno DCXCI. pariter dicitur: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem*. In præfatione quoque Concilii Toletani XI. uſi Patres Auguſtini verbis, de Spiritu Sancto dixerunt: *Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ſanctificandam Creaturam, ſed ſimul ab utriſque proceſſiſſe monſtratur, qui charitas, ſive ſanctitas amborum agnoſcitur*: Et paulò poſt *Similiter*

Spiritus Sanctus, non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relativè refertur. Ac deniq; in Symbolo fidei recitato in Concilio Toletano xx. cap. 1. expreſſè dicitur: *Credimus & in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum.*

Teſtimonia Græcorum Patrum allegata ab eodem Joanne Provinciali in Collatione XXII.

861 Abſoluta collatione XXI. die XXIV. Martii, ut notat Andreas à S. Cruce, habita eſt Collatio XXII. ac in ea Joannes Provincialis exorſus eſt demonſtrare, proceſſionem Spiritus etiam à Filio ex teſtimoniis Sanctorum Patrum Græcorum: & primo loco præter allegata Baſilii teſtimonia, prout in ſuperioribus, protulit duo alia loca ex lib. 5. contra Eunomium, unum in capite, cujus initium, *Quod ſi hæc*; Alterum in alio capite incipiente, *Proptereà & Dei*. Primo enim loco ait Baſilius: „ Divinus verò character „ non ſicut humanus eſt, ſed vivens & verè „ exiſtens imago imaginis effectrix, per „ quam omnia, quæ participant, Imagines „ Dei conſtituuntur. Imago quidē Dei Chri„ ſtus eſt: *qui eſt imago*, inquit, *inviſibilis Dei*: „ imago verò Filii, Spiritus, quo qui par„ ticipant Filii, conformes fiunt, ſecundùm „ illud ſcriptum: *Quos præſcivit & prædeſti„ navit conformes*, inquit, *fieri imaginis Filii „ ejus, ut ipſe ſit primogenitus in multis Fra„ tribus*. Ex hoc ergo, ſic argumentatus eſt Joannes: ſicut Filius eſt imago Patris, ita Spiritus eſt imago Filii, ſed Filius ideo eſt imago Patris quia procedit à Patre in ſimilitudinem naturæ, juxta illud Sapientiæ cap. 7. *Emanatio quædam eſt claritatis Omnipotentis Dei, & imago bonitatis illius*; Ergo Spiritus Sanctus ſi eſt imago Filii, ideo erit, quia ab ipſo emanat, vel procedit in ſimilitudinem naturæ. In ſecundo porrò loco ait Baſilius: „ Propterea, & Dei quidem Verbum „ Filius eſt, Filii autem Verbum Spiritus: „ *Portans enim*, inquit, *omnia verbum vir„ tutis ſuæ*. Et quoniam Verbum Filii per „ Deum *Gladium*, inquit, *Spiritus quod eſt „ Verbum Dei, Verbum autem Dei vivens ac „ operans*: Sicut ergo Filius Verbum Patris à Patre accipit eſſe, ſic etiam ſi Spiritus Verbum eſt Filii, à Filio quoque accipere debet eſſe.

862 Recitavit inde duo teſtimonia Sancti Epiphanii, primum ex libro Anchorati: *Itaque, & Pater erat ſemper, & Filius erat ſemper, & Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio ſpiratus*. Alterum ex Panario in hæreſi 74. *Si autem Chriſtus ex Patre, creditur Deus ex Deo, & Spiritus ex Chriſto, ſive ab utroque, quia Chriſtus ait, de meo accipiet*. Cæterùm clariſſima ſunt Epiphanii Teſtimonia: In hæreſi 74. relata etiam ait, Cornano Interprete: „ Et Pater quidem appellatur, Pater omnipotēs, Pater omnium, Pater Chriſti; Filius „ verò Verbum, Chriſtus, Lux vera: Spiritus „ autē Sanctus, Paracletus, Spiritus veritatis, Spiritus Chriſti, Spiritus Dei. *Et paulò „ poſt*. Vita item eſt totus Deus, igitur vita ex „ vita eſt Filius: *Ego enim ſum*, inquit, ve„ ritas, & vita. Spiritus autem Sanctus ab „ utriſque, Spiritus ex Spiritu. *Et item pau„ cis interjectis*. Quinimmò tu quis es, qui „ contra Deum ratiocinaris? ſi enim Filium „ vocas eum, qui eſt ex ipſo, Spiritum verò „ Sanctum, qui ab utriſque, quæ ſolùm fide „ intelliguntur à Sanctis, lucida lucem „ dantia, lucidam operationem habent, & „ per fidem lucis conſona ad ipſum Patrem „ fiunt. Et infra habetur etiam teſtimonium in ſuperioribus allegatum, quod repetere ſuperfluum eſt. Recitavit etiam Joannes teſtimonium Didymi, quod & nos pariter retulimus ſupra poſt D. Hieronymi ſententias.

863 Plura inde teſtimonia ex Athanaſio deprompta obtulit: & primùm ex Orat. 1. contra Arianos, dicens Athanaſius: *Ipſe ut dictum eſt, Spiritum dat, & quæcumque habet Spiritus, hoc à Verbo habet*. Et infert Joannes, cùm Spiritus non habet niſi æternum, ſi habet à Filio, neceſſe eſt, ut procedat à Filio. Deinde protulit teſtimonium alterum ex libro, ſeu Orat. 2. contra Arianos, ubi ait: *Nam alia quidem omnia participantia ſunt, ipſe autem Filius, ſecundùm vos, cujus eſt particeps? Spiritus ne? Sed Spiritus à Filio potius accipit, & irrationabile eſt dicere, hunc ab illo ſanctificari*. Et ex hoc deducitur, quòd Spiritus à Filio, & quod nullo modo Filius poteſt ſanctificari à Spiritu: quia ipſe Filius eſt Deus, & producit Spiritum Sanctum: & quidquid Spiritus Sanctus operatur, operatur ut productus à Filio. Item in quadam Epiſtola ad Serapionem ſic ſe habere Athanaſium retulit: *Docuit enim, quòd omnia, quæ habet Pater, Filii ſunt, & quod non Spiritus daret Filium, ſed Filius Spiritum Diſcipulis præberet*. Et ex hac auctoritate, dixit colligi: quomodo debet intelligi: *ex Filio accipiet*. Similiter ex altera Epiſtola ad Serapionem incipiente: *Verſatus ſum*, & hoc aliud Athanaſii recitavit teſtimonium: *Filii eſt Spiritus, & à Filio accipit omnia, ut ipſe ait; & inſufflans dedit eum Diſcipulis*. Ex quo teſtimonio hæc ſubjunxit Joannes. Dicit primò, quòd eſt Spiritus Filii, & ex illa habitudine dicit, quòd accipit omnia à Filio per proceſſionem æternam, quia alio modo nihil poteſt accipere. Secundò dicit, quòd temporaliter dat eum Diſcipulis: ergo omnis proceſſio temporalis præſupponit proceſſionem æternam. *Hæc ille*.

864 Præterea alium locum adduxit ex altera ejuſdem Athanaſii Epiſtola ad præfatum Serapionem, quæ Incipit: *Admirabere* for-

forſitans, *vel miraberis ſortaſſe*. In qua paulò
poſt initium ait: „ Verùm haud reprehen-
„ des factum ſat ſcio, ſi cauſam intellexeris,
„ quin potius approbabit tna pietas, ubi vi-
„ derit, quàm probabilis ratio nobis hoc
„ perſuaſerit: *Quoniã enim*, ut ipſe Dominua
„ ait, *non à ſe ipſo loquetur*, *ſed quæcumque*
„ *audierit*, *loquetur*, *quoniam ex me nccipiet*,
„ *& annunciabit vobis*. *Et qunm inſufflaſſet*
„ *in eos*, *dedit illum ex ſe Diſcipulis*; Et ita
„ & Patre effudit illum ſuper omnem car-
„ nem, ſicut ſcriptum eſt: ideo ſanè priua
„ de Filio Dei congruenter mihi tum dictum
„ eſt, tum ſcriptum, nimirum, nt ex cogni-
„ tione Filii, valeamua & Spiritua Sancti re-
„ ctam habere cognitionem. Qualem pro-
„ prietatem cognovimus Filium habere cum
„ Patre, candem comperiemua & Spiritum
„ Sanctum habere cum Filio. Et quemad-
„ modum Filius dicit: *Omnia quæcumque ha-*
„ *bet Pater mea ſunt*: Si hæc omnia com-
„ periemus eſſe per Filium in Spiritu San-
„ cto. Et quemadmodum Pater oſtendit Fi-
„ lium, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus*,
„ *in quo mibi complacitum eſt*. Sic Filii eſt
„ Spiritus. *Emiſit enim*, inquit, Apoſtolua
„ ad Romanoa, *Spiritum ſuum in cordibus*
„ *noſtris clamantem*, *Abba Pater*. Et quod
„ admirabiliùs eſt, quemadmodum Filiua
„ dicit, quæ mea ſunt, Patris ſunt, ſic Patria
„ eſt Spiritus Sanctus, quemadmodum di-
„ ctus eſt Filii: ſi quidem ipſe Filius dicit:
„ *Ubi venerit Paracletus*, *quem ego mittam*
„ *vobis à Patre*, *Spiritum veritatis*, *qui à*
„ *Patre procedit ille teſtimonium perbibebit*
„ *de me*. Paulua autem ſcribit: *Nemo novit*
„ *qui ſunt hominum*, *niſi Spiritus hominis*,
„ *qui in ipſo eſt*. *Sic*, *& quæ ſunt Dei*, *nemo*
„ *novit*, *niſi Spiritus Dei*, *qui eſt in eo*. *Nos*
„ *verò non accepimus Spiritum hujus mundi*,
„ *ſed Spiritum*, *qui ex Deo eſt*, *ut ſciamus*, *quæ*
„ *à Deo donata ſunt nobis*. Quin in tota Di-
„ vina ſcriptura comperies, quòd Spiritus
„ Sanctua, qui dicitur Filii, idem dicitur eſſe
„ Dei. Idque in ſuperioribus libris conſcri-
„ pſimus. Proinde quemadmodum Filius eo
„ qnod habet proprietatem cum Patre,
„ quodque proprium germen eſt ex illius
„ ſubſtantia, non eſt creatura ſed Patri Ho-
„ mouſios, hoc eſt ejuſdem eſſentiæ, ſic haud
„ quaquam Spiritua Sanctua poſſit eſſe Crea-
„ tura, quin potiua impius eſt, qui hoc di-
„ cat, eo quod habet proprietatem cum
„ Filio, quodque ex illo datur omnibus:
„ denique quòd quæ habet, Filii ſunt. *Hæc*
„ *Athanaſius*, & eſt integer textus, nam
„ Joannes Provincialis ſolùm aliqua ad ſuũ
„ intentum retulit, ut oſtenderet ex mente
„ Athanaſii, & Latinorum quoque Patrum,
„ eandem originis habitudinem eſſe inter
„ Spiritum Sanctum, & Filium, quæ inter
„ Filium & Patrem. Nam Athanaſius in to-
„ ta hac Epiſtola probat, quòd ſicut Filius
„ propter habitudinem, quam habet ad Pa-
„ trem, non eſt Creatura, ſic Creatura non
„ erit Spiritus Sanctus propter habitudinem,
„ quam habet ad Filium.

865 In alia Epiſtola pariter data ad Sera-
pionem, cujus initium eſt: *Literæ tui ſan-*
ctiſſimi affectus: *vel*, *Literæ ſacræ dilectionis*
tuæ, contra quoſdam Arianos admittentes
in Filio Dei divinitatem, & aſſerentes, Spi-
ritum Sanctum eſſe Creaturam, admiratur
illorum vecordiam, quoniam negando divini-
tatem Spiritus Sancti, neceſſe eſt etiam eam
à Filio adimere, cùm ſit Spiritus Filii, cùm
eandem unitatem habeat cum Filio, quam
Filius cum Patre: „ Quorum certè, *ait*,
„ ſtatim vecordiam admireris, quòd quum
„ Filium Dei Creaturam eſſe nolint, ferre
„ tamen queant, Spiritus Filii nominari
„ Creaturam. Ob Verbi enim cum Patre uni-
„ tatem nolunt Filium in numero Creatura-
„ rum recenſeri, ſentiuntque (quod & ve-
„ rum eſt) conditorem, opiticemque eſſe
„ creaturarum. Cùr Igitur Spiritum San-
„ ctum, qui habet eandem unitatem cum
„ Filio, quam Filius habet cum Patre,
„ Creaturam dicunt? *Et paulò poſt*. Ergo,
„ *inquit*, qui malè ſentiunt de Spiritu San-
„ cto, non rectè etiam de Filio ſentiunt. Si
„ enim rectè de Verbo Dei ſenſiſſent, etiam
„ de Spiritu Sancto rectè ſenſiſſent, qui à Pa-
„ tre procedit, qui Filii proprius eſt, qui à
„ Filio Diſcipulis datur, & omnibus, qui
„ in ipſum credunt.

866 Ex hac porrò Epiſtola Joannes quo-
que aliqua teſtimonia allegavit, & in primia
illud, ubi Athanaſius ait: „ Una eſt Deitas,
„ & unua Deus, qui eſt ſuper omnes, & per
„ omnia, & in omnibus. Ita enim Paulus
„ dicens: *Teſtificor coràm Deo & Jeſu Chri-*
„ *ſto*. Quippe qui non didicerat ſeparare
„ Spiritum à Filio, qui ita in Chriſto erat,
„ ut Filius in Patre. *Hæc Athanaſius*; & ſub-
junxit Joannea: Filius eſt in Patre ut in
principio, & cauſa ſui: ergo Spiritus San-
ctus eſt in Chriſto, ut in principio, & cauſa
ſui. Hinc Athanaſins poſt aliqua, poſtquàm
demonſtraverit, Patrem non eſſe alicui avum,
nec Spiritum Sanctum fratrem Filii, conclu-
dena ait: „ Non enim Spiritus in ſacris lite-
„ ris nominatus eſt Filiua, nè frater Verbi
„ haberetur: neque Flius Filii, nè avus illi
„ eſſe exiſtimaretur: ſed Filius ibi Filius
„ Patria eſt dictus, & Spiritus Patris, Spiritua
„ Filii nominatua eſt, & ſic Trinitas una eſt
„ Deitas, & una fides. *Hæc ille*: Æque ergo
Spiritus dicitur Spiritus Patris, & Filii, & non
alia certè ratione, niſi quia æquè accipit
eſſe à Patre & Filio. Unde infra ſubjungit
denuò Athanaſius, prout ipſemet Joannes
quoque retulit: „ Quum enim unus ſit Fi-
„ lius vivens ſermo, unam oportet eſſe per-
„ fectam, & plenam ſanctificatricem illam
„ & illuminatricem vitam, vim ſcilicet, &

Digitized by Google

„ facultatem ejus, & donationem, quæ à Pa-
„ tre dicitur procedere, quoniā à Verbo Pa-
„ tris deſumit, & mittitur, & donatur, ma-
„ ximè quia Filius à Patre mittitur, ita
„ enim, inquit: *Sic Deus dilexit Mundum*
„ *ut Filium ſuum unigenitum daret*. Filius
„ porrò Spiritum emittit, quum ſic loqua-
„ tur: *Ego autem ſi abſceſſero, mittam Pracle-*
„ *tum*. Et Filius Patrem glorificans, *Pater*,
„ inquit, *ego glorificavi te*. Spiritus verò
„ glorificat Filium: *Ille enim*, prout ait, me
„ *glorificabit*. Filiique verba ſunt: *Quæ au-*
„ *divi à Patre, hæc loquar ad Mundum*. Spi-
„ ritus porrò à Filio accipit: *De meo enim*,
„ inquit, *accipiet, & annunciabit vobis*. Et
„ Filius in nomine Patris venit. Spiritum
„ verò Sanctum, inquit, *quem mittet Pater*
„ *in nomine meo*. Quum igitur iſtiuſmodi
„ ordinem, & naturam habeat Spiritus ad
„ Filium, qualem Filius habet ad Patrem,
„ qui fieri poteſt, ut qui Spiritum creaturam
„ dicit, non illud ideo neceſſariò, & de Filio
„ ſentiat? Si enim Filii Spiritus creatura eſt,
„ conſequens eſt, ut dicatur, etiam Ver-
„ bum Patris creaturam eſſe.

867 Denique duo alia teſtimonia retulit Joannes ex ipſo Athanaſio, unum ex lib. de humana natura ſuſcepta ab Unigenito Verbo, cujus initium; *Qui malitioſè*, alterum verò in Dialogo, ut ipſe dicit, habito in Nicæa contra Arium. Et quidem primo loco ſcribit Athanaſius; *Eaque de cauſa David dicit*. Quoniam apud te eſt fons Vitæ, & in nomine tuo videbimus lumen; *Noverat enim apud Patrem Filium eſſe fontem Sancti Spiritus*. Si ergò Filius fons eſt Spiritus Sancti, ſequitur, ut à Filio procedat, eo pacto, quo fluvius procedit à fonte. In ſecundo verò loco ait: *Si enim non eſt de ſubſtantia Patris, & Filii Spiritus, cujus gratia connumeravit eum Filius in Symbolo ſanctificationis, dicens: Euntes, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et ex hac auctoritate concluditur, quòd Spiritus Sanctus ſit de ſubſtantia Patris, & Filii. Licèt in aliquibus Codicibus Latinis abſit nomen Filii, non ita in Græcis, ſicut ex Græcis Codicibus recitavit Joannes. In Codice à me uſo, in prædicto Dialogo, ſive Diſputatione contra Ariū habita in Concilio Nicæno, cujus initium, *Dei providentia*, ſic legitur: *Si igitur Spiritus Sanctus non eſt ſubſtantiæ Patris, cùr eum Filius Dei in conſociatu ſanctificationis adnumerat?* Et patet omiſſum nomen Filii, vel ex inſcitia alicujus, vel ex incuria Typographi, nam ipſamet ſequentia Athanaſii verba demonſtrant ipſum aſſerere, Spiritum eſſe de Patris, & Filii ſubſtantia; nam ſubjungit, inquiens; „ Si ergo omnes gentes, que fidem
„ recipiunt & ſanctitatem, ſanctificantur tri-
„ na illa beatiſſima nomenclatura, certum
„ eſt etiam, Spiritum Sanctum ejus etiam
„ eſſe Deitatis, cujus eſt Pater, & Filius.
„ *Et paulò poſt*. Qui ſi non eſt Dei Patris,
„ & Filii ſubſtantiæ, rursùm dico, cùr con-
„ numeratus eſt cum Patre, & Filio? Cæterùm Epheſius ex hoc teſtimonio ſolùm evinci. aſſeruit, Spiritum Sanctum eſſe ejuſdem natu.., & ſubſtantiæ Patris, & Filii, non tamen procedere de ſubſtantia Patris, & Filii, hoc eſt de Patre, & Filio. Joannes tamen vim fecit in illa particula, *de ſubſtantia*, quæ, ut ait, importat principium, & conſubſtantialitatem. Sed nec in omnibus Codicibus dicitur *de ſubſtantia*, ſed in multis tantùm legitur *ſubſtantiæ*, & ſecundùm hos expoſitio Epheſii non videbatur valdè diſſona.

868 His recitatis teſtimoniis, & omiſſis aliis ex eodem Sancto Athanaſio, fuſiorem ſermonem inſtituit ex auctoritatibus S. Cyrilli Alexandrini. Supponit in primis, Neſtorium, & Neſtorianos in duobus peccaſſe, primùm circa perſonam Filii, quoniam non unā perſonam, & hanc Divinam admittebat in Chriſto, ſed duas perſonas. Secundò, contra perſonam Spiritus Sancti, aſſerendo, Spiritum Sanctum non eſſe Spiritum Filii, & Chriſti, nec accipere eſſe à Filio; quoniam Chriſtus aliena virtute, non propria, miracula fecerat: Si namque Spiritus Sanctus proprius fuiſſet Filii, & à Filio eſſe accepiſſet, non aliena uſus fuiſſet virtute, patrando miracula, ſed propria. Et ſanè hoc etiam fuiſſe Neſtorianorum dogma, conſtat primùm ex eorum depravato, ſive transformato Symbolo, relecto Act. vi. Concilii Epheſini: in eo namque dicitur: *Et in Spiritum Sanctum, qui cùm ſit ex Dei ſubſtantia, Filius non eſt, ſed ſubſtantialiter Deus*. Et paulò poſt: *Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium ſuam ſubſiſtentiam habentem*. Deinde ex Anathematiſmis Cyrilli adjectis in Epiſtola data ad Neſtorium, cujus initium, *Cùm Salvator noſter*, quibus univerſam Neſtorii falſam doctrinam anathematizat; nam Anathematiſmo ix. ſic ait Cyrillus: „ Si quis unum Domi-
„ num noſtrum Jeſum Chriſtum à Spiritu
„ Sancto glorificatum aſſerit, tanquam alie-
„ na virtute uſum ea, quæ per ipſum eſt, ef-
„ ficaciamque, qua contra immundos Spiri-
„ tus uteretur, & divina inter homines mi-
„ racula operaretur, ab ipſo eodem accepiſſe
„ prædicat; & non proprium illius eſſe ait
„ Spiritum, per quem divina ſigna edi-
„ dit, anathema ſit. *Hactenus Anathematiſmus*.

869 Itaque hoc ſuppoſito, præfatus Cyrillus refutans doctrinaliter opinionem Neſtorii circa perſonam Spiritus Sancti, in præfata Epiſtola data ex Synodo Alexandrina, ait: „ Cæterùm cùm de Spiritu Sancto ait,
„ *Ille me clarificabit*, niſi errare velimus,
„ Chriſtum Dei Filium veluti Gloriæ, quæ
„ aliundè proficiſcitur, indignum, à Spiritu
„ Sancto glorificatum nequaquam dicemus:
„ Siquidem Spiritus illius, neque illo melior,
ne-

„ neque illo rursùm ſublimior eſt. Verùm „ quo ad Divinitatis ſuæ ſignificationem ſuo „ ſubinde ſpiritu in inſignium operum perpe„ tratione uteretur, ob id ſe ab illo glorifi„ cari profitebatur: perinde, ac ſi quis no„ ſtrum de ſua fortitudine, aut cujuſvis rei „ ſcientia dicat: *Mea me virtus, aut ſcientia* „ *glorificabit*: nam & ſi Spiritus in propria „ perſona ſubſiſtat, eatenùſque in ſeipſo con„ ſideretur, quatenùs Spiritus eſt, & non „ Filius; non eſt tamen ab eo alienos, quao„ doqoidèm ſpiritus veritatis nominator: „ Chriſtus aotem veritas eſt, & proinde quo„ que ab illo, atque à Deo Patre procedit. *Hæc ibi*. Hinc & in Epiſtola data Joanni Antiocheno, cujus initium eſt: *Lætentur Cœli, & exultet Terra*, ubi dicit versùs finem: *Ipſe Spiritus Dei, ac Patris, qui procedit quidem ex ipſo; eſt autem non alienus à Filio, exigente hoc eſſentiæ ratione*, eſt explicandus, juxta ſententiam ſupra allegatam, ut velit non eſſe allenum à Filio; quoniam Spiritus Filii eſt, & ab illo procedit, ſicut à Patre, Undè reſpondens ad oppoſitionem Orientalium contra IX. Anathematiſmum, ait: *Proprium enim eſt ejus Spiritus Sanctus, quemadmodùm ſcilicet eſt Dei Patris*. Nec ideò proprinm dixit Filii Spiritum Sanctum, & oon alienum à Filio, quia eſt ejuſdem naturæ cum Filio; hoc namque in ſenſu, non minùs Spiritos Sanctus eſt proprium Filli, & non alienus à Filio, ac ſit ipſe Pater, cùm ſit ejuſdem quoque naturæ cum Patre: Dixit ergò proprium Filli, ſicut proprius eſt Patris, quia ſicut procedit à Patre, ita & à Filio. Et quoniam Theodoretos contra anteſatum IX. Anathematlſmum antedictam expoſitlonem ſecit, dicens: *Proprium autem Spiritus Filii, ſiquidem, ut ejuſdem cum eo natura, & ex Patre procedentem dixit, ſimul confitebimur, & tanquam piam ſuſcipiemus vocem; ſi verò tanquam ex Filio, aut per Filium exiſtentiam habeat, hoc & blaſphemum, & impium reiiciemus*. Reſpondens Cyrillus, ut etiam alibi adnotavimus: *Procedit enim ex Deo, & Patre Spiritus Sanctus*, inquit, *ſed non eſt alienus à Filio: omnia enim habet cum Patre. Et hoc ipſe edocuit, dicens: omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi vobis; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*; oſtendens his verbis, non ſolùm eſſe proprium Filii, quia ejuſdem naturæ, ſed quia ab ipſo procedit, ſicut procedit à Patre, quoniam omnia, quæ habet Pater, & ipſe Filius habet; unde ſententiam ſuam expreſſam in prædicta Epiſtola; & Anathematiſmo de proceſſione Spiritus Sancti etiam à Filio, non obſtante oppoſitione Theodoreti, nunquam retractavit. Immò idem Beatus Cyrillus in Epiſtola data Anaſtaſio, Monachis, & aliis monaſticam vitam agentibus, cujus initium, *Studium, ac diligentiam*, exponens Symbolum Nicænum, probat, Filium eſſe proprium Patri, & non alienum, quia à Patre genitum: *Idipſum*, ait, *quod genitum eſt, ab ejus, qui genuit, ſubſtantia non eſſe alienum, ſed ejus proprium, quia ex ipſa eſt, juxta rationem ipſi convenientem, atque congruentem*. Si ergò Filius, quia accipit eſſe à Patre, dicitur proprium Patris, cùm Spiritus Sanctus dicatur proprium Filii, & non alienus à Filio, ſequitur, quòd etiam accipiat eſſe à Filio.

870 Concludit Joannes Provincialis ex Epiſtola anteſata Cyrilli ad Neſtorium, & ex altera Leonis Papæ, cujus mentionem fecit priùs, in duobus generalibus Conciliis fuiſſe approbatam doctrinam de proceſſione Spiritus Sancti etiam à Filio, videlicet in Concilio Epheſino, in quo recitata eſt, & recepta anteſata Epiſtola Cyrilli ad Neſtorium; & in Concilio Chalcedonenſi, in quo recitata pariter, & recepta ſuit Epiſtola S. Leonis Papæ, in qua habet: *Alius, qui genuit; alius qui generatus, alius qui ab utroque procedit*; cujus teſtimonium in ſuperioribus relatum eſt.

871 Citavit inde Joannes eundem Cyrillum in Dialogo 2. & 3. de Trinitate ad Hermiam, ubi in Dialogo 2. in ædit. Pariſienſi, de Anno 1638. apud me, pag. 422. ait: „ Supremam etenim radicem, ultra quam om„ ninò nihil eſt, Patrem eſſe cenſebis, cùm au„ tem, qui ex ſuprema radice prodiit, ac ge„ nitus eſt, Filium eſſe fateberis, non perin„ de ac res creatas in tempore productom; „ neque porrò minùs, quàm Patris ſuæ natu„ ræ decus exerentem, ſed ſimùl coæternum, „ & in omnibus Patri æqualem, excepto hoc „ uno, quod genuit. Hoc enim ſoli Deo, ac „ Patri convenit. Sanctum porrò Spiritum „ dices eum, qui ex Deo Patre per Filium „ promanat oaturaliter, & inſtar ſpirationis, „ quæ prodit ex ore, ſuam nobis exiſtentiam „ manifeſtat. Joannes verò aliis terminis, uſus alia editione, eundem teſtimonium allegavit, licèt eundem ſenſum exprimat. In Dialogo porrò 3. pag. mihi 494. volens oſtendere, quòd opera Trinitatis ad extra, ſive Divinitatis ſunt indiviſa, & quòd opera Spiritus in creatura operantur, & Filius & Pater, inducit auctoritatem Jacobi Epiſtola Can. cap. 1. dicentis: *Omne datum optimum*. Et illud Chriſti Domini, Matthæi cap. 10. *Sanate infirmos, mortuos reſuſcitate*. Joanne ipſo cap. 1. profitente: *Quia de plenitudine ejus omnes accepimus*. Deinde Hermiæ loquens, ait: „ Datum autem optimum, & do„ num perfectum, aliud nequidquam erit tuo „ judicio, quàm Spiritus Sancti participa„ tio? *Ipſo reſpondente Hermia*: Nequaquam. „ *Subjungit Cyrillus*. Animadverte ergò vel „ hinc, Filium de ſua plenitudine fundere „ ſuum Sanctum, & inſeparabiliter innatum „ Spiritum, per quem omne datum optimum. *Hæc ille*. Ex quibus teſtimoniis probavit Joannes, de mente Cyrilli, Spiritum San-

ctum à Filio quoque produci; nam ſi ex Deo Patre per Filium promanat, fit certum, quòd etiam à Filio procedat.

872 Deinde idem Joannes nonnulla loca ex libris Theſauri Sancti Cyrilli recitavit; nos verò, quæ in præfatis libris excerpimus, adducemus, quoniam, quæ ipſe Joannes attulit ex variatione Codicum, non correſpondendo marginales citationes noſtro Codici reperire haud potuimus. Itaque in Aſſertione xiv.lib.Theſ. ſuper illa verba Pauli ad Romanos, cap.8. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*, & reliqua ait; „ Hinc „ etiam rectam de Spiritu Sancto notitiam „ haurire poteſt, & diſcere illum ex Salvatoris „ eſſentia ſubſiſtere, neque ab una Deitate „ alienum eſſe. Quum enim Spiritum „ ipſius Dei vocaſſet, ſtatim ſubjungit eſſe „ Spiritum Chriſti, ut oſtenderet omnia, quę „ Patri propria ſunt, in Filium, qui naturaliter „ ex ipſo gignitur tranſire. *Et in fine* „ *hujus aſſertionis ait*: Quum igitur Filius „ ſit naturaliter Vita, vivificat autem Spiritum, „ quem ipſe largitur, fatendum itaque „ eſt, ejuſdem illum eſſentiæ eſſe, cujus „ eſt Filius, & Deus, univerſamque illius „ vim, atque operationem habere, veluti, ſi „ ex aqua vapor aſcendat. *Hæc ille*. Quæ quidem comparatio demonſtrat, Spiritum à Filio procedere, quemadmodum vapor ex aqua.

873 Sed in Aſſertione xiv. in principio clariùs id idem demonſtrat, cùm ait; „ Quum „ igitur unus ſit Dominus Jeſus Chriſtus, „ juxta Pauli ſententiam, Dominum verò „ Spiritum vocet; nullam itaque agnoſcit „ differentiam Filii, & Spiritus, ſed tanquam „ ex ipſo, & in ipſo naturaliter exiſtentem „ Domini nomine appellat. *Et infra*. „ Si ergo quum Spiritus ipſum ad Apoſtolatum „ vocarit, à Chriſto Jeſu vocatum ſe „ eſſe ait (*ſcilicet Paulus*) oſtendit apertè, „ non alienum eſſe ab eſſentia Filii Spiritum „ Sanctum, ſed in ipſo, & ex ipſo, ac veluti „ vim quamdam naturalem, quæ omnia quęcumque „ velit, præſtare poſſet. *Et iterum* „ *infra*. Quum igitur, *inquit*, Spiritus Sanctus „ nobis immiſſus conformes nos Deo efficiat, „ procedat verò à Patre, & Filio, „ manifeſtum eſt ex Divina eſſentia, ipſum eſſe. *Ita Cyrillus*, nec clariùs loqui poteſt. Denique, ut plura ex præfato libro omittamus in ſolutione cujuſdam objectionis, quæ incipit, *Omni ex parte*, exponens illa verba: *Ex meo accipiet, & annuntiabit vobis*, ait: „ Quum enim abſoluta ſua adminiſtratione „ in carne, aſcenſurus eſſet ad Patrem, promiſit „ ſe miſſurum Paraclitum ſuis Diſcipulis, „ ne quis ſuſpicaretur doctrinam Spiritus „ Sancti alienam à ſua fore; oſtendens „ manifeſtè, quòd quum Spiritus ex ſe eſſet, „ verba quoque ex ipſo adminiſtraret: *Non* „ *loquetur*, inquit, *ex ſeipſo*, *ſed quæcumque* „ *audierit, loquetur, quia ex meo accipiet*. „ Perinde enim eſt, ac ſimul de qualitate „ naturali, quæ ſibi ineſt, dicat, nihil ex ſeipſa „ guſtantium ſenſui immittet, ſed ex „ meo accipiet; tranſeunte videlicet naturaliter „ ſubſtantiarum, ut ita dicam, qualitate „ in ea, quæ inſeparabiliter ex eis procedunt, „ quemadmodùm, ut modò diximus, „ dulcedo ex melle, calor ex igne, refrigeratio ex aqua. *Hactenus Cyrillus*. Plura alia prolocutus eſt Joannes, reſpondens quibuſdam objectis in præcedentibus collationibus factis à Marco Epheſio, licèt ipſe abſuiſſet, quæ in Actis hujus Concilii videri poſſunt.

Sequuntur alia Concilii geſta.

874 Concordatis Græcis cum Latinis in dogmate de proceſſione Spiritus Sancti à Filio: remanebant nonnulla alia examinanda, hinc feriâ III. die IX. menſis Junii, ut notat Auctor Græcus, accedentes ad Pontificem ex Græcis Ruthenus, Nicænus, Trapezuntinus, & Mitylenenſis, dixit eis Papa, quòd ex quo jam convenerant in præcipuo dogmate, agendum inde erat de Purgatorio, de Principatu primæ Sedis, de Fermentato, & Azimo, ac denique de Divino Sacrificio. Prædictus Auctor Græcus paucis ſe expedit, referens quid dumtaxat determinatum fuit, tàm in dogmate de Purgatorio, quàm de ſanctarum Animarum Beatitudine, & de primæ Sedis primatu; ſolùmve recenſet nonnulla dicta circa Divinum Myſterium, ſive Miſſæ Sacrificium, ex orta difficultate ex Lyturgia Sancti Joannis Chryſoſtomi in verbis conſecrationis. Addit inde, exhibitam à Latinis fuiſſe ſchedulam, diverſa continentem, inter quæ unum erat, quòd Sedes Apoſtolica, & Beatiſſimus Papa haberet ſua privilegia, & quòd licuerit ei ſuo jure, quippe ut Summo Pontifici, adiicere quod ſacro Symbolo addidit; atque Græcos reſtitiſſe, immò nec ſcripturam recepiſſe, profectos verò ad Imperatorem oretenus cuncta vel retuliſſe. Interea verò Patriarcham obiiſſe, ac ſchedulam ſua manu ſcriptam, repertam fuiſſe, habentem hunc videlicet tenorem.

Joſeph, miſeratione divina, Archiepiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha.

875 „ Quoniam ad finem vitæ meæ perveni, ſoluturus jam commune debitum, Dei „ gratiâ ſcribo, & ſubſcribo ſententiam meam „ apertè univerſitati meorum filiorum. Omnia „ igitur, quæ ſentit, & quæ dogmatizat „ Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Domini „ noſtri Jeſu Chriſti ſenioris Romæ, ipſe „ quoque ſentio, & iis me acquieſcentem do, „ ac dico. Profiteor quoque Beatiſſimum Patrem „ Patrum, & Maximum Pontificem, & Vi-

„ Vicarium Domini noſtri Jeſu Chriſti antiquæ Romæ Papam ad certam omnium fidē, necnon Purgatorium Animarum. In horum quippe fidem ſubſcriptum eſt die menſis Junii ix. Milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono, Indictione ſecunda. *Hactenus Cedula*.

876 Andreas à S. Cruce refert poſt concordatam cedulam de proceſſione Spiritus Sancti, ante initam unionem deceſſiſſe Patriarcham; obiiſſe verò, ait, decima die Junii nocte ſequenti, & ante obitum ſupra recitatam ſententiam ſcripſiſſe. Addit inde, fuiſſe ejus Corpus ſolemni funere traditum ſepulturæ in Eccleſia S. Mariæ Novellæ, cujus ſepulchrum hoc exornatum fuit Epitaphio.

Eccleſiæ Antiſtes fueram, qui magnus Eoæ
Hic jaceo magnus Religione Joſeph:
Hoc unum optaram, miro inflammatus amore,
Unus ut Europæ cultus, & una fides.
Italiam petii, fœdus percuſſimus unum;
Juncta que Romanæ eſt, me duce, gratia fides.
Nec mora; decubui, nunc me Florentia ſervat
Quæ nunc Concilium floruit Urbe ſacrum.
Felix, qui tanto donarer munere vivens,
Qui morer voti compos ipſe mei.

877 Actum inde eſt de Purgatorio, exhibita à Deputatis Cedula Purgatorii normam continente, olim poſt privatas diſputationes edita Ferrariæ, licèt nondùm ſubſcripta. Et allegatæ fuerunt rationes probantes exiſtentiam Purgatorii, necnon, & adducta Patrum teſtimonia, & quidem prima ratio adducta fuit ex lib. 2. Machab. cap. 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*. Cùmque nec pro defunctis, qui in Paradiſo ſunt, qui non indigent, & jam à peccatis ſunt ſoluti, nec pro damnatis, qui à peccatis ſolvi non poſſunt, exorandum ſit, reſtat, ut pro illis defunctis ſalubris ſit oratio, qui in loco medio ſunt, ſcilicet in Purgatorio, ut à peccatis ſolvantur. Sunt porrò aliqua peccata, ut Salvator ait, Marci cap.3. quæ non remittuntur nec in hoc ſæculo, neque in futuro: *Si quis dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, nec in hoc ſæculo, neque in futuro*. Ex quo ſequitur eſſe, & alia, quæ remittuntur in hoc ſæculo, & alia, quæ in futuro; quæ verò in futuro remittuntur, nonniſi per Purgatorii ignem purgantur, ut ſequatur remiſſio. Sic innuit Paulus in 1. ad Corinth. cap.3. ubi tractat de ædificante ſupra fundamentum, quod eſt Chriſtus, aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, & ſubdit: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuſcujuſque opus quale fuerit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe tamen ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. Quibus verbis ignem Purgatorii clarè manifeſtat; quoniam verba illa: *Salvus erit, ſi tamen quaſi per ignem*, de damnatis intelligi non poſſunt, qui ſalvari non poſſunt, & quorum ignis æternus eſt, juxta illud Salvatoris: *Ite maledicti in ignem æternum*.

878 Ex conſuetudine inſuper univerſalis Eccleſiæ, quæ pro defunctis orat, & orare ſemper conſuevit, deducitur exiſtentia Purgatorii, aliàs inutile eſſet orare pro defunctis. Et eſt argumentum Sancti Auguſtini *in lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 1. in fine*, ubi ait: „ In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed & ſi nuſquam in ſcripturis veteribus omninò legeretur, non parva tamen eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. *Et cap.4.* Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in chriſtiana, & catholica ſocietate defunctis etiam tacitis nominibus quorumcumque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia; ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici ab una eis exhibeantur pia Matre communi. Si autem deeſſent iſtæ ſupplicationes; quæ fiunt recta fide ac pietate pro mortuis, puto, quòd nihil prodeſſet ſpiritibus eorum quamlibet in locis ſanctis exanimata corpora ponerentur. *Hæc Auguſtinus*, qui in univerſo hoc opere intentus eſt demonſtrare, prodeſſe defunctis vivorum ſupplicationes, & opera pietatis. Atqui nihil prodeſſent, ſi pœnarum locus temporaneus non daretur, cùm, ut dictum ſit, nec damnatis prodeſſe poſſunt in Inferno, nec Beatis in Cœlo. Unde, & in fine libri ait: „ Quæ cùm ita ſint, non exiſtimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, niſi quòd pro eis ſive Altaris, ſive orationum, ſive eleemoſynarum ſacrificiis ſolemniter ſupplicamus; quoniam non pro quibus fiunt, omnibus proſint, ſed iis tantùm, quibus, dùm vivunt, comparatur, ut proſint. Sed quia non diſcernimus qui ſint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia poſſint, & debeant pervenire. Meliùs enim ſupererunt iſta eis, quibus nec obſunt, nec proſunt, quàm eis deerunt, quibus proſunt.

879 Deinde idem Auguſtinus lib. 21. de Civit. cap. 24. tradit non eſſe orandum, nec Eccleſiam orare pro Angelis malis, nec pro omnibus Defunctis, verùm pro quibuſdam & illis tantùm, qui in Chriſto regenerati, in charitate Chriſti deceſſerunt, ut eis, quæ in

hoc

hoc ſæculo dimiſſa omnia peccata non fue-
rant, dimittantur: „ Nam, *inquit*, pro de-
„ functis quibusdam, vel ipſius Eccleſiæ,
„ vel quorumdam piorum exauditur oratio:
„ ſed pro his, quorum in Chriſto regenerato-
„ rum, nec uſque adeo vita in corpore male
„ geſta, ut tali miſericordia judicentur digni
„ non eſſe, nec uſque adeo bene, ut talem
„ miſericordiam reperiantur neceſſariam non
„ habere. Sicut etiā facta reſurrectione mor-
„ tuorum, non deerunt, quibus poſt pœnas,
„ quas patiuntur Spiritus mortuorum, im-
„ pertiatur miſericordia, ut in ignem non
„ mittantur æternum. Neque enim de qui-
„ busdam veraciter diceretur, quòd: *Non eis*
„ *remittatur neque in hoc ſæculo, neque in fu-*
„ *turo*, niſi eſſent quibus & ſi non in iſto, ta-
„ men remittetur in futuro. *Hæc ibi Augu-*
ſtinus, qui poſtea cap.16. contra eos, qui pu-
tabant ſalutē conſequi per ſolam fidem Chri-
ſti, tenentes fundamentum ipſum Chriſtum,
& per ignem temporalem purgari omnia pec-
cata, & male in hac vita geſta, propter illa
Pauli verba: *ipſe autem ſalvus erit*, ſic ta-
men quaſi per ignem, ait errare in eo quod
exiſtiment ſine bonis operibus peractis in vi-
ta, ſalvari per temporaneum ignem: & tradit
ſententiam Pauli eſſe intelligendum pro tan-
tùm illis, qui in charitate Chriſti deceſſe-
runt, licèt ſuper fundamentum ſuperædifi-
caverint minuta & venialia peccata, & illi
probantur per ignem tranſitorium. Hinc in
Enchiridion ad Laurentium, refutata pariter
eadem opinione, cap.69. ſubjungit: „ Et aut
„ inveniri, aut latère nonnullos fideles per
„ ignem quemdam purgatorium, quantò
„ magis, minùsve bona pereuntia dilexe-
„ runt, tantò tardiùs, citiùsque ſalvari: non
„ tamen tales, de quibus dictum eſt: *Quod*
„ *Regnum Dei non poſſidebunt*, niſi conve-
„ nienter pœnitentibus eadem crimina re-
„ mittantur. *Hæc ibi*, & totidem verbis re-
petit in lib. de octo quæſtionibus ad Dulci-
tium. Sic pariter & in lib. de fide & operibus
cap.15. & 16. multa pariter ad rem habet in
reſponſione ad ſecundam quæſtionem Dulci-
tii, ubi Dulcitius quærit: *Utrum oblatio, quæ*
fit pro quieſcentibus, aliquid eorum conferat ani-
mabus. Et ibidem Sanctus Doctor repetit,
quæ docuerat in Enchiridion cap.109. in-
quiens: „ Tempus autem quod inter homi-
„ nis mortem & ultimam reſurrectionem in-
„ terpoſitum eſt, animas abditis receptaculis
„ continet, ſicut unaquæque digna eſt vel
„ requie, vel ærumna, pro eo quod ſortita
„ eſt in carne, cùm viveret. Neque negan-
„ dum eſt, defunctorum animas pietate ſuo-
„ rum viventium relevari, cùm pro illis ſa-
„ crificium mediatoris offertur, vel Eleæmo-
„ ſynæ in Eccleſiam fiunt. Sed eis hæc pro-
„ ſunt: qui cùm viverent, ut hæc ſibi poſtea
„ prodeſſe poſſent meruerunt. Eſt enim qui-
„ dam vivendi modus; nec tam bonus, ut
„ non requirat iſta poſt mortem, nec tam
„ malus, ut ei non proſint iſta poſt mortem.
„ Eſt verò talis in bono, ut non requirat iſta
„ poſt mortem; & rursùs eſt talis in malo,
„ ut nec his valeat, cùm ex hac vita tranſie-
„ rit, adjuvari. *Hæc & alia ad rem S. Augu-*
ſtinus.

880 Clariſſimè inſuper idem Sanctus Do-
ctor Purgatorium, & ejus pœnas explicat in
lib.50. homiliarum, in homilia 15. ibi nam-
que, ubi egerit de æterna impenitentium &
damnatorum pœnis æternis, concludens ait:
„ Detrudentur illùc valedicentes rerum na-
„ turæ, ultrà neſcientes Deo, qui Deum
„ ſcire noluerunt, morituri vitæ, & morte
„ ſine fine victuri. Felices qui nunc bene
„ viventes facultatibus vel corpori ſuo ne-
„ ceſſariis contenti, & de ſuo largi, in ſe ca-
„ ſti, in alios non cruenti, ab hujus putei
„ profundi flamma nocte ſe redimunt. Hæc
„ pœna illos manebit, qui amiſſo & non re-
„ parato per pœnitentiam baptiſmo, in æter-
„ num peribunt. Ad quos dicitur: *Paleas*
„ *autem comburet igni inextinguibili*. Et inde
„ *ſtatim ſubnectit*. Hi verò, qui temporalibus
„ pœnis digna geſſerunt, de quibus Apoſto-
„ lus dicit: *Si cujus opus arſerit, detrimentum*
„ *patietur: ipſe autem ſalvus erit: ſic tamen*
„ *quaſi per ignem*; per fluvium igneum, de
„ quo propheticus ſermo commemorat: *Et*
„ *fluvius igneus currebat ante eum*: per flu-
„ vium igneum & vada ferventibus globis
„ horrenda tranſibunt. Quanta fuerit pecca-
„ ti materia, tanta & pertranſeundi mora.
„ Quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex
„ homine vindicabit quædam flammæ ratio-
„ nabilis diſciplina. Et quantum ſtulta ini-
„ quitas ſuggeſſerit, tantum ſapiens pœna
„ deſæviet. Et quia ſermo divinus quodam
„ loco aeneæ ollæ animam peccatricem com-
„ parat, dicens: *Pone illam ſuper prunas va-*
„ *cuam, donec concaleſcat æs ejus, & omne*
„ *ſtagnum ejus defluat*: illic ſermones otioſi,
„ & cogitationes iniquæ, vel ſordidæ, illic
„ multitudo levium peccatorum, quæ puri-
„ tatem nobilis naturæ infecerant, exunda-
„ bunt: illic ſtagnum vel plumbum diverſo-
„ rum ſubrepentium delictorum, quæ divi-
„ nam Imaginem obſcuraverant, conſumen-
„ tur: quæ omnia hic ab anima ſeparari per
„ eleæmoſynas & lacrymas compendioſa trā-
„ ſactione potuiſſent. *Hactenus ibi Auguſti-*
nus, qui pariter, ut etiam refertur in præfata
cedula de Purgatorio, in quodam ſermone de
igne Purgatorii, qui eſt IV. in die comme-
morationis omnium fidelium Defunctorum &
XLI. de Sanctis, ſuper illa verba Pauli 1. ad
Corinth. cap.3. dicentis: *Fundamentum aliud*
nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt,
quod eſt Chriſtus Jeſus, cum iis, quæ ſequun-
tur, ait: „ Multi ſunt, qui lectionem iſtam
„ male intelligentes falſa ſecuritate deci-
„ piuntur, dum credunt, quòd ſi ſupra fun-
da-

„ damentum Chriſti capitalia crimina ædifi-
„ cent, peccata ipſa per ignem tranſitorium
„ poſſint purgari, & ipſi poſtea ad vitam
„ perpetuam pervenire. Intellectus iſte, fra-
„ trea chariſſimi, corrigendus eſt, quia ipſi ſe
„ ſeducunt, qui taliter ſibi blandiuntur,
„ Illo enim tranſitorio igne, de quo dixit
„ Apoſtolus: *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen*
„ *quaſi per ignem*, non capitalia, ſed minuta
„ peccata purgantur. *Hæc S. Doctor*. Enu-
meratis poſtea peccatis capitalibus, quæ in
æternam ducunt damnationem, ac inde mi-
nutis peccatis, ſubjungit: „ Quidquid enim
„ de iſtia peccatia à nobis redemptum non
„ fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo
„ dixit Apoſtolus: *Quia in igne revelabitur*;
„ *& ſi cujus opus arſerit, detrimentum patie-*
„ *tur*. Et paulò poſtea ait: ita peccata ipſa
„ hoc ſæculo purgantur, ut in futuro ille
„ ignis purgatorius aut non inveniat, aut
„ certè parùm inveniat quod exurat. Si au-
„ tem nec in tribulatione Deo gratias agi-
„ mus, nec bonis operibus peccata redimi-
„ mus, ipſi tamdiù in illo purgatorio igne
„ moras habebimus, quamdiù ſupradicta
„ peccata minuta, tamquam ligna, fœnum,
„ ſtipula conſummantur. *Hæc ibi*. Citatur
inſuper idem Auguſtinus in dicta cedula, in
quodam alio ſermone de mortuis, incipiente:
Omnium Chriſtianorum ſpes, item ex lib. 21.
de Civit. cap. 23. & cap. 20. Sed vera loca
Auguſtini ex eodem libro de Civitate Dei,
ſupra retulimus.

881 Allegatum inde eſt in ea cedula te-
ſtimonium S. Ambroſii Comment. ad cap. 3.
Epiſt. 1. ad Corinth. ubi examinans Apoſtoli
verba, ait: „ Cùm dicit; *Si tamen quaſi per*
„ *ignem*, oſtendit ſalvum illum quidem futu-
„ rum; ſed pœnas ignis paſſurum, ut per
„ ignem purgatus fiat ſalvus, & non ſicut
„ perfidi æterno igne in perpetuum torquea-
tur. *Hæc Ambroſius*, qui plura habet de pur-
gatorio igne in Pſalmum 118. Orat. 20. ſuper
verſiculum: *Vide humilitatem meam, & erue*
me. Et Orat. 3. in illa verba. *Retribue ſervo*
tuo. Et in ſecunda precatione præparationis
ad Miſſam, ait: *Quod ſi etiam in illo adhùc ſæ-*
culo aliquid in me vindicandum reſervas, peto
ne me poteſtati Dæmonum tradas, dum ſcelus
meum purgatoria pœna detergis. Sequitur in
cedula teſtimonium Gregorii Magni lib. 4.
Dialog. cap. 39. ubi de igne Purgatorio ait:
„ Sed tamen de quibuſdam levibus culpis
„ eſſe ante Judicium purgatorius ignis cre-
„ dendus eſt, pro eo quod veritas dicit: *Quia*
„ *ſi quis in Sancto Spiritu blaſphemiam dixe-*
„ *rit, neque in hoc ſæculo remittatur ei, ne-*
„ *que in futuro*. In qua ſententiâ datur intel-
„ ligi, quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſ-
„ dam verò in futuro poſſe laxari. Quod
„ enim de uno negatur, conſequens intelle-
„ ctus patet, quia de quibuſdam concedi-
„ tur. Sed tamen, ut prædixi, de parvis,
„ minutiſque peccatis fieri poſſe credendum
„ eſt, ſicut eſt aſſiduus otioſus ſermo, immo-
„ deratus riſus, vel peccatum curæ rei fami-
„ liaris. *Deinde allegata Pauli ſententia*: Ipſe
„ autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per
„ ignem, *ſubjungit*: Quamvis hoc de igne
„ tribulationis in hac nobis vita adhibito in-
„ ligi poſſit; tamen ſi quis hoc de igne futu-
„ ræ purgationis accipiat, penſandum ſoli-
„ citè eſt, quia illum per ignem dixit poſſe
„ ſalvari, non qui ſuper hoc fundamentum,
„ ferrum, æs, vel plumbum ædificat, ideſt
„ peccata majora, & idcircò duriora, atque
„ tunc jam inſolubilia; ſed lignum, fœnum,
„ ſtipulam, ideſt, peccata minuta, atque le-
„ viſſima, quæ ignis facilè conſumat. *Hæc*
Gregorius. Qui pariter cap. 25. ejuſdem lib.
4. ubi quærit, ſi ante reſtitutionem corporis
recipiantur in Cœlo Animæ juſtorum, utrū-
que dogma firmat, & quod recipiantur ſtatim
perfectorum animæ, & quod non adeo perfe-
ctorum animæ ſtatim non recipiantur, quia
nimirum purgatione indigent; „ Hoc neque
„ de omnibus juſtis fateri poſſumus, *ait*, ne-
„ que de omnibus negare, Nam ſunt quorun-
„ dam juſtorum Animæ, quæ à Cœleſti Re-
„ gno quibuſdam adhùc manſionibus diffe-
„ runtur. In quo dilationis damno quid aliud
„ innuitur, niſi quod de perfecta juſtitia ali-
„ quid minus habuerunt, Et tamen luce cla-
„ riùs conſtat: quia perfectorum animæ
„ mox, ut hujus carnis clauſtra exierint, in
„ Cœleſtis Regni ſedibus recipiuntur. *Ha-*
ctenus Gregorius.

882 Omiſſis inde Latinorum Patrum te-
ſtimoniis, auctoritate Græcorum Patrum pro-
bata eſt in ſæpefata cedula exiſtentia Purga-
torii, & primùm inducta eſt Baſilii Magni
auctoritas in duabus orationibus, quæ in Vi-
gilia Ephiphaniæ flexis genibus recitari ſo-
lent, ut in Echologio Græco, in quibus pro
defunctis & prædormientibus ſupplicatur, ut
eis requies concedatur in loco lucido, in loco
viventi, in loco refectionis, unde dolor, ge-
mitus, & mœſtitia longè depulſa ſunt, & ſta-
tuantur in Tabernaculis juſtorum, verùm
ſimiles precationes reperiuntur ferè in omni-
bus Patrum Græcorum Lyturgiis. Et quidem
in ea, quæ eſt Baſilii, Sacerdos ſecretò dicit:
„ Memento Domine omnium, qui dormie-
„ runt, & quieverunt in Sacerdotio, & om-
„ nium qui ſunt in ordine ſæculari; dignare
„ Domine tribuere animabus eorum requiem
„ omnibus in ſinu Patrum noſtrorum, San-
„ ctorum Abraham, Iſaac, & Jacob. Collo-
„ ca illos in loco viriditatis, ſuper aquas re-
„ quiei, in Paradiſo voluptatis, unde fugit
„ dolor cordis, mœror, atque ſuſpirium, &
„ triſtitia, in ſplendore Sanctorum tuorum.
Hæc ibi, & Gregorius Theologus in ſua Ly-
turgia: *Memento Domine Patrum noſtrorum,*
& Fratrum, qui dormierunt in fide orthodoxa:
concede, ut omnes requieſcant cum Sanctis tuis.

Cy-

Cyrllus pariter in ſua Lyturgia: *Domine miſerere Patrum noſtrorum & Fratrum noſtrorum, qui dormierunt, quorum animæ tibi acceptæ ſunt: da illis requiem*. Chryſoſtomus denique ſic ait in ſua Lyturgia: *Pro requie & remiſſione animæ ſervi tui, N. in loco luminoſo, à quo auſugit dolor, gemitus, ſac eam quieſcere Deus noſter, & ſac eam quieſcere, ubi præſidet lux vultus tui*. Hinc Nicolaus Cabaſylas in expoſitione Lyturgiæ cap.45. ait: ,, Nudæ autem corporibus animæ plus habēt ,, commodi ad ſanctificationem, quàm eæ, ,, quæ vivunt. Purgantur enim, & peccatorum remiſſionem accipiunt per orationes ,, Sacerdotum, & donorum interceſſionem, ,, nihilominùs quàm eorum qui vivunt. *Ita Cabaſylas*.

883 Poſt Baſilium allegatum eſt teſtimonium Sancti Gregorii Nyſſeni in Dialogo de conſolatione & ſtatu animæ, modò inſcriptus: *De anima & reſurrectione, poſt medium*, in æditione Græco-Latina Pariſienſi de Anno 1638. tom.3. pag. mihi 226. ubi ait: ,, Nec ,, enim odio, ac vindicandæ pravæ vitę cauſa, mea quidem opinione, Deus iis, qui ,, peccaverint, dolorem facientes adhibet affectiones: qui & apprehendit, & vindicat, ,, & ad ſe trahit quidquid ipſius gratia provenit in rerum naturam: ſed ille quidem ,, meliore animo atque conſilio ad ſeſe, qui ,, omnis Beatitudinis fons eſt, animam attrahit: ex neceſſitate autem ei, qui attrahitur, accidit illa affectio acerba. At ,, quemadmodum illi, qui auro materiam ,, immixtam per ignem expurgant, non ſolùm id, quod adulterinum eſt, igne liquefaciunt, ſed omninò neceſſarium eſt, ut ,, parùm quoque una cum adulterino, improbo atque corrupto liquefiat, atque hoc ,, conſumpto illud maneat: eodem modo planè neceſſe eſt, ut dum vitioſitas purgatorio ,, igni abſumitur, anima quoque, quæ cum ,, vitioſitate unita eſt, in igne ſit, donec id, ,, quod inſperſum eſt adulterinum, materiale ,, atque fucatum & corruptum totum aboleatur igni conſumptum. *Hæc Nyſſenus*, inducens Macrinam ſororem ſuam talia loquentem. Infra tamen clariùs ſe explicans alio inducto exemplo, ſubjungit: ,, Ergo judicium, inquam, divinum, ut videtur, ,, non ex cauſa principali, atque præcipua ,, cruciatum adhibet iis, qui deliquerunt, ,, ſed illud quidem, ut oratio demonſtravit, ,, bonum dumtaxat, dum id à malo ſecernit ,, & eximit, & ad communionem Beatitudinis attrahit, operatur: divulſio autem ,, coalitionis, & coagumentationis, ei quod ,, trahitur, dolorem facit. Idem, inquit Magiſtra (*ideſt Macrina*) ego quoque ſentio: ,, & quod pro quantitate vitioſitatis, quæ in ,, unoquoque fuerit cruciatus, ac doloris ,, modus adhibeatur: non enim par eſt utrūque, tum eum, qui malis vetitis tamdiù ,, verſatus ſit, tum eum, qui in mediocria delicta quædam inciderit, per purgationem ,, vitioſi habitus ex æquo diſcruciari atque ,, dolere: ſed pro modo ac quantitate materiæ, vel longiore, vel breviore temporis ,, ſpatio illa flamma dolorifica, quamdiù fuerit id quod eam alat, accendetur. Cui igitur magnum inhæſerit onus materiale, in eo ,, neceſſe eſt magnam ac diutiùs durantem ,, eſſe flammam, quæ materiam eam conſummat: in eo verò, cui minori ſpatio temporis ignis ille conſumens admovetur, tantùm de vehementiore, atque acriore operatione pœna remittit, quantùm quoad modum vitioſitatis attinet, ſubjectum fuerit ,, diminutum. *Item & ante medium, pag. mihi* ,, 222. Si ergo, *ait*, vel nunc adhibita cura ,, atque diligentia, vel poſt hac per ignis purgationem anima noſtra libera fuerit ab ea ,, conjunctione, qua cum ratione carentibus ,, affectibus coaluit atque concrevit, nulla ,, re ad boni & honeſti contemplationem impedietur. *Hactenus ibi*, explicans inde hoc bonum honeſtum ab anima purgata contemplandum eſſe divinum Numen, ut ita etiam firmet, ad Deum contemplandum mox purgatas animas aſcendere: *Bonum autem*, inquit, *& honeſtum ex ſui natura Numen divinum eſt; cum quo per puritatem anima conjunctionem habebit, quippe cum proprio cohærens, atque coaleſcens*. Alterum ejuſdem Gregorii teſtimonium allegatum eſt in cedula, ex libro de his, qui dormiunt. Habetur in oratione de mortuis inſcripta: *Non eſſe dolendum ob eorum obitum, qui in fide obdormierunt*. Eodem tom. 3. pag. mihi 634. ubi Sanctus Doctor ait: ,, Quamobrem ut ſimul & humanæ naturæ relinqueretur dignitas liberæ voluntatis, & ipſum auferretur malum, hanc divina ſapientia rationem excogitavit, ut in ,, iis hominem eſſe ſineret, quæ ſibi ipſe elegiſſet, quo guſtatis malis, quæ concupierat, experiendoque diſcens, quæ quibus ,, commutaſſet, ea cupiditate rursùm incenderetur, ut vitiorum perturbationumq; ,, quæ rationi inimicæ ſunt, onere depoſito, ,, & vel in præſenti vita precibus ſapientięque ſtudio purgatus, vel poſt obitum per ,, expurgantis ignis fornacem, ad priſtinam ,, vellet redire fœlicitatem. *Sed & paulò infra, addit*. Aliud & deinde ineundum erit ,, conſilium, ut ad bonum perveniat, cùm è ,, corpore egreſſus, cognita, quæ inter virtutem & vitium differentia eſt, non poterit ,, divinitatis particeps fieri, niſi maculas animo immiſtas purgatorius ignis obſtulerit. ,, *Et item paucis interjectis*; Aliis autem, *inquit*, poſt hanc vitam purgatorio igne materiæ labes, & propenſionem ad malum ,, abſtergentibus, & ad gratiam initio naturæ conceſſam voluntaria bonorum cupiditate redeuntibus.

884 Deinde allegata eſt D. Dionyſii auctoritas, alia Epiphanii, ac etiam Damaſceni: prima deprompta eſt ex libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, Contemplat. 3. §. 3. ubi oſtendit ab Antiſtite preces pro defunctis eſſe fundendas, inquiens: „ Deinde acce- „ dens Antiſtes, precem ſacram ſuper defun- „ cto peragit: qua finita, ipſemet Antiſtes „ eum ſalutat, ordineque deinceps ſuo, om- „ nes, qui adſunt. Rogat itaque precatione „ illâ divinam bonitatē, ut defuncto peccata „ omnia dimittat, quæ per humanam infir- „ mitatem contracta ſunt, eumque in lu- „ cem ſanctam, ac vivorum regionem transfe- „ rat, & collocet in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Ja- „ cob, in loco, à quo dolor & triſtitia gemituſ- „ que aufugiunt. *Hæc Dionyſius Areopagita*, qui paulò poſt explicat, quid ſignificetur per ſinum, & ait: „ Sinus autem, mea qui- „ dem ſententia, ſunt Beatorum Patriar- „ charum, cęterorumque Sanctorum Diviniſ- „ ſimæ, Beatiſſimæque quietis ſedes, quæ „ viros omnes deiformes excipiunt in ſua „ inſeneſcibili, Beatiſſimaque cōſummatione. *Hactenus ille*: Ex cujus ſententia apparet, non expectandam mortuorum reſurrectionem, ut Sanctorum animæ beatificentur, de mente Dionyſii, contra Græcorum errores, aliàs fruſtrà eſſet oratio rogans, ut animæ defunctorum transferantur in ſinum Abrahæ, Iſaac, & Jacob, ad beatas ſcilicet ſedes.

885 Secunda auctoritas, videlicet Epiphanii deſumpta eſt ex ejus Panario in hæreſi 75. contra Arium, qui non eſſe orandum pro defunctis, nec defunctorum nomina in precibus, & ſacris Myſteriis commiſcenda impiè contendebat: ait ergo, Interprete Jano Comario, ædit. Baſileenſi: „ Poſtea „ verò de eo quod proferantur nomina de- „ functorum, quid hoc magis fuerit utile, „ quid hoc commodiùs, & magis admira- „ tione dignum, quod credunt præſentes, „ quòd hi, qui deceſſerunt, vivunt, & non „ ſunt nulli, ſed ſunt & vivunt apud Domi- „ num: & ut pientiſſimam prædicationem „ recenſeam, quòd ſpes eſt orantibus pro „ fratribus velut qui in peregrinatione ſint. *Hæc Epiphanius*. Sed in fine tradit eſſe dogma univerſalis Eccleſiæ, & traditionem, ut preces pro defunctis ſolvantur: „ Quis au- „ tem poterit, *ait*, ſtatutum matris diſſol- „ vere, aut legem Patris? velut Salomon „ dicit: *Audi fili ſermones Patris tui, & nè* „ *repudies ſtatuta matris tuæ*: oſtendens per „ hoc quod, & in ſcriptis, & ſine ſcripto, „ docuit Pater, hoc eſt Deus, & Unigeni- „ tus, & Spiritus Sanctus. Mater autem „ noſtra Eccleſia habet ſtatuta in ſe poſita, „ indiſſolubilia, quæ diſſolvi non poſſunt. „ Cùm itaque ordinata ſint in Eccleſia ſta- „ tuta, & benè ſe habeant, & omnia mira- „ biliter fiant, confutatus eſt rursùm etiam „ hic ſeductor. *Hactenus Epiphanius*, qui paulò, vel immediatè antea dixerat: *Deinde verò rursùm ad propoſiti argumenti conſequentiam deveniunt, quod Eccleſia neceſſariò hoc perficit, traditione à Patribus accepta*.

886 Tertia, quæ eſt Damaſceni auctoritas, deſumpta eſt ex quadam ejus oratione inſcripta: *Quod ii, qui cum fide ex hac vita exceſſerunt, vivorum, miſſis, ac beneficiis juventur*. Inſtituit namq; hanc orationem contra quoſdam, afferentes non eſſe pro defunctis orandum. Dicit enim poſt exordium: *Ille, inquam, conſceleratus, ac nefarias novum quoddam & abſurdum ſacriſque ſanctionibus omninò contrarium dogma quibuſdam in animum iniecit, nempe, omnia opera, quæ mortem ſequuntur, nullam omnino defunctis utilitatem afferre*. Deinde ex profeſſo probat defunctis fidelium preces, & pro eis oblata ſacrificia, prodeſſe. Et primo loco affert exemplum Judæ Machabęi, ſacrificium offerentis pro defunctis, ut habetur 2. Machab. cap. 12. ſubjungit poſtea hoc eſſe inſtitutum à Sanctis Apoſtolis, atque ab eis hanc recepiſſe Sanctam Eccleſiam conſuetudinem: *Quod etiam firme*, ait, *atque conſtanter, ac ſine ulla controverſia Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab extremis finibus, ad extremos uſque fines, ab eo tempore ad hunc uſque diem ſemper retinuit*. Probat inſuper teſtimonio plurium Patrum, Areopagitæ nimirum, Gregorii Theologi, Nyſſeni, Palladii in hiſtoria Lauſiaca, & aliorum, ac inter plura ait: „ Beatior autem, „ qui, & ſui, & proximi cauſa laborarit. „ Nam hoc etiam miſericordem Dominum „ impenſiùs oblectat, & exhilarat, cùm quiſq; „ ad proximum juvandum celebri curſu con- „ tendit. Hoc, inquam, miſericors ille vult, „ gratumque habet, ut nos omnes, tū in vita, „ tum poſt confectum vitæ curriculum, mu- „ tuò alii ab aliis juvemur. Neque enim „ alioquin anſam hanc nobis porrexiſſet, ut „ eorum, qui è vita migraſſent, in incruento „ ſacrificio meminiſſemus, neque ut ter- „ tio, & nono, & quadrageſimo die, ac de- „ nique anno vertente in eorum memoriam „ ſacra obiremus (quæ quidem citra ullam „ controverſiam Catholica, & Apoſtolica „ Eccleſia Divinitùſque collectus populus, „ conſtanter, ac ſine ulla ambiguitate reti- „ net) niſi hoc in ipſius oculis rectum eſſet. *Hæc & alia plura Damaſcenus*. Cæterùm adductæ ſunt etiam rationes allegatæ à D. Thoma in 4. ſent. diſt. 45. quæſt. 2. quas recenſere omittimus.

887 Hujuſmodi attētis teſtimoniis, Gręci unà cum Latinis convenerunt in ſequentem cedulā, videlicet: „ Si verè pęnitentes in Dei „ Charitate deceſſerint, antequam dignis „ pęnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfece- „ rint, & de omiſſis, eorum animas pęnis Pur- „ gatoriis poſt mortem purgari, & ad pœnas „ hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium „ vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacri-

,, ficia , orationes , & elæemoſynas , & alia
,, pietatis officia , quæ à fidelibus fieri con-
,, ſueverunt ſecundùm Eccleſiæ inſtituta ;
,, illorumque animas, qui poſt ſacrum baptiſ-
,, ma ſuſceptum nullam omninò peccati ma-
,, culam incurrerunt , illas etiam , quæ poſt
,, contractam peccati maculam , vel in ſuis
,, corporibus , vel eiſdem exutæ , prout ſu-
,, periùs dictum eſt , ſunt purgatæ , in Cœ-
,, lum mox recipi , & intueri clarè ipſum
,, Deum trinum , & unum , ſicuti eſt , licèt
,, alius alio perfectius: illorum autem animas,
,, qui in mortali actuali peccato , vel ſolo
,, originali decedunt , mox in infernū deſcen-
,, dere ; pœnis tamen diſparibus puniendas.
Hactenus Cedula . Concordatis ergo duobus primariis dogmatibus , de proceſſione videlicet Spiritus Sancti à Patre , & Filio , & de Purgatorio , concordanda remanehant cætera , in quibus Græci à Latinis diſſidebant . Et primùm , an licuiſſe Eccleſiæ Romanæ addere Symbolo illam particulam , *Filioque* : ſecundò circa azimum , & fermentum, ac ſacra Myſteria denique in ordine ad primatum Eccleſiæ Romanæ . Latini ergo ſuper hujuſmodi dogmata quaſdam cedulas ſcripſerunt , quas Græcis exhibuere , habentes ſequentem tenorem ,

Cedula ſuper additione facta Symbolo ,

888 ,, Definimus inſuper explanatio-
,, nem verborum illorum , *Filioque* , veritatis
,, declarandæ gratia , imminente tunc tem-
,, poris neceſſitate , licitè , & rationabili-
,, ter Symbolo fuiſſe appoſitam . *Hactenus Cedula* .

889 Super hanc cedulam non fuit à Græcis nova mota difficultas , licèt antea obſtitiſſent , nam ſatis diſcuſſum fuerat ſuper hac controverſia , & jam probatam ſatis Spiritus Sancti proceſſionem à Patre & Filio, teſtimonio,tum Ltianorum, cùm Græcorum Patrum; & quoniam in hoc articulo jam convenerant , negare non poterant , licuiſſe ad vitandos errores , & inſtruendos fideles , ipſa neceſſitate cogente, nè falſo dogmate imbuerentur Chriſtifideles Sanctæ Romanæ , & univerſali Eccleſiæ Matri , & Magiſtræ cunctarum Orbis Eccleſiarum , additionem prædictam , ſivè potiùs explicationem Symbolo apponere .

Cedula de Azimo , & Fermentato .

890 ,, Item in Azimo , ſive fermentato
,, pane triticeo Corpus Domini veraciter
,, confici; Sacerdotes quoque in altero ipſum
,, Domini Corpus conficere debere , juxta
,, ſuæ Latinæ , vel Orientalis Eccleſiæ con-
,, ſuetudinem . *Hactenus cedula* .

891 In hac Divini ſacrificii materia duplex orta eſt Græcos inter , & Latinos controverſia : prima , an ſive in azimo pane , ſivè in fermentato verè conficiatur corpus Chriſti . Altera verò ſuper verbis conſecrationis , quibus ſcilicet verbis conficiatur corpus Chriſti : quæ controverſia ortum habuit ex Lyturgiis Græcorum Patrum, maximè Chryſoſtomi , & Baſilii , quibus Græci utuntur . Nam in Lyturgia S.Joannis Chryſoſtomi poſt multas preces proferuntur reverà Chriſti Domini , & conſecrationis verba , ſub hac forma , videlicet : *Cùm gratias egiſſet , & benedixiſſet, & ſanctificaſſet, fregiſſet , dedit Sanctis Diſcipulis ſuis , & Apoſtolis , dicens ; Accipite , comedite , hoc eſt corpus meum , quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum* . Sic pariter in conſecrando ſanguinem dicit : *Similiter etiam calicem poſtquam cenavit , dicens: Bibite ex eo omnes . Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis, & multis effunditur in remiſſionem peccatorum* .

892 Sed quoniã poſt alias perbreves preces , Diacono dicente ; *Benedic Domine ſanctum panem* ; Sacerdos ait ; *Fac panem hunc pretioſũ corpus Chriſti tui* . Et item replicante Diacono : *Benedic Domine Sanctum Calicem* , Sacerdos ſtatim ſubjungit : *Quod autem eſt in Calice* (ſcilicet fac) *pretioſum Sanguinem Chriſti tui*, error apud Græcos inolevit, quòd per hæc poſteriora verba fiat corpus Chriſti , ſimiliter & Sanguis, nequaquam per priora & vera Chriſti verba , quibus ipſe conſecrando uſus fuit in ultima cena . Qui error adhùc viget inter inſœlices Græcos, ac tenaciter ei adhærent , nedum plebei , verùm ipſi Epiſcopi, Archimandritæ, & Sacerdotes, ut experientia me in Oriente docuit . Et hoc attento errore uſus etiã invaluit apud eoſdem nullam reverentiam exhibendi conſecrato pani , niſi poſt illa poſteriora verba , non credentes priùs eſſe conſecratum , adeout D. Eutymius Archiepiſcopus Tyri , & Sydonis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ unitus, conſpiciens non poſſe alia via præſato errori occurrere , coactus fuit delère ab ipſa Lyturgia poſteriora recitata verba , ac ſuis Sacerdotibus præcipere , ut ſola uterentur Lyturgia ab ipſo taliter reformata , ut ipſemet mihi , cùm eſſem Sydoni , faſſus eſt . Immo ex hoc orti ſunt complures alii , duce ignorantia, errores : Nam aliqui, licèt Sacerdotes , ut mihi à noſtris Miſſionariis relatum fuit , aſſerunt corpus Chriſti in Euchariſtia paulatim confici , quemadmodum infans in matris utero , priùs unum membrum efficiatur , inde aliud , & ſubſequenter cætera, ſecundum tempus recitatæ Lyturgiæ , totum verò in integrum effici , & perfectum ad illa verba , *fac panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui* : Rationem porrò , cùr per illa verba : *Hoc eſt corpus meum* , non efficiatur corpus Chriſti , ſed per prædicta alia poſteriora , allegavit hic Hieroſolymis Papa Neophytus Archimandrita & Græcorum Procurator , in quadam ſuper hac de re habita diſputatione cũ Sacerdote Armeno D.Paulo de Moyſe Ca-

tho-

tholico, & alumno Romano: quia nimirum, ajebat, cùm Sacerdos dicat: *corpus meum*, corpus Sacerdotis effici deberetur, quod ſuum nominat, non corpus Chriſti. Adeo hùc ſe extendit Græcorum ignorantia.

893 Itaque his conſideratis periculis in confectione veri Sacramenti à Patribus Concilii Florentini, hunc quoque errorem aggreſſi ſunt refutare, ac ea, quæ in prædicta cedula Latini inſcripſerant, probare aggreſſi ſunt: inter quos Joannes Provincialis, probavit primò ſivè in azimo, ſive in fermentato confici verum Sacramentum quo ad materiam, uſus teſtimonio Gregorii Magni in regeſto, dicentis, quòd Romana Eccleſia offert azimos, quia corpus ſumpſit puriſſimum ex Virgine; aliiq; autem Eccleſiæ offerunt fermentatum, quia Verbum carne indutum, ſicut fermentum unitur farinæ. Hoc teſtimonium inducit etiam S.Thomas in 3.part. quæſt.74. art.4. in corpore. Utitur eo etiam Gennadius Scholarius in expoſit. pro Concilio Florentino cap.2. art.8. Ego quidem in Regeſto Gregorii non reperi hoc teſtimonium. Ratio tamen convincit, quoniam panis, ſive azimus ſit, ſive fermentatus panis ſimpliciter & abſolutè appellatur; nam panis, quem Dominus benedixit, fregit, & dedit duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus, ut habetur Lucæ cap.24. licèt reverà eſſet azimus, quia dies erant azimorum, tamen ab Evangeliſta ſimpliciter panis eſt appellatus: *Accepit panem*, inquit, *& benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*. Et poſtea: *cognoverunt eum in fractione panis*. Neque ſubſtantialiter differunt inter ſe azimus, & fermentatus, ſed dumtaxat accidentaliter. Satis ergo eſt, ut ſit ex triticea farina aqua naturali confectus, ac igne decoctus, ut ſit panis uſualis, ſive poſtea fermentatus ſit, ſive azimus, ad majorem, vel minorem ſpectat delectationem, & ad majorem, vel minorem nutritionem.

894 Attenta porrò convenientia, probavit Joannes in Azimo magis eſſe conficiendum, quàm in fermentato, quoniam in Azimo Chriſtus primum Sacramentum, dum illud inſtituit, effecit: & hoc probat diverſis rationibus, quarum prima deſumpta eſt ex illo textu Matthæi cap.26. ubi ait: *Prima die Azimorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: ubi vis paremus tibi Paſcha?* Ex quo concludit, Chriſtum Paſcha celebraſſe prima Azimorum die: at illa die, juxta præceptum Moyſis, Exodi cap.12. non licebat Judæis uti fermentato: Chriſtus ergo in ea cena ſolùm pane Azimo uſus eſt, ſed in ea panem conſecravit, igitur in Azimo. Secunda ratio primæ confirmativa deſumpta eſt ex cap.14. Marci: *Prima autem die Azimorum, cùm Judæi Paſcha immolabant, dicunt Diſcipuli ad Jeſum, ubi vis paremus tibi Paſcha?* Item & Lucas cap.22. ait: *Venit autem dies Azimorum, in quo neceſſe erat occidi Paſcha.* Tempus verò, quo erat neceſſe occidere Paſcha, erat die Lunæ XIV. in qua ſolùm Azima comedebatur. Nec dicendum, Salvatorem & Dominum hanc legem non ſervaſſe, cùm ipſemet faſſus eſſet, Matthæi cap.5. ſe veniſſe non ad ſolvendam, ſed ad implendam legem: *Non veni*, inquit, *ſolvere legem, ſed adimplere*. Nec obſtat quòd Joannes dicat: *Ante diem feſtum Paſchæ*, quaſi Dominus die ante ſolemnitatem Azimorum præſcriptam à lege, Paſcha celebraſſet, ac ita antequàm inciperet Azimorum uſus: nam certè Evangeliſtę contraria ſcribere non potuerunt: ſi enim primi tres palàm fatentur Paſcha à Domino celebratum prima die Azimorum, contrarium non potuit docuiſſe Joãnes. Itaque cùm ſecundùm antiquum Legis Moſaycæ morem ſolemnitates celebrarentur, incipiendo de veſperis ad veſperas, ſacri Evangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas veſpere primi diei appellarunt diem feſtum. Joannes verò dixit ante diem feſtum, computans diem unum naturalem integrum pro die feſto, qui dies erat ſequens ad primam veſperam. Deinde in Exodo cap.12. verſ.18. dicitur: *Primo menſe, quartadecima die menſis ad veſperam comedetis Azima uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam*. In Levitico porrò cap.23. num.5. habetur: *Menſe primo, quartadecima die menſis ad veſperam, Phaſe Domini eſt: & quintadecima die menſis hujus ſolemnitas Azimorum Domini eſt*. Sicut & idem repetitum legitur in lib. Numer. cap. 28. verſ.16. Ad veſperam ergo diei quartadecimæ Lunæ præſcriptus erat uſus Azimorum, juxta illud ſanciſum in libro Exodi: ſolemnitas porrò Azimorũ celebrabatur die ſequenti, ſcilicet Luna XV. ut ex Levitico, & libro Numerorum, erat ſolemnitas, ac ita Joannes reſpectu illius ſolemnitatis dicit ante diem Paſchæ, quia licèt Azima inciperent à veſpera Lunæ decimæquartæ, ſolemnitas tamen eorumdem Azimorum incidebat in ſequentem diem. Sed gratis etiam conceſſo, quòd Salvator Paſcha per diem unum anticipaſſet, cùr dicere non poſſemus anticipaſſe quoque Azimorum uſum, ut ſecundùm præſcriptum in lege Paſcha celebraret? Si enim voluit Paſcha celebrare, ut legem ſervaret, nemo ſanè prudens audebit aſſerere, illud non celebraſſe ſecundùm eundem ritum præſcriptum in Lege Moyſis.

895 Cæterùm hæc omnia optimè adnotavit Leo Papa IX. in Epiſtola VI. data ad Michaelem Conſtantinopolitanum Epiſcopũ, cujus initium, *Scriptæ tuæ honorandæ fraternitatis*: ubi circa medium, ipſum redarguens, ait: „ Quam præſumptionem tuam, & fama „ nobis obtulit, & literarum ſub nomine tuo „ ad Apulos datarum textus manifeſtavit: „ quæ violenter adſtruere conantur, fermen„ tatum panem fuiſſe, quo Dominus Apoſto„ lis ſuis myſterium in Cœna commendavit: „ Quod omninò falſum eſſe ex utroque teſta-

„ mento facillimè deprehenditur ; quia qui
„ non venerat ſolvere legem , ſed adimplere ,
„ juxta ipſius legis præceptum, ex azimis &
„ vino vetus Paſcha adimplevit ; & protinùs
„ ex azimis & vino novum , ſicut apertè Lu-
„ cas narrat, Diſcipulis tradidit. Neque enim
„ totis octo diebus illis fermentatum appa-
„ rebat in omnibus finibus Iſrael , & apud
„ quemcumque inveniebatur , peribat anima
„ ejus de populo ſuo . Quòd ſi in Cœna Do-
„ mini Jeſu apparuiſſet , aut ipſe, ſeu Diſci-
„ puli ejus quoquo modo guſtaſſent , juſtè
„ ſicut prævaricatores legis perirent, nec ipſe
„ Dominus diceret : *Quis ex vobis arguet me*
„ *de peccato ?* Nec eſſet opus falſos teſtes ad
„ perdendum eum quærere,cùm hoc ſolo per-
„ deretur juſtè ; ſed qui peccatum non fecit ,
„ nec inventus eſt dolus in ore ejus , quod
„ paſſurus Diſcipulis mandavit , evidenter
„ per Apoſtolum , in quo loquebatur , com-
„ memorans , inquit ; *Epulemur , non in fer-*
„ *mento veteri , neque in fermento malitiæ , &*
„ *nequitiæ , ſed in azimis ſinceritatis & verita-*
„ *tis* . Denique : *Modicum fermentum totam*
„ *maſſam corrumpit* . Ubicumque autem cor-
„ ruptio , ibi proculdubiò naturæ deteriora-
„ tio , & alicujus vitii ſuſceptio . *Haſtenus*
Leo. Nec diverſimodè loquitur S. Joannes
Chryſoſtomus homil.82. in cap.26. Matthæi ,
ubi ſuper illa verba ; *Prima autem azimorum* ,
ait : „ Primam azimorum eam diem vocat ,
„ quæ ante azima erat , Conſueverunt enim
„ à veſpere ſemper dies numerare , & ejus
„ mentionem facit in veſpere , cujus Paſcha
„ erat immolandum . Quinta enim Sabbati ,
„ acceſſerunt, quam hic quidem primam azi-
„ morum , ideſt ante azima , vocat , tempus
„ deſignans , quo acceſſerunt . *Hæc ille* . Nec
quoniam dicit ante azimo, vult dicere , quòd
dum celebravit Paſcha , nondùm incepiſſet
azimorum uſus,quoniam ly ante azima, ſigni-
ficat ante diem feſtum , & ſolemnitatem azi-
morum , quæ die ſequenti celebrabatur , ut
ex Levitico , & libro Numerorum ; quæ ta-
men ſolemnitas ad veſperam diei anteceden-
tis incipiebat, ut ipſemet notat Chryſoſto-
mus , qui poſtea ſubjungit ; „ Alius autem ,
„ venit , inquit ; *Dies azimorum, in qua opor-*
„ *tebat immolari Paſcha* ; nam , *venit* , iſtud
„ propè & in Januis erat , ſignificat , veſpe-
„ ram videlicet illam , à qua incipiebant ,
„ commemorans ; ideò quique Evangeliſta-
„ rum adiiciunt , quando immolabatur Pa-
„ ſcha . *Et poſt pauca*. Cujus autem rei gratia
„ venit ad Paſcha ? Omnibus ſemper uſque
„ ad ultimum paſſionis diem non eſſe adver-
„ ſarium ſe legi oſtendit , *Et homil.*83. *ſuper*
„ *illa verba* ; Tunc immiſerunt in eum ma-
„ nus , & tenuerunt illum , *ait* ; Ipſa nocte
„ in qua comederunt Paſcha , tanta inſania ,
„ tantoque furore agitabantur . *Hæc Sanctus*
Doctor , & clariſſimè innuit jam Judæos ea
nocte,qua Paſcha jam immolabatur , & come-
debatur , Chriſtum cœpiſſe , ac ita Chriſtum
Dominum , nè ſolveret legem ſtatuto per le-
gem tempore Paſcha comediſſe , neutiquam
diem anticipaſſe ; immò potius diem ſolemni-
tatis azimorum ipſos Judæos diſtuliſſe , non
Dominum , notat idem Chryſoſtomus homi-
lia 85. ſuper illa Joannis verba : *Mane autem*
facto non introierunt in Prætorium, ut non con-
taminarentur , ſed ut manducarent Paſcha :
ubi ait ; „ Unde liquidò patet , cupiditate
„ interficiendi Chriſtum prævaricatos fuiſſe ,
„ ac alia die Paſcha comediſſe . Non enim
„ Chriſtus tempus Paſchæ transgreſſus eſt ,
„ ſed illi audaciſſimi homines, & mille trans-
„ gredientes legis præcepta : quoniam ita
„ inflammati erant , & ſæpè conati capere ip-
„ ſum , nihil capere potuerunt , ex inſperato
„ nacti quod cupiebant , tēpus Paſchæ trans-
„ poſuerunt. *Hæc Chryſoſtomus* , Epiphanius
quoque hæreſi 30. contra Ebionitas , clariſſi-
mè docet , Chriſtum in Paſchate illo carnes
comediſſe , & azimum panem . Ait namque ;
„ Quomodo verò de eſu carnium non ſtatim
„ ipſorum dementia redarguitur ? Primùm
„ quidem Domino edente Paſcha Judæorum;
„ Paſcha autem Judæorum Agnus erat , &
„ azima , hoc eſt , panes non fermentati , &
„ edebantur carnes agninæ igne aſſatæ , velut
„ etiam Diſcipuli ejus dicunt ; *Ubi vis pare-*
„ *mus tibi,ut edas Paſcha?* Et Dominus dicit:
„ *Abite in Civitatem , & invenietis hominem*
„ *portantem amphoram aquæ, & ſequimini eum*
„ *quocumque ingreſſus fuerit , & dicite Patri-*
„ *familias, ubi eſt diverſorium, ubi faciam Pa-*
„ *ſcha cū Diſcipulis meis ?* Oſtendit ergo Epi-
phanius ultimum Paſcha celebratum a Chri-
ſto Domino fuiſſe cum eſu agni , & panis
azimi .

896 Latini quoque Patres id idèm adno-
tarunt , unde & Magnus Leo in Serm.7. de
Paſſione Domini ait : „ Incipientes igitur ,
„ dilectiſſimi , Evangelicam de Paſſione Do-
„ mini Hiſtoriam tractare , divino intelligi-
„ mus diſpoſitum fuiſſe conſilio ; ut ſacrilegi
„ Judæorum Principes , & impii Sacerdotes ,
„ qui ſæviendi in Chriſtum occaſiones ſæpè
„ quæſierant , nonniſi in ſolemnitate Paſcha-
„ li , exercendi furoris ſui acciperent pote-
„ ſtatem . *Hæc Leo* . Cyprianus jam in Ser-
mone de Cœna Domini , ſi ipſe eſt auctor ,
manifeſtè tradit, Chriſtum Dominum in ulti-
ma Cœna azima comediſſe , nam erga ini-
tium , ait ; „ Finem igitur Legalibus Cære-
„ moniis impoſiturus , parari ſibi voluit Pa-
„ ſcha , & ex conſuetudine legis ea quæri ,
„ quæ ſolemnitas exigebat , agnum aſſum ,
„ panes azimos , & lactucas agreſtes , Non
„ oportet eſſe fermentarios novi Teſtamenti
„ Miniſtros . *Hæc ibi* . Sanctus quoque Au-
guſtinus in Epiſtola 86. data ad Caſulanum ,
ubi agit de Jejuniorū conſuetudine ante finē ,
quærit,cùr autem quarta & ſexta feria maxi-
mè jejunet Eccleſia , & reſpondens ait ; „ Illa
ra-

„ ratio reddi videtur, quòd cõſiderato Evan-
„ gelio, ipſa quarta Sabbati, quam vulgò
„ quartam feriam vocant, conſilium repe-
„ riuntur ad occidendum Dominum feciſſe
„ Judæi. Intermiſſo autem uno die, cujus
„ veſpera Dominus Paſcha cum Diſcipulis
„ manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem
„ vocamus quintam Sabbati, deinde traditus
„ eſt ea nocte, quæ jam ad ſextam Sabbati,
„ qui dies Paſſionis ejus manifeſtus eſt, per-
„ tinebit. Hic dies primus azimorum fuit à
„ veſpere incipiens. Sed Matthæus Evange-
„ liſta quintam Sabbati dicit fuiſſe primam
„ diem azimorum, quia ejus veſpera ſequen-
„ te futura erat Cœna Paſchalis, qua Cœna
„ incipiebat azimum, & ovis immolatio man-
„ ducari. Ex quo colligitur; quartam Sabba-
„ ti fuiſſe, quando ait Dominus; *Scitis, quia*
„ *poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis*
„ *tradetur, ut crucifigatur*. At per hoc dies
„ ipſe Jejunio deputatus eſt, quia ſicut Evan-
„ geliſta ſequitur, & dicit: *Tunc congregati*
„ *ſunt Principes Sacerdotum, & ſeniores populi*
„ *in atrium Principis Sacerdotum, qui dice-*
„ *batur Caiphas, & conſilium fecerunt, ut Je-*
„ *ſum dolo tenerent, & occideret*. Intermiſſo
„ autem uno die, de quo dicit Evangelium:
„ *Prima autem azimorum acceſſerunt Diſcipu-*
„ *li ad Jeſum dicentes: Ubi vis paremus tibi*
„ *comedere Paſcha?* Hoc ergò intermiſſo, paſ-
„ ſus eſt Dominus, quòd nullus ambigit ſex-
„ ta Sabbati; quapropter & ipſa ſexta rectè
„ jejunio deputatur. *Hactenus S. Auguſtinus.*
Et Tract. 114. in Joannem, ſuper illa verba;
Nobis non licet interficere quemquam, ait San-
ctus Doctor; „ Quid eſt autem: *Nobis non*
„ *licet interficere quemquam?* Si malefactor
„ eſt, cùr non licet? Nonne lex eis præcepit
„ nè malefactoribus, præſertim qualem iſtum
„ putabant, à ſuo Deo ſeductoribus parcant?
„ Sed intelligendum eſt eos dixiſſe, non ſibi
„ licere interficere quemquam, propter diei
„ feſti ſanctitatem, quem celebrare jam cœ-
„ perant, propter quem de ingreſſu etiam
„ prætorii contaminari metuebant. *Hæc ille*;
ergò illa die, qua Chriſtum tradiderunt Pilato,
jam incœperat feſtivitas Paſchalis, ut tradit
Auguſtinus, cùm porrò ſolemnitas prædicta
ad præſcriptum legis initium ſumeret à veſ-
pera diei antecedentis, ſequitur quòd Chri-
ſtus Paſcha celebravit eodem veſperi à lege
præſcripto, cùm celebraſſet veſpere ejuſdem
noctis, quo traditus fuit præcedente die ſui
obitus. Hinc & D. Hieronymus in cap. 26.
Matthæi, ſuper illa verba: *Prima autem die*
azimorum, ait: *Prima azimorum quartadeci-*
ma die menſis primi eſt, quando agnus immola-
tur, & Luna pleniſſima eſt, & fermentum abii-
citur. Sed, prout ſpectat ad præſens inſtitu-
tum; de his ſatis.

897 Deveniendo modò ad alteram par-
tem, quæ tangit formam Sacramenti Corpo-
ris, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti,
& Joannes Provincialis demonſtravit Græcis
per verba Chriſti, non cujuſvis alterius hoc
confici Sacramentum, utens teſtimonio Chry-
ſoſtomi ex Græcis, & aliorum Latinorum Pa-
trum; Locum verò Chryſoſtomi deſumpſit ex
ſermone *in productionem Judæ, & in Paſcha,*
& in traditionem myſteriorum, in quo ante
finem ait; „ Non enim homo eſt, qui propo-
„ ſita de conſecratione menſe Domini Cor-
„ pus Chriſti facit, & Sanguinem; ſed ille,
„ qui crucifixus pro nobis eſt Chriſtus, Sa-
„ cerdotis ore verba proferuntur, & Dei vir-
„ tute conſecrantur, & gratia; *Hoc eſt*, ait,
„ *Corpus meum*, hoc verbo propoſita conſe-
„ crantur. Et ſicut illa vox, quæ dixit: *Cre-*
„ *ſcite, & multiplicamini, & replete terram*,
„ ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore
„ ſentit effectum ad generationem operante
„ natura, ita & vox illa ſemel quidem dicta
„ eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque
„ ad hodiernum diem, & uſque ad ejus ad-
„ ventum præſtat ſacrificio firmitatem. *Hæc*
S. Joannes Chryſoſtomus, prout à Provincia-
li citatus, à nobis tamen ex proprio textu aſ-
ſumptum.

898 Verùm non hoc dumtaxat loco hanc
tradit doctrinam Chryſoſtomus, verùm & in
homilia 2. ad cap. 1. Epiſtolæ 2. Pauli ad Co-
rinthios, ubi propè finem ait; „ Volo quid-
„ dam adjicere planè mirabile, & nolite mi-
„ rari, neque turbemini. Quid verò iſtud eſt?
„ Sacra ipſa oblatio, ſive illam Petrus, ſive
„ illam Paulus, ſive cujuſvis meriti Sacer-
„ dos offerat, eadem eſt, quam dedit Chri-
„ ſtus ipſe Diſcipulis, quamque Sacerdotes
„ modò quoque conficiunt, nihil habet iſta,
„ quàm illa minùs. Cùr id? Quia non hanc
„ ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui il-
„ lam ante ſacraverat. Quemadmodùm enim
„ verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem
„ ſunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pro-
„ nunciant, ita & oblatio eadem eſt, eadem-
„ que baptiſmi ratio eſt, adeo omnia in fide
„ conſiſtunt. *Hæc ille*. Videant ergò Græci,
ſi nunquam in mentem ejus cecidit, ut effi-
ciatur Sacramentum per verba illa poſteriora
in Ipſius appoſita Liturgia, non verò per
priora, quæ ſunt verba Chriſti, quibus ipſe
in ultima Cœna uſus conſecravit, cùm in lo-
cis citatis palàm fateatur per prædicta Chri-
ſti verba effici Sacramentum.

899 Nec deſunt aliorum Græcorum Pa-
trum teſtimonia; nam Juſtinus Martyr Apo-
logia 2. ad Antoninum Pium circa finem ait;
„ Porrò alimentum hoc apud nos appellatur
„ Euchariſtia, quod nulli alii participare li-
„ citum eſt, quàm veram eſſe doctrinam no-
„ ſtram credenti, & lavacro propter remiſ-
„ ſionem peccatorum, & regenerationem ab-
„ luto, & itaut Chriſtus tradidit viventi.
„ Non enim ut communem panem, neque
„ communem potum ita ſumimus, ſed quem-
„ admodùm per Verbum Dei caro factus Je-
ſus

„ ſus Chriſtus Servator noſter, & carnem, &
„ ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit; ad
„ eundem modum etiam eam, in qua per pre-
„ ces Verbi ejus ab ipſo profecti, gratiæ ſunt
„ actæ, alimoniam, unde ſanguis, & caro no-
„ ſtra per mutationem aluntur, incarnati
„ illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe docti
„ ſumus; Nam Apoſtoli in Commentariis à
„ ſe ſcriptis, quæ *Evangelia* vocantur, ita
„ tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſum. Eum
„ enim pane accepto, cùm gratias egiſſet di-
„ xiſſe: *Hoc facite in mei recordationem. Hoc*
„ *eſt Corpus meum*. Et poculo ſimiliter acce-
„ pto, & gratiis actis, dixiſſe: *Hic eſt San-*
„ *guis meus*, ac ſolis ipſis ea tradidiſſe. *Ha-*
ctenus Juſtinus Gregorius inſuper Nyſſenus
in Oratione Cathechetica cap.37. idem aper-
tis verbis docet, inquiens; „ Rectè ergò nunc
„ quoque Dei Verbo ſanctificatum panem in
„ Dei Verbi corpus credo tranſmutari. Ete-
„ nim panis erat poteſtate illud corpus. Fuit
„ autem ſanctificatus habitatione Verbi,
„ quod tanquam in Tabernaculo habitavit
„ in carne. Igitur unde in illo corpore tranſ-
„ mutatus panis tranſit in Divinam virtu-
„ tem, per idem nunc fit ſimiliter; nam &
„ illic, v.g. ſanctum fecit corpus, cui ex pa-
„ ne erat ſubſtantia, & quodammodò ipſum
„ quoque erat panis; & hic ſimiliter panis,
„ ſicut dixit Apoſtolus, ſanctificatur per
„ Verbum Dei, & orationem, non eo qui-
„ dem, quòd cibo mediante in Verbi corpus
„ evadat, ſed quòd ſtatim per Verbum in
„ corpus tranſmutetur, ſicut dictum eſt à
„ Verbo: *hoc eſt corpus meum*. Hæc Nyſſenus.
Denique, ut alios omittamus Græcos, Euſe-
bius Emiſſenus duplici loco eandem verita-
tem declarat: primò in homilia in ramis Pal-
marum, ubi ait: *Qui dixit tunc per ſe, modò
dicit per ſuos Miniſtros: Hoc eſt corpus meum,
Et tanta eſt ejus Verbi virtus, & efficacia, ut
ſtatim fiat quod dicitur*. Secundò in Sermone
de Corpore, & Sanguine Domini, ubi dicit:
*Quando benedicendæ verbis cæleſtibus creatu-
ræ ſacris Altaribus imponuntur, antequàm in-
vocatione Summi Numinis conſecrantur, ſub-
ſtantia illic eſt panis, & vini; poſt verba autem
Chriſti corpus, & ſanguis eſt Chriſti*.

900 Ex Latinis verò Patribus Ambroſii,
& Auguſtini teſtimonia allegata ſunt, Ambro-
ſii in lib.4. Sacramentorum, cap.4. dicentis:
„ Tu fortè dicis, meus panis eſt uſitatus; ſed
„ panis iſte panis eſt ante verba Sacramento-
„ rum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit
„ caro Chriſti. Hoc igitur adſtruamus. Quo-
„ modò poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe
„ Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igi-
„ tur, quibus verbis eſt, & cujus ſermoni-
„ bus? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia,
„ quæ dicuntur, laudem Deo deferunt; Ora-
„ tio præmittitur pro populo, pro Regibus,
„ pro cæteris: ubi venitur, ut conficiatur
„ Venerabile Sacramentum, jam non ſuis
„ ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermoni-
„ bus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc confi-
„ cit Sacramentum. *Hæc Ambroſius*. Et
idem docet in libro de initiandis, cap.9. Et in
Pſalm. 38. Auguſtini porrò teſtimonium de-
ſumptum eſt ex lib. de Trinitate, ubi ſic ſcri-
bere dicitur: *Non omnis panis, ſed qui acci-
pit benedictionem Chriſti, corpus Chriſti effici-
tur*. Clariùs tamen in ſermone 28. de verbis
Domini, ubi ait: *Memini ſermonis mei, cùm
de Sacramentis tractarem, dixi vobis, quòd an-
te verba Chriſti, quod offertur panis, dicatur:
ubi Chriſti verba deprompta fuerint, jam non
panis dicitur, ſed corpus appellatur*. Hæc Au-
guſtinus, vel quiſquis Auctor ſit dicti ſermo-
nis. Induhitatus verò Auguſtinus lib.20. con-
tra Fauſtum, cap. 13. docet, Sacramentum
Euchariſtiæ certa fieri conſecratione, ideſt,
verbis certis. Unde arguens à ratione Joan-
nes Provincialis, dixit, Chriſtum inſtituiſſe
Sacramentum perfectum, ac proinde tradi-
diſſe perfectam materiam, & perfectam, &
certam formam, quæ accedens ad materiam
certam, efficitur Sacramentum, juxta illud
Auguſtini: *Accedit verbum ad elementum, &
fit Sacramentum*. Ac ita nec per Baſilii, nec
cujuſvis ſanctiſſimi Viri verba poſſe confici
Sacramentum, ac panem tranſubſtantiari in
corpus Chriſti, ſed ſolius certis, ac deſigna-
tis Chriſti verbis; nam & ante Baſilium,
aliosque Sanctos Græcos Apoſtolorum ætate
adhùc Sacramentum efficiebatur, & non ver-
bis Lyturgiæ Baſilii, aut Chryſoſtomi, vel
alterius, ſed verbis Chriſti, quibus & ipſe
uſus eſt in ultima Cœna.

901 Eandem materiam etiam pertracta-
vit Cardinalis Turrecremata in eodem Con-
cilio, diſputans cum Græcis, qui omiſſis San-
ctorum Patrum teſtimoniis jam allegatis à
Joanne Provinciali, aggreſſus eſt refutare ar-
gumentum deſumptum ex Lyturgia Baſilii.
Beſſarion verò in Opuſculo de Euchariſtia,
ut & ipſe occurrat argumento deprompto ex
Sanctorum Patrum Lyturgiis, in medium
profert verba, quæ habentur in Lyturgia
Clementis, Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi.
Clemens itaque, inquit, cùm miracula Do-
mini, & res geſtas ejus commemoraſſet, po-
ſtea inquit: *Memores itaque nos Paſſionis,
Mortis, & Reſurrectionis ejus &c. offerimus
tibi Regi, & Deo, ſecundùm ejus præcepta &c.
Rogamus te, ut clementer inſpicias hæc propo-
ſita coràm te munera, tu nullius indigens Deus,
& in eis bene complaceas, ad honorem Chriſti
tui, & mittas Spiritum Sanctum tuum teſtem
Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuper hoc
ſacrificio, qui hunc panem corpus Chriſti tui,
& hunc calicem ſanguinem Chriſti tui efficiat*.
Jacobus quoque multò poſt verba Domini
obſecrat, ut mittatur Spiritus Sanctus, de
quo cum multa dixiſſet, ſubjungit: *Ut ad-
veniens, ſanctificet, & faciat hunc quidem cor-
pus Chriſti tui, & hunc calicem pretioſum ſan-*

gui-

guinem Chriſti tui. At Magnus Baſilius ſimiliter poſt verba Salvatoris invocat Sanctum Spiritum, ut ad propoſita deſcendat munera, & ſanctificet, & faciat panem quidem pretioſum corpus Domini Dei, & calicem ſanguinem Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui effuſus eſt pro Mundi vita. Ad hæc Chryſoſtomus, poſt verba Domini, & rerum per eum geſtarum, narrationem ſubdit: *Rogamus te, emitte Spiritum tuum Sanctum ſuper nos, & ſuper hæc propoſita munera, & fac hunc quidem panem pretioſum corpus Chriſti tui. Quod verò in hoc calice eſt, pretioſum ſanguinem Chriſti tui*. Poſt hæc ſubjungit; *transmutans ea Spiritu Sancto tuo*. Ex quibus Beſſarion conficit argumentum Adverſariorum, quòd nimirum per illa verba, *hoc eſt corpus meum*, &, *hic eſt ſanguis meus*, conficeretur Sacramentum, fruſtrà Sancti Patres poſt illorum verborum prolationem, & panem adhùc appellarent, & rogarent, ut fieret corpus Chriſti.

902 Sed quoniam Cardinalis Turrecremata reſpondit difficultati propoſitæ ex Lyturgia Baſilii, afferenda ſunt verba prædictæ Lyturgiæ; ait ergo poſt verba Chriſti: „ Te
„ autem rogamus Domine Deus noſter, nos
„ peccatores, indigni ſervi tui: Adoramus
„ te in concordia bona tua, ut deſcendat ſu-
„ per nos Spiritus Sanctus tuus, & ſuper
„ has oblationes propoſitas; ut purifices il-
„ las, & exhibeas ſanctas Sanctis tuis: Hunc
„ panem facit corpus ſuum ſanctificatum ſibi
„ Dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus; da-
„ bitur in remiſſionem peccatorum, & vita
„ æterna ſumenti ex eo. Hic calix etiam ſan-
„ guinis pretioſi Teſtamenti novi, Domini
„ noſtri, & Dei noſtri, & Salvatoris noſtri
„ Jeſu Chriſti dabitur in remiſſionem pecca-
„ torum, & vita æterna illi, qui ſumpſerit
ex ipſo. *Hæc Baſilius* in breviori Lyturgia; ſed & in altera ejuſdem diffuſiori Lyturgia, pariter poſt verba Chriſti, *hoc eſt corpus meũ*, &, *hic eſt ſanguis meus*, ſubjungitur: „ Te
„ rogamus, te obſecramus ſanctæ Sanctorum
„ per tuæ bonitatis placitum, ut Spiritus
„ Sanctus tuus ad nos veniat, & ad hæc do-
„ na propoſita, & ea benedicat, & ſanctificet,
„ & efficiat. *Et paulò poſt, Diacono dicente*:
„ Benedic Domine ſanctum panem. *Sacer-*
„ *dos*: Panem hunc ipſum pretioſum corpus
„ Domini & Dei, & Servatoris noſtri Jeſu
„ Chriſti. Amen. *Iterùm Diacono rogante*:
„ Benedic Domine ſanctum calicem. *Sacer-*
„ *dos*: Hunc verò calicem, ipſum pretioſum
„ ſanguinem Domini & Dei & Servatoris
„ noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Qui pro Mun-
„ di vita effuſus eſt. Amen.

903 His ſuppoſitis Turrecremata dixit, primùm neutiquam Baſilium docuiſſe, per hæc verba fieri corpus Chriſti, ſive Sacramentum. Secundò, verba illa eſſe ſupplicatoria, non effectiva, ac proinde non eſſe in verbis illis virtutem effectricem; nam in verbis Mulieris Cananeæ ſupplicantis Jeſum, & dicentis: *Miſerere mei fili David*, non fuit virtus ſanativa, ſed in verbis Chriſti: *Fiat, ſicut vis*. Sic pariter abſolutio Sacramentalis non conſiſtit in verbis pœnitentis ſupplicantis & petentis abſolutionem, ſed in verbis Sacerdotis dicentis, *te abſolvo*. Ita pariter forma Sacramenti, & virtus effectiva ejus non poteſt conſiſtere in verbis deprecatoriis Lyturgiæ Baſilii, ſed in verbis Chriſti dicentis: *hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*. Quid porrò velint illa deprecatoria Baſilii verba, explicavit, dicens, non velle, ut conficiatur, quod confectum eſt, ſed ut nos conſequamur effectum Sacramenti, ſcilicet uniri cum Chriſto, & incorporari, & dicamus cum Apoſtolo: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Dicit enim Baſilius, ait Joannes: *Rogamus, & ſupplicamus, mitte Spiritum Sanctum tuum ſuper nos, & hæc appoſita munera, ut nobis ſint ſalutaria, & faciatis panem hunc*. (Sic ipſe legebat) ideſt cœtum fidelium, fideles ſcilicet chriſtianos (cùm Eccleſia unum corpus, & unus panis dicatur, juxta Auguſtini mentem) figuratos hoc pane, incorporari corpori ſancto tuo, & uniri, ut tuo ſpiritu vivificentur, quia nullus vivit ſpiritu Chriſti, niſi ſit corpus Chriſti; & cùm addat, *quòd fiat communicantibus ex ipſis*, refertur ad hoc, quòd fideles communicantes vero corpori Chriſti, & ſanguini ejus, conſequamur remiſſionem peccatorum, & hæreditatem Regni Cœlorum. Ita explicavit Joannes.

904 Ab hac explicatione non videtur alienus Beſſarion in citato Opuſculo, qui illam audivit à prædicto Joanne, unde ait:
„ Dicere autem non ſine ratione fortaſsè
„ quiſpiam poſſet, quòd cùm corpus Domi-
„ ni duplex ſit (quemadmodum in primor-
„ dio noſtri ſermonis oſtendimus) verum ſci-
„ licet & myſticum, illud quidem ipſius Do-
„ mini verbis, cujus corpus eſt, confici, hoc
„ verò, quòd ipſi ſumus, ſacris Sacerdotum
„ precibus, & juſtis actionibus, & vitæ, ac mo-
„ rum honeſtate compleri, cùm dignè homines
„ ſacram Euchariſtiam capiunt, & ejuſdem
„ cum Chriſto corporis efficiuntur. Et hoc
„ quidem petere Sacerdotem, cùm rogat, ut
„ deſcendens Spiritus Sanctus, panem qui-
„ dem pretioſum corpus Chriſti, Calicem
„ verò pretioſum ſanguinem faciat, hoc eſt,
„ ut fidelem populum myſticũ corpus Chri-
„ ſti, ſanguinemque faciat, quo membra &
„ partes, corpuſque ejus effecti, & ſibiipſis
„ charitate, & Chriſto uniti, vivant cum eo
„ vitam æternam, & fiant ipſius cohæredes.
Hæc Beſſarion, licèt poſtea aliam quoque afferat expoſitionem ſibi magis accommodam, ſuoque ritui conformiorem; ſubjungit ergò:
„ Nos verò præter hæc, illud potiùs dicen-
„ dum exiſtimamus, quòd cùm divinum hoc
„ Sacramentum ſit commune, ſit opus totius

Tri-

,, Trinitatis, neceſſe eſt nos, quemadmo-
,, dùm ſupra diximus, & Patrem, & Spiri-
,, tum Sanctum cum Filio invocare, ut pro-
,, poſita munera perficiant. Quod paſſim per
,, totam Miſſam facimùs, non ante verba
,, Salvatoris, ſed etiam poſt multis cum pre-
,, cibus invocantes, ſupplicanteſque, ut di-
,, gni Miniſtri tantæ rei efficiamur, quo poſ-
,, ſimus illa munera perficere, ut accepta eis
,, fiant, & gratia Spiritus Sancti ſuper ea de-
,, ſcendat; Quæ omnia non tam agimus, ut
,, ipſi ea faciamus, quàm ut populo oſtenda-
,, mus, communia eſſe in creatura opera Tri-
,, nitatis. Quemadmodùm enim beneplacito
,, Patris, & Spiritus Sancti voluntate, unus
,, in Trinitate natura Dei, & Patris Filius,
,, ex ſanctis, & immaculatis Virginis ſangui-
,, nibus corpus aſſumpſit, ita & hoc corpus
,, Altaris ipſa Trinitas creat, ipſe Spiritus
,, Sanctus potentia ſua ex ſubſtantia in ſub-
,, ſtãntiam, hoc eſt, ex pane in corpus tranſ-
,, mutat. Quæ res, ut fideli populo palàm
,, fiat, illius etiam nos meminiſſe neceſſe eſt.
Hæc, & alia plura Beſſarion, qui anteceden-
ter ſolvit aliud objectum, & illud idem, quod
fecerat Archimandrita, cujus ſupra memini-
mus, nempe, quòd verba illa prolata à Sa-
cerdote, *hoc eſt corpus meum*, ſi eſſent effe-
ctiva, efficerent corpus Sacerdotis; unde ait
Beſſarion: ,, Non autem tanquam rei geſtæ
,, ſeriem narrans, Sacerdos hæc verba pro-
,, fert, ſed tanquam perſonam Chriſti indu-
,, tus, ut ita ea proferens, quaſi Dominus
,, eſſet, qui loqueretur, & eam habens in-
,, tentionem, ut per verba illa, juxta illius
,, mandatum, qui ita precepit corpus Chri-
,, ſti, ſanguinemque conficiat, quemadmo-
,, dùm ille fecit: fecit autem per ea, quæ ſu-
,, pra memoravimus verba. *Hactenus ille*.
Unde Turrecremata quatuor exiſtimavit ex-
plicanda in Cedula ad hoc Sacramentum ne-
ceſſaria, primò materia, ſcilicet panis azi-
mus, vel fermentatus. Secundò forma, ſci-
licet verba. Tertiò Miniſter, ſcilicet Sacer-
dos. Qnartò recta intentio, ut intendat con-
ficere. Verùm Ruſſia Præſul reſpondit, quòd
quoniam in prædictis concordabant, nimi-
rum, quòd ad confectionem Sacramenti re-
quiratur panis triticeus, vinum de vite, Sa-
cerdos, & principaliter per verba Dominica,
proinde non erat neceſſe, ut poneretur in deſ-
finitionis ſchedula, & non fuerunt appoſita;
cæterùm dolendum eſt, Eccleſiam Græcorum
majori ex parte in hunc verſari errorem, &
per conſequens nullo pacto apud eos confici
Sacramentum, ex quo in prolatione verbo-
rum Chriſti nullam habeant intentionem,
credentes confici per verba ſubſequentia.

*Cedula de Primatu Eccleſiæ Romanæ, ac
Romani Pontificis, & de ordine
Sedium Patriarchalium.*

905 ,, Item diffinimus, ſanctam & Apo-
,, ſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem
,, ſucceſſorem eſſe Beati Petri verticis Apo-
,, ſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, &
,, totius Eccleſiæ Caput, & omnium Chri-
,, ſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere,
,, & in univerſum Orbem tenère primatum,
,, & ipſi in Beato Petro paſcendi, & regendi,
,, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Do-
,, mino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſta-
,, tem traditam eſſe, quemadmodùm etiam
,, in geſtis œcumenicorum Conciliorum, &
,, in ſacris Canonibus continetur. Reno-
,, vando inſuper etiam ordinem traditum à
,, Canonibus cæterorum Venerabilium Pa-
,, triarcharum, ut Patriarcha Conſtantino-
,, politanus ſecundus ſit poſt Summum Pa-
,, pam Romanum; tertius verò Alexandri-
,, nus; quartus verò Antiochenus; & quin-
,, tus Hieroſolymitanus, ſalvis videlicet pri-
,, vilegiis, & juribus eorum. *Hactenus Ce-
dula*.

906 Jubente autem Summo Pontifice, ſæ-
peſatus Joannes Provincialis aggreſſus eſt de-
monſtrare, univerſa in præſata cedula expoſita
vera eſſe, & indubitata, ſingillatim omnes exa-
minans particulas ex ea parte, quæ tangit
primatum Apoſtolicæ Sedis, & Romani Pon-
tificis. Et primò probavit, Romanum Ponti-
ficem eſſe Petri ſucceſſorem, eique eadem au-
ctoritate & poteſtate ſuccedat, uſus teſtimo-
nio Hadriani Papæ in Epiſtola data Conſtan-
tino, & Irene, quæ fuit recitata, & recepta
actione 2. ſeptimæ Synodi, in qua Hadrianus
de Beato Petro ſcribit inter alia: ,, Nam ipſe
,, Princeps Apoſtolorum Beatus Petrus, qui
,, primitùs Apoſtolicæ Sedi præſedit, ſui
,, Apoſtolatus Principatum, & Paſtoralis Cu-
,, ræ, ſucceſſoribus ſuis, qui in ſua ſanctiſſi-
,, ma Sede perẽniter ſeſſuri ſunt, dereliquit,
,, quibus auctoritatis poteſtatem, quemad-
,, modum à Salvatore noſtro Domino Deo
,, ei conceſſa eſt, ipſe quoque contulit, ac
,, traddiit divino juſſu ſucceſſoribus ſuis.
Hæc Hadrianus, ex quo Joannes concluſit,
Romanum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorẽ, ac
ei ſuccedere in auctoritate & poteſtate.

907 Ad & teſtimonium Sancti Leonis
Magni Sermone ſecundo in Anniverſario die
ſuæ aſſumptionis, ubi primùm dicit, in Sede
Petri eandem eſſe ſoliditatem, eandẽ aucto-
ritatem, quæ adhùc vivente Petro: *Soliditas enim
illius fidei*, ait, *quæ in Apoſtolorum Principe
eſt laudata, perpetua eſt. Et ſicut permanet,
quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet
quod in Petro inſtituit*. Et infra: *Si quid ita-
que à nobis rectè agitur, rectèque diſcernitur.
Si quid à miſericordia Dei quotidianis ſuppli-*

co-

catlonibut obtinetur, *illius eſt operum*, *atque meritorum*, *cujus in Sede ſua vivit poteſtas*, *&* *excellit auctoritas*. Deiude ſe ipſiua hæredem eſſe affirmat, dicena: *Celebratur hodierna feſtivitas*, *ut in perſona humilitatis meæ ille intelligatur*, *ille honoretur*, *in quo omnium Paſtorum ſolicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat*, *& cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit*. Si ergò ſe Petri hæredem eſſe fatetur, ſucceſſorem eſſe non negat: omnis enim hærea ſucceſſor eſt ejus, cujua eſt hæres. Hieronymus quoque in Epiſtola ad Damaſum Papam de nomine hypoſtaſis: *Quanquam*, ait, *tua me terreat magnitudo*, *invitat tamen humanitas*. *A' Paſtore præſidium ovis peto*. *Cum ſucceſſore Piſcatoris*, *& Diſcipulo Crucis loquor*. Sed procedamus ad alias partes probatas à Joanne.

908 Eſſe Romanum Poutificem Chriſti Vicarium probavit: quia ille dicitur Vicariua, qui ſuper aliqua recipit vices ejus. Quòd verò Petrus remanſerit vice Chriſti, patet ex Evangeliis; Nam Chriſtus fundavit Eccleſiam ſuper Petrum, quæ ſuper ſe fundata erat, eiq; contulit claves univerſaliter & generaliter, cùm dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*. Ex quo ſequitur, quòd ipſe poteſt omnes ligare, & à nemine ligari. Cùm ergo vices Chriſti habeat in terris, ſequitur quòd eſt Vicariua: & cùm Romanus Poutifex ſuccedat in eadem poteſtate, ſequitur quòd eſt Vicarius Chriſti. Ideo dicunt Sancti Doctores, quòd Chriſtua Petrum Priucipem Apoſtolorū conſtituit, ùt Eccleſia ipſa unum principalem Chriſti haberet Vicarium, ad quem univerſa membra recurrereut, ſi fortè inter ſe diſſentirent. Quòd ſi diverſa capita eſſent, uuitatia vinculum rumperetur. *Hæc Joannes*.

909 Deinde demonſtravit eſſe totiua Eccleſiæ caput, ex Epiſtola Hadriani Papæ data ad Taraſium, & recitata in VII. Synodo act.2. ubi dicitur, quòd ipſe omnium Eccleſiarum Caput exiſtit. Ibi autem Hadriauus Sedem Petri Caput omnium Eccleſiarum dicit: *Cujus Sedes*, inquit, *in omnem terrarum Orbem primatum tenens refulget*, *& Caput omnium Eccleſiarum Dei conſiſtit*. Item ex verbis Paſchaſini Apoſtolicæ Sedia Legati, habitis in principio actionia primæ Synodi Chalcedonenſis dicentis: *Beatiſſimi, atque Apoſtolici Viri Epiſcopi Urbis Romæ*, *quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum*. Ex Epiſtola Eucyclica ejuſdem Concilii Chalced. cujus initium: *Relatum eſt*, data eidem Leoni Papæ, ubi dicitur: „ Quid agnitione Dominica feſtivius ad „ coronas, quam nobis olim Salvator ipſe „ tradidit ad ſalutem, inquiens: *Euntes*, *do-* „ *cete omnes gentes*, *baptizantes eos in nomine* „ *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*: *docentes* „ *eos ſervare omnia quæcumque mandavi vo-* „ *bis*. Quam veluti auro textam ſeriem, ex „ veſte Chriſti, & præcepto Legislatoris ve- „ nientem uſque ad noa, ipſe ſervaſti, vocis „ Beati Petri omnibua conſtitutua Interprea: „ *& infra*. Quibus, tu quidem, ſicut membris „ Caput præeras in his, qui tuum tenebant „ ordinem, benevolentiam præferena. *Et in* „ *fine*. Rogamus igitur, & tuia Decretis „ noſtrum honora judicium; & ſicut noa capiti in bonis adiecimus conſonantiam, ſic „ & ſummitas tua Filiis, quod decet adim- „ pleat. *Hæc ibi*. Ex quibua teſtimoniis deduxit Joannes, manifeſtè probatum eſſe, quòd univerſalis Eccleſia, quomodocumque conſideretur, ſive ſit congregata, vel non, habet rationem membrorum reſpectû Romani Poutificis, & ſemper Romanus Pontifex præponitur, ut caput membris.

910 Porrò, quòd ſit Romauus Pontifex omnium Chriſtianorum Pater, probavit ex eodem Concilio Chalcedonenſi, act.v. in qua actum eſt de concludenda fidei definitione: ortoque diſſidio, Judices dixerunt, ut additio fieret ſecundùm ſententiam Leonis Papæ, & omues Epiſcopi clamaverunt acceptare quæ dixerant Judices: *Et quod juxta omnium noſtrum Patris Leonis ſententiam terminatam*, *hoc tenemus & credimus*, *quod Patris omnium Leonis confeſſio habet*. Verùm in vulgata editione apud Labæum, hujuſmodi verba non habentur, ſed in interlocutione cauſa diſſidii orta pro fidei definitione, hæc habētur: „ Magnificentiſſimi Judices dixerunt: Dioſcorus „ dicebat: *Quod ex duabus naturis eſt*, *ſuſci-* „ *pio*, *duas non ſuſcipio*. Sanctiſſimus autem „ Archiepiſcopus Leo duas naturas dicit eſſe „ in Chriſto unitas inconfusè, inconvertibi- „ liter, & indiviſibiliter in uno Unigenito „ Filio Salvatore noſtro. Quem igitur ſequimini? Sanctiſſimum Leonem, aut Dioſco- „ rum? Reverendiſſimi Epiſcopi clamave- „ runt: ut Leo, ſic credimus: Qui contra- „ dicunt, Eutychianiſtæ ſunt. Magnificen- „ tiſſimi, & Chriſtianiſſimi Judices dixe- „ runt: ergo addite definitioni ſecundùm Ju- „ dicium Sanctiſſimi Patris noſtri Leonis. *Hæc ibi*.

911 Adjecit & Cardinalis Sancti Angeli, Pontificem Romanum eſſe Doctorem totius Eccleſiæ, & fidei, quod omittere videbatur Joannea; & probavit in primia auctoritate Joannis Chryſoſtomi homilia 87. in Evangelium Joannia, ſuper illa verba cap.21. *ſequere me*, ubi ait: *Quibus verbis iterum curam & familiarem in eum affectum oſtendit*, *quòd ſi quis percontaretur*, *quomodo igitur Jacobus Sedem Hieroſolymis acceperit*? *reſponderem hunc totius Orbis Magiſtrum præpoſuiſſe*. Deinde allegavit teſtimonium Agathonis Papæ in Epiſtola data Heraclio, & Tiberio Auguſtis, cujus initium, *Conſideranti mihi*, relecta, & recepta act.4. ſextæ Synodi, ſive Concilii Conſtantinopolitani III. in qua dicitur, quòd præcepto Dei habet Papa imbuere, & inſtruere populum chriſtianum. Verba autem Agathonis ſunt: *Væ mihi*, *ſi ſilentio texero veri-*

tatem, quam erogare nummulariis juſſus ſum, ideſt, chriſtianum populum imbuere, & docere. Provincialis verò aliud protulit teſtimonium, probans, Pontificem eſſe fidei Doctorem, ex Athanaſii Synodica Epiſtola data ad Felicem Papam II, cujus initium eſt: *Veſtro Sanctu*, in qua inter alia habet; *Tu prophanarum hæreſum, & imperitorum, atque omnium infeſtantium depoſitor, ut Princeps & Doctor, Caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei exiſtis.*

912 Sed hanc Epiſtolam ſpuriam faciunt eruditi; nos ergò ex indubitatis Patrum ſcriptis aliqua ad rem adiiciemus. Petrus autem Chryſologus Epiſcopus Ravennatis, qui claruit tempore Leonis Magni Papæ, in Epiſtola data Eutycheti, cujus initium, *Triſtis legi*, & habetur in actis Concilii Chalchedonenſis, in principio, inter alia habet: „ In omnibus „ autem hortamur te, Frater honorabilis, ut „ his, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Civi„ tatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; „ quoniam Beatus Petrus, qui in propria Se„ de, & vivit & præſidet, præſtat quærentibus „ fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis „ & fidei extra conſenſum Romanæ Civitatis „ Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus. *Hæc Chryſologus*, palàm indicans magiſteriū fidei eſſe penès Romanum Pontificem. Theodoretus quoque in Epiſtola 113, data ad Sanctum, & Magnum Leonem Papam, idem magiſterium profitetur, dum ſcribit: „ Si Pau„ lus præco veritatis, tuba Spiritus Sancti „ ad Magnum Petrum ſe contulit, ut iis, „ qui Antiochiæ de Legali converſatione am„ bigebant, explicationem ab illo referret, „ multò magis nos humiles,& puſilli ad Apo„ ſtolicam Sedem veſtram accurrimus, ut „ Eccleſiarum ulceribus remedium à vobis „ accipiamus. Vobis enim primas in omni„ bus tenère convenit, *Et infra*. Præcipuè „ autem illam fides ornat, cujus teſtis ido„ neus eſt divinus Paulus,clamans: *Fides ve„ ſtra annuntiatur in univerſo Mundo*. Quòd „ ſi ſtatim poſt ſuſcepta ſalutaris prædicatio„ nis ſemina mirabiles fructus uberrimè pro„ tulit, prædicandæ, quæ in ea nunc viget „ pietati; quænam par eſſe poſſit oratio? Ha„ bet præterea communium Patrum Magi„ ſtrorūque veritatis Petri,& Pauli, fidelium „ animas illuminantia. *Hæc Theodoretus*. Accedit & Innocentius I. in Epiſt. XIV. data ad Concilium Carthaginenſe, in qua de magiſterio Eccleſiæ Romanæ, & ipſius Romani Pontificis ſcribit; „ Inquirendo de his rebus, „ quas omni cum ſolicitudine decet à Sacer„ dotibus, maximè à vero, juſtoque & ca„ tholico tractari Concilio, antiquæ tradi„ tionis exempla ſervantes, & Eccleſiaſticæ „ memores diſciplinæ, veſtræ Religionis vi„ gorem, non minus nunc in conſulendo, „ quàm antea cùm pronunciaveritis, vera ra„ tione firmatis, qui ad noſtrum referendum „ approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid „ Apoſtolicæ Sedi (cùm omnes hoc loco po„ ſiti, ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum) „ debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus & tota „ auctoritas hujus nominis emerſit. Quem „ ſequentes, tam mala jam damnare novi„ mus, quàm probare laudanda: vel id verò, „ quod Patrum inſtituti Sacerdotali officio „ cuſtodientes, non cenſetis eſſe calcanda; „ quòd illi non humana, ſed divina decreve„ re ſententia; ut quidquid, quamvis de diſ„ junctis,remotiſq; Provinciis ageretur, non „ prius duceretur finiendum, niſi ad hujus „ Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus „ auctoritate (juſtaque fuerit) pronuntiatio „ firmaretur; indeque ſumerēt cæteræ Eccle„ ſiæ (vel ut de naturali ſuo fonte aquæ cun„ ctæ procederent, & per diverſas totius „ Mundi regiones puri capitis incorruptæ „ manerent) quid præcipere, quos abſolve„ re, quos veluti in Cœno inemundabili ſor„ didatos, mundia digna corporibus unda „ vitaret. *Hæc Innocentius*. Sed & Zoſimus Papa Epiſtola x. data ad Concilium Carthaginenſe, prædictum Eccleſiæ Romanæ magiſterium, ac ipſius Romani Pontificis declarat his videlicet verbis: „ Quamvis Patrum tra„ ditio Apoſtolicæ Sedi auctoritatem tan„ tam attribuerit, ut de ejus judicio diſce„ ptare nullus audeter, idque per Canones „ ſemper, regulaſque ſervaverit, & currens „ adhùc ſuis legibus Eccleſiaſtica Diſciplina „ Petri nomine, à quo ipſa quoque deſcen„ dit, reverentiam, quam debet, exolvat; „ tantam enim huic Apoſtolo canonica anti„ quitas per ſententias omnium voluit eſſe „ potentiam, ex ipſa quoque Chriſti Dei no„ ſtri promiſſione, ut, & ligata ſolveret, & „ ſoluta vinceret; par poteſtatis data condi„ tio in eos, qui Sedis hæreditatem, ipſo „ annuente, meruiſſent. Habet enim ipſe „ cùm omnium Eccleſiarum, tùm hujus ma„ ximè, ubi ſederat, curam, nec patitur „ aliquid privilegii aliqua titubare aura ſen„ tentiæ, cui ipſa ſui nominis firma, & nul„ lis bebetata motibus conſtituit fundamen„ ta, & quæ ſine periculo temerè nullus in„ ceſſet. Cùm igitur tantæ auctoritatis Pe„ trus Caput ſit, & ſequentia omnium ma„ jora ſtudia firmaverit, ut tā humanis, quàm „ divinis legibus & diſciplinis omnibus fir„ metur Romana Eccleſia, cujus locum nos „ regere, & poteſtatis nomine obtinere non „ latet vos. *Hactenus Zoſimus Papa*. Hoc idem magiſterium agnoverunt Patres Synodi Sardicenſis, qui in Epiſtola Synodica data ad Julium Papam, inquiunt: *Hoc enim optimum & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, ideſt, ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſcumque Provinciis Domini referant Sacerdotes*, Cyrillus item in Epiſtola ad Cœleſtinum Papam, quæ incipit: *Si in rebus*, ait: „ Si in rebus uſque adeo neceſſariis, ubi

re-

,, recta fides malè à quibusdam depravata, di-
,, ſtortaque periclitaenr, citra notam ſilere,
,, & cuncta, quæ hactenus mota, agitataque
,, ſunt, citra moroſitatis vitlum, pietatem
,, tuam celcrare liceret, dixiſſem utique mihi:
,, *Bona, ac periculi expert rer eſt ſilentium*: &
,, illud rurſum: *Præſtat quietam vitam agere,*
,, *quam tubis operam dare*. Quoniam verò
,, Dena hiſce in rebua vigilantiam à nobia
,, exigit, & Eccleſiarum conſuetudo ſuadet,
,, ut ejuſmodi res Sanctitati tuæ communi-
,, centur; ſcribo planè neceſſitate adductus
,, illud ſignificans. *Hæc Cyrillur*. Agnoſcens
Magiſterium Romani Pontificis Sixtus Pa-
pa III. in Epiſtola data ad Joannem Antio-
chenum: *Si Eccleſiaſtici corporis*, idem pari-
ter innuit, inquiens: *Beatus Petrus Apoſtolus*
in ſucceſſoribus ſuis, qaod accepit, hoc tradi-
dit. Quir ab ejur ſe velit ſeparari doctrina,
qaem ipſe inter Apoſtolos primùm Magiſter
docuit? Et paulò poſtea. Non parùm nobir
onerir, non laboris incumbit, ut Eccleſia Do-
mini macula deſit, & ruga. Leo inſuper Ma-
gnus Epiſtola 4. data ad univerſos Epiſcopos
Siciliæ hoc Magiſterium in illius exordio
manifeſtat, cùm dicat: *Divinir præceptis, &*
Apoſtolicis monitis incitamur, ut pro omnium
Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu:
ac, ſi quid uſquam reprebenſioni inveniatur
abnoxium, celeri ſolicitudine, aut ab ignoran-
tiæ imperitia, aut à præſumptionis uſurpatione
revocemus. Sed nè ulteriua procedam alle-
gando Patrum teſtimonia in cauſa, ubi teſti-
monium ferunt univerſæ literæ, quæ ex totiua
orbis partibus, ſive ab Epiſcopis, ſive à Cle-
ris, ſive à Synodis, ſive etiam à ſæcularibus
Principibus miſſæ leguntur ad Apoſtolicam
Sedem, Romanoſque Pontifices, tam pro ex-
quirenda dubiorum deciſione, quàm pro
cauſis terminandis: Reſponſiones quoque
eorundem Romanorum Pontificum ad alio-
rum conſulta eamdem veritatem teſtantur;
quibus ergò omiſſis, addo dumtaxat Magni
Gregorii teſtimonium ex lib. 4. Regeſti, In-
dict. 13. Epiſt. 52. data univerſis Epiſcopis
Galliarum, de Vigilio vices Sedis Apoſtolicæ
gerente, ubi inter alia, quæ recenſet à ſe, ei-
dem Vigilio commiſſa, ait: ,, Cui etiam
,, injunximus, ut ſi quarundam cauſarum tale
,, ſuerit certamen exortum, in quo aliorum
,, præſentia opus ſit congregatis ſibi in nume-
,, ro competenti fratribus, & Coepiſcopis no-
,, ſtris, ſalubriter hoc, ſervata æquitate, di-
,, ſcutiat, & canonica integritate definiat.
,, Si quam verò contentionem, quod longè
,, ſaciat Divina potentia, de fidei cauſa eve-
,, nire contigerit, aut negotium emerſerit,
,, cui vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro
,, ſui magnitudine judicio Sedis Apoſtolicæ
,, indigeat: examinata diligentiùs veritate,
,, relatione ſua, ad noſtram ſtudeat perduce-
,, re notionem: quatenus à nobis valeat con-
,, grua ſine dubio ſententia terminari. *Hac*
Magnus Gregorius, ut oſtendat pro fidei du-
biis apud Apoſtolicam Sedem dumtaxat ad-
eſſe Magiſterium.

913 Suggerente inde Cardinali Juliano, Pontificem in omnem orbem tenère prima-
tum, Joannes Provincialis hanc etiam partem
aggreſſua eſt probare, allegans primo loco
teſtimonium Anacleti Papæ in Epiſt. 3. §. 3.
ſcribentis: ,, Hæc verò Sacroſancta Roma-
,, na, & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apo-
,, ſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore no-
,, ſtro primatum obtinuit, & eminentiam po-
,, teſtatis ſuper univerſas Eccleſias, ac to-
,, tum Chriſtiani Populi gregem aſſecuta eſt,
,, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixit:
,, *Tu es Petrur, & ſuper banc Petram ædi-*
,, *ficabo Eccleſiam meam*, cum his, quæ ſe-
,, quuntur. *Hæc Anacletus*. Adjecit & te-
ſtimonium Julii Papæ I. in Epiſtola I. data
ad Epiſcopos Orientales, §. 2. ubi ait: ,, Por-
,, rò dudùm à Sanctis Apoſtolis, ſucceſſo-
,, ribuſque eorum, in præſatis antiquis de-
,, cretū ſuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta
,, & univerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia,
,, non oportere præter Sententiam Romani
,, Pontificis Concilia celebrari, nec Epiſco-
,, pum damnari, quoniam Sanctam Roma-
,, nam Eccleſiam, Primatem omnium Eccle-
,, ſiarum eſſe voluerunt. *Hæc Julius*. Nec
alia teſtimonia allegavit Provincialis ad pro-
bandum primatum Eccleſiæ Romanæ: pro-
ceſſit ſtatim ad aliam Cædulæ partem exa-
minandam, in qua dicitur: *Atque eidem ſedi,*
& Romano Pontifici in Beato Principe Apo-
ſtolorum, paſcendi, regendi, & gubernandi uni-
verſalem Eccleſiam, plenariam traditam eſſe
poteſtatem. Et inde probavit poteſtatem pa-
ſcendi ex verbis Chriſti, Joannis cap. 21. di-
ctis Petro: *Paſce over meas*; ex quibus Petrus
conſtitutus fuit abſolutè omnium ovium
Paſtor. Addidit & duo Teſtimonia, Hadriani
ſcilicet, in Epiſtola ad Tharaſium, & Aga-
thonis in Epiſtola miſſa ad ſextam Synodum
cum fidei Tomo, data Tiberio, & Heraclio
Auguſtis, cujus initium: *Conſideranti*. Ha-
drianus namque ait: *Unde & idem Beatus Pe-*
trus voce Domini paſcens Eccleſiam, nil diſſolu-
tum reliquit, ſed tenuit ſemper, & retinet princi-
patum. Ubi cùm dicat, *nil diſſolutum reliquit*,
ſequitur, quòd ſub ejus cura omnes inclu-
dere voluit. Agahto verò in præſata Epiſtola
ait: ,, Adnitente præſidio Beati Petri Apo-
,, ſtoli, qui ſpirituales oves Eccleſiæ ab ipſo
,, Redemptore omnium æterna diſpoſitione
,, paſcendas ſuſcepit, hæc Apoſtolica ejus
,, Eccleſia nunquam ad aliquam erroris par-
,, tem deviavit: Cujus auctoritatis Sanctio-
,, nem, utpote Apoſtolorum omnium Prin-
,, cipis, ſemper Catholica Chriſti Eccleſia
,, & omnes univerſales Synodi amplexę ſunt,
,, omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam
,, ejus doctrinam amplexi. *Et infra*. Hæc
,, eſt ſpiritualis Mater veſtri Imperii Apoſto-

„ lica Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis
„ gratiam à tramite Apoſtolicæ veritatis
„ nunquam errabunda ſuccubuit, ſed ut à
„ principio Chriſtianæ fidei percepit ab
„ Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata
„ finetenùs manet, ſecundùm ipſiua Salva-
„ toris pollicitationem, quam ſuorum Apo-
„ ſtolorum Principi in Sacris Evangeliis faſ-
„ ſus eſt, dicens: *Petre, Petre, Ecce Satanas*
„ *expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum:*
„ *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat*
„ *fides tua; & tu converſus confirma frateres*
„ *tuos.* Conſideret tua clementia, quòd ipſe
„ Dominus, cujus fides eſt, qui fidem Petri
„ non defecturam promiſit, confirmare eum
„ fratres ſuos admonuit; quod Apoſtolicos
„ Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores
„ confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt co-
„ gnitum. *Hactenus Agatho.* Et in hac au-
ctoritate, inquit Joannes, tria manifeſtè aſſe-
runtur. Primò, quòd paſcere omnes oves ſit
commiſſum Petrò, & ſucceſſoribus ſuis. Se-
cundò, quòd Sedes Apoſtolica nunquam in
aliqua erroris parte depreſſa eſt, ſed ſemper
manſit immaculata in fide. Tertiò, quòd
tanta eſt ejus auctoritas, quòd univerſalis
Eccleſia & univerſæ Synodi ſemper fideliter
ſecutæ ſunt, & Patres Catholici ſemper ſu-
ſceperunt ejus Apoſtolicam doctrinam; &
quòd illa verba, *ut non deficiat fides tua*, in-
telliguntur de Sede Apoſtolica, & quòd ſit
immunis ab hæreſi, atque confirmationem
omnium fratrum titubantium in fide ad ipſam
Sedem, & Romanum Pontificem pertinere.

914 Deinde incæpit examinare etiam
particulam, *convocandi*, quæ particula, licèt
in terminis non fuerit in ſchedula apposita,
ex illa alia tamen, *paſcendi*, deduxit Joan-
nes Provincialis, & probavit juris eſſe Ro-
mani Pontificis convocare Eccleſias, ſeu Con-
cilium, uſus primo teſtimonio literarum
Encyclicarum Concilii Chalcedonenſis ad
ipſum Leonem Papam, in quibus loquendo
de Dioſcoro, qui Synodum congregaverat,
& ipſum Leonem Papam excommunicaverat,
dicitur; *Super hæc omnia, & furorem ſuum*
contra eum, qui cuſtodiam vineæ ſuſcepit, dici-
mus de Sanctitate veſtra, excomunicotionem
excogitavit, qui corpus Eccleſiæ adunare feſti-
navit. Si ergò, inquit Joannes, Leo, qui erat
ſucceſſor Petri, habebat adunare corpus Ec-
cleſiæ, ergò convenienter penitùs covocan-
di. Sequitur, inquit, verbum, *regendi*. Et
pro hoc probando uſus eſt teſtimonio Ana-
cleti in Epiſt. 3. ubi ait; „ Apoſtolica Sedes
„ Caput Eccleſiæ, ut præſatum eſt, à Domi-
„ no & non ab alio inſtituta, & ſicut cardine
„ oſtium regitur, ſic hujua Sanctæ Sedis
„ Apoſtolicæ auctoritate omnes Eccleſiæ,
„ Domino diſponente, reguntur. *Hæc Ana-*
cletus; adjecit & teſtimonium Magni & San-
cti Leonis Papæ, Serm. 3. in anniverſario
ſuæ aſſumptionis, ubi ait; „ De toto mun-
„ do unus Petrus eligitur, qui & univerſa-
„ rum gentium vocationi, & omnibus Apo-
„ ſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præ-
„ ponatur, ut quamvis in Chriſti Eccleſia
„ multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores,
„ omnes tamen Petrus regat, quos principa-
„ liter regit Chriſtus. Magnum & mirabile,
„ dilectiſſimi, huic viro conſortium potentię
„ ſuæ tribuit Divina dignatio, & ſi quid
„ cum eo commune cæteris voluit eſſe Prin-
„ cipibus, nunquam niſi per ipſum dedit,
„ quidquid aliis non negavit. *Hæc Leo.* Cir-
ca particulam, *gubernadi*, pro ea probanda,
uſus eſt altero teſtimonio ejuſdem Sancti
Leonis Serm. 2. de ſua aſſumptione, ubi ait:
Soliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum
Principe eſt laudata, perpetua eſt: & ſicut
permanet, quod in Chriſto Petrus credidit, ita
manet, quod in Petro Chriſtus inſtituit. Et
infra. *Manet ergo diſpoſitio veritatis, &*
Beatus Petrus in accepta fortitudine perſeve-
rans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reli-
quit. Denique probavit particulam, *plenam*
poteſtatem, quam ei traditam oſtendit ex ver-
bis Chriſti: *Tibi dabo claves &, quodcumque*
ligaveris. Et per illa alia; *Paſce oves meas*,
roboravitque ex verbis ejuſdm S. Leonis in
eodem ſerm. 2. dicentis: *Sic enim præ ceteris*
Petrus ordinatus eſt, ut dum petra dicitur,
dum fundamentum pronuntiatur, dum Regni
Cælorum janitor conſtituitur, dum ligando-
rum, ſolvendorumque arbiter, manſura etiam
in Cælis judiciorum ſuorum defunctione pre-
ficitur &c. Si quid ergo à nobis rectè agitur, re-
ctèque diſcernitur, illius eſt operum atque
meritorum, cujus in ſede ſua vivit poteſtas &
excellit auctoritas.

915 Die porrò 20. menſis Junii habito
conventu, propter quaſdam objectiones fa-
ctas dictis antefati Joannis, ad pleniorem
informationem Imperatoris Græcorum, Joan-
nes eis ſatisfacere curavit; & quoniam obje-
ctum fuerat, quòd allegata teſtimonia ex
Epiſtolis Hadriani, Chalcedonenſis Synodi
ad Leonem Papam, & Agathonia Papa, au-
ctoritatem haud faciebant, quoniam honoria
tantùm cauſa talia allegata ſcripta fuerant.
Reſpondit præſatas Epiſtolas, quoniam ſunt
Synodicæ, non minorem habere auctoritatem,
quàm ipſi Canones, immò & maiorem, quo-
niam eis uſi fuerant Patres ad diffinitionem
promulgandam. Et in tertia Synodo pro
ſoliditate definitionis nedùm Cyrilli Epiſtola
de duodecim Capitulis, verùm & Julii Epi-
ſtola data Orientalibus allegata fuit. Epiſto-
lam inde Agathonis, inquit, fuit magnæ
auctoritatis in ſexta Synodo, & fuit neceſſe,
ut ipſe declararet auctoritate Sedis Apoſto-
licæ, ut daret auctoritetem confirmationis
fidei, quam fecerant; immò tantæ fuit au-
ctoritatis, quòd ſexta Synodus non fuit auſa
addere ad diffinitionem factam in Synodo
Romana. Et hoc probavit ex Epiſtola ejuſ-
dem

Digitized by Google

dem, recitata Act.4. ſextæ Synodi, ubi dans
poteſtatem ſuis Apocriſiariis, dicit: „ Licen-
„ tiam dedimus & auctoritatem apud tran-
„ quilliſſimum veſtrum Imperium, dùm juſ-
„ ſerit tua clementia, ſimpliciter ſatisfacien-
„ di, in quantùm dumtaxat injunctum eſt,
„ ut nil præſumant augere, mutare, vel mi-
„ nuere, ſed traditionem Apoſtolicæ Sedis,
„ ut à prædeceſſoribus Pontificibus inſtituta
„ eſt, ſimpliciter enarrare. *Hæc Agatho*.
Etiam Martinus Papa in ſua Synodo ante
ſextam œcumenicam damnaverat Monotheli-
tas, ſua uſus Apoſtolica auctoritate. Et ipſa
ſexta Synodus Act.XVIII. in Sermone accla-
matorio, ſic commendat Apoſtolicæ Sedis
auctoritatem, ut dicat; „ Summus concer-
„ tabat nobiſcum Apoſtolorum Princeps; ip-
„ ſius enim imitatorem, & Sedis ſucceſſorem
„ habuimus fautorem, & Divini Sacramenti
„ myſterium per literas illuſtrantem. Con-
„ feſſionem tibi à Deo ſcriptam illa antiqua
„ Romana Civitas obtulit, & dogmatum
„ diem à Veſpertinis partibus extulit; char-
„ ta, & atramentum videbatur, & per Aga-
„ thonem Petrus loquebatur. *Hæc in præfa-
to Sermone*. Ad probandum denique quantæ
ſint auctoritatis Decretales Summorum Pon-
tificum Epiſtolæ, uſus eſt teſtimonio S. Augu-
ſtini, lib.2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 8.
ubi agens de Scripturis Canonicis, docet eas
eſſe tenendas, quas Eccleſia recepit: *In ca-
nonicis autem Scripturis*, inquit, *Eccleſiarum
Catholicarum quamplurimum auctoritatem ſe-
quatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtoli-
cas Sedes habere, & Epiſtolas accipere meruerũt*.

916 Deinde demonſtravit, quòd Roma-
nus Pontifex dicatur Caput propter auctori-
tatem, & poteſtatem, quam habet ſuper om-
nes Chriſtifideles, non tantùm alicujus ex-
terni honoris, vel reverentiæ cauſa: primò,
ratione, quia qui alteri perficitur, auctorita-
tem accipit ſuper eum, cui præficitur: Petrus
verò fuit præpoſitus ſuper omnes Apoſtolos,
& Chriſtifideles; per illa verba: *Paſce oves
meas*, & demonſtravit Chryſoſtomi auctori-
tate, homil.84. in Joannem, ubi relatis Do-
mini verbis: *Simon Joannis diligis me plùs his?*
Et, *paſce oves meas*, ait: „ Qui tandem aliis
„ omiſſis, de his dumtaxat Petrum affatur?
„ Os erat Apoſtolorum, & Princeps, & Ver-
„ tex ipſius cœtus; propterea & Paulus eum
„ præter alios viſurus aſcendit, ſimùl, ut ei
„ oſtenderet jam ſibi fiduciam habendam,
„ tanquam enim negationis oblivıſceretur,
„ fratrum curam ei committit. *Hæc Chry-
ſoſtomus*. Poſtea & adduxit teſtimonium Pa-
trum Concilii Chalcedonenſis in allocutione
ad Imperatorem, ubi dicunt: *Nobis enim im-
penetrabilẽ omnis erroris propugnatorem Deus
providit Romanæ Eccleſiæ Præſulem, & ad
victoriam præparavit doctrinis veritatis, ei per
omnia aſſiſtens*. Et ipſe Sanctus Leo, Serm.1.
de Aſcenſione Domini, ait: „ Non ergo ii
„ dies, dilectiſſimi, qui inter Reſurrectio-
„ nem Domini, Aſcenſionemque fluxerunt,
„ otioſo tranſière decurſu, ſed magna in
„ eis confirmata Sacramenta, magna ſunt
„ revelata myſteria; in iis metu diræ mortis
„ aufertur; & non ſolùm Animæ, ſed etiam
„ carnis immortalitas declaratur. In iis per
„ inſufflationem Domini infunditur Apoſto-
„ lis omnibus Spiritus Sanctus; & Beato
„ Petro Apoſtolo, ſupra cæteros poſt Regni
„ claves, ovilis Domini cura mandatur. *Hæc
ille*. Ecce quomodo, *ſubintulit Joannes*, Pe-
trus factus eſt Prælatus omnium Apoſtolo-
rum, & ſuper omnes in illis verbis: *Paſce
oves meas*; &, *tibi dabo claves*. Addidit inde
teſtimonium Juſtiniani laudati ab Agathone
in præcitata Epiſtola; is enim in Epiſtola da-
ta ad Joannem Papam, ut habetur in codice
de Summa Trinitate, lib.1. tit.1. *Reddentes*,
ait: „ Reddentes honorem Apoſtolicæ Sedi,
„ & veſtræ Sanctitati (quod ſemper nobis in
„ voto fuit, & eſt) ut decet Patrem hono-
„ rantes veſtram Beatitudinem, omnia, quæ
„ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtina-
„ vimus ad notitiam deferre veſtræ Sanctita-
„ tis; quoniam ſemper nobis fuit magnum
„ ſtudium unitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis,
„ & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarum cu-
„ ſtodire, qui hactenùs obtinet, & incom-
„ motè permanet, nulla intercedente con-
„ trarietate. Ideoq; omnes Sacerdotes uni-
„ verſi Orientalis tractus, & ſubiicere, &
„ unire Sedi veſtrę Sanctitatis properavimus.
„ *Et paulò poſt*. Non enim patimur quidquam,
„ quod ad Eccleſiarum ſtatũ pertinet, quam-
„ vis manifeſtum, & indubitatum ſit, quòd
„ movetur, ut non etiam veſtræ innoteſcat
„ Sanctitati, quæ Caput eſt omnium ſancta-
rum Eccleſiarum. *Hæc Juſtinianus*. Cui
Joannes Papa reſpondens, ut habetur in eo-
dem codice, libro, & titulo, cod. *Inter cla-
ras*, ita reſcripſit: „ Inter claras ſapientiæ,
„ & manſuetudinis veſtræ laudes, Chriſtia-
„ niſſimæ Principum, puriore luce, tanquam
„ aliquod ſydus irradiat, quòd amore fidei,
„ quod charitatis ſtudio edocti, Eccleſiaſti-
„ cis diſciplinis, Romanæ Sedis reverentiam
„ conſervatis, & ei cuncta ſubiicitis, & ad
„ ejus deducitis unitatem, ad cujus aucto-
„ rem, hoc eſt, Apoſtolorum primùm Domi-
„ no loquente, præceptum eſt, *Paſce oves
„ meas*; quam eſſe omnium verè Eccleſiarum
„ Caput, & Patrum Regulæ, & Principum
„ Statuta declarant, & pietatis veſtræ reve-
„ rendiſſimi teſtantur affatus. *Hæc, & alia
ibi Joannes Papa*. Itaque diffinitum eſt, *ait
Joannes Provincialis*, quòd ſit Caput: Qua-
lis autem ſit hæc poteſtas, Paulus dicit: *Obe-
dite præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis: ipſi
enim pervigilant tanquam rationem reddituri
pro animabus veſtris*. Undè hæc poteſtas, quæ
eſt in Petro, vocatur poteſtas ſpiritualis ju-
riſdictionalis, quæ eſt ordinata ad ſalutem
ani-

Digitized by Google

animarum omnium Chriſtianorum. Et circa hanc poteſtatem, & Clerici, & Laici ſunt ſubjecti; Laici in his, quæ concernunt ſalutem animæ, puta, ſi peccaverint, ad Paſtorem ſpiritualem ſpectat eos corrigere, & retrahere. Et ſic ſi facerent contra fidem, & ſicut aliqui Imperatores fecerunt, qui perſecuti ſunt Metropolitas, & oportuit habere recurſum ad Apoſtolicam Sedem, & in ſimilibus caſibus; cùm finis Apoſtolicæ Sedis ſit pax Eccleſiaſtici ſtatus, ut per hanc pacem perveniatur ad ſupernam gloriam. Propter hoc dicit Chriſtus: *Tibi dabo claves*, & eum Paſtorem fecit, ut ducat oves ad paſcua æternæ vitæ.

917 Adjecit & exempla Athanaſii perſecuti ab Arianis, ac recurſum habentis ad Felicem, & Julium Papam; Chryſoſtomi, qui in ſuis perſecutionibus refugiũ invenit apud Apoſtolicam Sedem; Flaviani quoque, qui in ſecunda Epheſina Synodo appellavit ad eandem Apoſtolicam Sedem. Dixit porrò, hanc poteſtatem nullum præjudicium inferre poteſtati Imperatoris, quia illa eſt civilis, & in temporalibus, hæc vera Eccleſiaſtica & ſpiritualis, nec una alteri eſt contraria, ſed una potiùs alteram juvat, citatque Leonem Magnum dicentem: *Tutæ res eſſe non poſſunt, niſi ea, quæ ad divinam cognitionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Quas poteſtates unam Soli, alteram Lunæ eſſe aſſimilatas concludit.

918 Denique egit de jure convocandi Concilia generalia, quod ſpectare ad Romanum Pontificem probavit teſtimonio Julii Papæ in Epiſtola prima ad Orientales, ubi ait: *Ipſi primæ Sedi Eccleſiæ convocandarum generalium Synodorum jura, & judicia Epiſcoporum ſingulari privilegio Apoſtolicis, & Canonicis conceſſa ſunt inſtitutis.* Et ſubdit: *Ipſa prælata eſt omnibus Eccleſiis, quæ non ſolùm Canonum, & Sanctorum Patrum decretis, ſed Domini noſtri Salvatoris voce ſingularem obtinuit Principatum: Tu es*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Undè ſi Sedes Apoſtolica, & Romanus Pontifex eſt Paſtor, & debet paſcere univerſalem Eccleſiam, oportet, quòd habeat poteſtatem convocandi, ſi expediat: Sicut Paſtor materialis, ſi vult oves ducere, convocat illas in unum, eaſque dirigit: Ac ita non competeret Romano Pontifici rationem Paſtoris univerſalis, ſi occurrente neceſſitate, non poſſet de omnibus Mundi partibus oves, quas velit, convocare.

919 Ad objecta in contrarium de Imperatoribus Concilia generalia convocantibus, & de aliis Patriarchis reſpondit; & quidem ad primum, Imperatores cùm haberent Monarchiam Mundi cõgregare, & congreſſa Concilia, ſed conſentiente, & mandante Papa, non verò jure Imperii. Et hoc probavit auctoritate Leonis Papæ, qui ſecunda Epheſina Synodo improbata, ſcripſit plures Epiſtolas Theodoſio, ut Concilium generale convocaret: quo mortuo, Valentinianus, & Marcianus ejus ſucceſſores ſcripſerunt eidem Pontifici, ut ſcirent, ſi erat de ſua voluntate, ut Synodus congregaretur, citatque verba horum Imperatorum in Epiſtola data ad Leonem Papam, quæ habetur in Actis Concilii Chalcedonen. apud Labæum, par.1. cap. 33. quam nos in integrum ſubiicimus. Sic enim ſe habet.

Victores, Valentinianus, & Marcianus glorioſi triumphatores, ſemper Auguſti, Leoni Reverendiſſimo Archiepiſcopo glorioſæ Civitatis Romæ.

920 „ Ad hoc maximum Imperium ve-
„ nimus, Dei providentia, & electione Se-
„ natus Excellentiſſimi, cunctæque militiæ
„ venire nos contigit: Unde pro reverenda
„ & catholica Religione Fidei Chriſtiano-
„ rum, cujus auxiliis virtutem noſtræ poten-
„ tiæ confidimus gubernari, tuam Sanctita-
„ tem Principatum in Epiſcopatu divinæ Fi-
„ dei poſſidentem, ſacris literis in principio
„ juſtum credimus alloquendam, invitantes,
„ atque rogantes, ut pro firmitate, & ſtatu
„ noſtri Imperii æternam Divinitatem tua
„ Sanctitas deprecetur, ut & tale propoſi-
„ tum, atque deſiderium habeamus, quate-
„ nùs omni impio errore ſublato per cele-
„ brandam Synodum, te auctore, maxima
„ pax circa omnes Epiſcopos Fidei Catholi-
„ cæ fiat, ab omni ſcelere pura & intemerata
„ conſiſtens. Actum Conſtantinopoli, Con-
„ ſulatu VII. Domini Valentiani perpetui
„ Auguſti, & Avien. *Hactenus literæ.*

921 Allegavit ſtatim Joannes teſtimoniũ Leonis Papæ in Epiſtola data ad Epiſcopos, qui fuerant congregati in Synodo Chalcedonenſi, cujus initium: *Omnem quidem fraternitatem veſtram*, relata à Labæo 3.part. Concilii Chalcedonenſis, cap.16. ubi ait: „ Scri-
„ pta direxi, quæ glorioſiſſimus & clemen-
„ tiſſimus Princeps, ſicut popoſci, in noti-
„ tiam veſtram mittere pro Catholicæ Fidei
„ amore dignabitur, ut & fraterna univerſi-
„ tas, & omnium fidelium corda cognoſcant,
„ me non ſolùm per fratres, qui vicem meam
„ exequuti ſunt, ſed etiam per approbatio-
„ nem geſtorum Synodalium propriam vo-
„ biſcum iniiſſe ſententiam, in ſola videlicet
„ fidei cauſa (quod ſæpè dicendum eſt) pro-
„ pterquàm generale Concilium, & ex præ-
„ cepto Chriſtianorum Principum, & ex
„ conſenſu Apoſtolicæ Sedis placuit congre-
„ gari. *Hæc Leo*, ſubjungit Joannes. Itaque prima cauſa agens, provenit à Sede Apoſtolica, ſed pro executione requiritur brachium ſæculare. Et ſic ille Imperator præcipit, petente Leone, & principalis cauſa convocatio-

Digitized by Google

tionis in materia Eccleſiaſtica attribuitur auctoritati Sedis Apoſtolicæ. Et eodem modo nunc facit Sedes Apoſtolica, & ſervat, quia facta convocatione, ſcribit Regibus, & Principibus, ut illi mandent, ſeu hortentur, ut veniant Epiſcopi; & ipſi ſunt executores mandatorum Sedis Apoſt. & ſic dicuntur executores poteſtatis Eccleſiaſt. & ſuper hoc habet multùm ſuperintendere Sedes Apoſtolica, nè temporalis poteſtas quomodolibet ſe immiſceat in ſpiritualibus. Ita Joannes. Et certè, ſi tyrannicè, & de facto facta ſit aliqua convocatio Concilii ſine auctoritate Apoſtolicæ Sedis, ſemper ut conciliabolum fuit reputatum, donec aſſenſus, & confirmatio ejuſdem Apoſtolicæ Sedis acceſſerit.

922 De Patriarchis verò ait Joannes, nunquam ſe legiſſe regimen Eccleſiæ penès tres, vel quinque Patriarchas, quoniam hæc poteſtas non eſſet bene ordinata: Chriſtus verò bene Eccleſiam ordinavit, & ideò unum Petrum tantùm cunctis præfecit Apoſtolis, & univerſæ Eccleſiæ. Hinc Anacletus Epiſt. 3. ſcribit: „ Inter Beatiſſimos Apoſtolos quædam fuit poteſtatis diſcretio, licèt omnes „ eſſent Apoſtoli, Petro tamen fuit à Domino „ conceſſum, ut omnibus præeſſet Apoſtolis, „ & Cephas, ideſt Caput, & principium teneret Apoſtolatus; qui & eandem formam „ ſuis ſucceſſoribus, & reliqui Apoſtoli Epiſcopis, tenendam tradiderunt. *Hæc ille*. Subjungit Joannes: Et ſic dicit, quòd ratione poteſtatis conceſſæ Petro, Eccleſia Romana eſt cardo, & Caput omnium Eccleſiarum. Addit, quòd idem Anacletus in eadem Epiſtola dicit, Eccleſiam Alexandrinam ſecundam eſſe in ordine, inde Antiochenam, quas filias Eccleſiæ Romanæ dicit, quarum tutor, & Caput eſt Petrus. Deinde ſubjungit, Eccleſiam Hieroſolymitanam evectam in Patriarchalem; ad extremum Conſtantinopolitanam, non Conciliorum decreto, quoniam acta in Chalcedonenſi Synodo, vel in prima Conſtantinopolitana Romani Pontifices in hac parte reprobarunt; ſed ſolius decreti Juſtiniani Imperatoris, ut habetur in Novel. 131. tacentibus ob bonum Pacis Romanis Pontificibus, approbati. Denique in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Papa III. ut in Decreto ejuſdem §. 5. licèt Juſtinianus ſecundam fecit poſt Romanam, agnoſcens Romanæ Eccleſiæ convenire Principatum ſuper univerſas Orbis Eccleſias, eſſeque originem & fontem cunctarum Legum, ſicut dicit Collat. 2. tit. 4. in præfat. Novellæ 9. *Ut Legum originem anterior Roma ſortita eſt, ita Summi Pontificatus apicem apud eam eſſe, nemo eſt, qui dubitet. Unde & nos neceſſarium duximus patriam Legum fontem Sacerdotii ſpeciali noſtri Numinis lege illuſtrare; ut ex hac univerſas Eccleſias catholicas, quæ uſque ad Oceanum fretum poſitæ ſunt, ſaluberrima Legis vigor extendatur*.

923 Interrogante Nicæno, an poteſtas quæ datur Capiti, ſit talis, ut ea, quæ datur uni Metropolitano in ſua Metropoli, & uni Patriarchæ in ſuo Patriarchatu, reſpondit Joannes non eſſe eandem, ſed diverſam, quoniam poteſtas Metropolitæ limitata eſt in ſua Diœceſi, ſicut & Patriarchæ in ſuo Patriarchatu; poteſtas verò Papæ limites non agnoſcit, & ſe extendit ſuper univerſas Orbis Eccleſias; nam licèt omnes Eccleſiæ ſuos habent Paſtores ordinarios, hi tamen ſubiiciuntur Papæ ut ſupremo Capiti, ad quem devolvuntur appellationes, & reſervata ſunt judicia majorum cauſarum: Unde Eccleſiarum Paſtores non in plenitudinē, ſed in partem ſolicitudinis dicuntur vocati, ſolus Papa in plenitudinem, ut ſcribit Leo Papa in Epiſtola data Epiſcopo Theſſalonicenſi, inquiens: *Vices noſtras ita credimus tibi, ut in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Et Anacletus Papa Epiſt. 1. docet, Petrum diſpoſuiſſe & ordinaſſe Sedes Patriarchales, ubi erant primi Flamines, Metropolitanos, ubi Archiflamines minores, & in ſingulis Civitatibus Epiſcopos: cùm ergò à Petro facta ſit hujuſmodi ordinatio, clarum ſit, ipſum fuiſſe Supremum Paſtorem, cæteros verò cujusvis dignitatis ei ſubjectos: in quā denique poteſtate ſucceſſerunt, & ſuccedunt, & ſuccedent Romani Pontifices. Hæc, & pauca alia prolocutus eſt Joannes Provincialis in materia de Primatu Apoſtolicæ Sedis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Romanique Pontificis. Vellem ad hæc plura addere, ſed quoniam vita Duce, & Deo favente, peculiarem tractatum hac de materia conficere inſtituimus, pauca dumtaxat in præſentiarum addam.

CAPUT XVI.

De inita Græcorum Unione.

924 SIc ergo diſcuſſis & examinatis cōtroverſiis, quæ hactenus Græcos inter & Latinos verſabantur, ſatisfacti Græci de allegata Patrum doctrina à Latinis, pro expediendo unionis negotio, die XXVI. Junii ſelecti fuerunt ex utraque parte ſex viri Docti, qui cuncta firmanda, ſancienda, ac definienda examinarent, & ſi quæ difficultates inſurgerent, referrent: lectæ porrò ſunt à Cardinali Sanctæ Sabinæ cedulæ ſupra recenſitæ, inter quas & illa prima à nobis omiſſa, quæ continebat materiam proceſſionis Spiritus Sancti à Patre & Filio, ad hunc modum ſe habens.

925 „ Quoniam in hoc ſacro œcumenico Concilio, Omnipotentis Dei gratia, „ nos Latini, Græcique convenimus pro ſancta unione inter nos aſſumenda, & ſtudiosè „ invicem curavimus, ut articulus ille de „ proceſſione Spiritus Sancti magna cum di-

li-

„ ligentia, & aſſidua diſquiſitione diſcutere-
„ tur; prolatis verò teſtimoniis de divinis
„ ſcripturis, plurimiſque auctoritatibus San-
„ ctorum Doctorum Orientalium & Occi-
„ dentalium, aliquibus quidem ex Patre, &
„ Filio, quibuſdam verò ex Patre per Filium
„ procedere dicentibus Spiritum Sanctum,
„ & eamdem intelligentiam aſpicientibus
„ omnibus ſub vocabulis variis; nos Græci
„ affirmavimus hoc, quod dicimus, Spiritum
„ Sanctum ex Patre procedere, non hac men-
„ te dicere, ut excludamus Filium; ſed quo-
„ niam opinati ſumus Latinos dicere Spiri-
„ tum Sanctum ex Patre, & Filio, tanquam à
„ duobus principiis & duabus ſpirationibus,
„ abſtinuimus à dicendo, quòd Spiritus San-
„ ctus procedat ex Patre, & Filio. Nos au-
„ tem Latini aſſerimus, quòd id, quod dici-
„ mus, Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque
„ procedere, non hac mente dicimus, ut ex-
„ cludamus Patrem, ut non ſit principium
„ totius Deitatis, Filii ſcilicet, & Spiritus
„ Sancti; aut quod id quod Spiritus Sanctus
„ procedit à Filio, Filius à Patre non habeat,
„ ſive quòd duo aſſeramus eſſe principia, ſive
„ duas ſpirationes, ſed quod unum tantùm
„ aſſerimus eſſe principium, unicamque ſpi-
„ rationem Spiritus Sancti, prout hactenus
„ aſſeruimus.

926 „ In nomine igitur Sanctæ Trinita-
„ tis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in hac
„ demùm ſancta, ac Deo cara unione eodem
„ ſenſu, eadem anima, eademque mente nos
„ Latini & Græci conſentimus & concorda-
„ mus, ut ab omnibus Chriſtianis hæc fidei
„ veritas credatur & ſuſcipiatur: & ita pro-
„ fitemur, quòd Spiritus Sanctus ex Patre
„ & Filio æternaliter eſt, & ex utroque æter-
„ naliter tanquam ab uno principio, & uni-
„ ca ſpiratione procedit. Declarantes, quòd
„ id, quod ſacri Doctores, & Patres dicunt, ex
„ Patre per Filium procedere Spiritum San-
„ ctum, ad hanc intelligentiam tendi, ut per
„ hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecun-
„ dùm Græcos cauſam, ſecundùm Latinos
„ verò principium ſubſiſtentiæ Spiritus San-
„ cti, ſicut & Patrem; & quoniam omnia,
„ quæ Patris ſunt, Pater ipſe Unigenito Fi-
„ lio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem:
„ hoc ipſum quòd Spiritus Sanctus procedit
„ ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter
„ habet, à quo etiam æternaliter genitus eſt.
„ *Hactenus cedula de Spiritu Sancto.*

927 Hac itaque prædicta die iterùm reci-
tata, lectæ ſimul fuerunt & aliæ cedulæ, quas
ſupra recenſuimus: dictum etiam fuit à Car-
dinali Sanctæ Sabinæ, ut antequam fieret
ſeſſio, Græci advenirent ad eundem locum pro-
fiterentur, quòd ſolis Dominicis verbis confi-
ciatur Euchariſtia. Poſtea ſelecti ſunt qua-
tuor ex utraque parte, qui cedularum ſenten-
tias in unam redigerent Bullam, in qua re
propter differentiam in verborum compoſitio-
ne inter præfatos exortam deputatos elapſi
ſunt dies octo, donec die IV. facta Generali
Congregatione in Palatio Apoſtolico, Græcis
& Latinis aſſiſtentibus, idem Dominus Car-
dinalis de Sancta Sabina pronunciavit jam
poſt varias conſultationes conveniſſe Domi-
nos deputatos in formula Decreti publicandi,
ac jam, tum in Græco, tum in Latino lectum
fuiſſe in Conventu S. Franciſci, & à præfatis
deputatis approbatum. Inde, Jubente Papa, in
publica Congregatione relectum fuit per
quemdam Subdiaconum nomine Thomam.
Abſoluta verò lectione, Papa poſt aliqua ver-
ba, publicam indixit generalem ſeſſionem ha-
bendam die VI. Julii octava Sanctorum Apo-
ſtolorum Petri & Pauli in ipſa Eccleſia Ca-
thedrali: dimiſſaque eſt Congregatio.

928 Verùm juxta poſtulata à Cardinali
Sanctæ Sabinæ ante ſeſſionem, die V. Junii
Græci ſpeciali mandato requiſiti à Papa con-
venerunt coram Sanctitate, & Beſſarion Ni-
cænus, nomine omnium Græcorum ibidem
aſtantium, attentis Sanctorum Patrum teſti-
moniis, & maximè Chryſoſtomi, profeſſus
eſt ſe, & Eccleſiam ſuam credere confici Sa-
cramentum Euchariſtiæ Dominicis verbis.
Addidit inſuper optimè Græcos ſcire in con-
ſecratione precioſiſſimi & Venerabilis Sacra-
menti quatuor requiri, nimirum materiam,
quæ ſit panis triticeus, ſive fermentatus, ſive
azimus: ſecundò, quod Miniſter ſit Sacerdos,
qui habeat Sacerdotium ab Eccleſia ſecun-
dùm Canones, Tertiò, requiri formam, quæ
conſiſtit in verbis Salvatoris ſecundùm ſen-
tentiam ejuſdem S. Joannis Chryſoſtomi. Et
quartò, requiri intentionem Sacerdotis, ut
ſcilicet habeat intentionem conſecrandi pa-
nem ſibi propoſitum, & vinum: his à Pontifi-
ce gratanter auditis, poſt nonnulla pauca
verba abſoluta eſt Congregatio.

929 Die Lunæ VI. menſis Julii, Anno
Domini MCCCCXXXIX. Indictione ſecun-
da, Pontificatus Eugenii Papæ IV. Anno IX.
Imperii Alberti Romanorum Regis, ſecundo,
ac Joannis VII. Palæologi Græcorum Impe-
ratoris XVI. In Eccleſia Cathedrali Civitatis
Florentiæ, celebrata eſt Generalis ſeſſio, Papa
ipſo præſidente, & tàm Latinis, quàm Græ-
cis Patribus unà cum Imperatore intereſſenti-
bus, præſente magna Populi multitudine, ac
tota Florentina nobilitate; in qua quidem
ſeſſione, admiſſis priùs conctis Patribus
ad fimbriarum oſcula recitato ſolemniter
hymno; *Veni Creator Spiritus*, tum latinè à
Latinis, tum græcè à Græcis, ac ab ipſo
Summo Pontifice celebrata Miſſa, præmiſſis
que denique conſuetis orationibus, & cære-
moniis, per Dominum Cardinalem Sanctæ
Sabinæ idiomate latino, deinde per Archie-
piſcopum Nicænum idiomate græco, lecta &
publicata eſt unionis Bulla, & definitio ſacro-
ſancti Concilii Florentini, habens hunc te-
norem, videlicet,

De-

Definitio ſanctæ œcumenicæ Synodi Florentinæ.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.
Conſentiente ad infraſcripta chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Joanne Palæologo Romæorum Imperatori Illuſtri, & Locotenentibus Venerabilium Fratrũ noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.

930 „ Lætentur Cœli, & exultet terra:
„ ſublatus eſt enim de medio paries, qui Oc-
„ cidentalem, Orientalemque dividebat Ec-
„ cleſiam; & pax, atque concordia rediit, illo
„ angulari lapide Chriſto, qui fecit utraque
„ unum, vinculo fortiſſimo charitatis, & pa-
„ cis utrumque jũgente parietem, & perpetuę
„ unitatis fœdere copulante, ac continente:
„ poſtque longam mœroris nebulam, & diſſi-
„ dii diuturni atrum, ingentemque caliginem,
„ ſerenum omnibus unionis optatæ jubar il-
„ luxit. Gaudeat & Mater Eccleſia, quæ Fi-
„ lios ſuos hactenus invicem diſſidentes, jam
„ videt in unitatem, pacemque rediiſſe: &
„ quæ antea in eorum ſeparatione amariſſi-
„ mè flebat, ex ipſorum modo mira concor-
„ dia cum ineffabili gaudio Omnipotenti
„ Deo gratias referat. Cuncti gratulentur
„ fideles ubique per Orbem, & qui Chriſtia-
„ no cenſentur nomine Matri Catholicæ Ec-
„ cleſiæ collætentur: ecce enim Occidentales,
„ Orientalesque Patres, poſt longiſſimum
„ diſſenſionis, atque diſcordiæ tempus, ſe ma-
„ ris & terræ periculis exponentes, omnibus-
„ bus ſuperatis laboribus, ad hoc ſacrum
„ œcumenicum Concilium deſiderio ſacra-
„ tiſſimæ unionis, & antiquæ charitatis rein-
„ tegrandæ gratia, læti alacreſque convene-
„ runt, & intentione ſua neqnaquam fruſtrati
„ ſunt. Poſt longam enim, laborioſamque in-
„ daginem, tandem Spiritus Sancti clemen-
„ tia, ipſam optatiſſimam, ſanctiſſimamque
„ unionem conſecuti ſunt. Quis igitur di-
„ gnas Omnipotentis Dei beneficiis gratias
„ referre ſufficiat? Quis tantæ divinæ miſe-
„ rationis divitias non obſtupeſcat? Cujus
„ vel ferrum pectus, tanta ſupernæ pietatis
„ magnitudo non molliat? Sunt iſta prorsùs
„ divina opera, non humanæ fragilitatis in-
„ venta, atque ideo eximia cum veneratione
„ ſuſcipienda, & divinis laudibus proſequen-
„ da. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum
„ actio Chriſte fons miſericordiarum, qui
„ tantùm boni Sponſæ tuæ catholicæ Eccle-
„ ſiæ contuliſti, atque in generatione noſtra
„ tuæ pietatis miracula demonſtraſti, ut enar-
„ rent omnes mirabilia tua. Magnum ſiqui-
„ dem, divinumque munus nobis Deus largi-
„ tus eſt: oculis videmus, quod ante nos
„ multi cùm valdè cupierint, aſpicere ne-
„ quiverunt.

931 Convenientes enim Latini, & Græci
„ in hac ſacroſancta œcumenica Synodo,
„ magno ſtudio invicem uſi ſunt, ut inter
„ alia etiam articulus ille de divina Spiritus
„ Sancti proceſſione ſumma cum diligentia
„ & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prola-
„ tis verò teſtimoniis ex divinis ſcripturis,
„ plurimiſque auctoritatibus Sanctorum Do-
„ ctorum Orientalium, & Occidentalium,
„ aliquibus quidem *ex Patre & Filio*, qui-
„ buſdam verò *ex Patre per Filium* procede-
„ re dicentibus Spiritum Sanctum, & ad
„ eamdem intelligentiam aſpicientibus om-
„ nibus ſub diverſis vocabulis; Græci qui-
„ dem aſſeruerunt, quòd id, quod dicunt Spi-
„ ritum Sanctum ex Patre procedere, non
„ hac mente proferunt, ut excludant Filium,
„ ſed quia eis videbatur, ut ajunt, Latinos
„ aſſerere, Spiritum Sanctum ex Patre & Fi-
„ lio procedere tanquam ex duobus princi-
„ piis, & duabus ſpirationibus, ideo abſtinue-
„ runt à dicendo, quòd Spiritus Sanctus ex
„ Patre procedat, & Filio. Latini verò aſſe-
„ ruerunt, non ſe hac mente dicere Spiritum
„ Sanctum ex Patre, Filioque procedere, ut
„ excludant Patrem, quin ſit fons & princi-
„ pium totius Deitatis, Filii ſcilicet, & Spi-
„ ritus Sancti; aut id, quod Spiritus Sanctus
„ procedit ex Filio, Filius à Patre non ha-
„ beat, ſive quod duo ponant eſſe principia,
„ ſeu duas ſpirationes, ſed unum tantùm aſ-
„ ſerunt principium, unicamque ſpirationem
„ Spiritus Sancti, prout hactenus aſſerue-
„ runt. Et cùm ex his omnibus unus, & idem
„ eliciatur veritatis ſenſus, tandem in infra-
„ ſcriptam ſanctam & Deo amabilem, eo-
„ dem ſenſu, eademque mente unionem una-
„ nimiter concordarunt, & conſenſerunt.

In nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, hoc ſacro approbante Univerſali Florentino Concilio Diffinimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur.

932 „ Quòd Spiritus Sanctus ex Patre
„ & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam,
„ ſuumque eſſe ſubſiſtẽs habet ex Patre ſimul
„ & Filio, & ex utroque æternaliter tamquam
„ ab uno principio, & unica ſpiratione pro-
„ cedit. Declarantes, quòd id, quod Sancti
„ Doctores, & Patres dicunt, *ex Patre per Fi-*
„ *lium* procedere Spiritum Sanctum, ad hanc
„ intelligentiam tendit, ut per hoc ſignifice-
„ tur, Filium quoque eſſe ſecundùm Græcos
„ quidẽ cauſam, ſecundùm Latinos verò prin-
„ cipium ſubſtantiæ Spiritus Sancti, ſicut &

 Pa-

„ Patrem; & quoniam omnia, quæ Patris „ ſunt, Pater ipſe Unigenito Filio ſuo gi- „ gnendo dedit, præter eſſe Patrem: hoc ip- „ ſum, quòd Spiritus Sanctus procedit ex „ Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter hbet, „ à quo etiam æternaliter genitus eſt.

933 „ Diffinimus inſuper explicationem „ verborum illorum, Filioque, veritatis de- „ clarandę gratia, & imminente tunc neceſ- „ ſitate, licitè & rationabiliter Symbolo fuiſ- „ ſe appoſitam.

934 „ Item in azimo, ſive fermentato „ pane triticeo Corpus Chriſti veraciter „ confici, Sacerdotesque in altero ipſum Do- „ mini Corpus conficere debere juxta ſuæ „ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis „ conſuetudinem.

935 „ Item, ſi verè pœnitentes in Dei cha- „ ritate deceſſerint, antequã dignis pœniten- „ tiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & „ omiſſis, ſeor animas pœnis purgatoriis poſt „ mortem purgari; & ut à pœnis hujuſmodi „ releventur, prodeſſe eis fidelium vivorũ ſuf- „ fragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, oratio- „ nes, & Eleæmoſynas, ac alia pietatis officia, „ quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri con- „ ſueverunt ſecundùm Eccleſiæ inſtituta: Il- „ lorumque animas, qui poſt baptiſma ſuſce- „ ptum nullam omninò peccati maculam in- „ currerunt, illas etiam, quæ poſt contractam „ peccati maculam in ſuis corporibus, vel „ eiſdem exutæ corporibus (prout ſuperiùs „ dictum eſt) ſunt purgatæ, in Cœlum mox „ recipi, & intueri clarè ipſe Deum Trinum „ & Unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen „ diverſitate alium alio perfectiùs. Illorum „ autem animas, qui in actuali mortali pec- „ cato, vel ſolo originali decedunt, mox in „ Infernũ deſcendere, pœnis tamen diſparibus „ puniendas.

936 „ Item diffinimus, Sanctam Apoſto- „ licam Sedem, & Romanum Pontificem in „ univerſum Orbem tenère primatum, & ip- „ ſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſ- „ ſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & „ verum Chriſti Vicarium, totiusque Ec- „ cleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum „ Patrem & Doctorem exiſtere, & ipſi in „ Beato Petro paſcendi, regendi & guber- „ nandi univerſalem Eccleſiam à Domino no- „ ſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem tradi- „ tam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis „ œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris „ Canonibus continetur.

937 „ Renovantes inſuper ordinem tra- „ ditum in Canonibus, cæterorum Venera- „ bilium Patriarcharum, ut Patriarcha Con- „ ſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt Sanctiſ- „ ſimum Romanum Pontificem, tertius verò „ Alexandrinus, quartus autem Antioche- „ nus, & quintus Hieroſolymitanus, ſalvis „ videlicet privilegiis omnibus, & juribus „ eorum.

„ Datum Florentiæ in ſeſſione publica „ Synodali, in Eccleſia majori ſolemniter „ celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ „ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo no- „ no, Pridie Nonas Julii, Pontificatus no- „ ſtri Anno Nono. *Hactenus Decretum Diffi- nitionis.*

938 Subſcripſerunt huic definitioni Pa- pa, Imperator, & univerſi Patres tum Græci cùm Latini. Unde Scriptor Græcus ait: *Sub- ſcripſimus etiam ipſi noſtris manibus, uti recita- tum erat.* Refert inſuper eſſe obſculatos genu & dexteram Papæ, ceciniſſe inſuper Canto- res Græcos: *Lætentur Cœli, & exultet Terra, Gloria Patri.* Et repetitum: *Sicut erat.* Gra- tiarum actio. Et rursùs: *Hodie gratia Spiri- tus Sancti.* Innuit praeter Miſſam fuiſſe cele- bratam in fine ſeſſionis, cùm dicat: *Abſoluta igitur Miſſa, & gratiarum actione, unusquisque recepit ſe domum.* Alius Scriptor relatus apud Labæum par.2. Concilii Florentini pag.1172. refert, Latinos ceciniſſe: *Veni Creator Spiri- tus, & Te Deum laudamus*, idemque in Græ- co egiſſe Græcos. Circa modum ſubſcribendi, ait: quòd Bulla fuit ſcripta in Latino & in Græco in una charta; „ In medio chartę, *in- „ quit*, videlicet per longitudinem chartæ, „ erat una linea, ſicut fit in quinternis, in „ quibus ſcribuntur jura: ab una parte fuit „ ſcripta Bulla in Latino, & ſubſcripta per „ Papam, Cardinales, & alios Prælatos: ab „ alia verò parte fuit ſcripta in Græco pul- „ cherrimè ſimili modo ſicut Latina, & ſub- „ ſcripta per Imperatorem cum incauſto ru- „ beo. Per quadraginta ſex verò Patriarchas, „ & Archiepiſcopos Græcos, Trapezuntios, „ Iberos, & Ruthenos fuit ſubſcripta cum in- „ cauſto nigro in ſimili forma in litera Græ- „ ca, ſicut noſtra Bulla Latina. *Hæc ille.*

939 Ita ergò peracta unione, ait Scriptor Græcus, Latinos infraſcripta dubia Græcis propoſuiſſe.

I. Cùr in apparatu Miſſæ particulas diſponant & conjungant divino, ac Dominico pani.

II. Cùr inclinent capita, cùm de mi- nori altari in majus nondum conſecrata mu- nera deferuntur.

III. Quam ob cauſam infundant in ſa- crum Calicem ferventem aquam.

IV. Cùr dicant, quando Corpus Chri- ſti nondùm eſt: *Unus autem militum lancea la- tus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua.*

V. Quare dicatur: *Et ecce ſtella ve- nit, & ſtetit ſupra, ubi erat puer.*

VI. Quare Epiſcopi non inungunt ſa- cro Chriſmate, ſed Sacerdotes, cùm hoc Pon- tificibus ſit datum.

VII. Quare mortuos ante ſepulturam oleo inungant.

VIII. Cùr Sacerdotes, & Epiſcopi ſa- crum facturi, non priùs Confeſſionem emit- tant. IX.

IX. Quare poſt Dominica verba: *Accipite & comedite &c.* dicant: *Et fac panem quidem hunc precioſum Corpus Chriſti tui; &; Tranſmutans ea Spiritu Sancto tuo, Amen, Amen, Amen.*

X. Quare conjugia dirimant, dicente Domino: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

XI. Et qua de cauſa illic non eligant Patriarcham.

940 Quibus à Latinis objectis ſatisfeciſſe canonicè & legitimè Mitylinenſem, ſubjungit Scriptor Græcus, duobus exceptis, de quibus Papa ſignificavit Imperatori; cùr ſcilicet Matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur: nam Latini diſolutioni Matrimonii maximè adverſabantur, aſſerentes nullam legem humanam valere adversùs Domini vocem dicentis: *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*: & inſuper dicentes non eſſe conveniens abire ſine capite. Hinc factum eſt, ut Papa per Nuncios peteret ab Imperatore, ut ad ſe mitteret ex Metropolitis aliquos peritos ad diſcutienda prædicta duo dubia; ſed miſſi ſunt imperiti: unde ad hæc eadem dubia eis à Papa propoſita, reſponderunt nullam ſe habere ad ea reſpondendi facultatem, ſed Imperatori relaturos. Elapſis inde paucis diebus, die ſcilicet XIV. Julii, feria tertia, Papa, convocatis Præſulibus Orientalibus, tria hæc propoſuit, primùm circa matrimonii diſſolutionem, aſſerens de hac re omnes conqueri, ac proinde indigere correctione. Secundùm, neceſſe eſſe Epheſium rationem reddere, cùr à Synodo ſe ſubduxerit. Tertium denique, ut eligeretur Patriarcha antequam diſcederent, & hoc propter plura Eccleſiæ Orientalia commoda. Verùm Græci dixerunt, ſe dare non poſſe ad propoſita perfectam reſponſionem, cùm adeſſent alii Præſules, & Imperator conſulendi: cæterùm ex ſeipſis, & privatim reſponderunt, talia non fuiſſe præſentis temporis, licèt juſta, Matrimonia non ſine juſtis cauſis dirimere. Epheſium per ſe cauſam dicturum: & circa Patriarchæ electionem, moris fuiſſe eum Conſtantinopoli ab univerſa Provincia elegi, & in majori templo conſecrari, & hanc conſuetudinem velle ſervare, nec Imperatorem aliud fieri permiſſurum. His ergo & aliis paucis hinc inde habitis ſermonibus, re infecta, quo ad hæc, diſceſſerunt.

941 Cæterùm, quæ attulerit Mitylinenſis, ut ſatisfaceret prærecenſitis quæſitis, memoriæ proditum non reperi; ſed quoniam prædicta quæſita, exceptis duobus, quibus non reſpondit, ad ritum magis ſpectabant, quàm ad dogma, potuerat Mitylinenſis ſatiſfacere, data recta interpretatione, veriſque & legitimis aſſignatis cauſis. Circa verò matrimonii diſſolutionem, nitebantur, & nituntur Græci Legibus Imperialibus, quæ quibuſdam de cauſis permittunt matrimonii diſſolutionem, eas magis ſequentes, quàm ipſam Evangelicam veritatem, contraria docentem. Hanc porrò legem de ſolvendo matrimonio Baronius ad Annum Dñi DLXVI. ſub num. 11. tribuit Juſtino Imperatori, cujus edictum refert, quod ſic ſe habet.

Imperator Cæſar Flavius Juſtinus Alemannicus, Gothicus, Francicus, Alanicus, Wandalicus, Africanus, Pius, Fælix, Glorioſus, Victor, ac Triumphator ſemper Auguſtus, Juliano Præfecto Urbis conſp.

942 „ Nuptiis decentiùs nihil eſt hominibus, ex quibus filii, cæteræque Nationum ſucceſſiones, fundorum quoque, & Civitatum habitacula, & Reipublicæ eximius ſtatus. Propterquòd nuptias fœlices eſſe eis, qui eas ineunt, ſic optamus, itaut nunquam eas ſiniſtri omnis opus fieri, neque nuptiis copulatos ab invicem ſeparari, juſtam non habentes abſolutionis nuptiarum occaſionem. Sed quoniam difficile eſt omnibus hominibus hoc ſervari (in multitudine enim tanta non aliquas incidere irrationabiles ſimultates, unum de impoſſibilibus extit) oportere putavimus his reperire quamdam medelam, magis verò illic, ubi puſillanimitas in tantùm erigitur, itaut implacabilis horror fiat conjugibus unà manentibus: Antiquitùs quidem licebat ſine periculo tales ab invicem ſeparari ſecundùm communem voluntatem & conſenſum hoc agentes; & Bona gratia, ſic procedentem ſolutionem nuptiarum patria vocitantes voce. Poſtea verò divæ memoriæ noſtro Patri pietate & temporanea omnes ubicumque aliquandò imperantes excedenti viſum eſt, qui ad ſuam utilem & firmam reſpiciens voluntatem, non autem miſerias puſillanimitatis conjiciens, legem ſancire, qua prohibuit conſenſu conjugia ſolvi, quod nos quoque volebamus nimis obtinere in hoc ipſo.

„ Plurimi autem nos adierunt inter ſe conjugium horrentes, & abominantes, & prælia, diſcordiaſque propter hoc domi contingere accuſantes (hoc quod valdè doloriferum & triſte conſiſtit) diſſolvere propter hoc preca precantes connubia, & ſi occaſiones non habuerunt dicere, per quas ſine timore lex hoc debeat facere ipſis. Deſiderium verò, & ſtudium eorum pro hac re in aliquantò diſtulimus tempore, aliquandò quidem monentes, aliquandò verò minantes quieſcere eos ab irrationabili circa invicem horrore, & ad unanimitatem properare, & melioris fieri voluntatis, egebamus verò plùs nihil. Quoniam verò difficile eſt immutare ſemel detentos rationabili paſſione & horrore; forſitan enim

„ conting it, & inſidias aggredi ad invicem, „ & venenis, aliiſque ad mortem agentibus „ uti, itaut nec filios eis factos valere ad „ unam, ſimilemque tales voluntatem immi- „ ſcere.

„ Hæc igitur aliena noſtris judicantes „ temporibus, in præſenti ſacram conſtitui- „ mus legem, per quam ſancimus licère (ut „ antiquitùs conſenſu conjugum ſolutiones „ nuptiarum fieri, non ultrà verò obtinere „ conſtitutas pœnas conſtitutione noſtri Pa- „ tris adversùs cos, qui cum conſenſu con- „ conjugii faciunt ſolutionem. Si enim alte- „ rutrorum affectu nuptias ſolidat, meritò „ contraria voluntas iſtas cum conſenſu diſ- „ ſolvit, adſignificantibus rebus, quæ nuptias „ ſolvunt.

„ Certum autem ſit, omnia alia quan- „ tacumque legibus, ac potiſſimùm ſacris „ Conſtitutionibus noſtri Patris dicta ſunt „ de nuptiis, & filiis, occaſionibusque, ex „ quibus præcipitur diſſolvi nuptias (ſi & „ ſine ratione, non & cum communi con- „ ſenſu, ſecundùm quòd & præſens noſtra „ conſtituit Divinitas, hoc agentibus, & di- „ ſponentibus pœnis interpoſitis) obtinere „ ex præſenti noſtra lege per omnia habere „ propriam. Quæ ergò nobis viſa ſunt, & „ per præſentem manifeſtata legem, tua glo- „ ria per conſuetum ſibi modum omnibus „ fieri manifeſta prencipiat in hac Urbe Re- „ gia. Data XVIII. Kalend. Octobris Chal- „ cedone, Imp. D.N. Juſtino PP.Aug. Anno „ primo, Indictione XV. *Hactenus Decretum Juſtini junioris filii Juſtiniani*. Et habetur in Auth. Coll.9. tit. 23. Novella 140. licèt va- riatis verbis, ob variam ex Græco interpre- tationem.

943 Hac attenta lege de utrinſque conjugum conſenſu Græci matrimonia ſolvebant, hac niſi ratione in ipſa lege allegata, quòd ſicut communis conſenſus eos copulavit, ſic & utriuſque diſſenſus ſolvere poteſt. In hoc ſecuti Gentilium Principum leges, non evangelicam doctrinam, nec attendentes Chriſtianorum conjugia tranſire in Sacramentum, ratione cujus præcipuè ſunt inſolubilia. Juſtinianus verò Juſtini Pater juſtas divortii, & repudii cauſas inter virum & uxorem ſua lege conſignavit, ut in Authent. Collat. VIII. tit. XVIII. Novella CXVII. cap.8. ubi de cauſis juſtis, quibus vir uxorem poteſt repudiare agens, tradit. Si contra Imperium cogitantibus aliquibus conſcia eſt mulier, & non indicat marito: Si uxor convincatur de adulterio. Si cum viris extraneis, nolente marito, convivatur, aut cum eis lavet. Si nolente viro foris domum manſerit, niſi forſan apud proprios parentes. Si Circenſibus, aut Theatris, aut Amphiteatris interfuerit ad ſpectandum, ignorante, aut prohibente viro. Cauſæ porrò ex parte mulieris, ut poſſit virum repudiare, recenſentur ab eodem Juſtiniano, & habentur in citata Novella cap. 9. nimirum, ſi vir contra Imperium aliquid cogitaverit, aut cogitantibus conſcius non indicaverit Imperio, aut per ſe, aut per alium. Si aliquo modo inſidiatus fuerit vitæ mulieri, aut aliis hoc volentibus ſciens non manifeſtaverit uxori, & ſtatuerit ſecũdùm leges ulciſci. Si maritus caſtitati uxoris inſidiaverit, & aliis adulterandam tradere tentaverit. Si vir de adulterio infamaverit uxorem, & non probaverit. Et ſi vir cum alia muliere, ſive in domo propria, ſive in alia domo nimia utatur converſatione & familiaritate, & monitus non deſiſtat. Prædictis ergò intervenientibus cauſis divortia fieri permiſit Juſtinianus, ſolutionem verò matrimonii ex utriuſq; conſenſu prorsùs prohibuit, ut habetur cap. 10. ejuſdem Novellæ, ſubnectens: *Quia verò ex conſenſu aliqui uſque ad præſens alterna matrimonia ſolvebant, hoc de cætero fieri nullo ſinimus modo, niſi fortè quidam caſtitatis concupiſcentia hoc fecerint*. Et adjecit contravenientibus juſtas pœnas, quas, ut diximus revocavit Juſtinus, & hujuſmodi diſſolutionem fieri permiſit.

944 Hanc diſſolutionem porrò, ſive de conſenſu utriuſque, ſecundùm Juſtini legem, ſive intervenientibus cauſis allegatis in Lege Juſtiniani intelligendum eſſe non ſolùm, quatenùs importat ſeparationem quo ad thorum, verùm etiam prout importat vinculi perfectam ſolutionem, relicta ſolutis libertate nubendi alteri, conſtare poteſt ex lege Theodoſii, & Valentiniani, & ex lege Anaſtaſii; Theodoſius namque, & Valentinianus, ut habetur in Codice de Repudiis, *leg. Conſenſu*, *& leg. Vir*, primò dicunt: *Conſenſu licita matrimonia poſſe contrahi, contracta nonniſi miſſo repudio diſſolvi præcipimus. ſolutionem enim matrimonii difficiliorem debere eſſe, favor imperat liberorum*. Deinde aſſignat cauſas, quibus ſtantibus poteſt mulier virum ſuum repudiare, nimirum, ſi ſit adulter, ſi homicida, ſi veneficus, ſi reus criminis læſæ Majeſtatis, ſi falſarius, & ut talis in judicio condemnatus, ſi raptor bonorum Eccleſiæ, ſi Latro, vel Latronum ſuſceptor, ſi plagiarius, ſi ſepulchrorum effoſſor, ſi inſidiator uxoris vitæ, ſive veneno, ſive gladio, ſi familiaris impudicarum mulierum; vel ſi verberibus, quæ ingenuis aliena ſunt, uxorem afficiat. Subnectit inde cauſis, quibus licet viro uxorem repudiare, utpote, ſi adultera, ſi venefica, ſi homicida, ſi plagiaria, ſi ſepulchrorum diſſolutrix, ſi è ſacris ædibus aliquid ſubtrahat, ſi latronum fautrix, ſi convivia extraneorum virorum nolente, aut invito viro appetat, ſine juſta cauſa foris pernoctet, ſi pariter invito viro Circenſibus ludis, vel Theatralibus, & Arenarum interſit Spectaculis; ſi viri vita inſidiata, vel aliquid contra Imperium machinata fuerit; ſi falſaria inventa, vel etiam manus audaces contra virum extenderit. His ergo pro utraque parte enumeratis cauſis, ſub-

jun-

jungit lex: *Si verò cauſam probaverit, intentatam* (loquitur de muliere) *tunc eam & dotem recuperare, & ante nuptias donationem lucro habere, aut legibus vindicare cenſemus, & nubendi poſt annum (nè quis de prole dubitet) permittimus facultatem*. De viro denique juſtis de cauſis repudiante uxorem, ſtatim ſubnectitur: *Virum etiam, ſi mulierem interdicta arguerit attentantem, tam dotem, quàm ante nuptias donationem ſibi habere, ſeu vindicare, uxoremque, ſi velit ſtatim ducere, hac juſta definitione ſancimus*. Anaſtaſius verò, ut habetur in eodem Codice, *leg.9. Si conſtante*, agens de matrimonii diſſolutione ex utriuſq; conſenſu, ait: *Si conſtante matrimonio, communi conſenſu tam viri, quàm mulieris, repudium ſit miſſum, quo nulla cauſa continetur, quæ conſultiſſimè conſtitutioni divæ memoriæ Theodoſii, & Valentiniani inſerta eſt, licebit mulieri non quinquennium expectare, ſed poſt annum ad ſecundas nuptias convolare*. Qua lege moderavit alteram præfatorum Imperatorum, qua nonniſi poſt quinquennium facultatẽ nubendi tradebat ſolutis ſine cauſa, de utriuſque tamen conſenſu, ut ex eod. Cod. *leg. Conſenſu, num.4. §. Hæc niſi*. His ergo, & ſimilibus Civilibus Legibus, ut diximus, forſan niſi Græci parvifacientes canonicas ſanctiones, minùs attendentes doctrinam Evangelicam, repudia permittebant, & matrimonia ſolvebant, & ſolvunt. Undè in præfata Synodo adduci minimè potuerunt, ut ſalubri decreto hujuſmodi malo provideretur. Itaque, ut diximus, in hac parte, re infecta Græci diſceſſerunt.

945 De eorum diſceſſu Andreas à Sancta Cruce hæc pauca habet: „ His omnibus expeditis, die XXVI. Auguſti ſolemniter per „ totum ſacrum Cardinalium Collegium ſociati Imperator, Græciç, ex Florentia „ ad patriam redeuntes exiverunt, aſſociantibus eundem demùm per Territorium Florentinum Cardinalibus tribus, ac multis aliis. *Hæc Andreas*. Scriptor Græcus in fine Actorum ſcribit, quòd Epiſcopi Heracleenſis, Cyzicenus, Trapezuntinus, Monembaſienſis, Nicomedienſis, & Dramenſis, ſubſcriptis tomis, qui erant quinque, unà cum quinquaginta Clericis, diſceſſerunt, expectaturi poſtea cæteros, fortè Venetiis, ubi navigia conſcenderunt omnes, ut ipſemet Scriptor dicit: *Nos verò Florentia exeuntes, Venetias petivimus, & inde rurſus domum redimus*.

946 Sed, & ante Græcorum diſceſſum, publicata unionis Bulla, ſive Concilii diffinitione, Encyclicas literas ad Chriſtifideles direxit Eugenius, certiorans per eas Principes, Reges, Communitates, Univerſitates, & cunctum Populum chriſtianum de geſtis Concilii, ac, Deo auxiliante, peracta Græcorum unione, Labæus poſt Collationes Andreæ de Sancta Cruce, pag. 1181. exhibet earundem literarum exemplar ex manuſcripto Codice Bibliothecæ Heidelberga Romam in Vaticanum advectæ, fol. 273. Sed quoniam in Archivio Sacri Montis Sion reperi aliud præfatarum literarũ originale ſub plumbo ſignatarum, quas Eugenius direxit Guardiano ejuſdem ſacri Montis Sion, ejuſdem tenoris, paucis dumtaxat mutatis verbis, illud ſubjiciam, quod ſic ſe habet.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Guardiano, & Conventui Ordin. Minorum, ac cæteris Chriſtifidelibus apud Montem Sion in Syria convenientibus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

947 „ Gloria in Altiſſimis Deo, & in „ Terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ju„ vat, dilecti filii, in vocem exultationis „ erumpere, & geſtiente animo cum Angelis „ miſcere lætitiam, quandoquidèm ineffa„ bile gaudium, quod erit omni chriſtiano „ Populo, nuntiamus; tantò quippè mens „ noſtra divinæ conſolationis rore perfundi„ tur, ita exhilaratur cor noſtrum, ut quod „ ſentimus, explicare nequaquàm valeamus, „ ſolaque in gratiarum actione, & voce lau„ dis requieſcat affectus noſter.

948 „ Ecce enim, quod ardentiſſimo ſtu„ dio, & indefeſſa pietate, olim, & longè „ antequam ad Apoſtolatus apicem aſſume„ remur, optavimus Orientalis, & Occiden„ talis Eccleſiæ diuturnum, perniciosumque „ diſſidium, poſt quadringentos quinqua„ ginta annos, divina tandem miſeratione „ ſublatum eſt; qua in re, licèt omnem pro „ viribus diligentiam adhibuerimus, quan„ tum ille donare dignatus eſt, totum tamen „ infinitæ illius bonitati adſcribimus, ſine „ cujus opere totum eſt inane, quod geritur; „ Namque ab ipſis noſtri Apoſtolatus initiis „ omni ſtudio elaboravimus, ut utriuſque „ Eccleſiæ unio feliciſſima ſequeretur, & poſt „ multas hinc inde miſſas legationes, ad Nos „ venerunt anno præterito adducti, & ha„ ctenus ſuſtentati ſumptibus noſtris chariſ„ ſimus in Chriſto Filius noſter Joannes Pa„ læologus Romæorum Imperator Illuſtris, „ & bonæ memoriæ Venerabilis Frater no„ ſter Joſeph Patriarcha Conſtantinopolita„ nus, & Locatenentes Alexandrini, An„ tiocheni, & Hieroſolymitani Patriarcha„ rum, Legatique Trapezuntii Imperatoris, „ Hiberorum, Ruthenorum, & Valachorum „ cum Metropolitis, & Clericis, ac nobili„ bus plurimis, & multitudine copioſa. Avi„ di quippe hujus ſacratiſſimæ unionis, la„ boribus plurimis, mariſque ſeſe exponere „ periculis nequaquam cunctati ſunt, ſacro „ & œcumenico Concilio, quod intra Ita„ liam, & ubi nos commodè intereſſe poſſe-
mus,

„ mus, fieri magnæ cum inſtantia poſtula-
„ runt adeſſe cupientes. Advenerant autem
„ ad diſputandum parati, ſine contentionis
„ tamen vitio, aut pertinaciæ ſtudio.

949 „ Nos itaque Divini, humanique
„ juris profeſſores, omni ex parte congre-
„ gare curavimus, qui cupientibus verita-
„ tem aperirent, Deoque largiente, poſt-
„ quam eis, tam ex Scripturis divinis, quàm
„ ex Sanctis Patribus Latinis, pariter &
„ Græcis, veritas per omnia eſt pateſacta,
„ libentiſſimè conſenſerunt inventæ verirati,
„ Spiritumque Sanctum ex Patre ſimul, &
„ Filio procedere profeſſi ſunt, ſummamque
„ Romanæ Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ au-
„ ctoritatem, quam improbè nimiùm quidam
„ opprimere nituntur, gratè recognoverunt,
„ atque in reliquis conſenſerunt, prout ex
„ decretó inde confecto, quod Latinis pa-
„ riter, & Græcis literis ſcriptum vobis mit-
„ timus, veſtra devotio apertiùs diſcet. Au-
„ demus ſanè in Domino gloriari, atque con-
„ fidentiſſimè dicere, id noſtra ætate patra-
„ tum eſſe, quod nihil majus, nihilque di-
„ gnius ab ipſo Apoſtolicæ prædicationis
„ tempore Catholica vidit Eccleſia, neque
„ verò hic erit finis divinorum mirabilium,
„ ſed divinæ miſerationis latior campus ape-
„ rietur, ut Sol ille Juſtitiæ, qui in Oriente
„ jam ortus, ad ipſas quoque infidelium
„ tenebras radios ſuæ lucis extendat, fiatque
„ ſalus Domini uſque ad extremum terræ,
„ omneſque, uno ore, & uno Spiritu glori-
„ ficent Deum, & Patrem Domini Noſtri
„ Jeſu Chriſti.

„ 950 „ Expectantur enim in dies cum no-
ſtris Nuntiis ad id miſſis, & jam ferè præ
„ foribus adeſſe nuntiantur, Armenii, Gens
„ magna, & celebris, parati ſe per omnia
„ Romanæ Eccleſiæ, & Sanctæ Sedi Apoſto-
„ licæ ſubdere, ejuſque mandatis, & doctri-
„ nis incunctanter obedire. Meritò itaque,
„ Dilecti Filii, cùm in re jam tam multa, in
„ ſpe etiam plura teneamus, Omnipotenti
„ Deo Hoſtiam obtulimus jubilationis, &
„ laudis, vobiſque iſta inſinuanda putavimus,
„ ut noſtrorum in Domino gaudiorum parti-
„ cipes facti, divinæ pietati nobiſcum gra-
„ tias referatis.

951 „ Hortamur itaque, ut Chriſtianæ
„ Devotionis affectu, lytanias, & proceſſio-
„ nes faciatis, partim referendo gratias pro
„ acceptis à Deo muneribus, partim oran-
„ do, ut dignetur complere opus ſuum, &
„ barbaras nationes in ſua feritate glorian-
„ tes ſub ſacratiſſimæ Chriſtianæ Fidei jugum
„ mittere. Et quoniam ſpes adeo læta ſeſe
„ undique aperit, pio monemus affectu, ut
„ ad eripiendos ab Infidelibus, à quibus in-
„ digniſſimè opprimuntur illarum partium,
„ Chriſtianos, perpetuis orationibus nos
„ adjuvetis. Jam enim, Deo inſpirante, claſ-
„ ſem, terreſtreſque copias proximo vere
„ parare intendimus, ſperantes, quòd qui
„ cœpit in nobis opus bonum, ipſe perficier,
„ ac per hujuſmodi ſtudia noſtra à jugo mi-
„ ſerabilis ſervitutis Catholicum gregem
„ propitius, ac benignius eripiet. Confidi-
„ mus autem negotium facillimè, feliciſſimè-
„ que ſuceſſurum, per Chriſtianorum Prin-
„ cipum, Prælatorumque opem, atque ope-
„ ram, & veſtrarum orationum ſuffragia.
„ Accingimini itaque, dilecti filii, ardenti-
„ que animo concurrite in jejunio, & ora-
„ tionibus, ad hæc ſtudia pietatis, ex qui-
„ bus, & in hoc ſæculo gloriam conſeque-
„ mini, & in futuro cum piis fidelibus, qui
„ ab initio Deo placuerunt, conſcribi me-
„ rebimini. Datum Florentiæ Anno Incar-
„ nationis Dominicæ, Milleſimo quadringen-
„ teſimo trigeſimo nono, Nonis Julii, Pon-
„ tificatus noſtri Anno nono. *Hactenus
literæ*; quas ſignarunt, *Blondus*, *& Io. de
Viterbio*.

952 In ea, quam recitat Labæus, ut præ-
fati ſumus, in fine additum eſt: *Nos enim te
per alias noſtras literas & Nuntios requiremus,
non ambigentes nihil te à tuis, majorumque
tuorum pietate, & nobilitate degeneraturum.*
Raynaldus inſuper ad hunc annum, ſub nu-
mer. 12. exhibet eaſdem literas, prout à Lab.
licèt omiſſo exordio: ſub numero verò 9.
alias literas Eugenii refert datas univerſis
Chriſtifidelibus, Idibus Auguſti ejuſdem
anni, quibus, enarratis geſtis in Florentina
Synodo, hortatur ad Gratias Deo referen-
das, & ad eleemoſynas elargiendas pro factis
jam & faciendis expenſis in Græcorum ſub-
ſidium, propoſitis Indulgentiarum præmiis.
Ut porrò Orientis populi ad ea excipienda,
quæ in Synodo Florentina ſancita erant, ex-
citarentur, Legatos ſuos in diverſas deſigna-
vit partes. In Cretæ Inſula Legati pote-
ſtatem contulit Fantino ejuſdem Inſulæ Ar-
chiepiſcopo, datis literis XIV. Kal. Octobris
ejuſdem Anni. Alias literas expeditas XVI.
Kalendas Septembris dedit Iſidoro Kyeu to-
tius Ruſſiæ Metropolitæ, ac Lictuaniæ, &
Livoniæ, quibus eidem poteſtatem Legati
de latere tribuit, ad eundem effectum; qua-
rum literarum fragmenta habentur apud eun-
dem Raynaldum.

CAPUT XVII.

*De nonnullis Baſileenſium geſtis pen-
dente Concilio Florentino.*

953 INterea Baſileenſes cõtinuantes ad-
hùc ſuum Conciliabolum, ægrè fe-
rentes ea, quæ agebantur in Synodo Floren-
tina, ut haberent ſpecioſum prætextum de-
veniendi ad Pontificis depoſitionem in publi-
ca ſeſſione, tres propoſitiones veluti de fide
diffinire auſi ſunt, nempe quòd Concilium ſit
ſu-

ſupra Papam : Quòd Papa non poſſit diſſolvere Concilium jam congregatum ſine ipſius Concilii aſſenſu : Et quòd repugnans hiſce duabus veritatibus cenſendus ſit hæteticus . Itaque ah eis celebrata eſt ſeſſio XXXIII. die XIII. Maii decreverunt ut infra .

Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis , in Spiritu Sancto legitimè congregata , univerſalem Eccleſiam repreſentans , ad perpetuam rei memoriam .

954 „ Sicut una eſt Chriſti Eccleſia, *quę*
„ ut ait Apoſtol. *eſt columna,& firmamentum*
„ *veritatis*, ſic omnia Eccleſię mēbra unitatē
„ ſemper obſervare neceſſe eſt in profeſſione
„ Catholicæ veritatis , atque fideliter, &
„ firmiter credere,quidquid per ipſam Eccle-
„ ſiam de veritate fidei ſuerit declaratum ,
„ nt non ſicut parvuli fluctuantes circum-
„ ſerantur omni vento Doctrinæ , aut per
„ repugnantiam , Dogmatum varietatem
„ in diviſiones , & ſchiſmata prolabantur .
„ Dudùm autem in ſacra generali Conſtan-
„ tienſi Synodo conveniens Catholica Eccle-
„ ſia , veritatem de Generalium Concilio-
„ rum anctoritate ſolemniter declaravit .
„ Deinde in hac ſacra Generali Baſileenſi
„ Synodo eamdem neceſſariam declaratio-
„ nem , ſub eodem , qui ſequitur , tenore in-
„ novavit . Primò , quòd Generalis Syno-
„ dus in Spiritu Sancto legitimè congre-
„ gata , generale Concilium ſaciens , Eccle-
„ ſiam Catholicam militantem repreſentans,
„ poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui
„ quilibet , cujuſcumque ſtatus , vel dignita-
„ tis , etiamſi Papalis exiſtat , obedire tene-
„ tur in his , quæ pertinent ad fidem , ad ex-
„ tirpationem ſchiſmatis , & ad generalem
„ reformationem Eccleſiæ in capite , & in
„ membris . Item declarat, quòd quicumqne,
„ cujuſcumque dignitatis , etiam ſi Papalis
„ exiſtit , qui mandatis , ſtatutis , ſive ordi-
„ nationibus , aut præceptis hujus Sanctæ
„ Synodi , & cujuſcumque alterius Concilii
„ generalis legitimè congregati , ſuper præ-
„ miſſis , ſeu ad ea pertinentibus, factis , vel
„ fiendis , obedire contumaciter contempſe-
„ rit , niſi reſipuerit , condignæ pœnitentiæ
„ ſubiiciatur , & debitè puniatur , etiam ad
„ alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit , recurren-
„ do . Cùmque , ſicut præſertur quilibet ,
„ cujuſcnmque dignitatis , etiamſi Papalis
„ exiſtat , Concilio Generali in prædictis
„ obedire teneatur : Declaratum etiam fuit
„ frequenter, ac lucidè, quòd ipſum Genera-
„ le Concilium pro præmiſſis, eaque concer-
„ nentibus , aut aliquo præmiſſorum actu
„ congregatum , ſine ipſius conſenſu , per-
„ nullum quavis auctoritate , etiamſi Papali
„ dignitate præſulgeat , diſſolui , transferri ,
„ aut ad aliud tempus prorogari poteſt . Et
„ licèt has eſſe veritates fidei Catholicæ
„ ſatis conſtet ex pluribus declarationibus
„ præcedentibus , tàm in præfato Conſtan-
„ tienſi Conc. quàm hoc in Baſileenſi ſactis,
„ ad majorem tamen ſoliditatem , & firmi-
„ tatem omnium Catholicorum in unanimi
„ profeſſione veritatum ipſarum, bæc Sancta
„ Synodus definit, declarat,pront ſequitur .
„ Veritas de poteſtate Concilii genera-
„ lis , univerſalem Eccleſiam repræſentantis,
„ ſupra Papam, & quemlibet alterum, decla-
„ rata per Conſtantienſe , & hoc Baſileenſe
„ generalia Concilia , eſt veritas fidei Ctho-
„ licæ .
„ Veritas hæc , quòd Papa Concilium
„ Generale univerſalem Eccleſiam repræſen-
„ tans , actu legitimè congregatum ſuper
„ declaratis in præfata veritate , aut aliquo
„ eorum , ſine ejus conſenſu nullatenus au-
„ ctoritativè poteſt diſſolvere , aut ad aliud
„ tempus prorogare , aut de loco in locum
„ transferre , eſt veritas fidei Catholicæ .
„ Veritatibus duabus prædictis pertina-
„ citer repugnans eſt cenſendus hęreticus .
„ Datum in ſeſſione noſtra publica , in
„ majori Eccleſia Baſileenſi ſolemniter cele-
„ brata , decimo ſeptimo Kalendas Junii ,
„ Anno à Nativitate Domini milleſimo qua-
„ dringenteſimo trigeſimo nono . *Hactenus Decretum* .

955 Has veritates receptas ut de fide à Patribus exiſtentibus in eo Conciliabolo, approbarunt, inde, ut ait Auguſtinus Patricius in hiſtor. Concilii Baſil. cap.92. Principum Legati , qui huic ſeſſioni non interſuerunt , præſertim Epiſcopus Lubecenſis Cæſaris Legatus , & Archiepiſcopus Turonenſis Francorum Regis , nomine tamen proprio , excuſanteſque quòd ſeſſioni non interſuiſſent , nè Principum mandatis contrairent . Deinde reverſi Oratores Baſileenſes ex Brittannia , narrarunt Ducem illius Regionis Decreta Concilii piè ſuſcepiſſe , præterquam Eugenii Pontificis ſuſpenſionem . Habita poſtea in ipſis Kalendis Junii generali Congregatione , conati ſunt Principum Legati , Cæſaris ſcilicet , Regnum Franciæ , Hiſpaniæ, Aragonię, omnium Principum Germaniæ , & aliorum , perſuadere Patribus , ut meditata pro pace Eccleſiæ Moguntiæ ſuſciperent , proceſſum contra Eugenium ſuſpenderent, & in tertium Concilii locum conſentirent : Sed hæc omnia fruſtrà ; nam reſponderunt , neque ſibi licère, neque utile eſſe Reipublicæ Chriſtianæ , ut à judicio contra Eugenium ſuſpenderetur , vel mutatio aliqua Concilii fieret , ſed neceſſe Patribus pre fidei orthodoxæ firmitate & tuitione veritates fidei tueri , judicium perficere , & uſque ad mortem in ſententia perſeverare . Habita denique eſt ab eis alia Generalis Congregatio IX. Kalendas Julii , in qua de fide declaratæ ſunt quinque aliæ veritates , videlicet 1. diſſolutionem Concilii generalis Baſileenſis , primò per Eugenium ſactam eſſe con-

Digitized by Google

contra primas duas veritstea . II. Engenium monitum à Concilio , errores ſuoa primæ diſſolutionis revocaſſe . III. Secundam diſſolutionem hujuſmodi ab Eugenio factam, ſi contra ſe, ſuoſque procederetur , eſſe errorem Fidei . IV. Secundam diſſolutionem hujuſmodi ab Eugenio factam, pertinaciam ejua poſt accuſatam contumaciam . V. Et erectionem alterius Congregationis ſub nomine Concilii generalia , durante adhùc Bsfileenſi Synodo , eſſe contra primas veritatea . Hia dcfinitis, indicta eſt ſeſſio sd VII. Kalendaa Julii , & decretum eſt citandum Eugenium ad audiendam ſententiam .

956 Itsque indicta die,nimirum VII. Kal. Julii habita eſt ſeſſio XXXIV. in qua , ait Auguſtinus Patricius , interſuere infulati Præſulea XXXIX. inter Epiſcopos & Abbates , inferioris autem ordinis non minus trecentis . Vocatus iterum Eugenius per duoa Epiſcopos , & non comparens , contumax judicatus eſt , lata in eum ſententia , tenoris videlicet ſequentis ,

Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu Sancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans , ad perpetuam rei memoriam .

957 „ Proſpexit Dominus de excelſo
„ ſancto ſuo , de Cœlo in terram aſpexit ,
„ ut audiret gemitus plorantia Eccleſiæ ſu-
„ per perditionibus animarum precioſo Jeſu
„ Chriſti Sanguine redemptarum , & mslis
„ innumeris , quæ in Religionem Chriſtia-
„ nam irruerunt &c. *Et enarratis appoſitis*
„ *criminibus Eugenio , & quod contra veritatis*
„ *fidei contumaciter peccaverit , additur* . Ea-
„ dem S. Synodus pro Tribunali ſedens , per
„ hanc ſuam ſententiam diffinitivam , qusm
„ fert his ſcriptia , pronuntiat , decernit , &
„ declarat , Gsbrielem priùs nominatum Eu-
„ geninm Papam IV. fuiſſe , & eſſe notorium
„ & msnifeſtum contumacem , mandatis ,
„ ſeu præceptia Eccleſiæ univerſalis inobe-
„ dientem , & in aperta Rebellione perſiſten-
„ tem , violatorem aſſiduum , atque contem-
„ ptorem ſacrorum Canonum Synodalium ,
„ pacis, & unitatis Eccleſiæ Dei perturbato-
„ rem notorium , Simoniacum , perjurum ,
„ incorrigibilem , ſchiſmaticum , à fide de-
„ vium , pertinacem hæreticum , dilapidato-
„ rem jurium, & bonorum Eccleſiæ, inutilem
„ ac dsmnoſum sd adminiſtrationem Romani
„ Pontificatus , omni titulo , gradu , honore,
„ & dignitate ſe reddidiſſe indignum . Quem
„ propterea eadem S. Synodus à Papatu , &
„ Romano Pontificatu ipſo jure privatum eſ-
„ ſe declarat & pronuuciat , ac ipſum ab eiſ-
„ dem amovet , deponit , privat , & abiicit ;
„ decernendo nihilominùs contra eundem, ad
„ executionem etiam aliarum juris pœna-
„ rum , ad quss hæc eadem S. Synodus hâc
„ eadem ſua ſententia ipſum condemnat , ul-
„ teriùs fore procedendum . Ac eidem inbi-
„ bet , nè deinceps pro Papa , vel Romano
„ Pontifice ſe quovis modo nominet , ſeu ge-
„ rat . Omneſque Chriſticolas ab ipſius obe-
„ dientia, fidelitate, ac juramentia & obliga-
„ tionibus eidem quomodolibet præſtitis, ab-
„ ſolvit, & abſolutos eſſe declarat , ac omni-
„ bus & ſingulis Chriſtifidelibua inhibet , ſub
„ pœnis fautoriæ ſchiſmatis & hæreſis , ac
„ privationis omnium beneficiorum , digni-
„ tatum , & honorum Eccleſiaſticorum , &
„ mundanorum , & aliis pœnis juris , etiamſi
„ Imperialis, Regalis, Cardinalatus, Patriar-
„ chalis , Archiepiſcopalis , aut Epiſcopalis
„ dignitatis , aut etiamſi communitates, uni-
„ verſitates, & Collegia exiſtant , qni ſi con-
„ tra hanc inhibitionem fecerint , ſint aucto-
„ ritste hujus Decreti,ac ſententiæ ipſo facto
„ privati , & aliis juris incurrant pœnas , nè
„ eidem Gabrieli notorio ſchiſmatico , per-
„ juro , hæretico , ſcandalizatori , incorrigi-
„ bili , pertinaci , privato , depoſito , amoto ,
„ & taliter declarato,tamquam Summo Pon-
„ tifici obediant , pareant, vel intendant , aut
„ eum quovis modo ſuſtineant, vel receptent,
„ aut ſibi conſilium , auxilium , vel favorem
„ præſtent . Necnon pronuntiat, decernit , &
„ declarat eadem S. Synodus , omnes & ſin-
„ gulos proceſſus , inhibitiones , ſententisa ,
„ cenſuras , conſtitutionea , ordinationes , &
„ alii quæcumque per eum , aut alioa qnoſ-
„ cumque factoa , & facta , quæ poſſint præ-
„ miſſia obviare, irritos & inanea , ac irrita &
„ inania , nulliuſque fuiſſe, aut fore roboris,
„ vel momenti . Datum in ſeſſione noſtra pu-
„ plica, in majori Eccleſia Baſileenſi ſolemni-
„ ter celebrata , ſeptimo Kalendas Julii , An-
„ no à Nativitate Domini milleſimo qna-
„ dringenteſimo trigeſimo nono . *Hactenus ſententia in Eugenium* .

958 Hac publicata ſententis, convenientcs iterum eodem die , decreti ſunt Legati per Chriſtianum Orbem mittendi , qui dejectionem Eugenii,& csuſas cũctis patefaciant , jubeantque hujuſmodi Decretum ab omnibus ſuſcipi . Actum pariter eſt de ſucceſſore deligendo , ſed diſcordantibus , nùm expectandum terminnm præfixum dierum ſexaginta , peſtis csnſa , nec nè , tandèm concluſum eſt eſſe expectandum . Pauló poſt redditæ ſunt literæ Regis Franciæ , in quibna acriter conquerebatur , quòd Patrea non snnniſſent ejus precibns , de ſuſpendendo judicio contra Papam , & quoniam nondùm conſcius factæ depoſitionia , iterùm ſummia precibua eos rogabat , quatenus à tali judicio ſnperſederent. Patres verò reſponderunt , Regem pauló poſt per Legatos ſuos , cogniturum qnid actum fuerat . Denique publicia literis ſupradictas approbatas veritatea , & quinque concluſiones , quæ Eugenium hæreticum adnota-

tabant, divulgare ubique fecerunt.

959 Pendente interea adhùc præfixo ad eligendum tempore, ſexto Idus Julii habita eſt ſeſſio XXXV. in qua decretum eſt continuandum Concilium Baſileæ, nec diſſolvendum, donec omnia abſoluta eſſent, ad quæ fuerat congregatum, & concurrentibus duabus Patrum partibus. Item, ut elapſo termino ſexaginta dierum à die depoſitionis deveniatur ad ſucceſſoris electionem. Ac denique, ut faciliùs in ſuam ſententiam alios traherent, decreverunt licère omnibus, qui Eugenium ſecuti fuerant, intra terminum prædictum dierum ſexaginta, eo relicto, Concilium ſequi Baſileenſe, promiſſa eis impunitate, & defenſione ab Adverſariis. Cùm porrò peſtis magis graſſaretur, die XI. Kal. Auguſti habita Congregatione, Cardinalis Arelatenſis propoſuit abſtinendum ab actibus Conciliariis ad finem uſque proximi Septembris, electionem verò Pontificis differendam ad menſem Novembris: ſed contradicentibus Patribus, qui magis illic mori delegerant, quàm Concilium ſuſpendi, nil concluſum fuit; delecti tamen fuerunt Legati ad conventum Francfordienſem per Electores Imperii circa Kalendas Auguſti celebrandum: Ad Synodum Provincialem Moguntiæ habendam circa feſtum Aſſumptionis Beatæ Virginis, ad Cæſarem, ad Regem Hiſpaniæ, & ad conventum Bituricenſem à Chriſtianiſſimo Rege indictum. Deinde pridie Kal. Auguſti in alia Congregatione, edito Decreto gratias expectativas, quæcumque nominationes ad beneficia jam facta revocarunt. Et exhibiti fuerunt eadem die triginta articuli erronei, extracti ex Libro Animæ ſimplicis, à quodam Jacobo olim Medico, tunc Eremita, aſſerente Eugenium illis adhæſiſſe: hinc Patres Judices delegerent Epiſcopos Venetiarum, & Tarraconenſium, ut ſuper his inquirerent, non obſtante quòd Eugenius eſſet depoſitus. Cæterùm nihil profecerunt miſſæ Legationes, nam potius Imperii Principes, & Synodus Moguntina pro tunc neutralitatem elegerunt, quàm eis adhæreſcere, immò Moguntiæ, & alibi edicta privationis Eugenii à præfatis Legatis affixa, deleta fuere, & juſſi, nè ultra affigerent, ut refert Auguſtinus Patricius relatus cap. 95.

960 Vigente ea tempeſtate celeberrima illa cõtroverſia de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, an contraxerit, nec nè maculam originalis culpæ, viſũ eſt Patribus Baſileenſibus, Synodali Decreto eam dirimere. Quare die decimo quinto Kal. Octobris, habita ſeſſione XXXVI. decreverunt ut infra.

Sacroſancta Baſileenſis Generalis Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

961 „ Elucidantibus divinæ gratiæ my-
„ ſteria mercedem glorioſam repromiſit æter-
„ na Dei Patris Sapientia, dum ait: *Qui elu-*
„ *cidant me, vitam æternam habebunt.* Quod
„ etiã de Glorioſa Virgine, quæ ipſam Patris
„ Sapientiam Dei Filium æternũ in utero per-
„ tulit, ac Mundo peperit, Sacroſancta legit
„ Eccleſia: nam quidquid de dignitate &
„ ſublimitate Virginis Matris educitur in lu-
„ cem, hoc non dubium eſt ad laudem, & ho-
„ norem Filii ſui pertinere. *Et infra.* Nos
„ verò diligenter inſpectis auctoritatibus, &
„ rationibus, quæ jam à pluribus annis in
„ publicis relationibus ex parte utriusque
„ doctrinæ coràm hac ſancta Synodo allega-
„ tæ ſunt, aliisque etiam plurimis ſuper hac
„ re viſis, & matura conſideratione penſatis,
„ doctrinam illam differentem Glorioſam
„ Virginem Dei Genitricem Mariam, præ-
„ veniente & operante divini Numinis gratia
„ ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe
„ originali peccato, ſed immunem ſemper
„ fuiſſe ab omni originali & actuali culpa,
„ ſanctamque & immaculatam, tanquam
„ piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, Fi-
„ dei catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ ſcri-
„ pturæ, ab omnibus catholicis approban-
„ dam fore, tenendam, & amplectendam diffi-
„ nimus, & declaramus, nullique de cætero
„ licitum eſſe in contrarium prædicare, ſeu
„ docere. Renovantes præterea inſtitutio-
„ nem de celebranda ſancta ejus Conceptio-
„ ne, quæ tam per Romanam, quàm per
„ alias Eccleſias ſexto Idus Decembris anti-
„ qua & laudabili conſuetudine celebratur,
„ ſtatuimus & ordinamus eamdem celebrita-
„ tem præfata die in omnibus Eccleſiis, Mo-
„ naſteriis, & Conventibus Chriſtianæ Reli-
„ gionis, ſub nomine Conceptionis feſtivis
„ laudibus colendam eſſe, cunctisque fideli-
„ bus verè pœnitentibus, & confeſſis, ea die
„ Miſſarum ſolemniis centum, primis autem
„ & ſecundis veſperis totidem, ſermoni verò
„ Verbi divini de ea feſtivitate intereſsẽtibus
„ centum quinquaginta dies, conceſſione per-
„ petuis temporibus duratura, de injunctis
„ pœnitentiis hæc ſancta Synodus elargitur.
„ Datum Baſileæ in ſeſſione noſtra publica,
„ in majori Eccleſia Baſileenſi ſolemniter ce-
„ lebrata XV. Kal. Octobris An. à Nativitate
„ Domini MCCCCXXXIX.

962 Interea Eugenius Papa cùm eſſet adhuc Florentiæ continuaturus œcumenicum Concilium, cognita Baſileenſium perfidia, atque effrenata audacia, ſeſſionem publicam indixit, & communicata materia cùm Patribus, & conſideratis veritatibus illis, quas ut de fide

auſi fuerant defi nire, de unanimi Patrum conſenſu præfatas declarationes, ſive veritates ſolemniter reprobavit, & damnavit, edita & publicata infraſcripta Conſtitutione,

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

963 „ Moyſes vir Dei populi ſibi commiſſi ſalutem zelans, timensque nè ob ſeditioſorum ſchiſma Core, Dathan, & Abiron, ira Dei in ipſum Populum, ſi illos conſequeretur, inſurgeret, juſſu Domini dixit ad plebem univerſam: *Recedite à Tabernaculis impiorum hominum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, nè involvamini in peccatis eorum.* Senſerat enim, ipſo Domino inſpirante, ſeditioſos & ſchiſmaticos illos ultionem graviſſimã excepturos, ſicut poſtmodum rei monſtravit eventus, dum nec ipſa terra eos potuit ſuſtinere, ſed juſto Dei judicio illos abſorbuit, ut deſcenderent in Infernum viventes. Sic & nos, quibus, licèt immeritis, Dominus Jeſus Chriſtus populum ſuum committere dignatus eſt, audientes illud execrabile ſcelus, quòd quidam perditi homines Baſileæ commorantes ad ſcindendam Sanctæ Eccleſiæ unitatem proximis diebus machinati ſunt, metuentesque, nè quos incautos ſeducãt fraudibus, & venenis inficiant, ad ipſum Domini noſtri Jeſu Chriſti populum nobis creditum clamare pari voce compellimur: *Recedite à Tabernaculis hominum impiorum*, cùm longè amplior ſit plebs Chriſtiana, quàm illa tunc Judæorum: Eccleſia ſanctior quàm Synagoga; & Chriſti Vicarius ipſo Moyſe auctoritate & dignitate ſuperior.

964 „ Quam Baſileenſem impietatem dudùm prævidere cœpimus, quandoquidem illud tunc Baſileenſe Concilium intuebamur jam in tyrannidem prolabi, dum multi etiam inferioris gradus ad illud veniendum, ſtandumque pro libitu factionis auctorum cogerentur, dum nonnullorum vota & judicia diverſis actibus extorquerentur, dum conſpirationibus, conjurationibus, monopoliis, & conventiculis penè omnia cederent, & pro ambitione Papatus diuturna protractio ipſius Concilii quærebatur, ubi denique innumeræ novitates, inordinationes, deformitates, & quaſi infinita patiebantur mala, ad quod etiam Laici & Clerici infra ſacros ordines conſtituti, ignorantes, inexperti, vagi, dyſcoli, profugi, apoſtatæ, de criminibus condamnati, & de carceribus fugientes, nobis & ſuis ſuperioribus rebelles, & reliqua iſtiusmodi hominum monſtra concurrerent, qui & ab ipſis ſcelerum Magiſtris in omnem corruptionis labem facilè trahebantur.

965 „ Advertimus etiam ad illud ſanctiſſimum opus unionis Orientalis Eccleſiæ, quod per quorumdam factioſorum Baſileenſium fraudes omninò periclitari videbamus; & idcircò tantis malis, quantùm in nobis erat, providere cupientes, & prædictis, & aliis rationabilibus & neceſſariis cauſis, de quibus in Decreto tranſlationis pleniùs continetur, præfatum tunc Baſileenſe Concilium, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, plurimis Venerabilibus Fratribus, & dilectis filiis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Electis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, & Magiſtris ac Doctoribus id laudantibus, ad Civitatem Ferrarienſem tranſtulimus, ubi etiam cum Occidentali & Orientali Eccleſia Conciliũ œcumenicum, Domino diſponente, fundavimus: Deinde morbo peſtis ſupervenienté, & continuante, ad hanc Civitatem Florentinam, eodem approbante Concilio, tranſtulimus, in qua ipſe piiſſimus, & clementiſſimus Deus oſtendit mirabilia ſua, ut ſcilicet ſchiſma illud perniciosiſſimum, quod in Dei Eccleſia per quingentos ferè annos cum maximo totius Chriſtianitatis detrimento duraverat, & ad illud extirpandum plurimi Sancti Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, multique Reges & Principes, & alii Chriſtiani magnis olim laboribus & expenſis diutiſſimè inſudarant, poſt multas tandem in utroque loco diſputationes publicas & privatas, diverſos tractatus, ac labores multiplices, ſublatum fuerit, & ſanctiſſima Latinorum & Græcorum unio fœliciter conſummata, prout in Decreto ſuperinde confecto, & ſolemniter promulgato pleniùs continetur. Ex qua re ipſi æterno Deo inexhauſtas gratias referentes, omnique fideli populo congratulantes, obtulimus illi hoſtiam jubilationis & laudis. Vidimus enim non gentem unam, velut Hebræorum populum ad terram repromiſſionis revocari, ſed multarum gentium populos, nationes, & linguas ad unum divinæ veritatis eloquium, meritumque concurrere, per quod etiam jam magna ſpes redditur, ut ipſe Sol juſtitiæ in Oriente oriens ad aliarum multarum gentium etiam infidelium tenebras radios ſuæ lucis extendat, fiatque ſalus Domini uſque ad extremum terræ.

966 „ Cujus quidem rei jam optimas arrhas, Deo diſponente, tenemus, dum ipſe Omnipotens Deus per operam noſtram Armenorũ Oratores ex longiſſimis Orientis partibus ad nos, & Sanctam Apoſtolicam Sedem, & ſacrum hoc Concilium iis in diebus eum pleno mandato pervenire conceſſis, qui nos non aliter, quàm Beatum Petrum Apoſtolorum Principem intuentes, & venerantes, ipſamque Sanctam Sedem, ve-

„ veluti Matrem omninm fidelium & Magi-
„ ſtram recognoſcentes, ad eam, & præfatum
„ Concilium pro ſpirituali cibo, & ſanæ do-
„ ctrinæ veritate ſe veniſſe profeſſi ſunt: ob
„ quam rem ipſi Deo noſtro iterum gratias
„ multas retulimus. Sed quas in præſato di-
„ vino opere moleſtias, quas impugnatio-
„ nes, quas denique perſecutiones, non qui-
„ dem à Turcis, & Sarracenis, ſed à vocatis
„ Chriſtianis hucuſquè paſſi fuerimus, hor-
„ ret animua commemorare. Refert Beatus
„ Hieronymus, quòd ab Hadriani tempori-
„ bus uſque ad Imperium Conſtantini, in
„ loco Reſurrectionis Dominicæ ſimulacrum
„ Jovis, & in Crucis rupe ſtatua Veneris ex
„ marmore à Gentibus poſita colebantur,
„ exiſtimantibus perſecutionis auctoribus
„ tollere nobis fidem Reſurrectionis & Cru-
„ cis, ſi ſancta loca per Idola polluiſſent.

967 „ Non diſſimile à Baſileenſibus illis
„ hominibus perditiſſimis nobis, & Eccleſiæ
„ Dei his diebus fieri contigit, niſi quod illud
„ à Paganis, & verum Deum ignorantibus fa-
„ ctum eſt, hoc ab his, qui cognoverunt &
„ oderunt. Et idcircò ſuperbia eorum, juxta
„ Prophetam, aſcendit ſemper, eò periculo-
„ ſiùs, quò ſub reformationis ſpecie, quam
„ in ſe ſemper horruerunt, venena diffun-
„ dunt. Primùm quidem poſtquam hi, qui
„ omnis ſcandali patratores Baſileæ fuerunt,
„ Græcis in profeſſione defecerant, cùm per
„ ipſorum Græcorum, & Eccleſiæ Orientalis
„ Oratores planè intelligerent, Chariſſimum
„ in Chriſto Filium Joannem Palæologum
„ Romæorum Imperatorem Illuſtrem, & bo-
„ næ memoriæ Joſephum Patriarcham Con-
„ ſtantinopolitanum, reliquosque tam Præ-
„ latos, quàm alios Orientalis Eccleſiæ, ad
„ locum illum pro œcumenico Concilio cele-
„ brando per noſtros Legatos & Præſidentes,
„ aliosque ex præſtantioribus ibidem exi-
„ ſtentibus, ad quos jus eligendi locum,
„ juxta conventionem cōmuni omninm ejus-
„ dem Concilii conſenſu firmatam, poſt gra-
„ ves ſuppoſitorum ejus diſſenſiones devolu-
„ tum erat, legitimè accedere velle; cùm-
„ que etiam nos hanc ipſam loci electionem,
„ ad ſupplicationem & inſtantiam maximam
„ dictorum Oratorum, in Generali Conſi-
„ ſtorio Bononiæ confirmaſſe, & galeas, &
„ alia neceſſaria pro executione ipſius De-
„ creti conventionalis, & hujus ſanctiſſimæ
„ unionis opere, multis laboribus & impen-
„ ſis versùs Conſtantinopolim deſtinare per-
„ cepiſſent, quoddā deteſtabile monitorium,
„ ſeu Citatorium, contra nos, & præſatos
„ Cardinales decernere auſi ſunt, illudque
„ ad præſatos Imperatorem, & Patriarcham
„ Conſtantinopolitanum mittere, ut ipſos,
„ & omnes alios omninò à veniendo diverte-
„ rent. Sciebant enim Illos ad alium locum,
„ quàm electum, ut præmittitur, nullo pa-
„ cto venturos. Deinde cùm prædictos Im-
„ peratorem & Patriarcham, ac reliquos pro
„ ipſo ſanctiſſimæ unionis opere ad nos jam
„ venire percepiſſent, alium impietatis la-
„ queum huic tam divinæ rei iniicere ſunt
„ conati, dum quamdam ſacrilegam ſuſpen-
„ ſionis ab adminiſtratione Papatus aſſertam
„ ſententiam contra nos protulerunt.

968 „ Poſtremò memorati ſcandalorum
„ Duces, numero quidem pauciſſimi, quo-
„ rum plerique conditionis infimæ & nomi-
„ nis veræ pacis odioſiſſimi, ut non intra-
„ rent in juſtitiam Domini, dùm Spiritua
„ Sancti gratiam ipſorum Græcorum unio-
„ ne jam à nobis operari conſpicerent, à re-
„ cta linea per anfractus erroris exorbitan-
„ tes, prætenſam quamdam XVII. Kalendas
„ Junii proximè præteriti ſeſſionem ſecerunt,
„ in qua quibuſdam decretis, licèt per unam
„ tantùm ex tribus obedientiis poſt receſſum
„ Joannis XXIII. ſic in eadem obedientia
„ nuncupati, Conſtantiæ ſchiſmate tunc vi-
„ gente æditis, inhærere ſe dicentes tres pro-
„ poſitiones, quas fidei veritates vocant,
„ quaſi nos, & omnes Principes, & Præla-
„ tos, & alios fideles & devotos Apoſtolicæ
„ Sedis hæreticos facerent, protulerunt, qua-
„ rum tenor ſequitur in hæc verba.

Veritas de poteſtate Concilii generalis
„ univerſalem Eccleſiam repræſentantis ſu-
„ pra Papam, & quemlibet alterum, decla-
„ rata per Conſtantienſe, & hoc Baſileenſe
„ generalia Concilia, eſt veritas Fidei Ca-
„ tholicæ.

„ Veritas hæc, quòd Papa Conci-
„ lium generale univerſalem Eccleſiam re-
„ præſentans, actu legitimè congregatum
„ ſuper declaratis in præfata veritate, aut
„ aliquo eorum, ſine ejus conſenſu nullate-
„ nùs auctoritativè poteſt diſſolvere, aut ad
„ aliud tempus prorogare, aut de loco ad lo-
„ cum transferre, eſt veritas Fidei Catho-
„ licæ.

„ Veritatibus duabus prædictis perti-
„ naciter repugnans, eſt cenſendus hære-
„ ticus.

„ 969 „ In hoc pernicioſiſſimi, dùm ſuam
„ malignitatem ſub veritatis fidei fuco colo-
„ rant, Conſtantienſe Concilium in malum,
„ ac reprobum ſenſum, & à ſana doctrina
„ penitùs alienum pertrahunt, cæterorum
„ ſchiſmaticorum, & hæreticorum falſam
„ doctrinam ſequentes, qui confictos errores
„ & impia dogmata ex divinis Scripturis, &
„ Sanctis Patribus perversè intellectis ſem-
„ per ſibi adſtruere moliuntur. Deinde aver-
„ tentes penitùs ſenſum ſuum, & declinantes
„ oculos ſuos, nè viderent Cœlum, neque
„ recordarentur judiciorum juſtorum, more
„ Dioſcori, & damnatæ Epheſinæ Synodi,
„ ad quamdam venenatam, execrabilemque
„ aſſertæ declarationis, ſeu privationis ſen-
„ tentiam à dignitate. & officio Summi Apo-
„ ſtolatus inexpiabili quodam ſcelere proceſ-

,, ferunt, cujus tenorem omni piæ menti hor-
,, ribilem habere hic volumus pro ſufficien-
,, ter expreſſo: nihil omittentes quantùm in
,, eis fuit, quin hoc incomparabile unionis
,, bonum in totum everterent. Oh miſeros,
,, & degeneres filios! Oh pravam adulteram
,, generationem! Quid hac impietate, ac
,, iniquitate crudeliùs, quid deteſtabiliùs,
,, horribiliùs, atque inſaniùs excogitari po-
,, terat? Dixerant olim, nihil meliùs, glo-
,, rioſiùs, atque fructuoſiùs hac ſanctiſſima
,, unione ab exordio naſcentis Eccleſiæ in Po-
,, pulo Chriſtiano viſum, vel auditum fuiſſe,
,, neque expedire in re illa de loco conten-
,, dendum fore, ſed pro ea conſequenda ne-
,, dùm hujus Mundi ſubſtantiam, ſed & cor-
,, pus, atque animam exponi debere, pro hac
,, toto Orbe clamantes, & ad id commoven-
,, tes Populum chriſtianum, veluti in ſuis
,, Decretis, & Epiſtolis plenè continetur,
,, Nunc verò tam furioſè, quàm impiè, quan-
,, tùm in eis eſt, ad idem perſecuntur, ut ad
,, illud Baſileenſe latrocinium totius Orbis
,, Dæmonia confluxiſſe videantur.

970 ,, Et licèt illorum iniquitatem, ſibi
,, ſemper mentitam, Omnipotens Deus hùc-
,, uſque prævalere non permiſerit, cùm ta-
,, men ad eam complendam uſque ad abomi-
,, nationem deſolationis in Dei Eccleſia viri-
,, bus omnibus ſtudeant, Nos, qui ſine gra-
,, viſſima Dei offenſa, ac imminenti periculo
,, confuſionis, & abominationis in Dei Ec-
,, cleſia talia diſſimulare nullo modo vale-
,, mus, juxta Paſtoralis officii noſtri debitum,
,, multis etiam zelo Dei ſuccenſis nos ad hoc
,, ipſum impellentibus, tantis malis obviare
,, volentes, ac quantùm in nobis eſt, optimè
,, & ſalubriter providere, execrabilemq; im-
,, pietatem ac peſtem pernicioſiſſimam à Dei
,, Eccleſia eliminare, prædeceſſorum noſtro-
,, rum ſequentes veſtigia, qui, ut ſcribit Ni-
,, colaus Papa, ſoliti ſunt Concilia etiam
,, univerſorum Pontificum nequiter celebra-
,, ta caſſare, ſicut in univerſali contigit Sy-
,, nodo Epheſina ſecunda, quam Beatiſſimus
,, Papa Leo ſubmovit, & Chalcedonenſem
,, inſtituit, ſolemne & ſalubre declarationis
,, decretum contra ſacrilegos ipſos, auctori-
,, tate Apoſtolica in ſacro Ferrarienſi genera-
,, li Concilio xv. Kalendis Martii per nos
,, editum, hoc ſacro approbante Concilio,
,, innovamus. Per quod quidem inter alia
,, omnes & ſingulos Baſileæ ſub pretenſi Cō-
,, cilii nomine, quod veriùs conventiculum
,, eſſe diximus, contra translationem, & de-
,, clarationem noſtras contravenientes, & il-
,, la ſcandaloſa & nefaria preſumentes, etiam-
,, ſi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepi-
,, ſcopali, Epiſcopali, Abbatiali, aut alia
,, quavis dignitate Eccleſiaſtica, vel ſæculari
,, præfulgerent, excommunicationis, priva-
,, tionis dignitatis, Beneficiorum, & officio-
,, rum, ac inhabilitationis ad futura, pœnas
,, in dictis noſtris literis translationis con-
,, tentas, ipſo ſacro Ferrarienſi approbante
,, Concilio incidiſſe declaravimus.

971 ,, Decernentes etiam nunc, & decla-
,, rantes, quæcumque per dictos impios ho-
,, mines Baſileæ exiſtentes facta, & attentata,
,, de quibus in præfato noſtro Ferrarienſi de-
,, creto fit mentio, ſimiliter omnia & ſingula
,, per prædictos, & poſt facta, geſta, & at-
,, tentata ſpecialiter in duabus prætenſis ſeſ-
,, ſionibus, ſe veriùs conſpirationibus ulti-
,, mo nominatis, ac quidquid ex eis, vel ex
,, ea forſitan ſecutum ſit, & in futurum ſequi
,, poſſet, tanquam ab impiis hominibus, &
,, nullam poteſtatem habentibus, ſed à Deo
,, abjectis & reprobatis, fuiſſe, & eſſe nulla,
,, caſſa, irrita, & de facto præſumpta, ac nul-
,, lius penitùs effectus, roboris, vel mo-
,, menti.

972 Ipſaſque propoſitiones ſuperiùs de-
,, ſcriptas, juxta pravum ipſorum Baſileen-
,, ſium intellectum, quem facta demonſtrant,
,, veluti ſacroſanctæ ſcripturæ, & Sancto-
,, rum Patrum, & ipſius Conſtantienſis Con-
,, cilii ſenſui contrarium, necnon præfatam
,, aſſertam declarationis, ſeu privationis ſen-
,, tentiam, cum omnibus inde ſecutis, & quę
,, in futurum ſequi poſſent, tanquam impias
,, & ſcandaloſas, necnon in manifeſtam Ec-
,, cleſiæ Dei ſciſſuram, ac omnis Eccleſia-
,, ſtici Ordinis, & Chriſtiani Principatus
,, confuſionem tendentes, ipſo ſacro appro-
,, bante Concilio, damnamus, reprobamus,
,, ac damnatas, & reprobatas nuntiamus.

973 ,, Decernimus etiam, & declara-
,, mus, omnes & ſingulos prædictos fuiſſe,
,, & eſſe ſchiſmaticos, & hæreticos, & una
,, pœnas in præfato Ferrarienſi Concilio de-
,, claratas, tanquam tales cum omnibus eo-
,, rum fautoribus & defenſoribus cujuſcum-
,, que ſtatus, conditionis, & gradus Eccleſia-
,, ſtici, vel ſæcularis extiterint, etiamſi Car-
,, dinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali,
,, Epiſcopali, & Abbatiali, aut alia quavis
,, dignitate præfulgeant, ut cum prædictis
,, Core, Dathan, & Abiron meritam acci-
,, piant portionem, pœnis condignis omni-
,, nò puniendos.

974 ,, Nulli ergò omninò hominum li-
,, ceat hanc paginam noſtræ innovationis,
,, declarationis, damnationis, & reprobatio-
,, nis, nuntiationis, conſtitutionis, & di-
,, ſpoſitionis infringere, vel ei auſu temera-
,, rio contraire. Si quis autem hoc attenta-
,, re præſumpſerit, indignationem omnipo-
,, tentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli
,, Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.
,, Datum Florentię in ſeſſione publica in Ec-
,, cleſia Sanctæ Mariæ Novellæ, celebrata
,, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo
,, quadringenteſimo trigeſimonono, pridie
,, Nonas Septembris, Pontificatus noſtri An-
,, no IX. *Hactenus Eugenii Conſtitutio*. Quæ

ex

ex Codice Vaticano exſcripta habetur apud Labæum, part. 3. Concilii Florentini, pag. 1186. referunt eam Cochlæus in Hiſtor. Huſſitarum, lib. 9. & Bzovius in Annalibus tom. 16. Anno 1439. ſub num. 35. Habetur etiam apud Raynaldum ad hunc eundem Annum ſub num. 29.

975 Hæc cùm Baſileæ nuntiata eſſent, ait Auguſtinus Patricius cap. 97. magna moleſtia Patres affecerunt, videntes Eugenium, quem ſatis edictis perterritum putabant, tam acriter contra ſe inſurgere. Unde adhibitis Doctoribus Viris, Apologiam contra ejus, ut appellabant invectivam, componunt, conanturque multis argumentis affirmare, veritatea à ſe profeſſaa veraa eſſe, & juſtè, meritòque ſe dejeciſſe Pontificatu Eugenium. Extant hæc literæ Apologeticæ apud Labæum, relatæ tom. 12. Concilior. pag. 765. quarum initium eſt: *Beatus Hieronymus*, datæ in Congregatione generali Nonis Octobris. Addit inde Auguſtinus, actum inter Baſileenſes damnando Eugenii libello, ideſt de damnanda præfata Conſtitutione, incipiente, *Moyſes*, & velut hæretica haberetur; & cùm multæ contentiones ſuper hac re haberentur, habito ſermone in contrarium Joannes Segobius, licèt contra mentem Arelatenſis, dilatum eſſe ait. Egerunt tamen de ſubrogando, & eligendo Pontifice; undè plures Prælati Sabaudiæ Baſileam profecti ſunt, inter quos Archiepiſcopus Tarantaſienſis, & Bellicenſis, & Hipporegienſis Epiſcopi, cum aliis pluribus. Imperator verò interea ſcripſit ad eos actes literas, conqueſtus, quòd Principum preces ſpreviſſent procedendo contra Eugenium, rogabat porrò, ut ſaltem ſe continerent ab electione novi Pontificis, miſſurus quamprimùm Oratores, qui pacem procurarent: Sed Cardinalis Arelatenſis parvifaciens hujuſmodi monita electionem accelerare conabatur.

976 Itaque nono Kalendas Octobris celebrata eſt ſeſſio XXXVII. in qua plura ordinata ſunt pro futura electione Romani Pontificis, interque conſtitutum eſt, nè Sede Vacante aliter quàm per Concilium Papa eligatur. Quòd ante ſexageſimum diem vacantis Sedis ad electionem procedi non debeat, & ille habeatur Pontifex, quem duæ partes ſuffragiorum, & voventium electorum Cardinalium elegerint. Item quòd omnes electores Euchariſtiam ſumant, & ante ingreſſum Conclavis juramentum emittant, juxta Decretum editum in ſeſſione XXIII. ſtatutum etiam eſt, ut electus in Papam in præſentia Notarii, & decem teſtibus infra diem naturalem teneatur conſentire, aliàs irrita electio cenſeatur: & antequam quidquam grave tractare incipiat, in loco Concilii coronetur, promittatque ſemper ſe catholicum fore, Concilia Generalia obſervaturum, pro extirpandis hæreſibus laboraturum, & Concilium inchoatum continuaturum, decreti ſunt Electores, quorum primus velut Præſes, ipſe Cardinalis Arelatenſis, poſt eum cæteri Cardinales, qui ante conſummatam electionem ibi adeſſent, ſi intereſſe electioni voluiſſent. Cæterùm de Prælatis, & Eccleſiaſticis Viris, ſaltem in Diaconatus ordine conſtitutis, aſſumerentur, ad numerum triginta duorum, reſervata eorum nominatione facienda in publica ſeſſione, & generali congregatione, & hoc pro ea vice dumtaxat. Hæc & alia pro futura electione ordinata ſunt in prædicta ſeſſione.

977 Deinde III. Kal. Novembris celebrata eſt ſeſſio XXXVIII. in qua primùm contra conſtitutionem Eugenii Papæ, *Moyſes*, incipientem, nonnulla decreverunt, & allegatis pluribus rationibus, & auctoritatibus, tres veritates fidei declaratas confirmarunt, jubentesque doctrinam in conſtitutionem Eugenii contentam, velut hæreticam vitandam, ac mandantes omnibus Collegiis, & Univerſitatibus, Eccleſiaſticis, & Laicis univerſis, nè illam publicare audeant, nec ei faveant, aut credant, vel aſſenſum præbeant. Ac denique nominati ſunt, juxta Decretum præteritæ ſeſſionis, Electores pro eligendo Romano Pontifice. Rebus ſic ordinatis, qui nominati fuerant pro eligendo Romano Pontifice, ex loco ſeſſionis proceſſionaliter, præcedente Cruce, abierunt ad electionis locum, ut notat Auguſtinus Patricius inquiens: „ Ingreſſi „ ſunt eadem die Conclave Electores, & ma- „ gna Civium manus armata foris obſerva- „ bat, ut liberè poſſent eligere. Intraverunt „ cum Electoribus Clerici Cæremoniarum, „ & ſervitores Electorum, Cardinalis duo- „ bus fuit contentus, & alii uno tantùm. Po- „ ſtridiè verò, antequàm ſuffragia inirent, „ Arelatenſis Cardinalis multis verbis hortatus eſt collegas ſuos, ut in Pontificem eli- „ gerent Virum quempiam genere, & divitiis „ potentem, qui neceſſitati Eccleſiæ provide- „ re poſſet, alioquin omnia fruſtrà ceſſura; „ opus eſſe magna, & præſenti pecunia ad „ quadraginta millia nummorum, & tali Pon- „ tifice, qui in ſuo Imperio Patres ſuſciperet, „ & ab Adverſariis tui poſſit, *Hæc Auguſtinus*.

978 Subjungit poſtea de actis ex more Scrutinii, aitque non conveniſſe Patres, niſi pridie Nonas Novembris, in qua die habito pariter Scrutinio, compertum eſſe Amadeum Sabaudiæ Ducem viginti & duo ſuffragia habuiſſe, ac proinde duas eorumdem ſuffragiorum partes, & juxta Decreta Synodalia electum in Romanum Pontificem. Conatum, addit, Arelatenſem, ut ſeptem illi, qui in Amadæum non convenerant, & ipſi eligerent, fruſtrà tamen, illis reſpondentibus, ſatis eſſe, ſi electionem laudarent. Poſtea electio antefata, aperto Conclavi, & pluribus ingreſſis, ab eodem Cardinali Arelatenſi publicata fuit. Cæterùm de hac electione, & aliis geſtis con-

Digitized by Google

conſulendus eſt Æneas Sylvius, qui tunc Juvenis electioni in qualitate Magiſtri Ceremoniarum interfuit, lib.2. de geſtis Concilii Baſileenſis. De moribus, ac virtutibus Amadæi diverſimodè loquuntur Scriptores, Flavius Blondus lib.3. Decad.10. de multis eum inſimulat, alii virum omni virtute præditum decantant. Fides autem penès eos ſit. Referam pauca dumtaxat, quæ Sanctus Joannes à Capiſtrano in ſuo opere de Auctorit. Papæ, & Concil. par.3. de hujus Amadæi in Papam electione ſcribit: *Jam videmus*, inquit, *abominationē deſolationis, Amadæum Sabaudienſem non in loco Sancto Romano Throno, Domino prohibente, ſed in loco profano, excommunicato, & interdicto, Baſiliſcorum ſpelunca, Dæmonumque caverna ſedentem in fano Coſrhoe Perſarum olim perditiſſimi Regis.*

979 Interea deceſſit è vita Albertus Imperator ſexto Kal. Novembris, Principes verò Electores habito Francfurti conventu, neutralitatem eligunt, decernentes, nec uni, nec alteri Pontifici adhærendum, donec re meliùs examinata, quid ultimò determinandum ſit, clarius conſpiciant. Baſileenſes verò xv. Kal. Decēbris in publica ſeſſione, quæ fuit xxxix. electionem anteſatam approbant & laudant, edito Decreto, cujus initium: *Deus Patrum noſtrorum*, ubi enarrata electionis ſerie, in fine dicitur: „ Quæ omnia conſiderans hæc „ ſancta Synodus, & ſpem magnam gerens in „ Domino, quòd præfatus Amadæus pro ſapientia, experientia, juſtitia, clementia, „ & cæteris virtutibus ſuis plurimos fructus „ ſalutis efficiet in populi Dei &c. habita ſuper hoc in quatuor deputationibus omniū „ ſuppoſitorum hujus ſacri Concilii, concordi & unanimi deliberatione, & demùm in „ generali Congregatione, concluſione ſubſecuta, ipſam electionem laudat, recipit, „ & approbat, & ex abundanti, & ex certa „ ſcientia hoc præſenti Decreto ratificat, „ confirmat, declarans eumdem Amadæum „ abſque ulla exceptione ab univerſali Eccleſia teneri, haberi, & reputari debere, electum in verum & legitimum Summum & „ Romanum Pontificem. Et hoc ipſum per „ præſentis Decreti publicationem ad notitiam volumus deduci cunctorum. Datum „ in ſeſſione noſtra publica, in majori Eccleſia „ Baſileenſi ſolemniter celebrata, xv. Kal. „ Decembris, Anno à Nativitate Domini „ MCCCCXXXIX. *Hactenus Decretum*. Selecti porrò ſunt Legati numero xxv. ad ipſum Amadæum, ut de facta in eum electione nuncient, & conſenſum exquirant, cujus Legationis Dux, Cardinalis Arelatenſis, quem ſectabantur Epiſcopi VII. Abbates III. Doctores verò XIV. qui III. Nonas Decembris, unà cum Civitatis Baſileenſis Nunciis, & compluribus Nobilibus, omnes ferè numero 200. profecti ſunt ad Monaſterium Ripariæ, ubi unà cum decem aliis Nobilibus Monaſticam, ſeu Eremiticam vitam ducebat. Cùm que illùc perveniſſent ad XIII. Kal. Januarias, ipſe Amadæus unà cum ſuis ſociis, & Clero præcedente Cruce, obviam proceſſit. Deinde cùm Legati cauſam ſui adventus expoſuiſſent, nè brevitate terminus coarctaretur, neque tunc conſenſum expoſtularent, neque Concilii literas reddiderunt, petentes in alium diem audiri, & ſtatuta eſt dies tertia.

980 Interea per Amadæi Conſiliarios objectæ ſunt Legatis nonnullæ difficultates, quarum una de explicanda quadam particula juramenti emittendi ab electo; altera, ut Amadæus perduceretur in ſuo habitu eremitico, & cum ſua barba; & denique, ut nomen ſuum in ipſo Pontificatu retineret. Reſponſum à Legatis, circa particulam juramenti, per eos nihil addi poſſe, nec minui, hoc ad ipſum Concilium tantùm ſpectare. Quo verò ad veſtimentum, oportere, præſtito conſenſu, Pontificalem habitum ſuſcipere, per quem poſſeſſio Pontificatus oſtenditur. De barba, poſſe ad tempus permitti; ſed circa nominis retentionem, dictum eſt, ex antiquiſſima inſtitutione mutandum; nam & Chriſtus Dominus idem in Beato Petro egerat, ſe tamen operam daturos,ut nomen Amadæi in Cathalogo Pontificum adſcriberetur, quo inpoſterùm uti poſſent Romani Pontifices. Die denique, & hora ſtatuta admiſſi ſunt Legati, qui electionem nomine Concilii in ſcriptis obtulerunt; & adhibitis teſtibus, conſenſum efflagitarunt, multiſque argumentis, ut Eccleſiæ morem gereret ſuaſerunt. Poſt inde aliquam conſultationem, cùm ſemel atque iterum dilationem peteret, neque concederetur, genuflexus, & junctis manibus dixit, ſe conſentire electioni in eum factæ; & aſſumpto nomine Felicis V. juramento ſe conſtrinxit, ut exigebatur: & acceptis Pontificalibus indumentis,benedictionem ab Arelatenſe, & Annulum Piſcatoris accepit, & ab omnibus ſalutatus, adoratuſque eſt, ut Romanus Pontifex.

981 His peractis, eductus Felix de ſolitudine Ripariæ, Pontificali pompa perductus eſt Tonuntum, ac ibi Pontificalia tractare cæpit, & cùm in vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti intereſſet Veſperis, ſacris ornatus veſtibus, & barba ſua videretur res nova, & Religioni noſtræ minimè quadrans, amicorum ſuaſu barbam raſit. Adveniente die Epiphaniæ, celebratis Sacris, Arelatenſis orationem habuit, in qua multa diſſeruit de virtutibus, & nobiliſſimo genere electi, aſſerens Amadæum, & Sabaudiæ domum originem ducere à Beroldo Saxoniæ Duce, nepote Othonis III. Cæſaris. Poſtea ipſemet Arelatenſis Provinciæ nomine Felicem rogavit, ut cùm in adminiſtratione Eccleſiæ jam eſſet occupatus, Avitum Imperium filiis delegaret, qui aderant: qui annuens Ludovicum filium pri-

primogenitum Sabaudiæ Ducem creavit, Philippum ſecundo natũ Comitem Gebbenarum conſtituit, Amadæo Nepoti Principatum Pedemontium, Niciæ, & Vercelarum contulit, ac denique Humberto germano ſuo tradidit Comitatum Montis Rotundi. Ad hæc verò, nè qui apud Eugenium erant, difficiliores redderentur ad ſentiendum cum Felice, ſtatuerunt illum, majora Curiæ Romanæ officia nemini concedere, ſed ut per Vicarios adminiſtrarentur: ſtatutum inſuper eſt, ut in ſcribendis literis ad Concilium Felix nomen ſuum poſtponeret, itaut ſcriberet: *Sacroſanctæ Baſileæ Synodo &c. Felix Epiſcopus ſervus ſervorum Dei*. Quibus diſpoſitis, ſuæ electionis literas fecit ad omnes Principes, aſſerens, non ob divitias, aut potentiam Eccleſiæ, quæ parvæ tunc eſſent, & ipſe ſatis abundaret, propriaſque, atque avitas pro animi quiete dimiſiſſet, Pontificatum accepiſſe, ſed ut Eccleſiæ Dei ſubveniret, & vocationi Sancti Spiritus non contradiceret, ſexagista ultra annos, ſortemque ſenectæ dimiſſa pace, & quiete, quam elegerat, labores immenſos ſuscepiſſe.

982 Interea celebratus eſt Francofordiæ conventus pro eligendo Imperatore, & VI. nonas Februarias, Anno ſalutis MCCCCXL. Federicus Auſtriæ Dux electus eſt in Cæſarem. Baſileenſes verò miſſis ad præfatum conventum Legatis, rogarunt, ut depoſita neutralitate, partẽ Felicis V. amplecterentur, ſed reſponſum à Cæſare, & Principibus accipiunt, non poſſe diſcedere ab his, quę jã ſtatuta erant, nec velle Provinciam ſcindere; operam tamen ſe daturos omni ſtudio ad pacem, & quietem Eccleſiæ procurandam. Conceſſa porrò eſt à Baſileenſibus poteſtas Felici, ut quatuor Cardinales creare poſſet pro ſuo libito, revocato pro ea vice decreto ſeſſionis XXIV. Ac ita menſe Aprili approbarunt à Felice promotos Cardinales, nimirum Ludovicum Lauſſanenſem, Bartholomæum Novarienſem Epiſcopos, Walramum Trajectenſem electum, & Alphonſum Carillo Protonotarium à Felice deſignatum. Deſignati item ſunt ab eodem Concilio, & ipſo Felice Legati in Galliam ad Bituricenſem conventum, datis mandatis, ut Baſileenſium geſta de abrogatione Eugenii, & Felicis ſubſtitutione tutarentur: & curarent, ut Felici omnes parerent, darentque operam, nè alius locus pro tertio Concilio decerneretur. *Hæc omnia ex Auguſtino Patricio*.

983 Cæterùm, ante hæc celebrata fuit ſeſſio XL. ad IV. Kalendas Martii, in qua actum eſt de conſenſu præſtito à Felice, & narrata geſtorum ſerie per ſuos Legatos apud Ripariam, & forma quoque juramenti præſtiti ab ipſo Felice, quæ incipit: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis &c. Ego Felix electus in Papam &c.* ut habetur in Actis hujus ſeſſionis, editum eſt decretum, quo declaratur, eidem Felici eſſe parendum, comminatis pœnis parere recuſantibus: abrogatæ iterum ſunt omnes Eugenii IV. literæ. Parentibus eidem Eugenio excommunicantur, & pœnis latis in ſeſſione XXXIV. ſubiiciuntur: „ Decernens pariter, & declarans, *ſunt decreti verba*, univerſis Chriſtifidelibus ſupradictis, ſub prænominatis, & aliis in decreto dipoſitionis & admonitionis dicti Gabrielis, quod incipit: *Proſpexit Dominus de excelſo ſancto ſuo*, contentis, utpotè ſautoriæ ſchiſmatis, & hereſis, & aliis etiam juris pœnis, quas contrafacientes, & rebelles ipſo facto incurrant, inhibet nè præfato Gabrieli ſic depoſito, & amoto, ejuſque mandatis, Nuntiis, literis, aut exinde ſecutis proceſſibus, ſententiis, & cenſuris prætenſis quomodolibet obediant, pareant, ſeu exequantur, aut exequi faciant, ſeù procurent eidem Gabrieli, ſeu Nuntiis, mandatis literis, & prætenſis proceſſibus, ſententiis & cenſuris ſuis hujuſmodi utentibus, vel ea exequentibus aſſiſtentiam, auxilium, conſilium, vel favorem præſtare præſumant, decretis aliis ejuſdem Synodi in ſuo robore nihilominùs duraturis. Datum Baſileæ in ſeſſione noſtra publica, in majori Eccleſia Baſileenſi ſolemniter celebrata, IV. Kal. Martii, Anno à Nativitate Domini MCCCCXL.

984 Eugenius verò hæc audiens, & optimè informatus, omnia prædicta, & ſimul antecedentia fuiſſe machinata à Ludovico Arelatenſi Cardinali tituli S. Cęciliæ, ipſumque ſchiſma principaliter foviſſe, & fovere, contra eum ſententiam pronunciavit, expeditis literis ad perpetuam rei memoriam, quibus enarrata totius facti ſerie, denique hæc pronũnciavit; „ Et quia, ut dolenter referimus, iniquitatis alumnus atque perditionis filius Ludovicus olim tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Eccleſiæ Arelatenſis per Sedem prædictam adminiſtrator deputatus, ſuæ ſalutis immemor, ac in ſenſum reprobum datus, extrema laborans ingratitudine, ac propris ſuperatus iniquitate, malitiaque confuſus, nec non bonorum & honorum, quæ ab eadem Eccleſia Romana indignè fortaſſis ſuſceperat, factus immemor, malum pro bono retribuens, nedum noſtris literis obedire, ſed in Divinæ Majeſtatis offenſam, ac noſtræ, & ipſius Sedis auctoritates contemptum, in dicta Baſileenſi Civitate poſt, & contra tranſlationem remanere, ſeque profanæ, ac rebellis multitudinis, quæ etiam poſt, & contra tranſlationem, declarationem, inhibitionem, & mandatum antedicta inibi remanſit, Ducem & Patronum, obſtinato animo, auſuque ſacrilego, excommunicationis & privationis, ac alias in præfatis literis contentas pœnas & cenſuras multipliciter incurrendo, ſe conſtituere

præ-

Digitized by Google

,, præſumpſit, ac damnatam hujuſmodi præ-
,, ſumptionem ſuam hucuſque, dietim pejo-
,, ra ſemper prioribus accumulando, palàm
,, & publicè, ac de perpetratis hujuſmodi
,, per eum ſceleribus gloriari, & tandem
,, deſcendens in profundum malorum ele-
,, ctioni, ſeu potius profanationi de perſona
,, iniquitatis filii Amadęi olim Ducis Sabau-
,, diæ in Antipapam conſentire, ſeu veriùs
,, illius auctor eſſe non expavit; Nos exceſ-
,, ſus tantos, & abuſus; quos ulteriùs ſub
,, diſſimulatione tranſire non poſſumus, ad
,, univerſorum Chriſtifidelium notitiam de-
,, duci volentes, eundem Ludovicum olim
,, Cardinalem, & dictæ Eccleſiæ Arelatenſis
,, adminiſtratorem, ut præſertur, qui ob
,, præmiſſs excommunicationis, privationis,
,, & alias pœnas antedictas meritò incurriſ-
,, ſe dignoſcitur, Cardinalatus honore, nec-
,, non prædictis, ac quibuſuis aliis Eccleſiis,
,, Monaſteriis, dignitatibus, Prioratibus,
,, perſonatibus, adminiſtrationibus, officiis,
,, Canonicatibus, & præbendis, ac Beneficiis
,, aliis EccleſiaſticisSæcularibus, & Regula-
,, ribus, Commendis quoque, & proviſioni-
,, bus univerſis, quas, quos, ſeù quæ tem-
,, pore privationis hujuſmodi obtinebat, &
,, percipiebat, necnon jure quod ſibi ſimi-
,, liter in quibuſuis aliis, ſeu ad ea quomo-
,, dolibet competebat, privatum fuiſſe, & eſſe
,, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium
,, declaramus. Nulli ergò omninò homi-
,, num liceat &c. Datum Florentiæ Anno
,, Incarnationis Dominicæ MCCCCXL. v.
,, Kalen. Junii, Pontificatus noſtri Anno X.
Hactenus literæ, quas refert Raynaldus ad
hunc annum ſub num.3.

685 Similiter in publica ſeſſione Floren-
tiæ celebrata ad x. Kalen. Aprilis, ut ſcribit
Auguſtinus Patricius cap.108. & notat etiam
præfatus Raynaldus ad eumdem annum ſub
num.1. approbante Concilio, & judiciali or-
dine ſervato per debita intervalla, idem Eu-
genius Amadæum Antipapam ut hæreticum
& ſchiſmaticum pronunciavit, electores, fau-
tores, & ſequaces ſuos monuit, niſi infra
quinquaginta dies reſipuerint, & ad gratiam
Apoſtolicæ Sedis, rebellione dimiſſa, ſup-
plices confugerint, Incurſuros pœnas contra
hæreticos, ſchiſmaticos, ac reos in crimine
læſæ Majeſtatis à jure promulgatas, ſtatuit,
& declaravit, niſi intra tempus paruerint abſ-
que alio judicio, elapſo termino, mox in
pœnas omnes incidiſſe. Promiſit tamen ſup-
plicibus intra tempus veniam, & gratiam ſe
daturum. Hujus conſtitutionis meminit Eu-
genius in aliis literis datis Jacobo Epiſcopo
Sancti Andreæ ſub pridie nonas Julii ejuſdem
anni, recitatis à Raynaldo loco mox citato,
in quibus inter plura ait: ,, Poſtremò verò
,, etiam per alias noſtras literas inter cætera
,, quoſcumq; perditionis & infęlicitatis filios
,, Amadæo olim Sabaudiæ Duci Felicem auſu
,, temerario ſe nominare præſumenti, ejuſ-
,, que erroribus ſcienter & deliberatè creden-
,, tes, ſeù adhærentes, fuiſſe, & eſſe ſchiſma-
,, ticos, blaſphemos, & tamquam hæreticos,
,, ac reos criminis læſæ Majeſtatis puniendos,
,, eiſque excommunicationis, anathematis,
,, ac officiorum, Beneficiorum, necnon hono-
,, rum, Prælaturarum, dignitatum tàm Ec-
,, cleſiaſticarum, quàm mundanarum priva-
,, tionis, & inhabilitationis ad habenda,
,, perſonis eorum à fidelibus capiendis ex-
,, poſitis, ipſorumque omnibus bonis, juri-
,, bus, & juriſdictionibus publicatis, & con-
,, fiſcatis, omneſque, & ſingulas alias pœnas
,, contra præfatum Amadæum ſchiſmaticum,
,, blaſphemum, ac criminis hujuſmodi reum,
,, tam à jure, quàm ab homine ſtatutas in-
,, cidiſſe, & incurriſſe decrevimus, & etiam
,, declaravimus, prout in ſingulis literis
,, prædictis pleniùs continetur, *Hæc Eu-
genius*.

986 Hæc cùm Baſileæ nuncista eſſent,
habita ſeſſione XLI. die x. Kalendas Auguſti
ſententia, & decreta Eugenii ſupramemorata
irrita, & nulla declararunt, edito, ex more,
decreto, cujus initium: *Licèt, ut ſacrorum Ca-
nonum apertè teſtatur auctoritas*, in quo inter
alia dicitur: ,, Hæc ſacroſancta Synodus vo-
,, lens (ut tenetur) ſuper hoc ſalubriter pro-
,, videre, prætenſam ſcripturam, ac quidquid
,, ex ea ſecutum eſt, declarat fuiſſe, & eſſe
,, omninò irrita, & inania, nullumque debuiſ-
,, ſe, ac debere ſortiri effectum, ſeu nocumen-
,, tum, vel notam afferre cuiquam, vel quo-
,, modolibet attuliſſe, ipſaque, quatenùs pro-
,, ceſſerunt de facto, & quæ imposterùm ſe-
,, qui poſſent, in irritum revocat, caſſat, &
,, annullat. *Hæc ibi*. Adjectæ porrò ſunt pœ-
næ adhærentibus præfatis Eugenii literis, vel
in eis contenta exequentibus. Addit Augu-
ſtinus Patricius, decretum eſſe in eadem ſeſ-
ſione, ut inter Patres, & Felicem in rebus ge-
rendis eſſet concordia; inſuper circa petitio-
nes, ſeù ſupplicationes, quod ſi fierent ſacro
Concilio per Concilii Præſidentes, ſi verò Fe-
lici per ſuos Referendarios ſubſcriberentur;
illæ ſub Bulla Concilii, hæc verò ſub Felicis
ſigno expedirentur.

987 Poſt hæc Albertus Dux Bavarię obe-
dientiæ Felicis ſe ſubmiſit, & Fridericus Cę-
ſar publicam fidam Patribus Concilii innova-
vit, addens unumquemque ſalvum eſſe velle,
& incolumem in Civitate Baſileæ, etiamſi eſ-
ſet Papalis dignitatis. Inde IX. Kalendas Au-
gúſti, magna Procerum, ac Populorum fre-
quentia coronatus eſt Felix magnificentiſſi-
ma pompa, & conſecratus in Romanum Pon-
tificem, ſupplente vicem Cardinalis Oſtienſis
ipſo Arelatenſi, loco verò Cardinalium, cùm
pauci pro tanta ſolemnitate eſſent, ſubſtituti
ſunt Epiſcopi octo. Peracta Coronatione,
poſtridie Sabaudiæ Dux in publica Congre-
gatione,, & Comes Gebennenſis gratias Pa-
tri-

tribus egerunt pro honore eorum Genitori impenſo, & in patriam mox reverſi ſunt. Felix verò habito Conſiſtorio, egit de pace procuranda inter Ludovicum patrem, & filium Ducis Bavariæ. Petitum eſt Pallium Patriarchatus Aqnilejenſis tradendum Alexandro Epiſcopo Tridentino, facta petitione per Stephanum Novarienſem, & Æneam Senenſem. Et ad extremum in eodem Conſiſtorio ipſe Felix profeſſionem, & juramentum in ſua præſtitum electione iterùm publicè innovavit. Adveniente Auguſto menſe, Stephanus Dux Bajoariæ, unà cum duobus filiis Baſilæam venientes, Felici ſe ſubmiſerunt.

988 Actum eſt inde de proviſione, Pontici, Cardinalibus, & Officialibus Curiæ aſſignanda, de qua re, plures habitæ ſunt diſceptationes, & tractatus; quoniam enim ex Patrimonio Eccleſiæ Romanæ nihil percipiebat Felix, & tamen cogebatur pro utilitate, Reipublicæ, ut ajebant, magnas ſubire impenſas, ac ideo de modo providendi agitabatur quæſtio. Denique pridie Nonas Auguſti habita ſeſſione XLII. decretum eſt, licere Felici exigere uſq; ad quinquennium decimum denarium omnium cenſuum, ac redituum unius anni quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum impoſterum vacaturorum, cogendoſque eſſe omnes ad id perſolvendum etiam cum cenſuris, & pœnis. Beneficia tamen Germanicæ Nationis, quæ cenſum quinque Marcarum argenti non excedebant, immunia eſſe voluerunt. Extat decretum in Actis hujus ſeſſionis, quod incipit: *Inſcrutabili*, continens diverſas alias clauſulas, & moderationes.

989 Interea, ut notat ſæpèfatus Auguſtinus Patricius, miſſæ ſunt ex utraque parte ad Principes, & Conventus Legationes, tam ſcilicet ex parte Eugenii, quàm Felicis, & Baſileenſium: qui verò miſſi fuerant ad Conventum Biturigenſem coràm Chriſtianiſſimo Rege, Proceribus, & non modica Prælatorum multudine, rationibus, & auctoritatibus conati ſunt unuſquiſque in ſuam partem Conventum ipſum trahere, verùm poſt multa, die IV. Nonas Septembris, Rex maturè re cum ſuis diſcuſſa per Epiſcopum Claromontis Legatis Baſileenſium reſpondere fecit, Gallorum Regem, ut Chriſtianiſſimum Principem decet, qui ſemper faviſſet dignitati generalium Conciliorum, & Baſileenſium in primis, quo ſemper Legatos ſuos habuiſſet, tuliſſe mæſtiſſimo animo ſeditiones & diſcordias inter Patres, & Pontificem exortas, monuiſſe, rogaſſeque ſumma diligentia Patres, literis, & Nuntiis, ut à judicio contra Eugenium ſuperſederent, illos verò ſpretis Regis precibus, non modò ſuperſediſſe, ſed illum dejeciſſe Pontificatu, & alium ſubrogaſſe. Regiam Majeſtatem in hac re nihil ſtatuere voluiſſe ſine conſilio Prælatorum, & Procerum Regni; & propterea Conventum Bituris indixiſſe. Nunc verò ex conſilio, Conventus ſtatuiſſe, Regem perſeverare in obedieotia Eugenii Pontificis, nec alium recognoſcere Romanum Pontificem, quàm Eugenium; cui ſupplicabit, ut intra annum generale Concilium in Galliis celebret ad ſciſſionem Eccleſiæ tollendam. Rogare autem ipſos Legatos, ut dicant Regio nomine Patribus, qui Baſileæ eſſent, & Domino Sabaudiæ (ideſt Felici) ut dimiſſis cenſuris, & commoiationibus, ad ea, quæ pacis eſſent, intenderent, neque ullo modo Regni ſui Clericos judiciis, infeſtarent. Dominum Sabaudiæ ſanguine Regi eſſe conjunctum; non placère Regi, ut à quopiam injuriæ ei irrogentur, ſed in hac re, quoniam ad Fidem pertinet, nihil præter juſtitiam audère Regem, ſperare tamen conſanguineum ſuum ſolita ſua prudentia rem hanc tractaturum. Hac data reſponſione, dimiſſi ſunt Legati Baſileenſes, qui mœſto animo Baſileam reverſi, hæc omnia Felici, & Synodo nunciarunt.

990 Sed menſe Octobris animum reaſſumpſere Baſileenſes ex literis Aragoniæ Regis, in quibus Synodum Baſileenſem ſacroſanctam, & repræſentantem Eccleſiam univerſalem appellabat. Similiter ex literis Eliſabeth Ungariæ Reginæ Sigiſmundi quondam Cæſaris relictæ, datis ad Felicem V. quem in Papam agnoſcere ſe declaravit; quemadmodum fecerant Albertus Dux Bajoariæ, & Albertus Auſtriæ Federici Cæſaris germanus, qui ambo Felicem Pontificem profeſſi ſunt. Hinc Patres Baſileenſes ad colligendas vires, Felici, diſpenſantes in decreto ſeſſionis XXIII. ſuper Cardinalium creatione, indulſerunt Felici, ut novos crearet Cardinales, qui mox IV. Idus Octobris de aliorum Cardinalium conſilio, alios octo creavit, quorum nomina recenſet idem Auguſtinus Patricius: Et pridie Idus Novembris, ut Galliarum Prælatos ſibi conciliaret, ſex alios Gallicæ nationis ad Purpuram promovit, inter quos Gerardum Caſtrenſem ipſius Galliç Regis Confeſſarium: Et poſtea Legatos miſit ad Cæſarem, & Principes in Germaniam data eis ampliſſima poteſtate omnia agendi, & concedendi eis, modò ipſos traherent ad ſuas partes. Et per idem tempus Schola Pariſienſis, item & Gymnaſia Viennenſe, Esfordienſe, Colonienſe, & Cracovienſe in Polonia adhæſerunt Concilio Baſileenſi, & ſcriptis declararunt ſupremam eſſe poteſtatem apud generale Concilium Baſileenſe, cui etiam Papa obedire teneretur.

991 Legati porrò miſſi in Germaniam, cùm veniſſent Norimbergam, rogarunt Conſulatum Urbis, ut ſuſciperent decreta Concilii Baſileenſis, ſed reſponſum fuit, Civitatem immediatè ſpectare ad Imperium, ac ideò oportere ſententiam Cæſaris ſequi. In itinere verò plures è Ducibus Bajoariæ in ſuam traxere ſententiam, acceperunt quoque pro-

miſſionem adhærendi Concilio, & Felici ab Archiepiſcopo Saltzburgenſi, quem ſequebantur Pictavienſis, & Ratisbonenſis Epiſcopi, & à Marchione Brandeburgenſi, Cùm verò accepiſſent, Cæſarem Norimbergam, haud venturum, ſed petiturum Moguntiam, diviſi ſunt Legati, alii revertentes Baſileam, alii verò properantes Moguntiam, ubi audierant profectos Eugenii Legatos. Ac ibi in publico Conventu, & coràm univerſa Procerum, & Prælatorum multitudine, acriter ab utriuſque partis Legatis diſceptatum eſt; Denique in hanc ſententiam deventum eſt, nimirum, pro pace Eccleſiæ eſſe congregandum generale Concilium in alio loco extra Baſileam, & Florentiam, Cæſarem interpellaturum cum aliorum Principum aſſiſtentiam ipſuſmet contendentes, ut ad Concilium concordiæ cauſa veniant; ſi verò contendentes, vel alter eorum locum eligere noluerint, Cæſarem electurum; ac inſuper ſex in Germania loca, totidemq; in Gallia nominata ſunt, Cæſar verò alium Conventum indixit Francfordiæ ad feſtum Sancti Martini, rem in eo iterùm examinandam de Principum conſilio; Poloni quoque auditis Baſileenſium Legatis illùc miſſis, non modicam ſpem dederunt adhærendi Concilio, & Felici, licèt in Procerum Concilio ſtatutum fuiſſet ſuperſedendum uſque ad plenam veritatis cognitionem, interea tamen non eſſe parendum mandatis Eugenii, adjecta parentibus proſcriptionis pœna.

992 Continuantes præfati Baſileenſes Concilium, die prima Julii Anno Domini MCCCCXLI. celebrata eſt ſeſſio XLIII. in qua decreta eſt celebratio feſti Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis; Diſceptatum fuerat jam per longum tempus inter Patres de hac inſtituenda celebritate, quoniam cùm prima inſtitutio facta eſſet à Bonifacio IX. tempore ſchiſmatis, ab hominibus alterius obedientiæ recepta non fuerat: Verùm cùm de formula decreti res diù dilata eſſet, tandem exhibita quædam formula ab Ænea Silvio, ei adhæſerunt Patres, placuitque, ut in publica ſeſſione decretum firmaretur. Sed alia exorta eſt contentio, an ſcilicet promulgandum eſſet nomine Felicis V. ſacro approbante Concilio, ſicut obſervatum dicebant in antiquis Conciliis, vel nomine Concilii addendo Felice Papa præſidente, ut Senis fuerat obſervatum in ultimo Concilio de Præſidentibus Martini Papæ: Denique, ipſo Felice annuente, dimiſſa contentione, concluſum fuit, ut nomine tantùm Concilii publicaretur, quemadmodùm hactenùs ſervatum fuerat in aliis decretis ejuſdem Concilii. Extat decretum in Actis Concilii Baſileenſis, nomine: *Sacroſanctæ generalis Synodi Baſileenſis, in Spiritu Sancto legitimè congregatæ, univerſalem Eccleſiam repræſentantis, ad perpetuam rei memoriam*, incipitq; *Inter aſſiduas*, ubi poſt multa decernitur, ut infra: „ Ideoque ſtatuit, & decernit eadem ſancta Synodus, ad honorem ipſius Virginis Dei Genitricis, ut poſt expleta Reſurrectionis Dominicæ, Pentecoſtes, Glorioſæ Trinitatis, Sacri Corporis Chriſti, Beatorum Joannis Baptiſtæ, ac Apoſtolorum Petri, & Pauli ſolemnia, in quibus Eccleſia poſt ſolemnitatem Annuntiationis Dominicæ, quam præfata Viſitatio temporis ordine conſeſtim ſequebatur, eſt occupata, per ſingulas Chriſtianorum Eccleſias quolibet anno ſexto Nonas Julii feſtum hujuſmodi Viſitationis Glorioſæ Virginis celebretur. Hoc igitur ſolemne feſtum amplectantur Chriſtifideles, & omnes, qui Beatam Virginem ſingulari devotione proſequuntur, ſecum in hac ſolemnitate ſuæ exaltationis congaudeant. Quam, ut eò libentiùs in Divinis honorent Officiis, quò magis ſpiritualibus fuerint excitati muneribus, ipſa ſancta Synodus omnibus Chriſtifidelibus, qui Matutinis, Proceſſioni, Sermoni, Miſſarum ſolemniis, vel primis, aut ſecundis Veſperis hujus Glorioſæ Virginis feſtivitatis interfuerint, pro unoquoque Officiorum prædictorum centum dies de injunctis pœnitentiis miſericorditer elargitur. Datum in ſeſſione noſtra publica, in Eccleſia majori Baſileenſi ſolemniter celebrata Kalendis Julii, Anno à Nativitate Domini, Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo. *Hactenus verba Decreti*.

993 Poſtea habuerunt ſeſſionem XLIV. die IX. Auguſti, Anno Dñi MCCCCXLII. in qua actum eſt de tuitione Baſileenſium, ſed magna contentio exorta inter eos de faciendo tali decreto pro anteſata tuitione, & diù diſceptata fuit Decreti formula; tandem convenerunt, ut ſumma Decreti hæc eſſet, nimirum, omnia in favorem, ac defenſionem Concilio deſcriptorum, deſcribendorumvè ſtatuta, ac decreta in ſuperioribus ſeſſionibus, firma eſſe, & rata; ac propterea omnes quoquomodo vexantes Conciliares, eorumvè Sacerdotia, ac Beneficia cujuſcumque qualitatis impetrantes, acceptantes, ſeù occupantes, ultra excommunicationis, privationiſque omnium Beneficiorum ſuorum cenſuras, decem Marcarum auri mulctam incurrere ſingulares perſonas: Collegia verò, & Univerſitates triginta marcarum, quarum tertiam partem Cameræ Apoſtolicæ, aliam partem offenſo, tertiam verò loci Principi, vel Magiſtratui; vel ubi hi non fuerint, præcipuo fautori, & defenſori: Horum Beneficiorum Collatores, niſi requiſiti à Conciliariis intra duos menſes, & duodecim dies, ejectis occupatoribus Conciliares reſtituerint eaſdem pœnas incurrere. De quibus, & aliis confectum eſt decretum, quod incipit, *Catholicæ Eccleſiæ*, publicatum in præfata ſeſſione.

Digitized by Google

994 Interea præfati Baſileenſes diverſi habuere tractatus per ſuos Legatos cum Principibus Chriſtiani Orbis, ut eos in ſuam traherent partem, quod non impiger præſtabat Eugenius. Cum Duce Mediolanenſi Philippo egerunt Baſileenſes, & plura concedenda ei promiſit Felix, ſi ad ejus obedientiam veniret, ſed fruſtrà. Ad Cæſarem poſtea miſſus eſt à Felice Legatus Alexander Tridentinus, quem Patriarcham Aquilejenſem appellabant, & Cardinalis ab eodem Felice creatus. Eugenius verò ad eundem deſtinavit Cardinalem Julianum tituli Sancti Angeli: ſed quoniam à Cæſare indictus fuerat Conventus Francfordienſis, nihil definitum eſt. Sed Legati Baſileenſium Francfordiam adierunt, ubi appulerunt ſexto Kal. Junii, recepti à Civibus perbenignè; ſed juſſi ſunt Legationis inſignia Domi relinquere. Aderant & Legati Eugenii, auditi ſunt primi à Cæſare per tres dies Baſileenſes ſine Arbitris; poſtea Legati Eugenii; ac denique de conſilio Principum Cæſar ſtatuit aliud Concilium indubitatum eſſe celebrandum, mittendos eſſe Nuncios ſuper ea de re Baſileam ad Patres, & Florentiam ad Eugenium Pontificem. Interim in ſua animorum ſuſpenſione manendum. Quo audito Legati Baſileenſes mœſti diſceſſerunt, Baſilæam repetentes. Sed Cæſar, ut pax interim in Provincia ſervaretur, publico edicto vetuit, quempiam in ſuis beneficiis occaſione ſchiſmatis quoquomodo vexari, ſed unumquemque in ſua poſſeſſione eſſe defendendum: contrafacientes, ut hoſtes Reipublicæ habendos. Decretum poſtea eſt concurrentibus Principibus, ut fieret Legatio ad Eugenium, eique nunciaretur quid Principibus,& Cęſari in pręfato Conventu viſum fuerat, nimirum non poſſe meliùs dari pacem Eccleſiæ, quàm per indubitatum Concilium generale, proinde orare Sanctitatem ſuam velit, generale Concilium indicere in uno ex his locis, videlicet, Ratiſbonæ, Treveri, Meti, Auguſtæ, Conſtantię, & ſi malit Tridenti, quod intra Annum celebretur. Quod ſi Rex Franciæ inſtaret celebrandum in Galliis, eſſe juſtis de cauſis denegandum. Quod ſi Pontifex nollet Concilium indicere, concederet Cæſari, ut ipſe jure Advocatiæ poſſet Concilium convocare. Data inſuper eſt Legatis inſtructio, ut venerarentur Eugenium veluti Romanum Pontificem, & Cæſarem, atque Principes excuſarēt de neutralitate tamdiù ſervata, allegatis juſtis cauſis. Et demandatum eſt eiſdem, immò & juramento adſtricti, nihil omninò à Romano Pontifice petere, neque ſponte oblatum recipere, non Sacerdotia, non dignitates, non gratias quaſcumque. Item & alia Legatio decreta eſt in eodem Conventu ad Baſileenſes, dato præcepto Legatis, ut idem exponerent, Felici tamen, ut Pontifici nullam exhiberent reverentiam, ſed per intermedias perſonas cum eo agerent. Denique utriſque Legatis juſſum eſt, ut omnia, expedita Legatione, Cæſari & Principibus, qui ad feſtum Purificationis Norimberghæ pro altera Dieta erant conventuri, fideliter referrent.

995 His determinatis, & ſoluto Conventu Francfordienſi, miſſi ſunt ad Baſileenſes Legati, quos paulò poſt ipſe Cæſar eſt ſequutus, veniens perſonaliter Baſileam ad XVIII. Kal. Octobris, ubi antequam Civitatem ingrederetur, multæ habitæ ſunt conſultationes inter ipſum, per ſuos tamen Legatos, & Felicem, ac Patres Baſileen. Concilii. Summa negotii erat, ut Patres cōſentirent, quod haberetur tertium generale Concilium in loco Cæſari, & Principibus benè viſo, pro ineunda Eccleſiæ pace, quod licèt moleſtè, annuerunt denique illi, ſed conqueſti, quod Cæſar Eugenium ut Romanum Pontificem veneraretur, & egerunt, ut Cæſar ab hoc deſiſteret: Ille verò reſpondit per ſuum Nuncium, ſe immutari non poſſe, quod per Conventum Francfordienſe erat ſtatutum. Denique concordatis univerſis à Cæſare poſtulatis, ingreſſus eſt Baſileam ſolemni pompa III. Idus Novembris, & viſitatus à Cardinalibus, Prælatis, & Nobilibus, ipſe profectus eſt ad Felicem, cui egreſſus è cubiculo ſuo unà cum novis ſuis Cardinalibus, præcedente Cruce, obviam factus eſt Felix magna Clamyde, ac Pontificiis indutus veſtibus: ſed Cæſar modeſta eum excepit reverentia, honorem tamen debitum Pontifici haud exhibuit, excuſans hoc egiſſe, ut paci aptior eſſet. Habitoque inter eos colloquio, receſſit Imperátor.

996 Interea Eugenius honorificè exceptis Cæſaris Legatis, ipſiſque benigniter auditis, poſt multas conſultationes de Patrum conſilio, reſpondit; mirari ſe Cæſarem, & Principes petere generale Concilium indubitatum celebrari, cùm ipſe ſacram œcumenicam Synodum auctoritate Apoſtolica, & omnium Patriarcharum Orbis Chriſtiani inſtitutam celebret mirabilium rerum effectricem, quam, ſi indubium revocare velint, nihil aliud eſſe, quàm fidem catholicam oppugnare, & Dei ordinationi reſiſtere. Optare, ſi qui tali errore tenerentur, ratione inſtruantur, rejectiſque ſtultis, ac perfidis Baſileenſium dogmatibus, doctrinam Apoſtolicæ Sedis, quam Chriſtus fidei Matrem & Magiſtram inſtituit, ſuſciperent. Poſſe igitur in ea Synodo magno Prælatorum numero congregata, rectè conſuli, & commodè, ſi quid reſtat, & dubia aperiri, ſi qua ſint. Tamen, ut Cæſari, & Principibus morem gerat, quàm primùm Romæ fuerit, ubi apud Lateranum generale Concilium tranſtulerat, convocaturum Prælatos majori numero, tractaturumque cum eis, an expediat aliud Concilium Generale celebrari, & qui admittendi, quive repellendi ſint in eo Concilio, & quo ordine res gerendæ, ut perniciosis violentiis, quæ noſtro tempore emer-

ſerunt, obvietur. Miſſurum tamen ſe ſuos Legatos, qui de iis cum Cæſare, & Principibus agant, quamquam non videat, quid cum eis rectè agi poſſit, niſi animi ſuſpenſionem depoſuerint, quam Chriſti fides ignorat, revertanturque ad priſtinam Apoſtolicæ Sedis reverentiam; qua una re pacem Eccleſiæ darent; quod ſi fecerint concurrentibus aliis Regibus, & Principibus, qui in tentationibus ſolidi permanſerunt, libenter ſe aliud Concilium celebraturum. Hæc fuit ſumma reſponſionis Eugenii Legatis Cæſaris, ut in terminis refert Auguſtinus Patricius.

997 At Baſileenſes poſt plures & diverſos habitos variis in materiis tractatus, habuerunt ſeſſionẽ XLV. menſe Majo, nimirum XVII. Kal. Junii, in qua Baſileenſe Concilium Lauſannam in Provincia Biſuntina tranſtulerunt, non obſtante quod per Felicem indictum fuiſſet celebrandum Lugduni, adductis cauſis urgentibus & conducentibus ad hujuſmodi loci mutationem. Tempus prædicti Concilii indictum fuit infra triennium, hoc eſt ante finem triennii, conceſſa tamen Felici facultate præfatum tempus abbreviandi; addita clauſula, quod non proinde intelligatur Concilium Baſileenſe diſſolutum, ſed debere adhùc ibidem continuare, donec illæſa Patribus ſerveretur libertas. Poſtea verò Felix valetudinis gratia, ut ipſe ajebat, cum parte ſuorum Cardinalium, & aliorum officialium, relicta majori parte Baſileæ, diſcedens, Lauſannam profectus eſt. Hæc acta ſunt Anno Domini MCCCCXLII. Et hic finis ſeſſionum Concilii Baſileenſis, non tamen ſchiſmatis, quod nonniſi ſub Nicolao Papa V. Eugenii ſucceſſore penitùs per Felicis ſpontaneam renunciationem, ſublatum eſt; ipſe tamen Felix dimiſſo Pontificatu, in Cardinaliũ numero cooptatus eſt, creatus Epiſcopus Sabinenſis ac perpetuus Legatus Sabaudiæ, licèt biennio poſt, piè tamen ultimum clauſit diem, ſepultusque apud Ripariam.

CAPUT XVIII.

De Armenorum unione inita in Concilio Florentino poſt receſſum Græcorum.

998 Continuante Eugenio acta Conciliaria, advenère Armenorum Legati, viri quidem præſtantes, quærentes & ipſi unionem, & fidei rectitudinem; venerunt quidem inita jam Græcorum unione, ſed nondùm receſſis Græcis, licèt proximè ad illorum receſſum, nam Scriptor Græcus actorum Concilii Florentini, de Armenorum adventu hæc tradit: „ Poſt aliquot dies, *inquit*, „ venerunt ex Armenia Apocriſiarii Patriarchæ Armenorum, virtute præſtantes, viri „ quærentes & ipſi unionem, fideique rectitudinem; qui etiam Beatiſſimum Papam „ venerati, viſerunt Imperatorem; conſiliumque ſuum, & animum de conficienda „ cum Eccleſia catholica unione expoſuerũt, „ petentes, ut ferret auxilium, & prudentia „ ſua juvaret. Imperator autem reſpondit, „ multùm ſibi placere eorum ſtudium, & „ gratum fore, ſi acceſſerint ad orthodoxam „ fidem, & catholicam Eccleſiam; & precari „ Deum pro dirigenda eorum unione; quæ ſi „ fieret, ſe quoq; promiſit ad negotium quodlibet, & quidquid illis opus fuerit adjutorũ. „ His dictis receſſerunt Armeni; nos verò „ Florentia exeuntes, Venetias petivimus, & „ inde rursùs domum rediimus. *Haſtenus Scriptor Græcus.* Cũque Imperatoris, & Græcorum receſſus contigerit die XXVI. Auguſti, ut ex Andrea à S. Cruce diximus ſuo loco, ſequitur, hos Legatos Florentiam appuliſſe ante dictam diem. Itaque exhibuerunt Pontifici ſui Patriarchæ mandatum, literas quoque Pauli Imperialis Conſulis Civitatis Caffæ, & totius Maris Majoris, Mandatum autem ſic ſe habebat.

Conſtantinus Servus Servorum Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum gratia Dei conſtitutus Patriarcha Vagarſabath, ſcribo literam hanc magnificæ Civitati Caffæ: Mitto meam benedictionem omni populo habitanti Caffæ.

999 „ Filii mei fideles, quaſi glorians „ ſcribo, vobis ſcilicet Filio meo Vertebet „ Sarchis, qui ſedet in Sede perſonæ meæ in „ Caffa, & Archiepiſcopo filio meo primogenito, & omnibus Sacerdotibus ſanctis, Stephano, Moyſi, & omnibus aliis, & nobilibus Civibus Caffæ, ſcilicet Amurbeth, „ Cevalcal Chici, Arnurbet Olbei, Aroniton Andreæ, & omnibus aliis Burgenſibus, „ eum virtute Spiritus Sancti ſcribo literam „ hanc, dans vobis benedictionem & ſalutationem. Benedictio Sanctæ Crucis & Sancti Gregorii ſit ſuper vos à Sede Sanctitatis „ noſtræ. Deus per ſuam miſericordiam liberet vos ab omnibus tentationibus Diaboli „ tam in ſpiritualibus & temporalibus, Deus „ augeat filios & filias, & bona veſtra.

1000 „ Sciatis filii mei chariſſimi, ſcilicet „ filius meus Sarchis Vertebet, & vos Sacerdotes & Burgenſ. noveritis, quod Epiſcopus „ Emaneſius venit ad nos, & portavit literas „ veſtras de Caffa, & etiam Vicarii Summi „ Pontificis, & etiam literam Domini Conſulis legimus, & lætati ſumus, quia ſcripſeratis de unione Eccleſiæ Romanæ, poſtquam audivi, regratiatus ſui Deo: ex gratia Spiritus Sancti eſt, quod iſtud opus eſt „ inchoatum, convenit chriſtianis habere „ unitatem & concordiam: ego eum plenaria „ poteſtate dedi auctoritatem Sarchis Vertebet, qui eſt loco perſonæ meæ, & Tho-

mas

„ mæ Vertebet, & Joachim Epiſcopo Peræ,
„ ut eant ad Synodum, & Spiritus Sanctus
„ illuſtret eos, & per virtutem Spiritus San-
„ cti, ſicut Sanctus Silveſter, & S. Grego-
„ rius fuerunt concordes, ita Deus concor-
„ det nos in pace, & amore, & unione; &
„ ſicut Conſtantinus Imperator, & Tartach
„ Imperator noſter inter ſe habuerunt con-
„ cordiam & pacta, ita & vos etiam confir-
„ mate acta eorum ad unitatem, & ad facta
„ iſtorum Imperatorũ nos inclinamus; modò
„ etiam quidquid Spiritus Sanctus illuſtra-
„ verit ſanctam Synodum, prompti ſumus ei
„ obedire. Scripta xxv. menſis Julii, Anno
„ Domini MCCCCXXXVIII. *Hactenus literæ mandati*.

1001 In quibus literis hæc adnotanda cenſui, nimirum *Vagarſabath*, Civitatem fuiſſe Armeniæ hujus nominis, Metropolim, ac Sedem Patriarchæ. *Gregorium* verò, illum fuiſſe, quem illuminatorem Amerni appellant, & vixit tempore Sancti Silveſtri Papæ, & Magni Conſtantini, in Armenia tunc regnante Tyridate, qui fuit ille, quem Patriarcha appellat Armenica Lingua *Tartach*. Hic verò acerrimus fuit Chriſtianorum perſecutor, à quo Gregorius cùm eſſet Catholicus & Epiſcopus, dura paſſus eſt: verùm juſto Dei judicio in amentiam actus Rex, cùm per Gregorii preces priſtinæ mentis ſanitati eſſet reſtitutus, deteſtatis Idolis, ac ſacro fonte regeneratus, chriſtiana Fides eo in Regno plurimùm propagata eſt, gentes ſecuti exemplum Regis, ac Gregorii illuminatoris doctrinam. De hoc Gregorio plura ejus acta tradunt, nonnulla quoque recenſet Euthymius in Panoplia pa. 3. titul. 20. & apud Surium tom. 5. die 30. Septemb. necnon & Baronium ad Annum Domini CCCXI. num. 12. & in notis ad Martyrol. Rom. ſub eadem die 30. Septembris. Deveniendo ergo ad literas Conſulis Caffæ, à præfatis Legatis exhibitas, hunc habebant tenorem, videlicet.

Literæ Pauli Imperialis Conſulis, & Regentis Civitatis Caffæ & totius Maris Majoris, Imperii Gazariæ ad Summum Pontificem.

1002 „ Et ſi hęc Gentis Armeniæ reductio
„ multis ante temporibus tentata eſſet, San-
„ ctiſſime, & Beatiſſime Pater, verebar atta-
„ men tantam rem, & tam arduam aggredi,
„ in qua vires ingenii mei vix ſufficere poſſe
„ arbitrabar; ſtatueramque potius ſubſiſtere,
„ quàm per vias incognitas ambulare: Sed
„ tua Sanctitate confiſus, cujus merita ex-
„ poſcunt, ut ſub ejus vexillo ſingulare &
„ perſpicuum ſidus eluceat, gaudeatque San-
„ cta Mater Eccleſia, ut in hoc tuo tempore
„ unionis, & Sanctitatis novis fulgoribus
„ illuſtretur: ſuſçepi vires, & animum ad-
„ hortatus meipſum, & rem ipſam amplecti
„ inſtitui maxima çum ſolicitudine & opera,
„ in qua diabolico inſtinctu, & variis ten-
„ tationibus præcedentibus multiplices ſti-
„ mulos perpeſſi ſumus, itaut cuncta quaſi
„ noſtro voto adverſantia fuerint, & de ten-
„ tata opera pluriumque deſperavimus: ta-
„ mẽ cooperante illo ſummo rerum Opifice,
„ ac tuam Sanctitatem propitius reſpiciente,
„ ſub qua datum eſt unitatem fidei ſugillari,
„ bonum & perfectum exitum ſortiti ſumus,
„ & cum ſudore, ac maximis vigiliis hoc tan-
„ tum opus per cuncta ſæcula ex hominum
„ memoria non delendum tuæ Sanctitati de-
„ dicavimus.

1003 „ Gaudeo, Pater Beatiſſime, hanc
„ unitatem temporibus tuæ Sanctitatis, ſu-
„ ſcitatam, quæ tuorum prædeceſſorum tem-
„ pore obdormierat: Quid enim potuit
„ beatiùs accidere, ac Deo, & toti populo
„ Chrſtiano acceptius, quàm hæc ſingularis
„ reductio Armenorum? Sed advertendum
„ eſt, propter tuam ſanctimoniam ſummis
„ laboribus & incommodis, quibus circum-
„ ventus fuiſti eſſe conceſſum, ut videant qui
„ Eccleſiam perſequuntur, non eſſe humana
„ iſta opera tua, ſed Divina magis, atque ex
„ Deo manantia. Ego enim dum ſummum
„ rerum Auctorem, ad oculos direxiſſe co-
„ gnovi, teque in reſervatam Beatitudinem
„ & gloriam conſtituiſſe, auſus ſum tuorum
„ ſervitiorum cupere fieri participem, & tuæ
„ Sanctitatis fiducia confiſus, apud eamdem
„ non dubito illam tuam Romanam Senato-
„ riam dignitatem impetrare, quam impre-
„ ſentiarum humiliter poſco & requiro, non
„ tantùm pro meritis meis, pro quibus, &
„ majoribus sũmo Deo, & Sanctitati tuę, quę
„ vices ejus in terris gerit, obnoxius ſum;
„ ſed ut apertè intueantur, qui cultum veræ
„ Religionis colunt præmia bonos, & Chri-
„ ſticolos fideles manere, & tali, ac ſimili ſpe
„ cęteri provocentur ad Sanctæ Romanæ Ec-
„ cleſiæ augmentum & favorem.

1004 „ Accipe igitur, Sanctiſſime Pater,
„ Armenorum, quos ad pedes tuę Sanctitatis
„ mittimus cum amplo ſui Patriarchæ, &
„ univerſalis eorumdem nationis mandato, ac
„ bailia, itaut majorem concedi nullo pacto
„ poſſe intelligamus, quàm regratiari feci-
„ mus, & tuæ Sanctitati tranſmittere oppor-
„ tunũ eſſe arbitrati ſumus. Nos enim con-
„ ducit Vicarius Frater Jacobus, qui ſicut
„ hujus tanti luminis, & reductionis fuit
„ principalis coadiutor, opportunum fuit,
„ ut ſit & ipſe conductor. Nam corda ipſo-
„ rum Armenorũ ita in manibus habet, quod
„ nuſquam abſque ipſo accedere poſſent. Hic
„ enim vir devotus explicabit cætera latius
„ Sanctitati tuæ, quas ego inepta oratione
„ ſanctiſſimas aures tuas offenderem, preter-
„ mittam. In reliquis Epiſcopatũ hujus Civi-
„ tatis tangentibus, quæ Sanctitas tua lite-
„ ris mandavit executioni tradidi; & ſi præ-
di-

Digitized by Google

„ dictus Vicarius tuus, & ego in aliquibus
„ ſubſiſtere decrevimus, bona cauſa moti id
„ egimus, expecttantes deinceps in ipſo ne-
„ gotio, quod tua Sanctitas juſſerit facien-
„ dum. Valeat tua Sanctitas Felix, ad cu-
„ jus pedes humiliter me commendo. *Ex Caſ-*
„ *ſa die 1. Decem. An. Dom. MCDXXXVIII.*

Ejuſdem Sanctitatis ad genua provolutus Paulus Imperialis Conſul, Caffæ, & totius Maris Majoris Imperii Gazariæ.

1005 Laboraſſe Minoritas pro Armenorum reductione in ſinum Sanctæ Matris Eccleſiæ, ex recitatis literis liquet, cùm dicatur in eis, Fratrem Jacobũ principalem Coadiutorem tanti operis exiſtitiſſe, ac Armenorum corda ad ſe traxiſſe. Hunc verò fuiſſe Minoritam, Jacobum ſcilicet de Primadiciis Bononienſem, biennio antea, citato jam Concilio, cùm adhùc Eugenius conſiſteret Bononiæ cum poteſtate Vicarii Generalis ſuper omnes Religioſos Orientis, miſſum ab eodem Eugenio in Orientem, tum pro fratrum reformatione, tum pro ſchiſmaticorum reductione, ejuſdem Pontificis literæ datæ Conſulibus, ac Rectoribus Civitatis Caffæ demonſtrant, quas exhibet Wadingus ad Annum Domini MCCCCXXXIX, ſub nu. 6. quæ ita ſe habent,

Eugenius &c. Dilectis filiis Conſulibus &c. Rectoribus Civitatis Caffenſis &c.

1006 „ Cùm proximis temporibus nobis
„ eſſet renunciatum, veſtram devotionem
„ cupere, quod Monaſterium veſtrum Caſ-
„ fenſe Ordinis Minorum reformetur, pro
„ veſtra, & aliorum fidelium Catholico-
„ rum conſolatione, gaviſi ſumus de veſtra
„ hujuſmodi bona diſpoſitione, & quod ſpon-
„ te noſtra libenter facimus, ac ubique pro
„ viribus fieri curamus, veſtris precibus, &
„ interceſſione apud nos fieri debere diſpo-
„ ſuimus. Quamobrem conſiderantes dile-
„ ctum filium Jacobum de Primadiciis de Bo-
„ nonia, Vicarium Generalem Fratrum Mi-
„ norum de Obſervantia nuncupatorum, vi-
„ rum eſſe, vita, zelo, charitate, & in præ-
„ dicando Divinum Verbum, ſingularem, qui
„ fideles confirmare, & conſolari, Infideleſ-
„ que, Domino adiuvante, ad fidei ſalutem
„ invitare, atque attrahere poterit, eundem
„ cum aliis confratribus ſui Ordinis, in
„ Regularis obſervantia vivere conſuetis, ad
„ vos mittere decrevimus, non obſtante
„ quòd à plurimis Italiæ Civitatibus, ma-
„ gna cum inſtantia peterentur. Viſum nam-
„ que eſt nobis, Fratres præfatos in Civitate
„ illa, quæ multas nationum continet varie-
„ tates, & regionibus infidelium eſt vicina,
„ maximos ſimul animarum fructus allatu-
„ ros, & veſtro deſiderio abundè ſatisfactu-
„ ros. Quocirca devotionem veſtram in
„ Domino requirimus & hortamur, ut Fra-
„ tres Jacobum, & ſocios antedictos tam pro
„ reformatione prædicta in illo Conventu
„ fienda, quàm pro aliis ſanctis operibus,
„ quæ, inſpirante Domino, facere pro viri-
„ bus inſudabunt, poſſibilibus auxilio, &
„ favore proſequamini, illaque omnia pro
„ poſſe faciatis, quæ pro conſervatione & am-
„ plitudine ſui Conventus, aliorumque
„ operum bonorum conſummatione à vobis
„ duxerint poſtulanda. Nam ſi ea, ut opta-
„ mus, atque etiam ſperamus, facietis, præ-
„ ter æternæ Beatitudinis præmia, noſtram,
„ & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem re-
„ portabitis. Datum Bononiæ, Anno &c.
„ MCCCCXXXVII. VI. Nonas Julii, Pon-
„ tificatus noſtri Anno VII. *Hactenus literæ.*

Id idem confirmant aliæ Eugenii literæ eidem Jacobo eodem tempore datæ, quarum exemplar ex authentico tranſumpto aſſervato in hoc Sacri Montis ſion Archivio exhibemus, ad hunc modum ſe habens.

1007 *In Chriſti nomine Amen. Univerſis & ſingulis hoc tranſumptum publicum inſpecturis. Nos Marcus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Tarantaſien. & Comes, Nuncius, & Orator Apoſtol. cum poteſtate Legati à latere ad partes Græciæ miſſus &c. notum facimus, & manifeſtum, quod Religioſus Vir Frater Jacobus de Primadiciis de Bononia Ordinis Minorum, Generalis Miniſtri ejuſdem Ordinis Vicarius per Sedem Apoſtolicam conſtitutus in partibus Orientis, & in partibus Græciæ, & aliarum partium, prout in tranſumpto patebit, coram nobis, & humiliter petiit, ut quaſdam literas Sanctiſſimi Domini noſtri Eugenii Papæ Quarti conceſſas eidem, & ſucceſſoribus ejus deberemus inſpicere, & inſpectas tranſcribi facere, ac ipſum tranſcriptum ſigilli noſtri munimine roborari. Cujus tenor ſequitur de verbo ad verbum, qui talis eſt.*

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilecto filio Jacobo de Primadiciis de Bononia Ordinis Minorum in Caffæ, & Peræ, necnon Sarracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum; Æthyopum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Syrorum, Perſarum, Medorum, Zizorum, Rhutenorum, Ruſſiorum, Siſtorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Turchorum, Indorum, Steltorum, Tartarorum, Cardorum, Polonorum, Hungarorum, Majoris Ungariæ, & aliarum quarumcumque Nationum, & Gentium, quæ nondum Sacramentum Orthodoxæ fidei perceperunt Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis dilecti filii Generalis Miniſtri Ordinis prædicti Vicario Generali ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

1008

1008 „ Dum onus Universalis gregis Dominici ſuperna nobis diſpoſitione injunctum diligenter attendimus, & noſtram proſpicimus imperfectionẽ, videntes, quod nequeamus circa ſingula per noſmetipſos exſolvere debitum Apoſtolicæ ſervitutis nonnunquam viros vitæ ſanctimonia, & ſanctitate fulgore præclaros, in quibus fervor orthodoxæ fidei, ac timor Domini ſanctus permanet, in partem laboris noſtri aſſumimus, ut ipſorum ſalubri cooperatione miniſterium nobis injunctum, favente Divina gratia, facilius & efficacius exequi valeamus.

1009 „ Sanè licèt cunctorum Chriſtifidelium ſalutem intentæ mentis acie proſequi, & curare ex Apoſtolicæ ſervitutis officio teneamus; Divinis tamen edocti ſermonibus, ex centum ovibus unam amiſſam, cæteris ferè neglectis, reducendam præcipuè curare debemus, cùm & ad oves, quæ perierant, miſſam ſe ſapientia ipſa declaret. Attendentes itaque quòd ex omni genere humano multi ſub Dominici Gregis titulo, & nomine non requieſcunt, ſed per devia quæque longè à lucis veritate aberrantes, per tenebras evagantur; & ſic in magna meſſe pauciſſimos operarios eſſe videamus, ad perſonam tuam, quæ quidem potens opere, & ſemone in magnis & arduis nobis familiari experientia comprobata, dirigentes aciem mentis noſtræ, ac ſperantes, quod ea, quæ tibi committenda duxerimus pro honore Dei, & propagatione Chriſtiani nominis diligenter, ac fideliter proſequeris; te in Regnis, Provinciis, Civitatibus, terris, & locis ſupradictis, dilecti filii Generalis Miniſtri Ordinis Minorum Vicarium Generalem facimus, conſtituimus, & etiam deputamus; Tibi nihilominus noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine, omnes, & ſingulos Conventus dicti Ordinis in præfatis Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis exiſtentes, viſitandi, & reſormandi, tàm in capite, quàm in membris, puniendi, & corrigendi ſecundùm conſtitutiones, & ordinationes dicti Ordinis, necnon alium, vel alios ſubſtituendi, & delegandi, atque ad alias Mundi partes, ut opus ſore judicaveris, ſeu ſucceſſores tui, qui pro tempore fuerint, judicaverint, tranſmittendi, omniaque alia, & ſingula, quæ dictus Generalis Miniſter facere poſſet, ſi perſonaliter in locis prædictis intereſſet, faciendi, & agendi tenore præſenntium Apoſtolica auctoritate damus & concedimus facultatem: Volentes, ac tenore præſentium ſtatuentes, quod tu, & qui pro tempore fuerit in dictis partibus Vicarius ſuper Conventus, & perſonas dictorum Conventuum, illam poteſtatem, & facultatem habeatis, quam Generalis ipſe Miniſter, ſi adeſſet, habere dignoſcitur. Sic tamen, quòd tu, & Vicarius præfati, & vobis ſubiecti Fratres per omnia dicto Generali obedire, & ſubeſſe teneantur, præterquam in his, quæ huic mandato, & commiſſioni noſtrę derogare, & obviare cenſeantur. Inſuper officium Vicariatus hujuſmodi tàm quoad te, quàm alios pro tempore Vicarios, triennio dumtaxat duret, quo finitio, ipſo jure ab officio prædicto intelligatur abſolutus, & fratres dictorum locorum, ſub obſervantia regulari degentes, alium eligere poſſint, cui prædicta facultas, & auctoritas Superioris ſui commiſſa proculdubiò cenſeatur.

1010 „ Et nihilominùs, ſi minus ſufficientem, & injunctum ſibi officium perficere non poſſet, Fratres memorati ſe elegiſſe proſpexerint, ipſum privare & deſtituere, & alium eligere poſſint idoneum; quoque tu, & fratres illi, quibus tu, ac ſucceſſores tui commiſerint, ſæculares perſonas utriuſque ſexua, ad habitum & profeſſionem Tertii Ordinis recipere poſſis, & poſſint, eiſque miniſtros, & miniſtras inſtituere, prout noveritis expedire. Fraternitates inſuper, ſeu ſocietates, ſi quas pietati idoneas eſſe proſpexeritis, cum opportunis conſtitutionibus ordinare valeatis, quarum omnium, tam dicti Tertii Ordinis, quàm Congregationum ſingulis perſonis in dictis Congregationibus perſeverantibus, omnium peccatorum remiſſionem in mortis Articulo, ac verè pœnitentibus, & confeſſis, auctoritate Apoſtolica impendere valeas, & valeant.

1011 „ Inſuper tibi, & qui pro tempore fuerint, in partibus præfatis Vicariis, cum perſonis Natalium, & in vigeſimo tertio ætatis ſuæ anno conſtitutis, ætatis defectus patientibus, ut ad omnes ſacros ordines uſque ad Sacerdotium incluſivè, & ad ſingulas dicti ordinis Prælaturas promoveri, diſpenſandi, necnon fratribus, de quibus, aut eis videbitur, ut ad partes prædictas vadant, qui etiam tibi, & illis obedire teneantur, præcipiendi & mandandi, ipſoſque ad alias quaſcumque Mundi partes cum facultatibus, & auctoritatibus ſupradictis, locis Terræ Sanctæ exceptis, dirigendi, ac Notarios ad actus publicos in favorem fidei conſcribendos creandi, & inſtituendi poteſtatem, & facultatem quoque tu, & qui pro tempore fuerit Vicarius, ſeu per aliquem veſtrum deputandus ſuper omnia Monaſteria Curæ Fratrum Minorum hactenus commiſſa, vel committenda, eamdem poteſtatem habeatis, quam Generalis Miniſter ipſius Ordinis habere dignoſcitur, tenore præſentium concedimus.

1012 „ Volumus attamen, quod per quaſcumqoe literas Apoſtolicas Generali Miniſtro dicti Ordinis, ſeu aliis quoquo-

mo-

Digitized by Google

„ modo conceſſas, vel concedendas impoſte-
„ rum, gratiæ, & indulta, & alia ſupradicta
„ nullatenus intelligantur revocata, non ob-
„ ſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus,
„ & ſpecialibus Cōciliis editis conſtitutioni-
„ bus&ordinationibus,ſtatutis quoq;& cōſue-
„ tudinibus ordinis prædicti,cęterisq;contra-
„ riis quibuscumq; etiamſi de ipſis in præſen-
„ tibus deberet fieri mentio, quibus, quan-
„ tùm præſentibus adverſantur, prorsùs vo-
„ lumus hac vice dumtaxat derogari, ipſis
„ aliàs in ſuo robore permanſuris.

1013 „ Nulli ergò omninò hominum li-
„ ceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis,
„ deputationis, conceſſionis, & voluntatis
„ infringere, vel ei auſu temerario contraire.
„ Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,
„ indignationem Oomnipotentis Dei,& Bea-
„ torum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus,
„ ſe noverit incurſurum. Datum Bononiæ,
„ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo
„ quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, quin-
„ to Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno VII.

1014 *Quas quidem Bullas, vel literas SS.D.N.Papæ Eugenii,juſtis dicti Fratris Jacobi precibus inclinati, diligenter inſpeximus,& inſpectas vidimus non cancellatas, non abraſas, non abolitas, non vitiatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorsùs vitio, & ſuſpicione carentes.primas ejuſdem Domini Papæ Eugenii Quarti cum cordula ſerici, & Bulla plumbea bullatas,more Romanæ Curiæ, & ipſas per Secretarium noſtrum infraſcriptum auſcultari diligenter, & ſic præſens tranſcriptum, ſeu tranſumptum ex authenticis aſſumptum noſtri auctoritate interpoſito Decreto coram nobis unà cum infraſcriptis Secretario, & teſtibus, ad hoc ſpecialiter rogatis, & vocatis ſolemniter examinatum, lectum, & auſcultatum, nihil addita, vel minuto, quod ſenſum mutet, ſeu variet intellectum. In cujus rei teſtimonium præſens tranſumptū appenſione noſtri Pontificalis ſigilli munimine duximus roborandum. Actum Candide, Anno Domini,quo ſupra,die quarto Septembris, præſentibus Venerabilibus, & Religioſis viris Dominis Bartholomæo Canonico Cretenſi Vicario Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Cretenſis, Fratre Emmanuele de Conſtantinopoli Ordinis Prædicatorum, Fratre Maffeo de Venetiis Ordinis Servorum, & Bartholomæo Abramo de Candia, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis.*

Ego Chriſtophorus de Abriſiis publicus Imperiali auctoritate Notarius, & prælibati Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Secretarius. Quia Bullarum Apoſtolicarum in præſenti tranſumpto inſertarum collationi, & auſcultationi, unà cum prænominatis teſtibus præſens fui, manu aliena fideliter ſcriptum, me aliis occupato negotiis, ſcribi feci, mandatoque prælibati Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi, manu propria ſubſcripti, ſigno & nomine meis conſuetis, hic appoſitis, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum &c.

1015 Itaque exhibitis literis, ut præfati ſumus, ab antedictis Legatis, ac data commiſſione Dominis Cardinalibus, Oſtienſi, Sanctæ Crucis, & Sanctæ Sabinæ, aliiſque compluribus Doctoribus per ipſum Eogeniū Papam, approbante Concilio, examinandi Armenorum doctrinam, dogmata, & inſtituta, ad effectum eos in veritate & ſinceritate Fidei catholicæ inſtruendi, ſuper multa non modico tempore diſceptatum eſt, donec tandem perſuaſi & convicti, quemadmodum actū fuerat cum Græcis, & ipſi aquieverint, & confeoſerint. Sic notat Andreas à S. Cruce ſub num.6. poſt collationes, inquiens: „ Li-
„ teris exhibitis ſacræ Synodo, Reverendiſſi-
„ mis Cardinalibus Oſtienſi, Sanctæ Crucis,
„ & Sanctæ Sabinæ, ac Doctoribus pluri-
„ bus, per Summum Pontificem, ſacra ap-
„ probante Synodo, deputatis, & inceſſan-
„ ter quaſi diebus ſingulis in Apoſtolico Pa-
„ latio cum Armenis præfatis convenienti-
„ bus, inſtitutis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ adeo inſtructi ſunt Oratores prædicti, quod
„ infraſcripti Decreti fidem recognoſcentes
„ religioſiſſimè ſuſcepere, quod in Cathedra-
„ li Eccleſia XXII. Novembris publica in
„ ſeſſione Synodica firmatum extitit. *Hæc Andreas à S. Cruce*, ocularis teſtis. Auguſtinus inſuper Patricius in prædicta Hiſtoria cap.102. id idem affirmat dicens: „ Tum ad-
„ venientibus Armenorum Legatis, qui ad
„ unionem cum reliquis Orientalibus vocati
„ erant, & eorum intellectis erroribus con-
„ tra fidei noſtræ puritatem per multos dies
„ eorum ſententias diſcuti, & per viros ſacræ
„ doctrinæ peritiſſimos confutari, aperiri ve-
„ ras & catholicas juſſit. Inde celebrata
„ publica ſeſſione VII. Florentiæ undecima
„ Kal. Decembris ſolemni more, quid ab eis
„ profitendum eſſet, præſcripſit. *Hæc Patricius*. Decretum verò ſive Bulla pro Armenorum unione, & inſtructione ſequentem habet tenorem.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

1016 „ Exultate Deo adjutori noſtro,
„ jubilate Deo Jacob, omnes qui ubique
„ nomine cenſemini Chriſtiano. Ecce enim
„ iterum recordatus Dominus miſericordiæ
„ ſuæ, alium diſſidii lapidem non gentis, &
„ ampliùs inveteratum annis, de Eccleſia
„ ſua auferre dignatus eſt: & qui facit con-
„ cordiam in ſublimibus, & per quem in
„ terris pax eſt hominibus bonæ voluntatis,
„ optatiſſimā Armenorum unionē ſua ineffa-
„ bili miſeratione conceſſit: *Benedictus Deus,*
„ *& Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater*
„ *miſericordiarum, & Deus totius conſolatio-*
„ *nis, qui conſolatur nos in omni tribulatione*
„ *noſtra*. Intuens namque piiſſimus Dominus

Ec-

„ Eccleſiam ſuam , modò ab his , qui foris
„ ſunt , modò ab his , qui intra , non parvis
„ agitati turbinibus , ut inter ipſas reſpirare
„ anguſtias , & ad reſiſtendum fortior aſſur-
„ gere valeat , multis eam quotidie modis
„ conſolari , & roborare dignatur . Nam &
„ pridem magnam illam Græcorum unionem,
„ multas longè, lateque continentium natio-
„ nes & linguas , hodie verò hanc ipſam Ar-
„ menici populi , qui per Septentrionem, &
„ Orientem in magna copia diffuſus eſt , in
„ eodem fidei , & charitatis vinculo cum Se-
„ de Apoſtolica ſtabilivit. Hæc profectò tam
„ magna, & mira ſunt divinæ pietatis beneſi-
„ cia , ut non ſolùm pro utroque, ſed nè qui-
„ dem pro altero ſatis dignas ſuæ Majeſtati
„ referre gratias poſſit intellectus humanus .
„ Quis non vehementer admiretur , uno, eo-
„ demque tam brevi tempore , duo ſic præ-
„ clara , & tot ſæculis deſiderata opera , in
„ hoc ſacro Concilio fuiſſe tam fœliciter
„ conſumata ? Vere à Domino factũ eſt iſtud,
„ & eſt mirabile in oculis noſtris , Quomodo
„ enim hominum prudentia, vel induſtria, niſi
„ gratia Dei, & cœpiſſet , & perfeciſſet , has
„ tantas & tales res explere potuiſſet ? Lau-
„ demus igitur & toto corde benedicamus
„ Dominum , qui fecit mirabilia magna ſo-
„ lus, ipſique pſallamus ſpiritu , pſallamus
„ & mente , oreque , & opere quantùm ſinit
„ humana fragilitas ; pro tantiſque muneri-
„ bus gratias agamus , orantes , & obſecran-
„ tes , ut quemadmodum ipſi Græci , atque
„ Armeni unum cum Eccleſia Romana effecti
„ ſunt , ita ſiant & cæteræ nationes ; præſer-
„ tim Chriſti charactere inſignitæ , & totus
„ denique populus Chriſtianus , omnibus
„ odiis , belliſque extinctis , mutua invicem
„ pace , & fraterna charitate quieſcat & gau-
„ deat . Ipſos autem Armenos magnis lau-
„ dum preconiis dignos eſſe meritò cenſemus.
„ 1017 „ Ut primùm enim à nobis ad Sy-
„ nodum accerſiti ſunt , tanquam Eccleſiaſti-
„ cæ avidi unitatis , ſpectabiles , devotos ,
„ & doctos Oratores ſuos cum ſufficienti
„ mandato,de ſuſcipiendo,videlicet,quidquid
„ Spiritus Sanctus hanc ſanctam Synodum
„ illuſtraverit , ex remotiſſimis regionibus
„ per multos labores , mariaque pericula , ad
„ nos,& hoc ſacrum Concilium deſtinarunt .
„ Nos verò tota mente , ut noſtrum Paſtorale
„ decebat officium , cupientes tam ſanctum
„ perficere opus , ſæpè cum ipſis Oratoribus
„ de hac ſancta unione contulimus: & nè, vel
„ parva huic ſanctæ rei dilatio fieret , depu-
„ tavimus de omni ſtatu hujus ſacri Concilii
„ viros , juris divini & humani doctiſſimos ,
„ qui cum omni cura , ſtudioque & diligen-
„ tia rem iſtam cum iſtis pertractarent Ora-
„ toribus , ab eiſaccuratè inquirentes eorum
„ fidem , tam circa divinæ unitatem eſſentiæ ,
„ & Divinarum Perſonarum Trinitatem ,
„ quàm Domini noſtri Jeſu Chriſti humani-
„ nitatem , & ſeptem Eccleſiæ Sacramenta ,
„ & alia ad fidem orthodoxam , & ritus uni-
„ verſalis Eccleſiæ pertinentia. Multis itaque
„ adhibitis diſputationibus , collocutioni-
„ bus , & tractatibus ; poſtque non medio-
„ crem teſtimoniorum inſpectionem , quæ ex
„ Sanctis Eccleſiæ Patribus , & Doctoribus
„ deducta ſunt , & earum , de quibus ageba-
„ tur rerum diſcuſſionem ; tandem expedire
„ judicavimus , nè ulla infuturum de fidei
„ veritate apud ipſos Armenos hæſitatio eſſe
„ valeat , atque idem per omnia ſapiant cum
„ Sede Apoſtolica , unioque ipſa ſtabilis , &
„ perpetua ſine ullo ſcrupulo perſeveret , ut
„ ſub quodam brevi compendio orthodoxæ
„ fidei veritatem , quam ſuper præmiſſis Ro-
„ mana profitetur Eccleſia , ſacro hoc appro-
„ bante Florẽtino Concilio, ipſis Oratoribus,
„ ad hoc etiam conſentientibus, traderemus .

1018 „ In primis ergo damus eis ſan-
„ ctum Symbolum , à centum quinquaginta
„ Epiſcopis in œcumenico Conſtantinopoli-
„ tano Concilio editum , cum illa additione,
„ *Filioque*, ipſi Symbolo declarandæ veritatis
„ gratia , & urgente neceſſitate , licitè, &
„ rationabiliter appoſita,cujus talis eſt tenor;
„ *Credo in unum Deum Patrem Omnipoten-*
„ *tem Factorem Cœli & Terræ , viſibilium om-*
„ *nium & inviſibilium : Et in unum Dominum*
„ *Jeſum Chriſtum Filium Dei Unigenitum .*
„ *Et cætera uſque ad finem .* Hoc autem ſan-
„ ctum Symbolum , ſicut apud Latinos mos
„ eſt , ita decernimus per omnes Armenorum
„ Eccleſias intra Miſſarum ſolemnia ſingulis
„ ſaltem Dominicis diebus , & majoribus fe-
„ ſtivitatibus decantari , vel legi .

1019 „ Secundò tradimus eis defini-
„ tionem quarti univerſalis Concilii Chalce-
„ donenſis : in quinto poſtea , & ſexto uni-
„ verſalibus Conciliis renovatam de duabus
„ naturis in una Chriſti perſona , cujus tenor
„ talis eſt : *Sufficeret quidem ſapiens hoc , &*
„ *ſalutare Divinæ gratiæ Symbolum ad plenam*
„ *cognitionem, ac confirmationem pietatis : De*
„ *Patre enim, & Filio, & Spiritu Sancto per-*
„ *fectionem docet , & Domini humanitatem*
„ *fideliter accipientibus repreſentat : Sed quo-*
„ *niam hi , qui conantur reprobare prædicatio-*
„ *nem veritatis, per proprias hæreſes novas vo-*
„ *ces genuerunt ; & hi quidem præſumentes*
„ *corrumpere myſterium diſpenſationis Domi-*
„ *ni , quæ propter nos facta eſt ; alii verò in-*
„ *troducentes confuſionem , permixtionemque*
„ *& ſtultè confingentes unam eſſe naturam car-*
„ *nis , & Deitatis , & portentosè dicentes paſ-*
„ *ſibilem Unigeniti Divinam naturam : ob hoc*
„ *volens claudere illis omnem machinationem*
„ *contra veritatem, præſens nunc ſancta & ma-*
„ *gna , atque univerſalis Synodus, prædicatio-*
„ *nem hanc docens ab initio immobilem , de-*
„ *crevit ante omnia fidem trecentorum decem*
„ *& octo Patrum manere irrecuſabilem ; & po-*
„ *ſteriore tempore propter illos quidem , qui*

,, pugnant adverſùs Spiritum Sanctum, cor-
,, roborat doctrinam de ſubſtantia Spiritus tra-
,, ditam à Patribus centum quinquaginta, apud
,, Conſtantinopolim congregatis, quam illi om-
,, nibus notam fecerunt, non quaſi inſerentes,
,, quòd aliquid minùs eſſet in præcedentibus,
,, ſed eorum intellectum de Spiritu Sancto ſcri-
,, pturarum teſtimoniis declarantes, adverſùs
,, eos, qui dominationem ejus reſpuere tenta-
,, verunt. Propter illos autem, qui moliuntur
,, corrumpere diſpenſationis myſterium, & im-
,, pudenter delirant, dicentes, parum hominem
,, eſſe illum, qui ex Sancta Maria Virgine na-
,, tus eſt, ſuſcepit Epiſtolas Synodicas Beati
,, Cyrilli, quondam Præſulis Eccleſiæ Ale-
,, xandrinæ, ad Neſtorium, & ad Orientales,
,, congruas exiſtentes ad convincendas Neſtorii
,, veſanias, & ad interpretationem eorum, qui
,, ſalutaris Symboli mentem pio zelo noſſe deſi-
,, derant. Quibus etiam conſequentiſſimè Epi-
,, ſtolam cooptavit magnæ & ſenioris Urbis Ro-
,, mæ Præſulis Beatiſſimi, ac Sanctiſſimi Leo-
,, nis Papæ, quæ ſcripta eſt ad ſanctæ memoriæ
,, Archiepiſcopum Flavianum, ad perimendam
,, Eutychis malam intelligentiam, utpotè con-
,, gruentem illius magni Petri confeſſioni, &
,, exiſtentem nobis quamdam columnam com-
,, munem adverſùs prava dogmata, & ad con-
,, firmationem rectorum dogmatum. His nam-
,, que, qui in duos filios diſpenſationis divinæ
,, myſterium diſcerpere nituntur, obſiſtit; &
,, illos, qui paſſibilem Deitatem Unigeniti auſi
,, ſunt dicere à ſacro cœtu expellit. Et his, qui
,, in duabus naturis Chriſti temperamentum,
,, aut confuſionem exquirunt, reſiſtit; & eos,
,, qui dicunt, ſervi formam, quam ex nobis
,, aſſumpſit, Cœleſtem eſſe, aut alterius alicujus
,, ſubſtantiæ, ut dementes abigit. Et qui duas
,, quidem ante unitionem naturas Domini fa-
,, bulantur, unam verò poſt unitionem confin-
,, gunt, anathematizat; ſequentes igitur San-
,, ctos Patres, unum, eundemq; confiteri Filium
,, Dominum noſtrũ Jeſum Chriſtum conſonan-
,, ter omnes docemus, eundem perfectum in
,, Deitate, eundem perfectum in humanitate;
,, Deum verè, & hominem verè; eundem ex
,, anima rationali, & corpore, conſubſtantia-
,, lem Patri ſecundùm Deitatem, & conſub-
,, ſtantialem nobis eundem ſecundùm humani-
,, tatem; per omnia nobis ſimilem abſque pec-
,, cato; ante ſecula quidem de Patre genitum
,, ſecundùm Deitatem: In noviſſimis autem
,, diebus eundem propter nos, & propter ſalu-
,, tem noſtram, ex Maria Virgine Dei Geni-
,, trice ſecundùm humanitatem; Unum, eun-
,, demque Chriſtum, verum Filium, Dominum,
,, Unigenitum, in duabus naturis inconfuſè,
,, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agno-
,, ſcendum; nuſquàm ſublata differentia natu-
,, rarum propter unitionem, magiſque ſalvo
,, proprietate utriuſque naturæ, & in unam per-
,, ſonam, atque ſubſiſtentiam concurrente; non
,, in duas perſonas partitum, ſive diviſum, ſed
,, unum & eundem Filium Deum verum Do-
,, minum Jeſum Chriſtum, ſicut ante Prophe-
,, tæ de eo, & ipſe nos Jeſus Chriſtus erudivit,
,, & SS. Patrum nobis tradidit Symbolum.

1020 ,, Tertiò, definitionem de duabus
,, voluntatibus, duabuſque Chriſti operatio-
,, nibus in prædicto ſexto Concilio promul-
,, gatam, cujus tenor talis eſt: Sufficeret qui-
,, dem, & reliqua, quæ in ipſa definitione
,, Concilii Chalcedonenſis ſuperiùs enarrata
,, ſequuntur uſque ad finem; poſt quem ſe-
,, quitur in hunc modum: Et duas naturales
,, voluntates in eo, & duas naturales operatio-
,, nes indiviſè, inconvertibiliter, inſeparabi-
,, liter, inconfuſè ſecundùm Sanctorum Pa-
,, trum doctrinam, Adæque prædicamus: Et
,, duas naturales voluntates, non contrarias,
,, abſit, juxta quod impii aſſeruerunt hæretici,
,, ſed ſequentem humanam ejus voluntatem, &
,, non reſiſtentem, vel reluctantem, ſed potiùs
,, & ſubjectam Divinæ ejus, atque omnipotenti
,, voluntati. Oportebat enim carnis volunta-
,, tem moveri, ſubiici verò voluntati Divinæ,
,, juxta ſapientiſſimũ Athanaſium. Sicut enim
,, caro Dei Verbi dicitur, & eſt; ita & natu-
,, ralis carnis ejus voluntas, propria Dei Ver-
,, bi dicitur, & eſt, ſicut ipſe ait: Quia de-
,, ſcendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem
,, meam, ſed ejus, qui miſit me Patris; ſuam
,, propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis
,, ejus; nam & caro propria facta eſt ejus.
,, Quemadmodùm enim ſanctiſſima, atque im-
,, maculata animata ejus caro deificata eſt, non
,, eſt perempta, ſed in proprio ſui ſtatu, & ra-
,, tione permanſit; ita & humana ejus volun-
,, tas deificata eſt, non eſt perempta; ſalvata
,, eſt autem magis, ſecundùm Deiloquum Gre-
,, gorium dicentem; nam velle illius, qui in
,, Salvatore intelligitur non eſt contrarium
,, Deo, deificatum eſt totum: duas enim natu-
,, rales operationes indiviſè, inconvertibiliter,
,, inconfuſè, inſeparabiliter in eodem Domino
,, Jeſu Chriſto vero Deo noſtro glorificamus,
,, hoc eſt, divinam operationem, & humanam
,, operationem ſecundùm Divinum prædicato-
,, rem Leonem, apertiſſimè aſſerentem: Agit
,, enim utraque forma cum alterius communio-
,, ne, quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operan-
,, te, quod Verbi eſt, & carne exigente, quod
,, carnis. Nec enim in quoquam unam dabi-
,, mus naturalem operationem Dei, & Crea-
,, turæ; ut neque quod creatum eſt in Divinam
,, educamus eſſentiam; neque quod eximium
,, eſt Divinæ naturæ, ad competentem creatu-
,, ris locum deiiciamus. Unius enim, & ejuſ-
,, dem tam miracula, quàmque paſſiones cogno-
,, ſcimus ſecundùm aliud, & aliud earum, ex
,, quibus eſt naturarum, & in quibus habet eſſe,
,, ſicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique
,, igitur inconfuſum, atque indiviſum conſer-
,, vantes unum Sanctæ Trinitatis, brevi voce
,, cuncta proferimus; & poſt incarnationem Do-
,, minum noſtrum Jeſum Chriſtum verum

Deum

,, *Deum eſſe credentes, aſſerimus duas ejus*
,, *eſſe naturas, in una ejus radiantes ſubſiſten-*
,, *tia, in qua tam miracula, quàmque paſſio-*
,, *nes per omnem ſui diſpenſativam converſa-*
,, *tionem, non per phantaſiam, ſed veraciter*
,, *demonſtravit, ob naturalem differentiam in*
,, *eadem una ſubſtentia cognoſcendam; dum*
,, *utraque natura cum alterius communione in-*
,, *diviſè & inconfuſè propria vellet, atque ope-*
,, *raretur; juxtà quam rationem, & duas na-*
,, *turales voluntates, & operationes confitemur*
,, *ad ſalutem humanam convenienter in eo con-*
,, *currentes.*

1021 ,, Quartò, quoniam hactenus ipſi
,, Armeni præter has tres, Nicænam, Con-
,, ſtantinopolitanam, & Epheſinam primam,
,, Synodoa, nullas alias univerſales poſtea
,, celebratas, nec ipſum Beatiſſimum hujus
,, Sanctæ Sedis Antiſtitam Leonem, cujus
,, auctoritate ipſa Chalcedonenſis Synodus
,, extitit congregata, ſuſceperunt, aſſerentes
,, eiſdem fuiſſe ſuggeſtum tam Synodum ip-
,, ſam Chalcedonenſem, quàm memoratum
,, Leonem, ſecundùm damnatam Neſtorii hæ-
,, reſim definitionem feciſſe; inſtruximus eos
,, & declaravimus, hujuſmodi falſam fuiſſe
,, ſuggeſtionem, ipſamque Synodum Chal-
,, cedonenſem, & Beatiſſimum Leonem ſan-
,, ctè, & rectè veritatem de duabus in una
,, perſona Chriſti naturis ſuperiùs deſcriptam
,, definiſſe contra impia Neſtorii, & Euty-
,, chis dogmata; injunximuſque, ut ipſum
,, Beatiſſimum Leonem, qui veræ Fidei co-
,, lumna fuit, & omni ſanctitate, & doctri-
,, na refertus, tanquàm Sanctum, & in Ca-
,, talogo Sanctorum meritò deſcriptum ve-
,, nerentur; atque non ſolùm dictas tres Sy-
,, nodos, ſed & omnes alias univerſales au-
,, ctoritate Romani Pontificis legitimè cele-
,, bratas, ſicut & cæteri fideles, reverenter
,, ſuſcipiant.

1022 ,, Quintò, Eccleſiaſticorum Sacra-
,, mentorum veritatem pro ipſorum Arme-
,, norum tam præſentium, quàm futurorum
,, faciliori doctrina, ſub hac breviſſima redi-
,, gimus formula. Novæ legis ſeptem ſunt
,, Sacramenta, videlicèt, Baptiſmus, Con-
,, firmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extre-
,, ma Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quę
,, multùm à Sacramentis differunt antiquæ
,, legis. Illa enim non cauſabant gratiam,
,, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dan-
,, dam eſſe figurabant: hæc verò noſtra &
,, continent gratiam, & ipſam dignè ſuſci-
,, pientibus conferunt. Horum quinque pri-
,, ma ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis
,, in ſeipſo perfectionem, duo ultima ad to-
,, tius Eccleſiæ regimen, multiplicationem-
,, que ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim
,, ſpiritualiter renaſcimur; per confirmatio-
,, nem augemur in gratia, & roboramur in
,, fide: renati autem, & roborati, nutrimur
,, Divinæ Euchariſtiæ alimonia. Quòd ſi per
,, peccatum ægritudinem incurrimus animæ,
,, per pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur; ſpi-
,, ritualiter etiam & corporaliter, prout ani-
,, mæ expedit, per Extremam Unctionem;
,, per Ordinem verò Eccleſia gubernatur, &
,, multiplicatur ſpiritualiter; per Matrimo-
,, nium corporaliter augetur. Hæc omnia
,, Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet
,, rebus tanquam materia, verbis tanquam
,, forma, & perſona Miniſtri conferentis Sa-
,, cramentum cum intentione faciendi quod
,, facit Eccleſia; quorum ſi aliquod deſit, non
,, perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacra-
,, menta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio,
,, & Ordo, quæ characterem, ideſt ſpiritua-
,, le quoddam ſignum à cæteris diſtinctivum,
,, imprimunt in anima indelebile. Unde in
,, eadem perſona non reiterantur. Reliqua
,, quatuor characterem non imprimunt, &
,, reiterationem admittunt.

1023 ,, Primum omnium Sacramento-
,, rum locum tenet ſanctum Baptiſma, quòd
,, vitæ ſpiritualis janua eſt; per ipſum enim
,, membra Chriſti. ac de corpore efficimur
,, Eccleſiæ. Et cùm per primum hominem
,, mors introierit in univerſos, niſi ex aqua,
,, & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus, ut
,, inquit veritas, in Regnum Cœlorum in-
,, troire. Materia hujus Sacramenti eſt aqua
,, vera & naturalis; nec refert, frigida ſit, an
,, calida. Forma autem eſt: *Ego te baptizo*
,, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-*
,, *cti*, non tamen negamus, quin, & per illa
,, verba: *baptizetur talis ſervus Chriſti in no-*
,, *mine Patris, & Filii, & Spiritus San-*
,, *cti*; vel: *Baptizatur talis manibus meis, in*
,, *nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*,
,, verum perficiatur Baptiſma; quoniam cùm
,, principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtu-
,, tem habet, ſit Sancta Trinitas, inſtrumen-
,, talis autem ſit Miniſter, qui tradit exteriùs
,, Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui
,, per ipſum exercetur Miniſtrum, cum San-
,, ctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sa-
,, cramentum. Miniſter hujus Sacramenti
,, eſt Sacerdos, cui ex officio competit ba-
,, ptizare. In caſu autem neceſſitatis non ſo-
,, lùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam
,, Laicus, vel mulier, imò etiam Paganus,
,, & hæreticus baptizare poteſt, dummodò
,, formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat,
,, quod facit Eccleſia. Hujus Sacramenti ef-
,, fectus, eſt remiſſio omnia culpæ originalis,
,, & actualis, omnis quoq; pœnæ, quæ pro ipſa
,, culpa debetur. Propterea baptizatis nulla
,, pro peccatis pręteritis injungenda eſt ſatiſ-
,, factio; ſed morientes, antequàm culpam ali-
,, quam committant, ſtatim ad Regnum Cœ-
,, lorum, & Dei viſionem perveniunt.

1024 ,, Secundum Sacramentum eſt Con-
,, firmatio; cujus materia eſt Chriſma con-
,, fectum ex Oleo, quod nitorem ſignificat
,, conſcientiæ, & balſamo, quod odorem

„ ſignificat bonæ famæ per Epiſcopum bene-„ dicto. Forma autem eſt: *Signo te ſigno* „ *Crucis*, *& confirmo te chriſmate ſalutis*, *in* „ *nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*. „ Ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus. Et cùm „ cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat „ exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet „ conferre; quia de ſolis Apoſtolis legitur, „ quorum vicem tenent Epiſcopi, quòd per „ manus impoſitionem Spiritum Sanctum „ dabant, quemadmodum Actuum Apoſtolo-„ rum lectio manifeſtat: *Cùm enim audiſſent*, „ inquit, *Apoſtoli*, *qui erant Hieroſoymit*, „ *quia recepiſſet Samaria verbum Dei*, *miſe-* „ *runt ad eos Petrum & Joannem*. *Qui cùm* „ *veniſſent*, *oraverunt pro eis*, *ut acciperent* „ *Spiritum Sanctum*: *nondum enim in quem-* „ *quam illorum venerat*, *ſed baptizati tantùm* „ *erant in nomine Domini Jeſu*. *Tunc impone-* „ *bant manus ſuper illos*, *& accipiebant Spiri-* „ *tum Sanctum*. Loco autem illius manus „ impoſitionis, datur in Eccleſia Confirmatio. „ Legitur tamen, aliquandò per Apoſtolicæ „ Sedis diſpenſationem ex rationabili & ur-„ gente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdo-„ tem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc „ adminiſtraſſe confirmationis Sacramentum. „ Effectus autem hujus Sacramenti eſt, quia „ in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, ſicut „ datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut „ videlicet Chriſtianus audacter Chriſti con-„ fiteatur nomen, Ideoque in fronte, ubi „ verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inun-„ gitur, nè Chriſti nomen confiteri erubeſcat, „ & præcipuè Crucem ejus: *Quæ Judæis qui-* „ *dem eſt ſcandalum*, *gentibus autem ſtultitiam*, „ ſecundùm Apoſtolum; propter quod ſigno „ Crucis ſignatur.

1025 „ Tertium eſt Euchariſtiæ Sacra-„ mentum, cujus materia eſt panis triticeus, „ & vinum de vite, cui ante conſecrationem „ aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua „ autem ideo admiſcetur, quoniam juxta „ teſtimonia Sanctorum Patrum, ac Docto-„ rum Eccleſiæ pridem in diſputatione exhi-„ bita, creditur ipsū Dominum in vino aqua „ permixto hoc inſtituiſſe Sacramentum. „ Deinde, quia hoc convenit Dominicæ Paſ-„ ſionis repræſentationi. Inquit enim Beatus „ Alexander Papa Quintus à Beato Petro: „ *In Sacramentorum oblationibus*, *quæ intra* „ *Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur*, *panis* „ *tantùm*, *& vinum aqua permixtum in ſacrifi-* „ *cium offerantur*. *Non enim debet in Calicem* „ *Domini aut vinum ſolum*, *aut aqua ſola of-* „ *ferri*, *ſed utrumque permixtum*, *quia utrum-* „ *que*, *ideſt*, *ſanguis & aqua*, *ex latere Chriſti* „ *profluxiſſe legitur*. Tum etiam, quod con-„ venit ad ſignificandum hujus Sacramenti „ effectum, qui eſt unio populi Chriſtiani „ ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignifi-„ cat, ſecundùm illud Apocalypſis: *Aquæ* „ *multæ*, *populi multi*. Et Julius Papa Se-„ cundus poſt Beatum Silveſtrum, ait: *Calix* „ *Dominicus juxta Canonum præceptum*, *vino* „ *& aqua permixtus debet offerri*; *quia videmus* „ *in aquo populū intelligi*, *in vino verò oſtendi* „ *Sanguinem Chriſti*. Ergo cùm in Calice vi-„ num & aqua miſcetur, Chriſto populus adu-„ natur, & fidelium plebs ei, in quem credit, „ copulatur & jungitur. Cùm ergo ſancta „ Romana Eccleſia à Beatiſſimis Apoſtolis „ Petro & Paulo edocta, quàm reliquæ om-„ nes Latinorum, Græcorumque Eccleſiæ; „ in quibus omnis ſanctitatis & doctrinæ lu-„ mina claruerunt, ab initio naſcentis Eccle-„ ſiæ ſic ſervaverint, & modò ſervent, incon-„ veniens admodùm videtur, ut alia quævis „ regio ab hac univerſali & rationabili diſcre-„ pet obſervantia.

1026 „ Decernimus igitur, ut etiam ipſi „ Armeni ſe cum univerſo Orbe Chriſtiano „ conforment, eorumque Sacerdotes in Ca-„ licis oblatione paululùm aquæ, prout di-„ ctum eſt, admiſceant vino. Forma hujus „ Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus „ hoc confecit Sacramentum. Sacerdos enim „ in perſona Chriſti loquens, hoc conficit „ Sacramentum. Nam ipſorum verborum vir-„ tute, ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & „ ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur: „ ita tamen, quod totus Chriſtus continetur „ ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini: „ ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ conſe-„ cratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, „ totus eſt Chriſtus. Hujus Sacramenti effe-„ ctus, quem in anima operatur dignè ſumen-„ tis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et „ quia per gratiam homo Chriſto incorpora-„ tur, & membris ejus unitur, conſequens „ eſt, quod per hoc Sacramentum in ſumen-„ tibus dignè gratia augeatur: omnemque „ effectum, quem materialis cibus & potus, „ quo ad vitam agunt corporalem, ſuſten-„ tando, augendo, reparando, & delectan-„ do, Sacramentum hoc, quo ad vitam ope-„ ratur ſpiritualem: in quo, ut inquit Urba-„ nus Papa, gratam Salvatoris noſtri recen-„ ſemus memoriam, à malo retrahimur, con-„ fortamur in bono, & ad virtutum & gra-„ tiarum proficimus incrementum.

1027 „ Quartum Sacramentum eſt Pœ-„ nitentia, cujus quaſi materia ſunt actus „ pœnitentis, qui in tres diſtinguntur partes. „ Quarum prima eſt, cordis contritio, ad „ quam pertinet, ut doleat de peccato com-„ miſſo cum propoſito non peccandi de cæte-„ ro. Secunda, eſt oris confeſſio, ad quam „ pertinet, ut peccator omnia peccata, quo-„ rum memoriam habet, ſuo Sacerdoti con-„ fiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio „ pro peccatis ſecundùm arbitrium Sacer-„ dotis; quæ quidem præcipuè fit per ora-„ tionem, jejunium, & eleæmoſynam. Forma „ hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, „ quæ Sacerdos profert, cùm dicit: *Ego te*

ab-

„ *abſolvo*. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sa-
„ cerdos habens auctoritatem abſolvendi, vel
„ ordinariam, vel ex commiſſione Superioris.
„ Effectus hujus Sacramenti eſt abſolutio à
„ peccatis.

1028 „ Quintum Sacramentum eſt Ex-
„ trema Unctio, cujus materia eſt oleum
„ olivæ per Epiſcopum benedictum. Hoc
„ Sacramentum niſi infirmo, de cujus morte
„ timetur, dari non debet: qui in his locis
„ ungendus eſt; in oculis propter viſum, in
„ auribus propter auditum, in naribus pro-
„ pter odoratum, in ore propter guſtum, vel
„ locutionem, in manibus propter tactum,
„ in pedibus propter greſſum, in renibus pro-
„ pter delectationem ibidem vigentem. For-
„ ma hujus Sacramenti eſt hæc: *Per iſtam*
„ *unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam*
„ *indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti*
„ *per viſum*, & ſimiliter in aliis membris.
„ Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos:
„ effectus verò eſt mentis ſanatio, & in quan-
„ tùm autem expedit, ipſius etiam corporis.
„ De hoc Sacramento, inquit Beatus Jaco-
„ bus Apoſtolus: *Infirmatur quis in vobis?*
„ *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſu-*
„ *per eum, ungentes eum oleo in nomine Do-*
„ *mini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, &*
„ *alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit,*
„ *dimittentur ei.*

1029 „ Sextum Sacramentum eſt Ordi-
„ nis, cujus materia eſt illud, per cujus tra-
„ ditionem confertur Ordo, ſicut Presbyte-
„ ratus traditur per Calicis cum vino, & Pa-
„ tenæ cum pane porrectionem. Diaconatus
„ verò per libri Evangeliorum dationem. Sub-
„ diaconatus verò per Calicis vacui cum Pa-
„ tena vacua ſuperpoſitæ traditionem: & ſimi-
„ liter de aliis per rerum ad miniſteria ſua
„ pertinentium aſſignationem. Forma Sacer-
„ dotii talis eſt: *Accipe poteſtatem offerendi*
„ *ſacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis,*
„ *in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.*
„ Et ſic de aliorum Ordinum formis, prout
„ in Pontificali Romano latiùs continetur.
„ Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti eſt
„ Epiſcopus, effectus, augmentum gratiæ,
„ ut quis ſit idoneus Miniſter.

1030 „ Septimum eſt Sacramentum Ma-
„ trimonii, quod eſt ſignum conjunctionis
„ Chriſti & Eccleſiæ, ſecundùm Apoſtolum
„ dicentem: *Sacramentum hoc magnum eſt:*
„ *Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.*
„ Cauſa efficiens Matrimonii, regulariter eſt
„ mutuus conſenſus per verba de præſenti ex-
„ preſſus. Aſſignatur autem triplex bonum
„ Matrimonii. Primum eſt proles ſuſcipien-
„ da & educanda ad cultum Dei. Secundum
„ eſt fides, quam unus conjugum alteri ſer-
„ vare debet. Tertium indiviſibilitas Matri-
„ monii, propter hoc, quod ſignificat indi-
„ viſibilem conjunctionem Chriſti, & Eccle-
„ ſiæ. Quamvis autem ex cauſa fornicationis
„ liceat thori ſeparationem facere, non ta-
„ men aliud Matrimonium contrahere fas eſt,
„ cùm Matrimonii vinculum legitimè con-
„ tracti perpetuum ſit.

1031 „ Sexto, compendioſam illam fidei
„ regulam, per Beatiſſimum Athanaſium edi-
„ tam, ipſis præbemus Oratoribus, cujus
„ tenor talis eſt: Quicumque vult ſalvus eſſe,
„ ante omnia opus eſt, ut teneat catholicam
„ fidem, quam niſi quiſque integram, invio-
„ latamque ſervaverit, abſque dubio in
„ æternum peribit. Fides autem catholica
„ hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, &
„ Trinitatem in unitate veneremur: *Et cæ-*
„ *tera, uſque ad finem Symboli continentur in*
„ *Bulla.*

1032 „ Septimo, Decretum unionis cum
„ Græcis conſummatæ pridem in hoc ſacro
„ œcumenico Florentino Concilio promul-
„ gato, cujus tenor talis eſt: Eugenius Epi-
„ ſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpe-
„ tuam rei memoriam. Conſentiente ad in-
„ fraſcripta chariſſimo filio noſtro Joanne Pa-
„ læologo Romanorum Imperatore illuſtri,
„ & Locumtenentibus; Venerabilium Fra-
„ trum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris
„ Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.
„ Lætentur Cœli & exultet terra. Sublatus
„ eſt enim de medio paries, qui Occidenta-
„ lem, Orientalemque dividebat Eccleſiam:
„ *Et cætera ſequuntur, ſicut in Decreto unionis*
„ *Græcorum.*

1033 „ Octavo, cùm inter alia ſit etiam
„ cum ipſis Armenis diſputatum, quibus die-
„ bus feſtivitates Annuntiationis Beatæ Ma-
„ riæ Virginis, Nativitatis Beati Joannis
„ Baptiſtæ, & conſequenter Nativitatis, &
„ Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti,
„ ac Præſentationis ejuſdem in Templo, ſeu
„ Purificationis Beatæ Virginis Mariæ cele-
„ brari debeant, ſatiſque dilucidè veritas
„ pateſacta fuerit, tam Sanctorum Patrum
„ teſtimoniis, quàm conſuetudine Eccleſiæ
„ Romanæ, & omnium aliarum univerſaliter
„ apud Latinos & Græcos. Nè igitur in tan-
„ tis celebritatibus diſpar ſit Chriſtianorum
„ Ritus, unde perturbandæ charitatis occaſio
„ poſſit oriri, decernimus tamquam veritati
„ & rationi conſentaneum, & juxta totius
„ reliqui Orbis obſervantiam, ut ipſi etiam
„ Armeni feſtum Annunciationis Beatæ Ma-
„ riæ die XXV. Martii, Nativitatis Beati
„ Joannis Baptiſtæ XXIV. Junii, Nativitatis
„ verò ſecundùm carnem Salvatoris noſtri
„ XXV. Decembris, Circumciſionis ejuſdem
„ prima Januarii, Epiphaniæ VI. ejuſdem
„ Januarii, Præſentationis Domini in Tem-
„ plo, ſeu Purificationis Dei Genitricis ſe-
„ cunda Februarii debeant ſolemniter cele-
„ brare.

1034 „ His omnibus explicatis, prædicti
„ Armenorum Oratores nomine ſuo, & ſui
„ Patriarchæ, & omnium Armenorum, hoc

fa-

„ ſaluberrimũ Synodale Decretum cum om-
„ nibus ſuis Capitulis, declarationibus, diffi-
„ nitionibus, traditionibus, præceptis, & ſta-
„ tutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcri-
„ ptam, necnon quidquid tenet, & docet San-
„ cta Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia,
„ cum omni devotione & obedientia acce-
„ ptant, ſuſcipiunt, & amplectuntur. Illos-
„ que Doctores, & Sanctos Patres, quos Ec-
„ cleſia Romana approbat, ipſi reverenter
„ ſuſcipiunt. Quaſcumque verò perſonas, &
„ quidquid ipſa Eccleſia Romana reprobat,
„ & damnat, ipſi pro reprobatis & damnatis
„ habent, profitentes tamquam veri obedien-
„ tiæ filii nomine, quo ſupra, ipſius Sedis
„ Apoſtolicæ ordinationibus & juſſionibus
„ fideliter obtemperare.

1035 „ Lecto autem ſolemniter in noſtra,
„ & hujus ſanctæ Synodi præſentia memora-
„ to Decreto, mox dilectus filius Narſes Ar-
„ menus nomine ipſorum Oratorum in idio-
„ mate Armenico publicè hæc, quæ ſequuntur
„ legit: quæ incontinenti dilectus filius Ba-
„ ſilius Ordinis Minorum noſter, & ipſorum
„ Armenorum communis interpres publicè
„ ſermone Latino, in hunc modum exſcripto
legit.

„ 1036 „ Beatiſſime Pater, & ſanctiſſima
„ Synode, totum hoc ſanè tuum Decretum,
„ quod nunc latinè coram veſtra publicè le-
„ ctum eſt præſentia, fuit nobis pridie de
„ verbo ad verbum in noſtro idiomate clarè
„ expoſitum, & interpretatum, quod qui-
„ dem optimè nobis placuit, ac placet. Ad
„ majorem autem noſtræ mentis expreſſio-
„ nem, ejus effectum ſummatim repetimus.
„ In ipſo continetur primò, qualiter populo
„ noſtro Armenorum traditis ſanctum Sym-
„ bolum Conſtantinopolitanum cum illa ad-
„ ditione, *Filioque*, ut in Eccleſiis noſtris,
„ diebus ſaltem Dominicis, majoribusque
„ feſtivitatibus intra Miſſarum ſolemnia de-
„ cantari, ſeu legi debeat. Secundò, diffini-
„ tionem quarti univerſalis Concilii Chalce-
„ donenſis de duabus naturis in una Chriſti
„ perſona. Tertiò, definitionem de duabus
„ Chriſti voluntatibus, & operationibus in
„ ſexto univerſali Concilio promulgatam.
„ Quartò, declaratis, quod ipſa Chalcedo-
„ nenſis Synodus, & Beatiſſimus Leo Papa
„ rectè de duabus in una perſona Chriſti na-
„ turis veritatem definierint contra impia
„ Neſtorii & Eutychis dogmata, jubentisque
„ ut ipſum Beatiſſimum Leonem tamquam
„ Sanctum & fidei columnam veneremur; at-
„ que non ſolùm has tres Synodos Nicænam,
„ Conſtantinopolitanam, & Epheſinam pri-
„ mam, ſed omnes alias univerſales auctori-
„ tate Romani Pontificis legitimè celebratas,
„ reverenter ſuſcipiamus. Quintò, brevem
„ formulam ſeptem Sacramentorum Eccleſiæ,
„ videlicet Baptiſmi, Confirmationis, Eu-
chariſtiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctio-
„ nis, Ordinis, & Matrimonii, declarando,
„ quæ ſit cujuslibet Sacramenti materia, for-
„ ma, & Miniſter. Quodque in ſacrificio
„ Altaris, dum Calix offertur vino paulolùm
„ aquæ admiſceri debeat. Sextò, quamdam
„ compendioſam Beatiſſimi Athanaſii fidei re-
„ gulam, quæ incipit: *Quicumque vult ſalvus
„ eſſe* &c. Septimò, Decretum unionis con-
„ cluſæ cum Græcis in hoc ſacro Concilio
„ pridem promulgatum, continens qualiter
„ Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æterna-
„ liter procedit, & quod illa additio, *Filio-
„ que*, licitè & rationabiliter ipſi Symbolo
„ Conſtantinopolitano fuit appoſita: quod-
„ que in pane triticeo azimo, vel fermentato
„ Corpus Domini conficitur: quid etiam
„ credendum ſit de pœnis Purgatorii, & In-
„ ferni, ac vita beata, & de ſuffragiis, quæ
„ pro defunctis fiunt. Item de plenitudine
„ poteſtatis Sedis Apoſtolicæ tradita à Chri-
„ ſto Beato Petro, & ſuis ſucceſſoribus, at-
„ que de ordine Patriarcharũ Sedium. Octa-
„ vò decernitis, ut de cætero Armeni has fe-
„ ſtivitates infraſcriptis diebus, more uni-
„ verſalis Eccleſiæ celebrare debeant, vide-
„ licet, Annuntiationis Beatæ Mariæ Virgi-
„ nis xxv. Martii, Nativitatis Sancti Joannis
„ Baptiſtæ xxiv. Junii, Nativitatis Salva-
„ toris noſtri ſecundùm carnem xxv. Decem-
„ bris, Circumciſionis ejuſdem prima Janua-
„ rii, Epiphaniæ vi. ejuſdem Januarii, Præ-
„ ſentationis Domini in Templo, ſive Puri-
„ ficationis Beatæ Mariæ ſecunda Februarii.
„ Nos igitur Oratores, nomine noſtro, no-
„ ſtrique Reverendi Patriarchæ, & omnium
„ Armenorum, ſicut & Veſtra Sanctitas in
„ ipſo Decreto atteſtatur, hoc ſaluberrimum
„ Synodale Decretum cum omnibus ſuis Ca-
„ pitulis, declarationibus, definitionibus,
„ traditionibus, præceptis, & ſtatutis, om-
„ nemque doctrinam in ipſo deſcriptam, nec-
„ non quidquid tenet, & docet Sancta Sedes
„ Apoſtolica & Romana Eccleſia, cum omni
„ devotione & obedientia acceptamus, ſuſci-
„ pimus, & amplectimur. Illos quoque Do-
„ ctores, & Sanctos Patres, quos Eccleſia
„ Romana approbat, reverenter ſuſcipimus,
„ quaſcumque perſonas, & quidquid ipſa Ro-
„ mana Eccleſia reprobat & damnat, nos pro
„ reprobatis, & damnatis habemus; profi-
„ tentes tamquam veri obedientiæ filii, no-
„ mine, quo ſupra ipſius Sedis Apoſtolicæ
„ ordinationibus, & juſſionibus fideliter ob-
„ temperare: *Datum Florentiæ in publica ſeſ-
„ ſione Synodali ſolemniter in Eccleſia majori
„ celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ
„ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono,
„ decimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri
„ Anno Nono*.

1037 Advertendum hic eſt, in hoc pro Armenis Decreto in nonnullis impreſſis deſiderari, quæ in eo adjecta ſunt à num. 2373. uſque ad finem, exprimendo per ea Oratorum

co-

Digitized by Google

eorumdem Armenorum acceptationem: integrum verò exhibet Wadingus noſter ad hunc annum ſub numero 12. ex authentico exemplari aſſervato in Archivio Fratrum Minorum Montis Feſulani. Nos verò aliud ſimile authenticum exemplare legimus, ſub Bulla plumbea Eugenii IV. ſerico filo mixti coloris appenſa, ſignatum hiſce nominibus, videlicet. *Blondus*, & inde. *A. de Strata*, ultimo verò loco. *Bonaii*, in Archivio Sacri Montis Sion, in quo quidem exemplari per extenſum recitatum eſt Symbolum Conſtantinopolitanum integrum, ſimiliter & Symbolum, ſive Regula fidei Sancti Athanaſii in integrum, Decretum denique totum pro Græcorum unione, licèt brevitatis gratia, prima tantùm verba à nobis ſint recitata. Id quod adnotare voluimus, nè quis exiſtimet in originali Decreto lecto & publicato, ac Armenis exhibito, aliquid eſſe deſiderandum. Item advertendum, nedum Fratrem Jacobum de Primadiciis ex Minorum Ordine, cujus meminit Conſul Caffæ in ſupra recitatis literis ad Eugenium datis, veniſſe cum Armenorum Legatis Florentiam, verùm & Fratrem Baſilium ejuſdem Ordinis, ex diutina cum Armenis converſatione in eorum lingua peritiſſimus, functus interpretis officio, prout Eugenius in præfato declarat Decreto.

1038 Conſummata itaq; Armenorũ unione, remiſſi ſunt ad propria Oratores ſecum ferentes antefatum Synodale Decretum, ac Eugenius reſcripſit Paulo Imperiali Conſuli Caffæ, cui in ſuorum laborum præmium, dignitatem Scutiferi Pontificii contulit, necnon tam ipſum, quàm ſuos filios, natos, vel naſcituros maſculinos, legitimos tamē Comitem Palatinum, & Comites Palatinos, in perpetuum conſtituit, prout in ſequentibus literis.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dilecto filio nobili viro Paulo Imperiali Civi Januenſi, Scutifero noſtro honoris, & Comiti Palatino, ſalutem, & Apoſtolicā Benedictionem.

1039 „ Laudata nobis à fide dignis vir-
„ tus tua, & exhibitæ tum aliàs, tum pro-
„ ximis temporibus in maximo Chriſtianæ
„ fidei negotio, & unionis Græcorum, &
„ Armenorum faciendę, atque conſervandæ,
„ operationes tuæ nos inducunt, ut te, ac
„ per te deſcendentes, ac poſteros tuos ſpe-
„ cialibus gratiis & favoribus proſequamur.
„ Volentes itaque te, qui præter ſupradicta
„ devotionis & magnæ pietatis opera, etiam
„ majora In dies exhibere diſpoſitus es, & pa-
„ ratus, favore proſequi gratiæ ſpecialis,
„ ut & ardentiori fidelitate, & devotione er-
„ ga nos, & Romanam Eccleſiam animeris,
„ quo te majorum honorũ prærogativa ſub-
„ levatum eſſe cognoveris, te noſtrum ho-
„ noris Scutiferum, & te pariter, & natos
„ tuos maſculos dumtaxat ex tuo corpore
„ legitimè natos, & naſcituros, Comites
„ Palatinos auctoritate Apoſtolica tenore
„ præſentium facimus & creamus, & ſic de-
„ inceps perpetuò & omnibus cenſeri pariter
„ & nominari volumus, ac gaudere poſſe &
„ debere omnibus, & ſingulis emolumentis,
„ commodis, honoribus, immunitatibus,
„ privilegiis, & exemptionibus, quæ Late-
„ ranenſibus Palatinis Comitibus à Sede
„ Apſtolica concedi conſueverunt. Volu-
„ mus autem, quod tuo, & natorum tuo-
„ rum nominibus, in manibus venerabilis
„ fratris noſtri Angeli Epiſcopi Traguurien-
„ ſis in officio Camerariatus noſtri Locum-
„ tenentis, ſolitum fidelitatis debitæ præ-
„ ſtes in forma conſueta juramentum. Da-
„ tum Florentiæ Anno Incarnationis Domi-
„ nicæ MCCCCXL. XVII. Kalendas Se-
„ ptembris, Pontificatus noſtri Anno X. *Hactenus literæ.*

CAPUT XIX.

De Jacobinorum inita in Synodo Florentina Unione.

1040 JAm conſummata, ut præfati ſumus, Græcorum unione, Eugenius, ut decebat Paſtorem Eccleſię univerſalis, univerſas per Orbem diſperſas Eccleſias, veritatis fidei tramite per multa ſæcula devias, in ſinum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in unitate ejuſdem fidei revocare cupidus, mox Apoſtolicos Viros, precipuè ex Minorum Ordine, tradito eis Tomo prædictæ unionis Græcorum, delegavit, ac in Syriam, Ægyptum, ad Indos, & Æthiopes Fratrem Albertum à Sartiano ejuſdem Minorum Ordinis Profeſſorem in Commiſſarium Apoſtolicum deſtinavit, datis literis tùm Indorum, & Æthyoporum Imperatoribus, tum etiam Prælatis Gentis Cophtæ Hieroſolymæ, & in partibus Ægypti degentibus, quas Wadingus noſter exhibet ad Annum Dom. MCCCCXXXIX, ſub num. 35. & ſeq. quas & nos pro hujus hiſtoriæ integritate ſubiiciemus, & ad majorem rerum geſtarum certitudinem. Literæ ergò datæ Imperatori Indorum ad hunc modum ſe habent.

Chariſſimo in Chriſto filio Thomæ Imperatori Indorum Illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

1041 „ Pertulit ſæpè ad nos conſtans
„ fama, tuam Serenitatem, & ſimul omnes,
„ qui ſub tuis Regnis ſunt conſtituti, veros
„ eſſe Chriſtianos; tibi etiam nō dubitamus
„ eſſe notum ipſius fidei fundamenta à prin-
„ cipio fuiſſe inſtituta apud Urbem Romam,

in

Digitized by Google

„ in qua quieſcunt Corpora Beatorum Petri
„ & Pauli Apoſtolorum, reſidemuſque nos
„ Chriſti Vicarius in ipſa Apoſtolica Sede,
„ Eccleſiarum omnium Domina, & Magi-
„ ſtra. Quare cupientes, ſi conceſſerit Do-
„ minus, aliqua ſcire de his, quæ apud tuam
„ Excellentiã fiunt, & ut etiam tu intelligas,
„ quid apud Chriſtianos Occidẽtales fiat, mit-
„ timus ad tuam Celſitudinem dilectos filios
„ Fratrem Albertum de Sartiano, Ordinis
„ Beati Franciſci, Commiſſarium noſtrum
„ in partibus Orientalibus, & ejus ſocios,
„ quos, ſi fortè nequiverit perſonaliter ve-
„ nire, duxerit deſtinandos: ſuntque ipſi
„ omnes viri, utique cùm ſacra doctrina ple-
„ ni tum etiam in timore Domini, & ejus viis
„ ambulantes, quibus velit eadem Serenitas
„ tua in dicendis, tam circa prædicta, quàm
„ etiam circa quædam ſecretiora ex parte
„ noſtra, fidem credulitatis adhibere plena-
„ riam. Datum Florentiæ, Anno Incarna-
„ tionis Dominicæ milleſimo quadringente-
„ ſimo trigeſimo nono v. Kal. Septemb. Ponti-
„ ficatus noſtri Anno nono, *Hactenus literæ*.
Et totidem verbis conſtant, quæ datæ ſunt Im-
peratori Æthyoporum, ſub hac tamen inſcri-
ptione: *Chariſſimo filio Præsbytero Joanni Im-
peratori Æthyopum*. Quæ verò datæ ſunt
Prælatis Gentis Cophtæ Hieroſolymæ, & in
aliis Orientis partibus commorantibus, licèt
ferè ſimilis videantur illis, quas retulimus
ſupra datas Guardiano Hieroſolymitano,
cùm tamen in aliquibus differant, eas pariter
exhibere ſuperfluum haud exiſtimavi. Ha-
bent ergo hunc tenorem,

*Dilectis filiis Cophtis, & eorum Prælatis Hie-
roſolymæ, & ubique in partibus Orien-
talibus congregatis, Salutem, &
Apoſtoſtolicam Benedictionem.*

1042 „ *Gloria in Altiſſimis Deo, & in*
„ *Terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Ju-
„ vat, dilecti filii, in vocem exultationis
„ erumpere, & geſtiente animo cum Angelis
„ miſcere lætitiam quandoquidem ineffabile
„ gaudium, quod erit in omni Chriſtano Po-
„ pulo nuntiamus. Tantùm quippe mens
„ noſtra Divinæ conſolationis rore perſun-
„ ditur, ita, & hilaratur cor noſtrum, ut
„ quòd ſentimus, explicare nequaquã valea-
„ mus, ſolaque in gratiarum actione, & vo-
„ ce laudis requieſcant affectus noſtri. Ecce
„ enim quòd ardentiſſimo ſtudio indefeſſa,
„ pietate olim, & longè antequam ad Apo-
„ ſtolatus apicem aſſumeremus, optavimus,
„ Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ diu-
„ turnum, pernicioſumque diſſidium poſt
„ quadringentos quinqua ginta Annos, Di-
„ vina tandem miſeratione ſublatum eſt, in
„ qua re, licèt omnem pro viribus diligen-
„ tiam adhibuerimus, quantum ille donare
„ dignatus eſt; totum tamen infinitæ illius
„ bonitatis adſcribimus, ſine cujus opere to-
„ tum eſt inane, quod geritur. Namque ab
„ ipſis noſtri Apoſtolatus initiis omni ſtudio
„ elaboravimus, ut utriuſque Eccleſiæ unio
„ fæliciſſima ſequeretur, & poſt multas hinc
„ inde legationes miſſas, advenerunt ad nos
„ anno præterito adducti, & hactenus ſum-
„ ptibus noſtris ſubſtentati Chariſſimus in
„ Chriſto filius noſter Joannes Palæologus,
„ Romanorum Imperator Illuſtris, & bonæ
„ memoriæ Joſeph Patriarcha Conſtantino-
„ politanus, & loca tenentes Alexandrini,
„ Antiocheni, & Hieroſolymitani Patriar-
„ charum, Legatique Trapezuntii Impera-
„ toris, Hiberorum, Ruthenorum, & Vala-
„ chorum, cum Metropolitis, & Eccleſia-
„ ſticis, & nobilibus plurimis, & multitu-
„ dine copioſa: Avidi quippe hujus Sanctiſ-
„ ſimæ unionis, laboribus plurimis, maris
„ periculis, ſeſe exponere nequaquam con-
„ ctati ſunt, ſacro œcumenico Concilio,
„ quod intra Italiam, & ubi commodè inte-
„ reſſe poſſumus, fieri Magnatum inſtantia
„ poſtularunt, adeſſe cupientes. Advene-
„ runt autem ad diſputandum parati, ſine
„ contentionis tamen vitio, aut pertinaciæ
„ ſtudio.
1043 „ Nos itaque Divini, humanique
„ juris profeſſore omni ex parte congregare
„ curavimus, qui cupientibus, veritatem
„ aperirent, Deoque largiente, poſtquam
„ eis tam ex ſcripturis Divinæ Sapientiæ,
„ quàm ex Sanctis Patribus Latinis, pari-
„ terque Græcis veritas per omnia eſt pate-
„ facta; libentiſſimè conſenſerunt inventæ
„ veritati, Spiritumque Sanctum, ex Patre
„ ſimul & Filio procedere profeſſi ſunt; ſum-
„ mamque Romanæ Eccleſiæ, & Sanctæ Se-
„ dis Apoſtolicæ auctoritatem, quam im-
„ probè nimirum quidam opprimere nitun-
„ tur, gratè recognoverunt, atque in reli-
„ quis conſenſerunt, prout ex Decreto inde
„ confecto, quod vobis oſtendet dilectus
„ Filius Albertus de Sartianò Ordinis Mi-
„ norum Profeſſor, lator hujus veſtra devo-
„ tio apertiùs diſcet.
1044 „ Audemus ſanè in Domino glo-
„ riari, atque cõfidentiſſimè dicere, id noſtra
„ ætate patratum eſſe, quo nihil majus, ni-
„ hilque dignius, ab ipſo Apoſtolicæ prædi-
„ cationis tempore, Catholica vidit Eccle-
„ ſia. Nec verò hic erit finis divinorum mi-
„ rabilium, ſed divinæ miſerationis latior
„ campus aperietur, ut Sol ille juſtitiæ, qui
„ in Oriente jam ortus eſt, ad ipſas quoque
„ infidelium tenebras radios ſuæ lucis exten-
„ dat, fiatque ſalus Domini uſque ad extre-
„ mum Terræ, omneſque uno ore, & uno
„ Spiritu glorificent Deum, & Patrem Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti. Expectantur ecce
„ in dies cum noſtris Nuntiis, ad id miſſis,
„ & jam ferè præ foribus adeſſe nuntiantur,
„ Armeni, gens magna & celebris, parati ſe

per

„ per omnia Romanæ Eccleſiæ, & Sanctæ Se„ dis Apoſtolicæ, ejuſque mandatis, & do„ ctrinis incunctanter obedire. Meritò ita„ que dilecti filii, cùm in re, tam multa in „ ſpe etiam plura teneamus, omnipotenti „ Deo hoſtiam óbtulimus jubilationis, & lau„ dis, vobiſque iſta inſinuanda putavimus, ut „ noſtrorum in Domino gaudiorum partici„ pes facti, Divinæ pietati nobiſcum gratias „ referatis, hortamurque devotionem ve„ ſtram, ut Chriſtianæ devotionis affectu, „ orationes publicas fieri faciatis, partim „ referendo gratias pro acceptis à Deo mu„ neribus, partim orando, ut complere di„ gnetur Omnipotens opus ſuum, quod per „ nos inchoare dignatus eſt, Datum Floren„ tiæ, Anno Incarnationis Dominicæ, mille„ ſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, „ Nonis Julii, Pontificatus noſtri Anno no„ no. *Hactenus literæ*; Commiſſionis porrò literæ eidem Alberto datæ ſunt ſequentis tenoris videlicet,

Dilecto filio Fratri Alberto de Sartiano Ordinis Minorum in partibus Orientalibus, Indiæ, Æthyopiæ, & Jeruſalem Commiſſario noſtro, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

1045 „ Dum onus univerſalis Gregis „ Dominici, ſuperna nobis diſpoſitione in„ junctum, diligenter attendimus, & no„ ſtrum proſpicimus imperfectum, videntes „ quod nequimus circa ſingula per nos meti„ pſos exolvere debitum Apoſtolicæ ſervitu„ tis, nonnunquam viros vitæ ſanctimo„ nia, & ſcientiæ fulgore præclaros, in quibus „ ſervor orthodoxæ fidei, & timor Domini „ ſanctus permanet, in partem laboris noſtri „ vocamus, ut ipſorum ſalubri cooperatione „ miniſterium nobis injunctum, favente di„ vina gratia, faciliùs, & efficaciùs exequi „ valeamus.

1046 „ Sanè, licet cunctorum Chriſtifi„ delium ſalutem intentæ mentis acie proſe„ qui, & curare, ex Apoſtolicæ ſervitutis „ officio, teneamur, divinis tamen edocti „ ſermonibus, ex centum ovibus, unam amiſ„ ſam, cæteris ferè neglectis reducendam „ præcipuè curare debemus, cùm & ad oves „ eas, quæ perierant, miſſam ſe ſapientia „ eſſe declaret. Attendentes igitur, quod ex „ omni genere humano multi ſub Dominici „ Gregis titulo, & nomine non requieſcunt, „ ſed per devia quæque longè à lucis veritate „ aberrantes, per tenebras evagantur, & ſic „ in magna meſſe pauciſſimos operarios eſſe „ videamus; ad perſonam tuam, quæ quidem „ potens opere & ſermone in magnis, & ar„ duis nobis familiari experientia compro„ bata eſt, dirigentes aciem mentis noſtræ, „ ac ſperantes, quod ea, quæ tibi comitten„ da duximus, pro honore Dei, & propaga„ tione Chriſtiani nominis diligenter & fide„ liter proſequeris, Te in partibus Orientalis „ Indiæ, Æthyopiæ, Ægypti, & Hieruſalem „ Commiſſarium noſtrum facimus, conſtitui„ mus, & etiam deputamus; tibi nihilominùs „ noſtro, & Rom. Eccleſiæ nominibus omnia „ & ſingula, quæ dilectus filius Generalis „ Ordinis tui facere poſſet, ſi perſonaliter in „ prædictis partibus intereſſet, faciendi & „ agendi, tenore præſentium, auctoritate „ Apoſtolica, dantes plenariam facultatem, „ Volentes, ac tenore præſentium ſtatuentes, „ quod tu, & qui pro tempore fuerit in dictis „ partibus à te ſubſtitutus, ſuper Conventus, „ & perſonas Conventuum, illam poteſta„ tem, facultatem, & arbitrium habeatis, „ quam Generalis ipſe, ſi adeſſet, habere di„ gnoſcitur. Sic tamen, quod tu, & ſubſti„ tuti præfati ex vobis ſubjecti Fratres, per „ omnia dicto Generali obedire, & ſubeſſe te„ neamini, præterquam in iis, quæ huic „ mandato, & commiſſioni noſtræ derogare, „ & obviare cenſeantur.

1047 „ Fraternitates inſuper, ſeu Socie„ tates, ſi quas pietati idoneas eſſe perſpexe„ ris, cum opportunis conſtitutionibus ordi„ nare, & ad Tertium Ordinem B. Franciſci „ ad habitum & profeſſionem recipere, & in „ eodem Ordine Viſitatores, & alios officiales „ inſtituere valeatis, quarum omnium tam „ dicti Tertii Ordinis, quàm Congregatio„ num ſingulis perſonis in dictis Congrega„ tionibus perſeverantibus, omnium pecca„ torum remiſſionem in mortis articulo, ac „ verè pœnitentibus & confeſſis, auctoritate „ Apoſtolica impendere valeas, & valeant. „ Necnon Fratribus, de quibus tibi, aut eis „ videbitur, ut ad partes prædictas vadant, „ qui etiam tibi, & illis obedire teneantur, „ præcipiendi, & mandandi ipſoſque ad alias „ Mundi partes, cum auctoritatibus, & fa„ cultatibus ſupradictis dirigendi, ac Nota„ rios ad actus publicos in favorem fidei con„ ſcribendos, creandi, & inſtituendi; quod„ que tu, & qui pro tempore fuerit ſubſtitu„ tus, ſeu per aliquem veſtrum deputatus, „ ſuper omnia Monaſteria Curæ Fratrũ Mi„ norum in dictis partibus hactenus cõmiſſa, „ vel committenda, eamdem poteſtatem ha„ beatis, quam Generalis ipſius Ordinis Mi„ niſter habere dignoſcitur, tenore ſimili con„ cedentes. Volumus autem, ut per quaſ„ cumque literas Apoſtolicas Generali Mi„ niſtro dicti Ordinis, ſeu aliis quoquo mo„ do conceſſas, vel concedendas impoſterum, „ gratiæ, indulta & alia ſupradicta nullate„ nus intelligantur revocata. Non obſtanti„ bus Apoſtolicis, ac generalibus & ſpeciali„ bus Conciliis editis conſtitutionibus &c. „ cæteriſque contrariis quibuſcũque. Nulli „ ergò omninò hominum liceat &c. Datum „ Florentiæ Anno Dominicæ Incarnationis „ MCCCCXXXIX. ſecundo Kal. Septem-

bris,

Digitized by Google

„ bris, Pontificatus noſtri Anno IX. *Hactenus Commiſſionis litera.*

1048 Deinde aliam Bullam expedivit, ad perpetuam rei memoriam, eodem die & Anno, incipientem: *Paſtor bonus*, qua eidem Fratri Alberto, & ejus Sociis, ampliſſimas conceſſit facultates: „ Hinc eſt, *dicitur in ea*, „ quod nos, qui per alias noſtras certi tenoris „ literas, dilectum filium Fratrem Albertum „ de Sartiano Ordinis Minorum, noſtrum in „ partibus Orientalibus Indiæ Æthyopiæ, & „ Hieruſalem Commiſſarium instituimus; „ ipſique & fratribus per eum deputandis, ut „ in ipſis partibus poſſit, & poſſint ſingulo- „ rum Chriſtifidelium, & infidelium Civita- „ tum quarumcumque Diœceſum, & loco- „ rum ad ipſos pro tempore confluentium, „ confeſſiones audire, & pro commiſſis, & ſi „ Simoniæ, & talia fuerint, propter quæ Se- „ des Apoſtolica eſſet meritò conſulenda, „ pœnitentiam ſalutarem injungere, ac be- „ neficium abſolutionis impendere. Necnon „ à quibuſcumque ſententiis excommunica- „ tionis tàm à jure, quàm ab homine latis, „ & aliis cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, „ quomodocumque illas incurrerint, abſol- „ vere, necnon à quibuſcumque irregularita- „ tibus, exceptis caſibus voluntarii homici- „ dii, Bigamiæ, & mutilationis membrorum, „ diſpenſare, necnon Euchariſtiæ, Baptiſ- „ matis, Extremæ Unctionis, aliaque Ec- „ cleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & apo- „ ſtatis à fide, & religione, ad pœnitentiam „ ſalutarem, & habitum Religionis ſuæ, & „ reconciliationem recipere, & omnia Paro- „ chialia peragere &c. *Et ſequuntur aliæ facultates.*

1049 His munitus literis Albertus, aſſumptis ſecum Sociis, Venetias profectus eſt, inde ſolvens, venit Hieroſolymam, & Cophtis ibidem & per loca Syriæ degentibus & literas Pontificias, & Decretum unionis Græcorum oſtendit, & ad ſe pariter uniri Sanctæ Matri Eccleſiæ eſt cohortatus: poſtea rebus in ſancta Civitate compoſitis, deſcendit in Ægyptum, cùmque per deſertum iter arripuiſſet, deficientibus ad victum & potum neceſſariis ex biduano jejunio, ipſe & Socii langueſcere incœperunt, ſed deinde Angelico miniſterio à Domino refecti, ut ſcribit Wadingus, iter proſequentes, venerunt Cayrum, ubi propter quandam de fide habitam diſputationem coram Soldano cum legis Mahometanæ Sectæ Doctoribus, dura paſſi ſunt, liberi inde effecti, licèt prohibente Soldano, versùs Ethyopiam, & Indos greſſus direxerunt; at cùm eſſent ad confinia, Albertus infirmitate detentus ulteriùs proſequi non valuit, miſſis tamen ex ſuis Sociis, remanſit ipſe, & ad reducendam gentem Jacobinorum animum & vires coaptavit: & quidem non fruſtrà, divina cooperante gratia, quoniam tantam invenit gratiam coram illorum Patriarchà, ut eum in viam veritatis traduxerit: nam ad eamdem Synodum pro ſua, & ſuæ gentis unione cum Sancta Romana Eccleſia, deſtinavit Andream Abbatem inſignis Monaſterii S. Antonii in Ægypto, dato ampliſſimo mandato, quem Comitem Albertus ad Synodum adduxit. Nec ſegnes fuere Alberti Socii in traducendis Æthyopis ad eandem unionem, quoniam & ipſe Imperator Presbyter Joannes lectis Pontificiis literis, & adjectis Legatorum ſuaſionibus, eidem Abbati Andreæ in commiſſis dedit, quatenus nomine etiam ſuo, & univerſæ Æthyopæ nationis, cum eodem Eugenio, atque eadem ſancta Synodo de unione ageret, prout Pontificiæ literæ infra ſuo loco adducendæ perſpicuè demonſtrant.

1050 Biennio poſt reverſus eſt Albertus cum Oratore præfato, Eugenio adhùc Synodum continuante, cùmque appuliſſent Anconam, miſſi ſunt à Pontifice Legati, qui honorificè Florentiam ducerent, & per Urbes curarent recipi populorum gratulatione. Per Tuſciam tranſeuntes, ait Wadingus, pervenerunt Cortonam, ubi Populus univerſus obviam proceſſit mille paſſibus extra Urbem uſque ad Monaſterium à *Comitiſſa* nuncupatum, atque inter hos Bernardinus Senenſis, qui illic fortè moram trahebat valetudinarius; vectus humili aſello, conſpiciens Albertum pro Nuncii Apoſtolici dignitate ſimul cum Legato, Equo bene ſtrato inſidentem, & populum accurrentem, ut vel fimbriam tangeret veſtimenti, voce alta clamavit: *Frater Alberte, reſpice ad pedes, memento mortis; cave, nè honores tanti plus æquo animum tuum extollant.* His commotus vocibus, & Bernardini ſui Superioris excitus reverentia, confeſtim deſcendit, ſanctum ſenem veneraturus, & rogaturus, ut humile jumentum nobili Equo permutaret. Renuit Bernardinus dicens, utrumque decere ita incedere, cavendum ſolùm eſſe, nè vana Mundi gloria furtim obreperet, & tanti operis præmium evacuaret. Cui Albertus: in univerſis mihi oblatis honoribus, ita ſemper orsvi: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Hæc Wadingus. Cum itaque Florentiam perveniſſent, ab ipſo Pontifice, & univerſa Synodo fuerunt honorificè ſuſcepti, ac inde Orator Patriarchæ Jacobinorum, Mandatum exhibuit tenoris ſequentis, videlicet.

Joannes humilis Servus Servorum Chriſti, Miniſter Sedis Sancti Marci, magnæ ſcilicet Alexandriæ, & totius Ægypti, Lybiæ, Æthyopiæ, Pentapoleos Occidentalis Africæ, totius prædicationis Apoſtoli Marci, humilis, dico in ſuis peccatis, petita priùs venia & abſolutione ab ipſo Domino, uſque ad terræ pavimentum coram te, juſtiſſime, ac Sanctiſſime Pater, inclino, Perfectia Sacerdotis, Paſtor optime, honeſtatis ac Sanctitatis Princeps, piiſſime ductor eorum, qui in via hujus peregrinationis incedunt, qui ſtudio ac ſanctitate, cæteris

viam

Digitized by Google

viam ſalutis oſtendis, Domine Eugenii Papa magnæ Urbis Romæ, omnium Eccleſiarũ Chriſtianorum Apoſtolicæ Paſtor, Principum Chriſti ſtudium unicæ, Venerande Patrum, ac Sacerdotum Princeps, Medice languentium animarum.

1051 „ Cuſtodiat Deus omne ſuum ovi-
„ le, tua oratione & miniſterio, dirigatque
„ illud lumine tuæ ſimilitudinis, quemad-
„ modum & quondam Magos Stella direxit:
„ nec recedat à diſciplina tua, immo ſervet
„ tua præcepta omnia, qui doctrinam audi-
„ turus eſt. Confirmet præterea Deus Sedem
„ tuam, multiplicetque honores Sacerdotum,
„ optime Pater. Poſt hæc refero tuæ magnæ
„ Sanctitati ſacratiſſimam, ac honoratiſſimam
„ ſcripturam tuã per benedictum illum tuum
„ & honoratum Sacerdotem Fratrem Alber-
„ tum ad manus meas perveniſſe. Erant enim
„ literæ illæ veneratione digniſſimæ in iis,
„ quæ continebant. Attulit quoque ſua le-
„ ctio nobis cauſam cogitandi de rebus op-
„ timis atque maximis. Quanta autem earum
„ ſanctitas fuerit, ex hoc facilè percipi po-
„ teſt. Nam & apertè mox mirum in modum
„ ſuaviſſimum odorem effuderunt, oſtende-
„ runtque profectò manum illam fuiſſe bene-
„ dictam, cujus digiti tam venerandas figu-
„ ras deſcripſerant. Verſas igitur per quoſ-
„ dam ſpectatiſſimos Venetos tuas, quantùm
„ fieri poterat, ex Latino in linguam Syro-
„ rum, ego & reliqui Fratres mei Coepiſco-
„ pi, cùm benedictis filiis ac fidelibus Sacer-
„ dotibus, honoratiſque Diaconibus, in Ec-
„ cleſia Dei Genitricis Mariæ, Vico cogno-
„ minato Zoile, ac ſtante toto populo, legi
„ mandavimus, nec facilè, decus omnium
„ Sacerdotum & Pater, tuæ Sanctitati ſigni-
„ ficare poſſumus, quanta ex lectione litera-
„ rum lætitia animis omnium illorum acceſ-
„ ſerit: maximam tamen illam fuiſſe, lau-
„ dantium & exultantium populorum voces
„ oſtenderunt. Fuit ille dies nobis permaxi-
„ mus, & is certè de quo Propheta prædixe-
„ rat: *Hæc dies, quam fecit Dominus: exulte-*
„ *mus & lætemur in ea.* Nec illud certè effi-
„ cere potuimus, quod illic lætitiæ lacrymæ
„ quoque mixtæ non fuerint, precantibus
„ omnibus, ut Deus propitiatus mentes no-
„ ſtras, & cogitationes emundet, educatque
„ de tenebris in illud clariſſimum, ac indefi-
„ ciens lumen.

1052 „ Poſt itaque glorificationem divi-
„ nam, quam Sacerdotes Chriſti, ac totus
„ ille Chriſtianorum cœtus Omnipotẽti Deo
„ reddiderant, acceſſerunt ad laudes tuæ San-
„ ctitatis, & gratiarum actiones, effundi-
„ muſque preces ad Dominum, ut te San-
„ ctiſſimum Patrem, ac communem omnium
„ Chriſtianorum ſalutem integram ſervet,
„ quos ſic tuis ſanctiſſimis eruditionibus ipſe
„ Deus inſtituit, ut ſint certiſſimæ fidei ve-
„ nerantes, ſtantque parati ad unionem &
„ pacem, & tandem ipſe Filius Virginis nos
„ omnes Curiæ Cœleſti adſcribat, aggreget-
„ que numero Beatorum. Huic etiam alacri-
„ tati, atque devotioni acceſſit aliud quoque
„ gratiæ, & benedictionis genus. Idem enim
„ benedictus filius Venerabilis Albertus red-
„ didit mihi duas imagines, & Ciambulot-
„ tum nomine tuæ Sanctitatis, quæ non ali-
„ ter, quàm è Cœlo miſſa divina benedictio-
„ ne me ſuſcepiſſe putavi. Cæterum quædam
„ eidem Patri commiſimus, quæ literis man-
„ dare non poſſumus. Sufficiat itaque ipſe
„ quidquid iis literis deſit.

1053 „ Extremo, quoniam ego humilis
„ & pauper greſſu corporis ad tuam Sanctita-
„ tem accedere minimè poſſum, mitto Vene-
„ rabilem Fratrem Andream Abbatem San-
„ cti Antonii, & Religione & moribus non
„ mediocriter inſtitutum. In ea conditione
„ ita diſceſſit, ut privatim ac publicè pluri-
„ ma habeat tuæ Sanctitati referre. Ambobus
„ igitur iis benedictis filiis nuntiantibus in-
„ dubitatam fidem in omnibus tua Beatitudo
„ dare dignetur, quam ad tempora diuturna
„ pro utilitate & aggregatione Chriſtiano-
„ rum conſervare dignetur Deus Omnipo-
„ tens. Datum Chayten, duodecima Septem-
„ bris, ſexto millenario nongenteſimo qua-
„ drageſimo ſecundùm Græcos, ſecundùm
„ verò Jacobitas, milleſimo centeſimo quin-
„ quageſimo ſeptimo à tempore Martyrum,
„ computatione Incarnationis Domini mille-
„ ſimo, quadringẽteſimo quadrageſimo. *Hactenus Patriarchæ Jacobinorum literæ.*

1054 Ad hæc porro, die Jovis, ait Andreas à S. Cruce ſub num. 8. XXI. & ultima menſis Auguſti de mane, hora XII. vel quaſi, qua hora, quæ pro generali Congregatione adſcripta fuerat, Sanctiſſimo Domino noſtro Eugenio præſidente, ac Reverendiſſimis, Reverendiſque Venerabilibus Patribus, & Dominis Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Doctoribus, & Magiſtris tam Sæcularibus, quàm Regularibus hoc ſacrum Concilium repreſentantibus, congregatis, comparuit præfatus Dominus Abbas Andreas, ac præmiſſis ſolemnitatibus, in idiomate Syrorum propoſuit in hac verborum forma, prout poſtmodum in ſermone Latino per Venerabilem Virum Dominum Blondum præfati Domini noſtri Papæ Secretarium interpretatum fuerat de idiomate Italico in Latinum, ut ſequitur.

1055 „ Cogitanti altã Majeſtatem tuam,
„ & meam humilitatem, Pater Beatiſſime,
„ tantus ſuboritur pavor, ut ſi aliqua erra-
„ vero in dicendis paucis, primùm id mihi
„ indulgeas deprecor: nil enim aliud, quàm
„ tremor apprehendere poteſt hominem me;
„ pulvis ſum & cinis, coram te Deo in terris
„ verba faciens. Es namque Deus in terris,
„ & Chriſtus, & ejus Vicarius: Es Petri
„ ſucceſſor, & Pater, Caput, & Doctor

„ Eccleſiæ univerſalis, cui datæ ſunt claves „ claudendi, & Paradiſum cuicumque volue„ris reſerandi. Tu Princeps Regum, ac Ma„ximus,& Magiſtrorum. Quæ omnia & ſimi„lia conſiderans, expaveſco tuam alloqui „ Sanſtitatem, cum maximæ ante oculos „ mente proponam, non ſolùm poteſtatem „ tuam, ſed ſapientiam Latinorum, qui in „ ſtudio ſapientiæ Divinarum rerum, & di„ſciplinæ Jeſu Chriſti, quod à principio ſa„lutis fidelium imbiberunt, continuò in „ hæc tempora exercitati, ea nunc tenent, „ & ſentiunt, quæ Beatiſſimi Apoſtolorum „ Principes Petrus & Paulus illis à principio „ tradiderunt. Quæ autem Eccleſiæ hujuſ„modi ſapientia & diſciplina aliquando pri„vatæ non tenuerunt fundamenta, & à Ro„mana Eccleſia Matre, & Magiſtra ſeparatæ „ fuerunt, eas permiſit Deus gentibus in op„probrium, & infidelibus in rapinam, prout „ evidenter cernere datur in Græcis, & Ar„menis, & pariter in nobis Æthyopibus Ja„cobinis, poſtquam anno nongenteſimo à „ vobis fuimus ſeparati. Conſolamur verò, „ & mœſtitiæ noſtræ ſpem ea ratione amplam „ aſſumimus, quod,qui tibi conceſſit Græcos „ & Armenos in catholicæ Fidei unionem la„tiùs unire, quique tibi inſpiravit, ut nos „ per dilectum filium tuum Albertum Ordi„nis Minorum ad unionem quærendam invi„tares, idem piiſſimus Deus noſter ſuam no„bis elargietur benedictionem, ut eadem te„cum in Catholica Dei Eccleſia ſentiamus: „ quod quidem perficietur. Ego, & ut tu „ vides, ætate jam gravis, è domo ſum pro„fectus ad tuæ Sanctitatis pedes, præſcip„tiſmque, ſuperatis Terræ & Maris pericu„lis, perventurus; Reverendiſſimi mei Pa„triarchæ Orator,ac indigniſſimus locum te„nens, quemadmodum conſtare videbis in „ mandatis, quæ, tibi ab eodem Patriarcha „ exhibeo, quemadmodum poterit enarrare „ idem Frater Albertus, qui multa mecum „ pericula, multos ſubiit labores pro hac „ digniſſima unione fidei Chriſtianæ. *Hæc Andreas*.

1056 Exhibitis ergo, quas ſupra recenſuimus literis, & fortè ſpeciali etiam commiſſione, ac in Synodo relectis, habitæ ſunt inter Patres variæ, ſed aſſiduæ conſultationes, quoniam gens iſta viſa eſt plus Græcis & Armenis, à tramite rectæ fidei aberraſſe: ac proinde ſelecti ſunt viri doctiſſimi, qui diligenter Jacobinorum dogmata inquirerent, inquiſita examinarent, examinata, quæ conſona rectæ fidei fecernerent ab iis, quæ diſſona reperirent, ut illa in tomum redacta credenda, tenenda, & ſequenda Jacobinis proponerentur, hæc verò prorſus reiicienda, reprobanda, ac anathematizanda. In hujuſmodi verò conſultationibus, inquiſitionibus, & examine elapſum eſt tempus menſium quinque, donec, ipſo aſſentiente Oratore, deventum fuit ad conficiendum tomum unionis, ſive Decretum publicatum inde in ſeſſione ſolemni, hunc habens tenorem,

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

1057 „ Cantate Domino, quoniam ma„gnificè fecit: Annuntiate hæc in univerſa „ terra. Exulta,& lauda habitatio Sion, quo„niam magnus in medio tui Sanctus Iſrael. „ Cantare profectò, & exultare in Domino „ decet Eccleſiam Dei pro hac grandi magni„ficentia & gloria nominis ſui, quam ho„dierna die clementiſſimus Deus operari di„gnatus eſt. Toto ſiquidem corde laudare „ & benedicere Salvatorem noſtrũ nos con„venit, qui Sanctam Eccleſiam ſuam novis „ quotidie accumulat incrementis. Quam„quam autem in populum Chriſtianum ſua „ beneficia omni tempore multa, & magna „ ſint, quæ luce clarius erga nos ſuam in im„menſam charitatem oſtendunt, ſi tamen „ accuratè inſpicimus, quæ & quanta his „ diebus noviſſimis divina clementia facere „ dignatus eſt, judicare certè poterimus, „ hoc noſtro tempore plura ac majora, quàm „ à multis retroactis temporibus ſuæ chari„tatis munera extitiſſe. Ecce enim non„dùm exacto triennio in hac ſancta œcu„menica Synodo ſaluberrimam trium ma„gnarum nationum unionem Dominus Jeſus „ Chriſtus pro ſua infaticabili pietate, ad „ commune, perenneque totius Chriſtianita„tis gaudium tàm copioſè effecit; unde actũ „ eſt, ut totus ferè Oriens, qui glorioſum „ Chriſti nomen adorat, ac non parva Se„ptemptrionis portio poſt longa diſſidia cum „ Sancta Romana Eccleſia, in eodem fidei, „ & charitatis vinculo jam convenerint. Pri„mò etenim Græci, & ii, qui ſubſunt qua„tuor Patriarchalibus Sedibus multas gen„tes,nationeſque,& idiomata continentibus; „ deinde Armeni multorum populorum gens, „ hodie verò Jacobini magni etiam per Ægy„ptum populi, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ „ uniti ſunt.

1058 „ Et cùm nihil Salvatori noſtro, „ Domino noſtro Jeſu Chriſto gratiùs ſit, „ quàm mutua inter homines charitas, nihil„que nomini ſuo glorioſiùs atque Eccleſiæ „ utiliùs eſſe poſſit, quàm ut Chriſtiani om„nes inter ſe ſublato diſſidio, in eadem ſimul „ fidei puritate conveniant, meritò nos om„nes, & cantare præ gaudio, & jubilare in „ Domino debemus, quos ut tantam chriſtia„næ Fidei magnificentiam diebus noſtris vi„deremus, divina miſeratio dignos effecit. „ Summa igitur cum alacritate annuntiamus „ magnalia hæc in univerſa Chriſtianorum „ terra, ut ſicut nos pro gloria Dei & exal„tatione Eccleſiæ gaudio inenarrabili repleti „ ſumus, ita & alios tantæ lætitiæ participes

fa-

„ faciamus, ut omnes uno ore magnificemus,
„ & glorificemus Deum, & ſuæ Majeſtati,
„ prout dignum eſt, magnas, quotidianaſque
„ gratias agamus pro tot, tantiſque mirabili-
„ bus beneficiis hac ætate Eccleſiæ ſuæ San-
„ ctæ collatis.

1059 „ Et quoniam qui opus Dei diligen-
„ ter exercet, non modò meritum, ac retri-
„ butionem in Cœlis expectat, ſed & apud
„ homines amplam gloriam, laudemque me-
„ retur; Venerabilem Fratrem noſtrum Joan-
„ nem Jacobinorum Patriarcham, hujus ſan-
„ ctæ unionis cupidiſſimum, à nobis, & tota
„ Eccleſia meritò laudandum & extollendum,
„ ac communi omnium Chriſtianorum favo-
„ re cum tota ſua gente dignum judicamus.
„ Is enim à nobis per noſtrum Oratorem, ac
„ literas excitatus, ut ad nos, & ad hanc
„ ſanctam Synodum Legationem mitteret,
„ & ſe, ac ſuam gentem in eadem cum Eccle-
„ ſia Romana fide uniret; dilectum filium
„ Andream, natione Ægyptum Abbatē Mo-
„ naſterii S. Antonii apud Ægyptum, in quo
„ & habitaſſe, & mortuus eſſe Sanctus ipſe
„ Antonius perhibetur, religione & moribus
„ non mediocriter inſtitutum, ad nos, & ipſam
„ Synodum deſtinavit, cui devotionis zelo
„ accenſus, impoſuit atque commiſit, ut fidei
„ doctrinam, quam Sancta Romana Eccleſia
„ tenet, & prædicat, nomine ipſius Patriar-
„ chæ, & ſuorum Jacobinorum reverenter ſu-
„ ſciperet, deferendam poſtea per eum ad ip-
„ ſum Patriarcham, & Jacobinos, ut & ipſi
„ eamdem agnoſcerent, ratamque haberent,
„ & in ſuis regionibus prædicarent.

1060 „ Nos igitur, quibus vice Domi-
„ ni commiſſum eſt paſcere oves Chriſti,
„ ipſum Andream Abbatem per nonnullos
„ hujus ſacri Concilii inſignes viros, ſuper
„ articulis fidei, & Sacramentis Eccleſiæ, &
„ quibuſcumque ad ſalutem ſpectantibus di-
„ ligenter examinari fecimus; & tandem,
„ quantùm viſum eſt, fore neceſſarium, ex-
„ poſita eidem Abbati Sanctæ Romanæ Ec-
„ cleſiæ fide catholica, & per ipſum humili-
„ ter acceptata, hanc, quæ ſequitur, veram,
„ neceſſariamque doctrinam hodie in hac ſo-
„ lemni ſeſſione, ſacro approbante œcume-
„ nico Concilio Florentino, in nomine Do-
„ mini tradidimus.

1061 „ In primis igitur Sacroſancta Ro-
„ mana Eccleſia, Domini & Salvatoris noſtri
„ voce fundata, firmiter credit, profitetur,
„ & prædicat, unum verum Deum Omnipo-
„ tentem, incommutabilem & æternum, Pa-
„ trem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum
„ in eſſentia, trinum in perſonis. Patrem
„ ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spi-
„ ritum Sanctum ex Patre & Filio proceden-
„ tem. Patrem non eſſe Filium, aut Spiritum
„ Sanctum, Filium non eſſe Patrem, aut Spi-
„ ritum Sanctum; Spiritum Sanctum non
„ eſſe Patrem, aut Filium, ſed Pater tantùm
„ Pater eſt, Filius tantùm Filius eſt, Spiritus
„ Sanctus tantùm Spiritus Sanctus eſt. So-
„ lus Pater de ſubſtantia ſua genuit Filium,
„ ſolus Filius de ſolo Patre eſt genitus, ſolus
„ Spiritus Sanctus ſimul de Patre procedit, &
„ Filio. Hæ tres Perſonæ ſunt unus Deus, &
„ non tres Dii, quia trium eſt una ſubſtan-
„ tia, una eſſentia, una natura, una Divi-
„ nitas, una immenſitas, una æternitas, om-
„ niaque ſunt unum, ubi non obviat relatio-
„ nis oppoſitio. Propter hanc unitatem Pater
„ eſt totus in Filio, totus in Spiritu Sancto:
„ Filius totus eſt in Patre, totus in Spiritu
„ Sancto: Spiritus Sanctus totus eſt in Patre,
„ totus in Filio. Nullus alius, aut præcedit
„ æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſu-
„ perat poteſtate. Æternū quippe, & ſine initio
„ eſt, quod Filius de Patre extitit, & æternū,
„ ac ſine initio eſt, quod Spiritus Sanctus de
„ Patre, Filioq; procedit. Pater quidquid eſt,
„ aut habet, non habet ab alio, ſed ex ſe, & eſt
„ principium ſine pincipio: Filius quidquid
„ eſt, aut habet, habet à Patre, & eſt princi-
„ pium de principio: Spiritus Sanctus quid-
„ quid eſt, aut habet, habet à Patre, ſimul &
„ Filio. Sed Pater & Filius non duo princi-
„ pia Spiritus Sancti, ſed unū principiū, ſicut
„ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non tria
„ principia Creaturæ, ſed unum principium.

1062 „ Quoſcumque ergò adverſa, &
„ contraria ſentientes damnat, reprobat, &
„ anathematizat, & à Chriſti corpore, quod
„ eſt Eccleſia, alienos eſſe denuntiat. Hinc
„ damnat Sabellium perſonas confundentem,
„ & ipſarum diſtinctionem Realem penitùs
„ auferentem. Damnat Arianos, Euno-
„ mianos, Macedonianos, ſolum Patrem
„ Deum verum eſſe dicentes, Filium autem
„ & Spiritum Sanctum in creaturarum or-
„ dine collocantes. Damnat & quoſcumque
„ alios gradus, ſeu inæqualitatem in Trinitate
„ facientes.

1063 „ Firmiſſimè credit, profitetur, &
„ prædicat, unum verum Deum Patrem, &
„ Filium, & Spiritum Sanctum eſſe omnium
„ viſibilium & inviſibilium Creatorem, qui
„ quando voluit, bonitate ſua, univerſas tàm
„ ſpirituales, quàm corporales condidit crea-
„ turas, bonas quidem, quia à ſummo bono
„ factæ ſunt, ſed mutabiles, quia de nihil
„ factæ ſunt; nullamque mali aſſerit eſſe na-
„ turam, quia omnis natura, in quantum
„ natura eſt, bona eſt. Unum atque eumdem
„ veteris, & novi Teſtamenti, hoc eſt legis, &
„ Prophetarum, atque Evangelii profitetur
„ Auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto
„ inſpirante, utriuſque Teſtamenti ſancti lo-
„ cuti ſunt, quorum libros ſuſcipit & vene-
„ ratur, qui titulis ſequentibus continentur.
„ Quinque Moyſis, ideſt, Geneſi, Exodo,
„ Levitico, Numeris, Deuteronomio, Joſue,
„ Judicum, Ruth; Quatuor Regum, duobus
„ Paralipomenon, Eſdra, Nehemia, Tobia,
Ju-

Digitized by Google

Judith, Heſter, Job, Pſalmis David, Paralibolis, Eccleſiaſte, Canticis Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſtico, Iſaia, Hieremia, Baruch, Ezechiele, Daniele, Duodecim Prophetis minoribus, ideſt, Oſea, Joele, Amos, Abdia, Jona, Michæa, Nahum, Abacuc, Sophonia, Aggæo, Zacharia, Malachia; duobus Machabæorum; Quatuor Evangeliis, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis; Quatuordecim Epiſtolis Pauli, ad Romanos, duabus ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duabus ad Theſſalonicenſes, duabus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri duabus, tribus Joannis, una Jacobi, una Judæ, Actibus Apoſtolorum, & Apocalypſi Joannis.

1064 „ Præterea Manichæorum anathematizat inſaniam, qui duo prima principia poſuerunt, unum viſibilium, aliud inviſibilium; & alium novi Teſtamenti Deum, alium veteris eſſe Deum dixerunt.

1065 „ Firmiter credit, profitetur, & prædicat, unam ex Trinitate perſonam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri conſubſtantialem, & coæternum in plenitudine temporis, quam Divini Conſilii inſcrutabilis altitudo diſpoſuit, propter ſalutem humani generis, veram hominis, integramque naturam ex immaculato utero Mariæ Virginis aſſumpſiſſe, & ſibi in unitatem perſonæ copulaſſe tanta unitate, ut quidquid ibi Dei eſt, non ſit ab homine ſeparatum, & quidquid eſt hominis, non ſit à Deitate diviſum; ſitque unus, & idem indiviſus, utraque natura in ſuis proprietatibus permanente, Deus, & Dei Filius, & hominis Filius, æqualis Patri, ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem, immortalis, & æternus ex natura Divinitatis, paſſibilis, & temporalis ex conditione aſſumptæ humanitatis. Firmiter credit, profitetur, & prædicat, Dei Filium in aſſumpta humanitate ex Virgine verè natum, verè paſſum, verè mortuum, & ſepultum, verè ex mortuis reſurrexiſſe, in Cœlum aſcendiſſe, ſedereque ad dexteram Patris, & venturum in fine ſæculorum ad vivos, mortuoſque judicandos.

1066 „ Anathematizat autem, execratur, & damnat omnem hæreſim contraria ſapientem: Et primò damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samoſatenum, Photinum, omneſque ſimiliter blaſphemantes, qui percipere non valentes unionem perſonalem humanitatis ad Verbum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum verum Deum eſſe negaverunt, ipſum purum hominem confitentes, qui Divinæ gratiæ participatione majori, quàm ſanctioris vitæ meritò ſuſcepiſſet, divinus homo diceretur. Anathematizat etiam Manichæum cum Sectatoribus ſuis, qui Dei Filium non verum corpus, ſed phantaſticum ſumpſiſſe ſomniantes, humanitatis in Chriſto veritatem penitùs ſuſtulerunt. Necnon Valentinum aſſerentem, Dei Filium nihil de Virgine Matre cœpiſſe, ſed corpus cœleſte ſumpſiſſe, atque ita tranſiſſe per uterum Virginis, ſicut per aquæductum defluens aqua transcurrit. Arium etiam, qui aſſerens, Corpus ex Virgine aſſumptum anima caruiſſe, voluit loco animæ fuiſſe Deitatem. Apollinarem quoque, qui intelligens, ſi anima corpus informans negetur in Chriſto humanitatem veram ibidem non fuiſſe, ſolam poſuit animam ſenſitivam, ſed Deitatem Verbi vicem rationalis animæ tenuiſſe.

1067 „ Anathematizat etiam Theodorum Mopſueſtenum, atque Neſtorium, aſſerentes, humanitatem Dei Filio unitam eſſe per gratiam, & ob id duas eſſe in Chriſto perſonas, ſicut duas fatentur eſſe naturas, cùm intelligere non valerent, unionem humanitatis ad Verbum hypoſtaticam extitiſſe, & propterea negarent Verbi ſubſiſtentiam accepiſſe; Nam ſecundùm hanc blaſphemiam, non Verbum caro factum eſt, ſed Verbum per gratiam habitavit in carne, hoc eſt, non Dei Filius homo factus eſt, ſed magis Filius habitavit in homine.

1068 Anathematizat etiam, execratur, & damnat Eutychem Archimandritam, qui cùm intelligeret, juxtà Neſtorii blaſphemiam, veritatem Incarnationis excludi, & propterea oportere, quòd ita Dei verbo unita eſſet humanitas, ut Deitatis, & humanitatis una eſſet, eademque perſona, ac etiam capere non poſſat, ſtante pluralitate naturarum, unitatem perſonæ, ſicut Deitatis, & humanitatis in Chriſto unam poſuit eſſe perſonam, ita unam aſſeruit eſſe naturam, volens ante unionem dualitatem fuiſſe naturarum, ſed in unam naturam in aſſumptione tranſiiſſe, maxima blaſphemia, & impietate concedens; aut humanitatem in Deitatem, aut Deitatem in humanitatem eſſe converſam.

1069 „ Anathematizat etiam, execratur, & damnat Macarium Antiochenum, omneſque ſimilia ſapientes, qui licèt verè de naturarum dualitate, & perſonæ unitate ſentiret, tamen circa Chriſti operationes enormiter oberravit, dicens in Chriſto utriuſque naturæ unam fuiſſe operationem, unamque voluntatem. Nos omnes cum hæreſibus ſuis anathematizat Sacroſancta Romana Eccleſia, affirmans in Chriſto duas eſſe voluntates, duaſque operationes.

1070 „ Firmiter credit, profitetur, & docet, neminem unquam ex viro, fœminaque conceptum, à Diaboli damnatione fuiſſe liberatum, niſi per meritum Mediatoris Dei, & hominum Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui ſine peccato conceptus, natus, & mor-

„ mortuus , humani generis hoſtem , peccata noſtra delendo , ſolus ſua morte proſtravit, & Regni Cœleſtis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni ſucceſſione perdiderat , reſeravit ; quem aliquandò venturum omnia veteris Teſtamenti Sacra, Sacrificia, Sacramenta , Cæremoniæ præfigurarunt.

1071 „ Firmiter credit, profitetur, & docet, lagalia veteris Teſtamenti , ſeù Moſaycæ Legis , quæ dividuntur in Cæremonias, Sacra , Sacrificia , Sacramenta , quia ſignificandi alicujus futuri gratia fuerant inſtituta , licèt divino cultui illa ætate congruerent , ſignificato per illa Domino noſtro Jeſu Chriſto adveniente ceſſaſſe , & novi Teſtamenti Sacramenta cœpiſſe . Quemcumque etiam poſt paſſionem in legalibus ſpem ponentem , & illis , velut ad ſalutem neceſſariis ſe ſubdentem,quaſi Chriſti fides ſine illis ſalvare non poſſet , peccaſſe mortaliter . Non tamen negat, à Chriſti paſſione uſque ad promulgatum Evangelium illa potuiſſe ſervari , dum tamen minimè ad ſalutem neceſſaria crederentur , ſed poſt promulgatum Evangelium , ſine interitu ſalutis æternæ , aſſerit non poſſe ſervari ,

1072 „ Omnea ergò poſt illud tempus Circumciſionis, & Sabbati, reliquorumque legalium obſervatores , alienos à Chriſti fide denuntiat , & ſalutis æternæ minimè poſſe eſſe participes , niſi aliquandò ab iis erroribus reſipiſcant . Omnibus igitur, qui chriſtiano nomine gloriantur,præcipit omninò, quocumque tempore , vel ætate , vel poſt Baptiſmum , à Circumciſione ceſſandum ; quoniam , ſive quis in eam ſpem ponat , ſive non , ſine interitu ſalutis æternæ obſervari omninò non poteſt . Circa pueros verò propter periculum mortis , quod poteſt ſæpè contingere , cùm ipſis non poſſit alio remedio ſubveniri , niſi per Sacramentum Baptiſmi , per quod eripiuntur à Diaboli dominatu,& in Dei filios adoptantur, admonet non eſſe per quadraginta, aut octuaginta dies , ſeù aliud tempus , juxta quorumdam obſervantiam , ſacrum Baptiſma differendum, ſed quamprimùm commodè fieri poteſt, deberi conferri , ita tamen , quòd mortis imminente periculo mox ſine ulla dilatione baptizentur , etiam per Laicum , vel mulierem, in forma Eccleſiæ , ſi deſit Sacerdos , quemadmodùm in Decreto Armenorum pleniùs continetur ,

1073 „ Firmiter credit , profitetur , & prædicat omnem creaturam Dei bonam , nihilque reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur , quia , juxta verbum Domini , non quod intrat in os, coinquinat hominem ; illamque Moſaycæ Legis ciborum mundorum , & immundorum differentiam ad Cæremonialia aſſerit pertinere, quæ,ſurgente Evangelio, tranſierunt, & efficacia eſſe deſierunt .

1074 „ Illam etiam Apoſtolorum prohibitionem ab immolatis ſimulachrorum , à ſanguine , & ſuffocato , dicit illi tempori congruiſſe, quo ex Judæis, atque Gentilibus, qui antea diverſis cæremoniis , moribuſque vivebant , una ſurgebat Eccleſia , ut cum Judęis etiam Gentilea aliquid communiter obſervarent , & in unum Dei cultum, fidemque conveniendi præbèretur occaſio , & diſſenſionis materia tolleretur , cùm Judæis propter antiquam conſuetudinem ſanguis , & ſuffocatum abominabilia viderentur , & eſu immolatitii poterant arbitrari Gentiles ad Idololatriã redituros: ubi autem eò uſq; propagata eſt Chriſtiana Religio, ut nullus in ea Judæus carnalis appareat , ſed omnes ad Eccleſiam tranſeuntes , in eoſdem ritus Evangelii , cæremoniaſque conveniant , credentes omnia munda mundis, illius Apoſtolicæ prohibitionis cauſa ceſſante , ceſſavit effectus . Nullus itaque cibi naturam condemnandam eſſe denuntiat , quam ſocietas admittit humana , neç inter animalia diſcernendum per quemcumque , ſive virum , ſive mulierem , & quocumque genere mortis intereant , quamvis pro ſalute corporis , pro virtutis exercitio, pro Regulari, & Eccleſiaſtica diſciplina poſſint , & debeant multa non negata dimitti , quia , juxta Apoſtolum , omnia licent , ſed non omnia expediunt .

1075 „ Firmiter credit , profitetur , & prædicat , nullos intra Catholicam Eccleſiam non exiſtentes , non ſolùm Paganos , ſed nec Judæos, aut Hæreticos , atq; Schiſmaticos æternæ vitæ fieri poſſe participes , ſed in ignem æternum ituros , quò paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus , niſi ante finẽ vitæ eidem fuerint aggregati : tantùmque valere Eccleſiaſtici corporis unitatem , ut ſolùm in ea manentibus ad ſalutem Eccleſiaſtica Sacramenta proficiant , & jejunia , eleęmoſynæ , & cætera pietatis officia , & exercitia militiæ chriſtianæ præmia æterna parturiant . Neminemque , quantaſcumque elęmoſynas fecerit , & ſi pro Chriſti nomine ſanguinem effuderit , poſſe ſalvari , niſi in Catholicæ Eccleſiæ gremio , & unitate permanſerit .

1076 „ Amplectitur autem , approbat , & ſuſcipit Sanctam Nicænam Synodum trecentorum decem & octo Patrum , temporibus Beatiſſimi Silveſtri prædeceſſoris noſtri , & Magni Conſtantini piiſſimi Principis congregatam , in qua impia hæreſis Ariana cum ſuo auctore damnata eſt , & diffinitum eſt , Filium Dei Patri eſſe conſubſtantialem .

1077 „ Amplectitur etiam , approbat , & ſuſcipit ſanctam Conſtantinopolitanam Synodum centum quinquaginta Patrum , Beatiſſimi Damaſi prædeceſſoris noſtri , &

Theo-

„ Theodoſii ſenioris tempore convocatam, „ quæ ipſum Macedonii anathematizat errorem, qui Spiritum Sanctum non Deum, „ ſed creaturam aſſerebat. Quod damnant, „ damnat; quod approbant, approbat, & per „ omnia vult ibidem diffinita, illæſa, & inviolata ſubſiſtere.

1078 „ Amplectitur etiam, approbat, & „ ſuſcipit Sanctam primam Epheſinam Synodum ducentorum Patrum, quæ tertia eſt „ in ordine univerſalium Synodorum, ſub „ Beatiſſimo Cœleſtino prædeceſſore noſtro, „ & Theodoſio juniore convocatam, in qua „ impii Neſtorii eſt damnata blaſphemia, diffinitumque eſt, Domini noſtri Jeſu Chriſti „ veri Dei, & veri hominis unam eſſe perſonā; & Beatam Mariam ſemper Virginem „ non ſolùm *Chriſtocon*, ſed etiam *Theotocon*, hoc eſt, non tantùm hominis, ſed „ Dei genitricem ab omni Eccleſia prædicandam.

1079 „ Damnat autem, anathematizat „ & reſpuit impiam ſecundam Epheſinam „ Synodum ſub Beatiſſimo Leone prædeceſſore noſtro, & præfato Principe congregatam, in qua Dioſcorus Alexandrinus Antiſtes, Eutychis hæreſiarchæ defenſor, & „ Sancti Flaviani Conſtantinopolitani Pontificis impius perſecutor, execrandam illam „ Synodum ad approbationem Eutychianæ „ impietatis arte, & minis attraxit.

1080 „ Amplectitur etiam, approbat, & „ ſuſcipit ſanctam Chalcedonenſem Synodum, quartam in ordine univerſalium Synodorum, ſexcentorum & triginta Patrum, „ temporibus præfati Beatiſſimi Leonis prædeceſſoris noſtri, & Marciani Principis celebratam, in qua hæreſis Eutychiana cum „ ſuo auctore Eutyche, & Dioſcoro defenſore damnata eſt; & diffinitum eſt, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſe verum „ Deum, & verum hominem, & in una, eademque perſona divinam, humanamque „ naturas integras, inviolatas, incorruptas, „ inconfuſas, diſtinctaſque manſiſſe, humanitate agente quæ hominis ſunt, & Deitate quæ Dei. Quos damnat, damnatos habet; quos approbat, approbatos.

1081 „ Amplectitur etiam, approbat, & „ ſuſcipit ſanctam quintam Synodum, ſecundam Conſtantinopolitanam, tempore Beatiſſimi Vigilii prędeceſſoris noſtri, & Juſtiniani Principis celebratam, in qua ſacri „ Chalcedonenſis Concilii diffinitio de duabus naturis, & una perſona Chriſti renovata eſt, multique Origenis errores, ſuorumque ſequacium, præſertim de Dæmonum, aliorumque damnatorum pœnitentia, & liberatione, reprobati, atque damnati ſunt.

1082 „ Amplectitur etiam, approbat, & „ ſuſcipit ſanctam tertiam Conſtantinopolitanam Synodum centum & quinquaginta „ Patrum, quæ ſexta eſt in ordine univerſalium Synodorum, temporibus Beatiſſimi „ Agathonis prædeceſſoris noſtri, & Conſtantini IV. hujus nominis Principis congregatam, in qua Macarii Antiocheni, & „ Sectatorum hæreſis condemnata eſt, & diffinitum in Domino noſtro Jeſu Chriſto, „ duas eſſe perfectas, integraſque naturas, & „ duas operationes, duas etiam voluntates, „ licèt eſſet una, eademque perſona, cui „ utriuſque naturæ competerent actiones, „ Deitate agente, quæ Dei ſunt, & humanitate, quæ hominis ſunt.

1083 „ Amplectitur etiam, veneratur, „ & ſuſcipit omnes alias univerſales Synodus auctoritate Romani Pontificis legitimè congregatas, ac celebratas, & confirmatas, & præſertim hanc ſanctam Florentinam, in qua inter alia Græcorum, & Armenorum ſanctiſſima unio conſummata eſt, „ & multa circa utramque unionem ſaluberrimæ diffinitiones æditæ ſunt, prout in „ Decretis deſuper promulgatis pleniùs continetur, quorum tenor in hunc modum ſequitur:

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Conſentiente ad infraſcripta chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanne Palæologo Romæorum Imperatore Illuſtri, & Locumtenentibus Venerabilium fratrum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repreſentantibus.

1084 „ Lætentur Cœli, & exultet Terra, ſublatus eſt enim de medio paries, qui „ Occidentalem, Orientalemque dividebat „ Eccleſiam, & pax, atque concordia rediit, „ illo angulari lapide Chriſto, qui fecit utraque unum &c. *uſque ad finem*. Dat. Florentiæ &c.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

1085 „ Exultate Deo adjutori noſtro, „ jubilate Deo Jacob, omnea, qui ubique „ nomine cenſemini Chriſtiano. Ecce iterum „ recordatus eſt Dominus miſericordiæ ſuæ, „ & alium diſſidii lapidem, nongentis & ampliùs inveteratum annis, de Eccleſia ſua auferre dignatus eſt. *Et reliqua, ut in Decreto pro Armenis*. Datum Florentiæ &c.

1086 „ Verùm, quia in ſupraſcripto Decreto Armenorum non eſt explicata forma „ verborum, quibus in conſecratione Corporis, & Sanguinis Domini Sacroſancta Romana Eccleſia, Apoſtolorum doctrina, & „ auctoritate firmata, ſemper uti conſueverat, „

„ rat, illam præſentibus duximus inſeren-„ dam. In conſecratione corporis, hac utitur „ forma verborũ: *Hoc eſt enim Corpus meum*. „ Sanguinis verò: *Hic eſt enim Calix San-„ guinis mei, novi & æterni Teſtamenti, my-„ ſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis ef-„ fundetur in remiſſionem peccatorum*. Panis „ verò triticeus, in quo Sacramentum confi-„ citur, an eo die, an antea coctus ſit, nihil „ omninò refert: dummodo enim panis ſub-„ ſtantia maneat, nullatenus dubitandum eſt, „ quin poſt præfata verba conſecrationis cor-„ poris à Sacerdote cum intentione confi-„ ciendi prolata, mox in verum Chriſti Cor-„ pus tranſubſtantietur.

1087 „ Quoniam nonnullos aſſeritur „ quartas nuptias tamquam condemnatas re-„ ſpuere, nè peccatum, ubi non eſt, eſſe pu-„ tetur, cùm ſecundùm Apoſtolum, mortuo „ viro, mulier ſit ab ejus lege ſoluta, & nu-„ bendi cui vult in Domino habeat faculta-„ tem; nec diſtinguat, mortuo primo, vel „ ſecundo, vel tertio: declaramus non ſolùm „ ſecundas, ſed tertias, & quartas, atque „ ulteriores, ſi aliquod canonicum impedi-„ mentum non obſtat, licitè contrahi poſſe. „ Commendatiores tamen dicimus, ſi ulte-„ riùs à conjugio abſtinentes, in caſtitate per-„ manſerint: quia ſicut viduitati Virginita-„ tem, ita nuptiis caſtam viduitatem laude, „ ac merito præferendam eſſe cenſemus.

1088 „ His omnibus explicatis, prædi-„ ctus Andreas Abbas, nomine dicti Patriar-„ chæ, ac proprio & omnium Jacobinorum, „ ſaluberrimũ Synodale Decretum cum om-„ nibus ſuis capitulis, declarationibus, diffi-„ nitionibus; traditionibus, præceptis, & „ ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo de-„ ſcriptam, necnon quidquid tenet, & do-„ cet Sancta Sedes Apoſtolica, & Romana „ Eccleſia, cum omni devotione & reverentia „ ſuſcipit, & acceptat. Illos quoque Docto-„ res & Sanctos Patres, quos Eccleſia Roma-„ na approbat, ipſe reverenter ſuſcipit; quaſ-„ cumque verò perſonas, & quidquid Ro-„ mana Eccleſia reprobat, & damnat, ipſe „ pro reprobatis & damnatis habet, profitens „ tamquam verus Eccleſiæ filius, nomine quo „ ſupra, Sedis Apoſtolicæ ordinationibus, & „ juſſionibus fideliter ſemper obtemperare.

1089 „ Lecto ſolemniter in præſenti Sy-„ nodo hoc Decreto, Latino ſermone, mox „ in Arabico, præfatus Andreas Abbas ip-„ ſum Jacobinorum Decretum publicè ibi-„ dem perlegit, atque infraſcripta verba, in „ ſcriptis Arabicè ſubjunxit, quæ in conti-„ nenti latinè recitata ſunt.

„ 1090 „ Beatiſſime Pater Domine Eugeni „ S. Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Summe „ Pontifex, vereque Chriſti Vicarie, ac Beati „ Petri ſucceſſor, & ſanctiſſima univerſalis „ Florentina Synode, totum hoc ſanctum „ Decretum, cum inſertis etiam ſanctis De-„ cretis unionis Græcorum, & Armenorum, „ quod nunc in veſtra præſentia publicè le-„ ctum eſt, Ego Andreas humilis Abbas San-„ cti Antonii, Orator Reverendi Patris Joan-„ nis Patriarchæ Jacobinorum, habens ipſius „ Decreti per plures dies plenam notitiam „ & inſtructionem, cognoſco, confiteorque „ omnis divinæ, ac Catholicæ veritati conſo-„ na exiſtere. Nomine igitur præfati Domini „ Patriarchæ, omniumque Jacobinorum, ac „ meo, quemadmodum veſtra Sanctitas at-„ teſtatur, præfatum ſaluberrimum Synodale „ Decretum cũ dictis inſertis decretis, omni-„ buſq; ſuis Capitulis, declarationibus, diffi-„ nitionibus, traditionibus, præceptis, & „ ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo de-„ ſcriptam, necnon quidquid tenet & docet „ Sancta Sedes Apoſtolica & Romana Eccle-„ ſia, cum omni devotione, & reverentia ſu-„ ſcipio & accepto. Illos quoque Doctores „ & Sanctos Patres, quos Eccleſia Romana „ approbat, reverenter ſuſcipio. Quaſcum-„ que verò perſonas, & quidquid ipſa Roma-„ na Eccleſia, reprobat & damnat, pro repro-„ batis & damnatis habeo, pollicens nomine „ quo ſupra, ipſum Patriarcham, Jacobinoſ-„ que, & meipſum, tamquam veræ obedien-„ tiæ filios, veſtris, ac Sedis Apoſtolicæ or-„ dinationibus & juſſionibus fideliter & ſem-„ per obtemperaturos. *Datum Florentiæ in „ publica ſeſſione Synodali ſolemniter in Eccle-„ ſia Domus Sanctæ Mariæ Novellæ, apud, „ quàm nunc reſidemus, celebrata, Anno In-„ carnationis Dominicæ MCCCCXLI. Pridie „ Nonas Februarii, Pontificatus noſtri Anno „ XI.* Cui ſubſcripſerunt Eugenius Papa, & „ duodecim Cardinales, prout ex Autogra-„ pho in Archivio Fratrum Minorum Montis „ Feſulani aſſervato apparet, ex quo tran-„ ſcriptum in ſuis Annalibus inſeruit Wa-„ dingus ad hunc Annum ſub num.7. & inde „ apud Labæum parte tertia Concilii Flo-„ rentini pag. 1204. necnon & apud Raynal-„ dum ad Annum Domini MCCCCXLII. „ ſub num.2.

1091 Hunc porrò Andream Abbatem commiſſionem quoque Regis Æthyopiæ habuiſſe, ut præfati ſumus, quamvis tantùm nomine Patriarchæ, & Jacobinorum ſe recipere Decretum expoſuit, nulla facta mentione ipſius Regis, ac aliorum Æthyopum, apparet ex ipſius Eugenii literis datis Canonicis Baſilicæ Vaticanæ, quibus mandat, ut præfato Andreæ Abbati Romam devotionis gratia proficiſcenti oſtendant Imaginem Salvatoris noſtri, ſeu ſanctum Veronicæ Velum, ſcribens ut infra.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Canonicis, & Capitulo Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ſalutem & Apoſtalicam Benedictionem.

1092 ,, Cùm dilectos filios Andream
,, Abbatem Sancti Antonii de Ægypto, &
,, Petrum Diaconum, Oratores magni Prin-
,, cipis Conſtantini Imperatoris Æthyopum,
,, ſive (ut dicitur) Presbyteri Joannis, qui
,, devotionis cauſa almam Urbem præſentia-
,, liter ſe conferunt, cupiamus pro majori
,, eorum ædificatione, atque ut prædictum
,, Imperatorem, alioſque ſibi ſubjectos Reges
,, & Principes, ac Populos penè innumeros,
,, ad unionem cũ Eccleſia Occidentali, quam
,, apud nos quærere advenerunt, faciliùs ad-
,, ducere & inclinare poſſint, ſanctam Dei
,, Salvatoris noſtri imaginem, ſivè (ut di-
,, cunt) Sanctam Veronicam, videre. Et vos
,, conſtitutionibus, ac aliis ordinibus illius
,, Eccleſiæ juramento firmatis, id extra de-
,, bita & conſtituta tempora facere prohibea-
,, mini. Devotioni veſtræ, ut ipſam ſanctam
,, imaginem, nunc quando non ſunt tempo-
,, ra inſtituta, prædictis Oratoribus cum de-
,, bito & ſolito modo reverenter oſtendatis,
,, prohibitionibus ſupradictis, juramento, à
,, quo auctoritate Apoſtolica, tenore præ-
,, ſentium, vos hac vice tantùm reddimus
,, abſolutos, & aliis in contrarium facientibus
,, non obſtantibus quibuscumq; ſimilibus te-
,, nore & auctoritate præcipimus, & manda-
,, mus. Datum Florentię IV. Nonas Octobris,
,, Anno XI. *Hactenus literæ*. Cæterùm de
Æthyopum unione ſecuta, & altera ad hunc
finem miſſa ab illorum Imperatore ad eumdem Eugenium, & Synodum Florentinam,
quæ fortè in cauſa fuit, cur Andreas in Decreto acceptationis geſtorum Concilii pro ſua
& ſuæ nationis unione, nõ meminerit Æthyopum, agemus in ſequenti Capite.

CAPUT XX.

De aliorum Orientalium Nationum inçœpta in Synodo Florentina unione, inita inde in Concilio Lateranenſi ſub eodem Eugenio Papa Quarto.

1093 ATtenta Legatione, ſive commiſſione antefati Fratris Alberti à Sartiano, qui, ut præfati ſumus, in Syriam veniens & Hieroſolymas, Pontificias literas Cophtis & Æthyopis in illis partibus commorantibus exhibuerat, eoſque ad unionem cum S. Romana Eccleſia fuerat hortatus, Nicodemus Abbas, profecto jam in Ægyptum Alberto, cui regimen Æthyopum in ſancta Civitate, & locis Syriæ degentium commiſſa cura erat, Oratorem ſuum cum literis ad Eugenium Florentiam miſit, qui cùm veniſſet, & honorificè exceptus fuiſſet, die Sabbati ſecunda Septembris, Anni MCCCCXLI, in publica Congregatione coràm Sanctiſſimo habita, præfatus Orator, ut refert Raynaldus ad hunc Annum ſub num. 3. & poſt eum Labæus tom. 13. Concil. pag. 1214. orans in hæc verba prorupit.

Expoſitio Oratoris Reverendi Patris Domini Nicodemi Abbatis pro Sereniſſimo, & potentiſſimo Æthyopum Imperatore, ſuper Æthyopibus Hieroſolymis conſtitutis.

1094 ,, Omnes homines ad tuam præ-
,, ſentiam convenientes, Pater Beatiſſime,
,, multas tenentur Deo gratias agere, qui
,, eos fecerit dignos videre in te Chriſtum
,, etiam in terris inter peccatores homines
,, converſantem. Sed nos in Æthyopia nati,
,, multis, magniſque cogimur rationibus nul-
,, li alteri nationi communibus, laudare &
,, benedicere Dominum, qui nobis dedit ſa-
,, cram fidem tuam in præſenti tempore in-
,, tueri. Primùm, quod neminem credimus
,, remotiorem ab Orbis parte hùc ſe conferre,
,, quam nos, qui non ad extremam modo om-
,, nibus partem, ſed penè extra ipſum Orbem
,, poſitam incolimus Æthyopiæ regionem.
1095 ,, Secundum, quia, ſalva cæterarum
,, pace, non credimus gentem eſſe aliam, quæ
,, majori fide & devotione Romanum Ponti-
,, ficem veneretur. Quod quidem ab expe-
,, rientia apud nos notorium eſſe dignoſci-
,, tur, ut reverſuri in Patriam, applauſus,
,, exultationeſque noſtrorum hominum, &
,, populi obviam proceſſuri timere cogamur,
,, quia ſemper hactenus obſervatum eſt, ut
,, venientium à Romani Pontificis conſpectu
,, plebs, & omnis ſexus, ætatis multitudo
,, conferta pedes oſculari, & veſtis partem
,, pro reliquiis ſervandam lacerare conten-
,, dat: unde intelligi poteſt, quanta ſit no-
,, ſtris hominibus Romani Pontificis opinio
,, Sanctitatis.
1096 ,, Tertio loco majori excipiendum
,, lætitia & jubilo gaudium noſtrum, quod
,, majus Imperium noſtrum, quàm aliud eſſe
,, opinamur. Siquidem Reges centum noſtro
,, Imperio etiam præſenti tempore ſunt ſub-
,, jecti; & præter hoc gloriæ noſtræ pars non
,, eſt minima, Regina Saba, quæ excitata
,, fama ſapientiæ Salomonis, ita ſe contulit
,, in Jeruſalem, quemadmodum nos, qui li-
,, cèt multo minores ſimus Regina Saba, ad
,, te venimus, qui es etiam plusquam Salo-
,, mon. Ex gente item noſtra fuerunt Can-
,, dacis Regina, & Eunuchus, quos Philip-
,, pus Domini noſtri Apoſtolus baptizavit,
,, Quarum rerum certè magnarum gratia, tu
qui

Digitized by Google

„ qui maximus es Magnatum, nos, licèt
„ parvulos, dea libenter, prout confidimus,
„ te intueri.
1097 „ Poſtrema verò & rationum præ-
„ ſtantiſſima, quibus adveniſſe lætamur, ea
„ eſt, quæ ab ipſis effectibus innotuit, &
„ Mundo palàm eſt factum, omnes, qui à te,
„ & à Romana Eccleſia diſceſſerunt, penitùs
„ corruiſſe. Noſtra tamen inter cæteras Ec-
„ cleſias, quæ à prædicta Romana videntur
„ Eccleſia receſſiſſe, fortis etiam & potens ac
„ libera exiſtit. Cujus quidem rei nullam
„ aliam dicent ſapientes cauſam exiſtere,
„ quam quia aliarum Eccleſiarum ſeceſſio at-
„ que rebellio fuit voluntaria, hincq; eorum
„ populi in ſervitutem, exterminiumque ſunt
„ dati: noſtra autem intermiſſio & elongatio
„ à Sede tua, nequaquam à perfidia, aut le-
„ vitate alia, ſed potius proceſſit à Provin-
„ ciarum diſtantia, & à periculis, quæ ſubeunt
„ commeantes, atque etiam à prædeceſſorum
„ tuorum Romanorum Pontificum negligen-
„ tia, cùm nulla apud noſtros homines ſit me-
„ moria viſitationis, aut curæ tot Chriſti
„ ovium, quam Paſtorum quispiam ante vo-
„ luerit ſuſcipere; nam fert opinio noſtra,
„ octingentos effluxiſſe annos, ex quo nullus
„ ante Pontifex Romanus nos, vel levi, aut
„ unico verbo curaverit ſalutare.
1098 „ In hoc utique ſumma laus tua, &
„ noſtri gaudii multitudo conſiſtit, quod tu
„ ſolus ac primus Imperatorem noſtrum, ac
„ noſtram gentem catholicæ Fidei, & tibi ipſi
„ ſtudeas unire per veſtræ Congregationis,
„ & operam noſtri Abbatis Nicodemi ſervi
„ tui, in Hieroſolyma conſtituti, qui nos ad
„ te mittit, quemadmodum in præſentibus
„ literis continetur commendat autem Ab-
„ bas ipſe, tum ſeipſum, tum & filios ſuos
„ Sanctitati tuæ, ad cujus mandata labores
„ quoscumque ſuſcipere eſt paratus pro ha-
„ benda, concludendaque ſanctiſſima unione.
„ Te autem in primis certum reddit, Impe-
„ ratorem Æthyopum nihil in rebus huma-
„ nis ducere majus, nihil affectuoſius cupere,
„ quàm uniri Romanæ Eccleſiæ, & tuis ſan-
„ ctiſſimis ſubiici pedibus. Tantæ magnitu-
„ dinis apud eum ſunt Romanum nomen, &
„ Latinorum fides, quam tecum Chriſtus au-
„ gere & conſervare dignetur in ſæcula ſæcu-
„ lorum. Amen. *Hæc Orator Nicodemi*, qui
& literas ejuſdem Abbatis exhibuit, & in ea-
dem Congregatione Synodali lectæ fuerunt,
erantque infraſcripti tenoris.

Hæ ſunt Literæ Hieroſolymitanæ, quas ſcribit S. & Magno Patri Papæ Urbis Romæ, ſedenti ſuper Sedem Apoſtolorum Petri & Pauli, Abbas Hieroſolymitanus ſuper Æthyopibus Hieroſlymis commorantibus.

In nomine Sanctæ Trinitatis.

1098 „ Hæ literæ mittuntur ab Hiero-
„ ſolymis per Nocodemum Abbatem ſuper
„ Nationem Æthyopum, quæ dentur Ma-
„ gno Patri Urbis Romæ Eugenio Capiti
„ omnium Sedium. Pax tibi, & omni Sedi,
„ & pax Magnitudini tuæ, qui ſedes in Se-
„ de Apoſtolorum Petri, & Pauli, cujus ſplen-
„ dor illuminat Mundum. Ego verò ubicum-
„ que terrarum ſim, proſternor coràm te;
„ non autem ego ſolus, ſed omnes Patriar-
„ chæ, atque Epiſcopi, Reges, atque Impe-
„ ratores inclinantur ante te.
1099 „ Cùm ad nos devenerunt Nuntii
„ tui ob cauſam fidei, magnam ex eis con-
„ ſolationem accepimus, quam hactenus val-
„ dè cupiebamus, ut tandem omnes unum
„ ſimus, ſicut Paulus dicit: *Unus Deus, una*
„ *Fides, unum Baptiſma*. Hæc verò res cùm
„ ad Regem noſtrum pervenerit, maximæ illi
„ lætitiæ futura eſt; nam idem admodùm
„ cupit, ut omnes in unā fidem pariter unian-
„ tur. Ego autem ipſe pro re iſta ad te ve-
„ niſſem, niſi me metus Sarracenorum per-
„ terruiſſet, nè fortè res iſta infidelibus pa-
„ làm fiat. Propterea mitto ad te filios meos
„ præſentium literarum latores, qui die Octo-
„ bris XIV. à me recedentes, opto eos ad me
„ redire celeriter, ut ad Regem noſtrum
„ Æthyopiæ ſe citiùs conferant, cui referant
„ cuncta, quæ juſſeris, quæ velis deinde per-
„ ficere, & quæ cœpiſti; quoniam ideò Deus
„ Pater te omnibus præpoſuit Patriarchis, &
„ in magna Sede es Petri Apoſtoli conſtitu-
„ tus, quæ Caput eſt omnium Sedium, ut
„ omnes poſſes paſcere oves Chriſti.
1100 „ Hæc autem cogitatio tua à Deo
„ eſt, & tu verè Beatus es, qui ad Apoſtolo-
„ rum ſimilitudinem pro fide Chriſti talia
„ tentaſti, nec tanta fecerunt prædeceſſores
„ tui. Utinam cuncta ad finem uſque perdu-
„ cas. Etenim contaminatio infidelium in
„ unum coacta eſt, Judæi Chriſti crucifixo-
„ res pariter idem conſentiunt: Chriſtiani
„ verò, relicta Apoſtolorum ſapientia, unuſ-
„ quiſque in viam ſui ſenſus, ut libuit, abie-
„ runt, & quilibet dicit: *Mea fides verior eſt*;
„ quæ diſtinctio nequaquàm eſt à Deo, ſed
„ procedit à Diabolo. Tu igitur cura, ut
„ poſſint ad unam venire diſperſi, ut ſit om-
„ nium fides una; & ſicut ſub Patribus tre-
„ centis decem & octo in Nicæna Synodo
„ facta eſt, ſic & tu robora fidem, ut illi fe-
„ cerunt, ut congregemur in unum; quo-
„ niam cùm in unam fidem pariter convene-
„ mus, Chriſtus ex terra promiſſionis noſtros
„ hoſtes abiiciet, & fient, ut ſtipula ante fa-
„ ciem venti, non noſtra, ſed Chriſti noſtri
„ potentia faciente.
1101 „ Poſt hæc, o Pater magne, ut de
„ unione inter nos facienda aliquid tibi re-

Digitized by Google

„ ſpondeam, eam quidem de certo, & nos,
„ & Rex noſter vehementiſſimè cupimus, ve-
„ rumtamen ſine ipſo Rege noſtro illam con-
„ cludere non vellemus. Offerimus nos om-
„ nes Sanctitati tuæ omnes vires, curam, &
„ diligentiam noſtram, ut noſtro labore, ac
„ ſtudio unio ſancta tecum apud Regem no-
„ ſtrum veraciter, ut juſſeris, compleatur.
„ Quoniam qui auditus, vel acceſſus ad pa-
„ triam noſtram terra, mariaque Latinis ho-
„ minibus, penè mortalis, & impoſſibilis eſt,
„ à nobis Æthyopibus, quamvis inter ingen-
„ tes labores, in dies ſæpiùs frequentatur,
„ verentibus Sarracenis ob metum Regia
„ Æthyopum in aliquo nos offendere, quos
„ infideles Rex ipſe noſter parva opera peni-
„ tùs poſſet deſtruere.

1102 „ De noſtro verò ad tuam Sancti-
„ tatem adventu Patriarcha Jacobitarum pe-
„ nitus nihil novit, ſed clàm illo, & Sarra-
„ cenis ignorantibus, ad te venimus, nè fortè,
„ ſicut ex varia ratione ambitionis, atq; per-
„ fidiæ utrique facere ſolent, negotium unio-
„ nis præpediretur. Præſentes autem filii
„ mei ad te veniunt, non tecum de fidei ve-
„ ritate diſputaturi, ſed tuam ſententiam
„ audientes recepturi, veritatique fidei, quam
„ ſtatueris, conſenſuri; Quoniam tu Sol ma-
„ gnus, & verus ſplendor creaturarum es, nec
„ lux ulla valet à quoquam facilè in ſæculo
„ reperiri, quæ Soli ſit præferenda, Quis
„ igitur tecum, niſi ſtultus, atque ignarus,
„ valeat, aut debeat diſputare, cùm ſit tam
„ ingens & vetuſta ſapientia Latinorum no-
„ ta jam Orbi terrarum, nè ſit, juxta Evan-
„ gelicam veritatem, diſcipulus ſupra Magi-
„ ſtrum, aut ſervus ſupra Dominum ſuum.

1103 „ Poſtremò, Beatiſſime Pater, quid-
„ quid à nobis velis, mitte ad Regem Æthyo-
„ piæ noſtrum, qui cùm ea, quæ cupias, au-
„ dierit à nobis, iis in nullo penitùs refra-
„ gabitur; ſed quemcumque velis, libentiſſi-
„ mè audiet, atque aſſentiet, acceptaturus in-
„ gens de tua voluntate ſolatium, cùm ſit
„ fidei chriſtianæ benevolus & obediens, &
„ quæ ad favorem Religionis pertinent, avi-
„ diſſimè complectatur. Rogamus poſt hæc
„ Beatitudinem tuam, ut ii filii mei abs te
„ citò expediantur, quatenus ſe in Æthyo-
„ piam transferentes, Regi noſtro dicere va-
„ leant, omne quod juſſeris, Dominus Deus
„ longos faciat dies tuos, & repleat te omni
„ bono, ac compleat omne deſiderium tuum,
„ fidemque tuam confirmet, ac roboret in
„ ſæcula ſæculorum. Amen. Datum Hiero-
„ ſolymis die XIV. Octobris, Amet Anno,
„ Amohereth. *Hactenus literæ*.

1104 Sed hic notandum præſtat Nicodemi Oratorem ex imperitia Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, dixiſſe ab octingentis annis ad Eugenii tempora, neminem ex Romanis Pontificibus, nec verbo, nec literis communicaſſe cum Æthyopibus, Extant namque Alexandri III. literæ, datæ ad Imperatorem Æthyopiæ, incipientes, *Apoſtolica Sedes*, IV. Kalend. Octobris, ſui Pontificatus Anno XVIII. cùm adhùc eſſet Venetiis, miſſæ per quemdam Philippum cum poteſtate Nuntii Apoſtolici, & facultate inſtruendi Æthyopes in veritate dogmatum catholicæ fidei, & in quibus mentio ſit, de ſacello habendo Hieroſolymis in Eccleſiæ Sanctiſſimi Sepulchri, & de altero Romæ, juxta deſiderium præfati Regis, quæ poſtea obtinuit. Literas verò recitat Baronius ad Annum Domini MCLXXVII. ſub num. 33. Nicolaus inſuper Papa IV. Anno Domini MCCLXXXIX. hortatus eſt per literas datas Reate V. Kalendas Julii, ſui Pontificatus Anno XI. eoſdem Æthyopes ad conjunctionem cum Eccleſia Romana, ut notat Raynaldus ad eundem Annum ſub num. 59. qui & eaſdem literas recitat, in quibus inter alia ſcribit Pontifex: „ Cùm itaque fides catho-
„ lica, quam Romana tenet, & ſervat Eccle-
„ ſia, ſemitam præparet, pandatque aditum
„ ad ſalutem, Univerſitatem veſtram horta-
„ mur attentè, ac excitamus in Filio Dei Pa-
„ tris, quatenus mentis oculis erectis ad Do-
„ minum, & ad ſalutis, ac pietatis opera di-
„ recto propoſito, ad obſervandam chriſtia-
„ nam fidem, & proſequendam ipſius Eccle-
„ ſiæ unionem, ferventer, & efficaciter inten-
„ datis. *Hæc ibi*. Datæque ſunt literæ Populo Æthyopiæ, Joannes denique XXII. & ipſe literas miſit ad Imperatorem Æthyopum, & cum literis Apoſtolicos Viros, ad effectum traducendi, tùm ipſum, tùm ſibi ſubjectos populos ad veritatem catholicæ fidei, tradens in eiſdem literis inſertam formulam, ſive regulam fidei catholicæ; id quod pariter refert idem Raynaldus ad Ann. Dñi MCCCXXIX. ſub num. ultimo. Patet ergo, ante Eugenium alios quoque Romanos Pontifices operam dediſſe Æthyopum ſaluti,

1105 Interea ergo, antequàm Nicodemus Abbas ſuos, quos ad Concilium & Eugenium deſtinaverat Oratores, ad Regem mitteret Æthiopiæ, prout in animo habebat, ipſe Rex Æthyopiæ excitatus ab Apoſtolicis, quos illùc deſtinaverat Eugenius Legatis, mox Oratores ſuos ad eundem Pontificem pro ineunda unione miſit, qui quidem Oratores cùm perveniſſent in Inſulam Rhodi, Angelus Mauricenus. Sciensis Miles eos recepit, ac ſuis cum Triremibus in Italiam traduxit, ac denique Florentiam, ut conteſtantur Eugenii literæ, datæ univerſis Chriſtifidelibus in favorem præfati Angeli Mauroceni, ſic ſe habentes,

En-

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

1106 ,, Cùm dilectus filius nobilis Vir
,, Angelus Maurocenus miles Scienſis non-
,, nullarum Galearum, & Fuſtium, quas pro-
,, prio ſumptu tenet Gubernator, & Domi-
,, nus, proximis temporibus gratam nobis,
,, & plurimùm acceptam, & nomini chriſtia-
,, no glorioſiſſimam dederit operam, perdu-
,, ctis ad noſtram præſentiam ex partibus In-
,, ſulæ Rhodi, magni Æthyopum Regis Con-
,, ſtantini, ſive (ut dicitur Presbyteri Joan-
,, nis Oratoribus, unionem dicti Regis, &
,, ſubjectorum ſibi populorum penè infinito-
,, rum cum Occidentali Eccleſia quærentibus.
,, Nos eundem Angelum, qui cum ipſis Ga-
,, leis, & Fuſtibus, aut earum parte ad Orien-
,, tis partes redire intendit, cupientes plena
,, ubique inter Chriſtianos ſecuritate, atque
,, immunitate, & favorabili tractatione gau-
,, dere, Univerſitatem veſtram in Domino
,, requirimus, & hortamur, noſtris, & Ro-
,, manæ Eccleſiæ ſubditis dantes ſtrictiùs in
,, mandatis, quatenùs eundem Angelum cum
,, præfatis Galeis, & Fuſtibus ſimul & ſepa-
,, ratim navigantem, cum quibus neminem
,, extraneum lædere promiſit in noſtris par-
,, tibus & locis, aliterque ubicumque fuerit
,, obvius, benignè & placidè tanquam homi-
,, nem nobis charum, & Romanæ Eccleſiæ
,, fidelem excipientes, ac in dantis receptu,
,, & victualibus, favorabiliterque tractantes,
,, ire, redire, & morari permittatis, prout
,, fuerit neceſſarium, & ipſe à vobis duxerit
,, requirendum. Nos enim favores, & alia
,, commoda eidem Angelo, & ſuis Fuſtibus,
,, & comitivæ exhibita, grata habebimus &
,, accepta, ac Sedis Apoſtolicæ gratiam con-
,, ſequemini. Dat. Florentiæ IV. Nonas Octo-
,, bris, Anno XI. *Hactenus literæ.*

1107 Auguſtinus Patricius ſæpè citatus in Hiſtoria Concil. Baſileenſ. & Florent. cap. 129. velle videtur hos Regis Æthyopiæ Oratores non Florentiæ ab Eugenio ſuſceptos, ſed Romæ, translato in Lateranum Florentinum Concilium; ,, Florentiæ inter hæc, *in-*
,, *quit*, Eugenius decimam ſeſſionem celebrat
,, VI. Kal. Maii, Anni ſalutis MCCCCXLII.
,, in qua aſſerens, Zare Jacob magni Regis
,, Æthyopiæ, quem Presbyterum Joannem
,, vocant, Legatum ad Concilium œcumeni-
,, cum orthodoxæ fidei ſuſcipiendæ gratia
,, properare, Concilium ipſum, ut majorem
,, auctoritatem etiam ex loco ſuſciperet, Ro-
,, mam, approbante ipſo Concilio, tranſtulit
,, proſequendum in Baſilica Lateranenſi, pro-
,, pria, & prima Sede Summi Pontificis, XV.
,, die poſt ejus ad Urbem reditum. Huic
,, translationi addidit & plurès cauſas, loci
,, reverentiam, & commoditatem, rerum om-
,, nium copiam, tùm occaſione componenda-
,, rum Provinciarum Eccleſiæ, & pacis, &
,, quietis Italiæ, cæterarumque regionum
,, procurandæ. *Hactenus Auguſtinus.*

1108 Verùm errorem irrepſiſſe in dictis Auguſtini Patricii circa menſem, & annum translationis Concilii manifeſtum fit, ex eo quòd dicat, ultimā ſeſſionem Florentiæ celebratam VI. Kalendas Maii, Anno Domini MCCCCXLII. potiùs legendum eſt, VI. Kal. Martii, Anno Domini MCCCCXLIII. Nam conſtat, Eugenium poſt præfatam ultimam ſeſſionem, relicta Florentia Senas petiiſſe, ibidemque per aliquot menſes hæſiſſe, prout oſtendunt ejuſdem Eugenii literæ Senis expeditæ III. Idus Junii, Anni XIII. ſui Pontificatus, datæ Joanni Palæologo Græcorum Imperatori, relatæ à Labæo par. 3. Concilii Florentini pag. 1221. Item & aliæ literæ datæ Alphonſo Regi Siciliæ, pariter Senis eodem anno XLIII. ſupra milleſimum quadringenteſimum, tum prid. Nonas Julii, tum Idibus ejuſdem menſis Julii, quas ad eundem annum refert Raynaldus, notatæ pariter ſub XIII. ſui Pontificatus Anno. Si ergo legamus VI. Kalendas Martii, Anno Domini MCCCCXLIII. ſequitur præfatam ſeſſionem celebratam Anno XII. labente Pontificatus Eugenii, incipiente Anno XIII. die V. Nonas Martii, qui fuit electionis ejus dies. Si verò Auguſtinus Patricius incipiat Annos numerare ab Incarnatione Domini, hoc eſt à die XXV. Martii, conſtabit utique hanc ſeſſionem celebratam Anno MCCCCXLII. labente. Noſter Wadingus ad Annum Domini MCCCCXLIII. ſub num. 1. de receſſu Eugenii Florentia, hæc habet: ,, Itaque Flo-
,, rentia ad VII. diem Martii relicta, tertio
,, poſt die, eoque Dominico, Senas cum
,, XXIV. Cardinalibus, & magno Prælato-
,, rum numero ingreſſus, regio planè honore
,, à Senatoribus fuit exceptus. Tandem poſt
,, ſtabilitam cum Alphonſo Aragonum pa-
,, cem, poſt auditos Regum, & Principum
,, Oratores, circa graviſſima Reipublicæ
,, Chriſtianæ negotia, comitante Clero, &
,, Magiſtratu Senenſi ad XIV. Septembris Se-
,, nis egreſſus, Romam pervenit die XXVIII.
,, effuſa obviam Urbana multitudine, nullo
,, non adhibito honoris genere, & congra-
,, tulationis indicio. *Hæc ille.* Extant, & literæ Eugenii expeditæ in favorem præfati Regis Alphonſi, ſub datis Romæ apud Sanctum Petrum in ipſis Kalendis Octobris ejuſdem Anni MCCCCXLIII. & XIII. ejus Pontificatus, à Raynaldo exhibitæ.

1109 Sicut Eugenius inita Græcorum unione delegavit Fratrem Albertum à Sartiano ad partes Orientis ſuperiùs recenſitas, ita ſecuta inde Armenorum unione deſtinavit ad Syros, Aſyrios, Perſas, Tartaros, Neſtorianos, Druſilitas, Maronitas, Æthyo-

pes

pes quoque, Fratrem Antonium Trojanum, ex Minorum pariter Ordine, cum poteſtate Commiſſarii Apoſtolici, prout ſubjectæ indicant literæ, quas ex Wadingo ad Annum MCCCCXL. ſub num 6.exſcripſimus.

Dilecto filio Fratri Antonio Trojano Ordinis Minorum, in Provinciis Tartariæ Aſſyriæ, Perſiæ, & Æthyopiæ, ac apud nationes Maronitarum, Druſilitarum, Neſtorianorum, & Surianorum locis ſanctis exceptis, Commiſſario noſtro, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

1110 „ Dum onus univerſalis Gregis Dominici ſuperna nobis diſpoſitione injunctum, diligenter attendimus, & noſtrum proſpicimus imperfectum, videntes, quod nequimus circa ſingula per noſmetipſos exſolvere debitum Apoſtolicæ ſervitutis, nonnunquam viros ſanctimonia, & ſcientiæ fulgore præclaros, in quibus fervor orthodoxæ fidei, ac timor Domini ſanctus permanet, in partem laboris noſtri vocamus, ut ipſorum, ſalubri cooperatione miniſterium nobis injunctum, favente divina gratia, facilius, & efficacius exequi valeamus. Sanè, licèt cunctorum Chriſtifidelium ſalutem intenta mentis acie proſequi, & curare ex Apoſtolicæ ſervitutis officio teneamur, divinis tamen edocti ſermonibus, ex centum ovibus unam amiſſam, cæteri ferè neglectis, reducendam præcipuè curare debemus, cùm & ad oves eas, quæ perierant, miſſam ſe ſapientia ipſa declaret. Attendentes itaque, quod ex omni genere humano multi ſub Dominici Gregis titulo, & nomine requieſcunt, ſed per devia, quæ longè à luce veritatis aberrantes, per tenebras evagentur, & ſic in magna meſſe pauciſſimos operarios eſſe videamus; ad perſonam tuam, quæ quidem potens opere, & ſermone, in magnis & arduis nobis familiari experientia comprobata eſt, dirigentes aciem mentis noſtræ, ac ſperantes quòd ea, quæ tibi committenda duxerimus pro honore Dei, & propagatione Chriſtani nominis diligenter & fideliter proſequeris: Te in Provinciis Tartariæ, Aſſyriæ, Perſiæ, & Æthyopiæ, necnon apud nationes Maronitarum, Droſilytarum, Neſtorianorum, & Surianorum, locis Terræ Sanctæ exceptis, Commiſſarium noſtrum facimus, conſtituimus, & etiam declaramus &c. *Sequuntur inde facultates ſimiles conceſſæ in literis Commiſſionis Alberto à Sartiano, ut ſupra, num.* 2383. Dat. Florentiæ, Ann. MCCCCXL. XVIII. Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno X. *Hactenus literæ*. Cæterùm præter hæc reperi in Archivio Sacri Montis Sion quaſdam alias Eugenii IV. literas ſub plumbo filo canabis appenſo, Originales, authenticas, ſignatas à *Blondo*, & de *Carbonibus*, datas univerſæ Genti Neſtorianorum, quibus hortatur eos ad unionem, & quòd velint audire præfatum Antonium Trojanum Commiſſarium, & Fratrem Petrum Ferrario ejuſdem Ordinis, eiſque omnem adhibere fidem, prout in eiſdem, quas hic traſcriptas exhibemus.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Genti, & nationi Neſtorianorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

1111 „ Per hæc proxima tempora, in quibus exuberanti Domini, & Dei noſtri domo, nobis eſt conceſſum, Græcos, apud quam gentem, ſæcularis ſapientia, & rerum divinarum peritis ſemper claruit, ad nos venire, & poſt varias hinc inde habitas diſputationes Romanæ Eccleſiæ uniri; ac poſtmodum Armeniis, quibus fidei Catholicæ dogmata dedimus apud nos exiſtentibus; multorum Sermonibus nobis innotuit, vos profeſſione Chriſtianos gentem eſſe maximam, quippe quorum populi & apud Indos, Arabas, & Æthyopes, & per omnem Aſiam inhabitent, cùm tamen maxima pars ſit in Europæ partibus conſtituta, ſuitque in primis lætiſſimum audire, vos pro moribus, prudentis, & vitæ inſtituto ab omnibus nationibus, ſive aliarum ſectarum Chriſtianis, ſive Gentilibus, Paganis, inter quos habitatis, aut quibus eſtis contigui in magna reverentia haberi. Quæ quidem gratiſſima nobis nova nuperrimè renovarunt quidam præſtantes Viri ex partibus Aſiæ, & Cayri, ac Æthyopiæ venientes, cum ipſis Æthyopum Oratoribus, quos Domino concedente, brevi ſententiis Romanæ Eccleſiæ, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ dogmata accepiſſe, & quòd de Græcis, Armeniiſque prius factum fuiſſe debuiſtis, audiviſſe nobis conſenſiſſe in Catholicæ fidei unione. Arſerunt verò, dilecti filii, illicò viſcera noſtra in Charitatem, & à Deo inflammata ſunt, ut nullo pacto duxerimus differendum, quin vos Chriſti nomine, & charactere, ut credimus, inſignitos invitaremus, incitaremuſque, immo per viſcera miſericordiæ Dei noſtri exhortaremur ut Chriſtiani veri, ad Chriſtianæ Religionis Caput, ad Sedem Apoſtolicam, ipſumque Chriſti Vicarium veniatis. Nam ſi quòd de veſtra prudentia credimus, Nuncios tranſmittetis, profectò illis redeuntibus intelligetis, magna eſſe, & omni theſauro ſæculi pretioſiora, quæ ſecum referent veſtræ nationis & ſectæ hominibus, ubicumque ſint, cum gaudio communicanda. Verùm hæc ipſa, aliaque permulta, quibus mille literæ noſtræ poſ-

ſent

Digitized by Google

„ ſent ſatisfacere, commiſimus dilectis filiis
„ Fratribus Antonio Troiano Ordinis Mino-
„ rum in partibus illis Cōmiſſario noſtro, ac
„ Petro Ferrario Ordinis prædicti, ut illa
„ referant noſtris verbis, quibns velitis fidem
„ credulitatis plenariam adhibere. Datum
„ Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ
„ milleſimo, quadringenteſimo qusdrageſimo
„ primo, decimo ſeptimo Kalendss Jsnuarii,
„ Pontificatus noſtri Anno undecimo. *Hactenus literæ*. Porrò Wadingus ad Annum Domini MCCCCXLII. ſub num. x. exhibet quasdam literas Fratria Gulielmi à Caſale Miniſtri Generalis Ordinis Minorum datas eidem Fratri Antonio de Troia, juſſu Eugenii proficiſcenti in partes Syriæ, quibus nonnullas concedit facultstes, ſic ſe hsbentes.

Dilecto in Chriſto, & Venerando Patri, Fratri Antonio de Troja, Provinciæ Sancti Angeli SS. D. N. Eugenii Papæ in Syriæ, aliiſque partibus Commiſſiario, Frater Gulielmus de Caſali &c. ſalutem.

1112 „ Quia ex commiſſione, & man-
„ dsto SS. D. N. Eugenii Papæ, ad hono-
„ rem Dei, & Sanctæ Matris Eccleſiæ debes
„ ad partas Syriæ, ad gentes Maronitarum
„ & Druſulliorum proficiſci, ibiqne aliqua
„ negotia sd fidem Calholicam ſpectantia
„ peragere; & quia non potes ſolns omnia
„ perficere, propterea harum tenore litera-
„ rum concedimus, ut duos Fratres, ubi-
„ cumque, & quocnmque videris idoneos,
„ in ſocios aſſumas, quibus per obedientiam
„ præcipimus, nt tibi in omnibua, tamqusm
„ mihiipſi fideliter obediant. Inſuper con-
„ cedimus, quòd è quocumque loco, vel
„ Conventu noſtri Ordinis, ad quem per-
„ veneris, ſi neceſſe fuerit, duos Fratres ad
„ præſentiam præfati SS. D. N. poſſis deſti-
„ nare. Omnibus etiam Miniſtris, Cuſtodi-
„ bus, Guardianis, per quorum loca tu, vel
„ prædicti Socii, vel Fratres ad te deſtinan-
„ di transferint, præcipimus, ut illos cha-
„ ritativè recipiant, iiſque conſiliis, auxiliis,
„ & favoribus aſſiſtant opportunis. Vale, ex
„ Florentia, die VI. Januarii MCCCCXLII.
Hactenus literæ.

1113 Hiſce attentis literis, exiſtimat idē Wadingus Fratrem Antonium Trojanum bis miſſum ab Eugenio in partes Syriæ, primùm Ann. MCCCCXL. juxta datas Eugenil præfati literas, exhibitas ſuprs ſub n. 2450. deinde hoc An. MCCCCXLII. jam in Italiā reverſo, ut videntur innuere mox recitatæ Generalis literæ; & hac vice miſſum fuiſſe ad Maronitas tantùm & Druſyllitas, quorum ſolùm mentio fit in præfstis Generalis Miniſtri literis. Verùm, ſi ex diverſitste temporis, quo leguntur datæ literæ, Commiſſiones quoqne ſunt diverſificandæ, non bis, ſed ter miſſum Fratrem Antonium dicendum eſſet, quoniam primæ literæ à Wsdingo exhibitæ, dstæ ſunt menſe Decembri videlicet XVIII. Kalen. Januarii, Anni MCCCCXL. ſecundæ verò à nobis exhibitæ ex Archivio Sacri Montis Sion, datæ pariter legnntur eodem menſe Decembris, Anni verò MCCCCLI. tertiæ denique Miniſtri Generalis notantur datæ die VI. Jsnuarii MCCCCXLII. & ſic differentia apparet unius anni inter unam & alteram, ac proinde ſi ex tempore dstarum literarum multiplicandæ eſſent commiſſiones, ter miſſum dicendum eſſet, & bis reverſum trium annorum ſpatio, quod prorsùs improbabile mihi videtur. Mea ergò conjectura eſt, ſemel tantùm miſſum, reverſo ex Æthyopis, vel Ægytpto Alberto à Sartiano cum Legatis Jacobinis, cui prius commiſſæ fuerant prædictæ Provinciæ, ut ex ſuæ commiſſionis literis jam recitatis conſtat, & quidem non ante Annum MCCCCXLI. eo namque anno ex Decreto recitato pro Jacobinis, conſtat Albertum jsm rediiſſe. Literas porrò relatas à Wadingo inſtituentes Fratrem Antonium in Commiſſiarium Apoſtolicum, mendoſas in adnotatione anni cenſerem, rectss verò, quas ex Archivio Montis Sion dstas Neſtorianis exſcripſimus ſupra num. 2451. quoniam ex integro, & incorrupto auctogrspho, quæ porrò à Generali Miniſtro datæ ſunt, non eodem vitio in temporis, ſive anni adnotatione laborare. Duas ergò priores literss eodem anno dstss hand dubitarem, anno videlicet MCCCCXLI. ad hoc verò aſſerendū moveor etiam ex menſis & dierum adnotatione; nam primæ datæ leguntur XVIII. Kal. Jsnuarii, die ſcilicet XIV. menſis Decembris, & ſunt commiſſionis literæ; Secundæ verò, quæ ſunt credentiales literæ exhib. dæ nationi Neſtorianorum, ſequenti die datæ ſunt videlicet XVII. Ksl. Januarii, hoc eſt, die XV. menſia Decembris, diſceſſurus poſtes Antonius adjecit, & ſuas Miniſter Generalis datas die VI. Januarii incunte, ſecundùm communē computum, Anno MCCCCXLII. adeout non ſit niſi aliquorum dierum differentia.

1114 Secntam inde Æthyoporum unionem, ſive Florentiæ ante receſſum Eugenii, ſive Romæ (de loco namque non ſum certus) adſunt clariſſima teſtimonia, inter quæ primum locum tenet Eugenii teſtimonium in literis datis univerſis, & ſingulis Chriſtifidelibns Principibus, & Præſulibus pro implorando temporali auxilio adversùs Turcas, apud S. Petrum VIII. Ksl. Februsrii, Anni Domini MCCCCXLIV. qusrū initium eſt:
„ Poſt graves expenſas, diutinoſque labores
„ à nobis perpeſſos, in Græcorum unione
„ primùm, & poſtes Armenorum, Jacobita-
„ rum, Maronitarum, Æthyopum, Boſnen-
„ ſium, & aliorum diverſæ nationis popu-
„ lorum reductionem ad ſincerum fidei Ca-
tho-

„ tholicæ cultum, non parva nobis impenſa
„ opus fuit &c. Alterum teſtimonium affert Blondus, qui fuit Eugenii IV. à Secretis: Hic In primo libro Romę Inſtauratę, ſub n. 58. alloquens Eugenium, qui portas ligneas æneas fecerat, ait: *Tu æneas Baſilicæ dediſti, tantiſque inſculptis Hiſtoriis, unionis Græcorum, Armenorum, Æthyopum, Jacobinorum, & aliarum nationum, tua opera, tuaque impenſa Eccleſiæ conciliatarum*. In valvis namq; æneis Baſilicæ S. Petri adeſt & hæc memoria in his exculptis nimirum Verſibus.

Sunt hæc Eugenii monumenta illuſtria Quarti,
Excelſa hæc animi ſunt monumenta ſui,
Ut Græci, Armeni; Æthyopes, hic aſpice, ut ipſam
Romanam amplexa eſt gens Jacobina fidem.

In Sepulchro quoque marmoreo ejuſdem Eugenii IV. in eadem S. Petri Baſilica, hos Verſus, ad rei etiam memoriam inſculptos legimus.

Eugenius jacet hic Quartus, cor nobile, cujus
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſua
Iſtius ante Socros ſe præbuit alter ab ortu,
Alter ab occaſu, Cæſar uterque pedes,
Alter, ut accipiat Fidei documenta Latinæ,
Alter, ut aurato cingat honore caput.
Quo duce, & Armeni Græcorum exempla ſecuti,
Romanam agnorunt Æthyopeſque Fidem.
Inde Syri, ac Arabes, Mundique è finibus Indi,
Magna, ſed hæc animo cuncta minora ſuo.

Decretum verò p.culiare pro Æthyopibus nullum editum conſtat, ſed illud idem traditum Jacobinis recepiſſe, & acceptaſſe, eidemque adhæſiſſe, citra controverſiam exiſtimo, nec ullatenùs vertendum in dubium.

1115 Peracta itaque Æthyopum unione, Romæ cùm eſſet Eugenius, non fruſtrà laborante in ſuæ commiſſionis Provinciis Fratre Antonio Trojano, venit unionem quærens D. Abdela Archiep. Edeſſę Legatus Ignatii Syrorum Patriarchæ, qui honorificè, ac gratanter exceptus ab Eugenio, habitis priùs, ut par erat, privatis conſultationibus, habita inde publica ſeſſione in Eccleſia Lateranenſi, decrevit, ut infra.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

1116 „ Multa & admirabilia diebus no-
„ ſtris, & longè majora, quàm aut Chriſtia-
„ nos expetere, aut cogitare poſſemus, inef-
„ fabilis Divinæ miſerationis clementia Ec-
„ cleſię ſuæ Sanctæ dona largitur. Unde &
„ fidem orthodoxam dilatatam, & novos in
„ dies ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ po-
„ pulos redire, à nobis, & omnibus Chriſti-
„ fidelibus lætitię & exultationis cauſas quo-
„ tidie renovare ſentimus; itaut meritò cum
„ Propheta, in jubilatione, fidelibus populis
„ ſæpènumero dicere provocemur: *Venite, &*
„ *exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari*
„ *noſtro: quoniam magnus Dominus, & lauda-*
„ *bilis nimis in Civitate Dei noſtri, in Monte*
„ *Sancto ejus*. Verùm cùm in Eccleſia Ca-
„ tholica, quæ eſt Dei Civitas, in Monte
„ Sancto Apoſtolicæ Sedis, & Petri auctori-
„ tate fundata, ſemper magna, & inſcrutabi-
„ lia operatus ſit Deus, cujus Omnipotentię
„ & Sapientiæ non eſt numerus: hoc tamen
„ ſingulare & præcipuum illi præſtitit ineffa-
„ bilis prudentia Conditoris, ut orthodoxa
„ fides, quæ humanum genus ſola vivificat,
„ ſola ſanctificat in Monte illo ſancto, in
„ una & immutabili ſemper maneat confeſ-
„ ſione veritatis, & diſſenſiones, quæ adver-
„ sùs Eccleſiam de terrenarum opinionum
„ varietate naſcuntur, & à petræ illius ſoli-
„ ditate disjungunt ad Montem illum redeun-
„ tes, exterminentur, & eradicentur; quo fit,
„ ut ad ejus gremium confluentes populi,
„ atque nationes, in unam cum ipſo conve-
„ niant fidei veritatem.

1117 „ Hæc autem Dei munera tam ma-
„ gna, tam excelſa, tam inſolita, non meri-
„ tis noſtris profectò conſpicere ipſius boni-
„ tatis immenſitas, ſed ſua ſola benignitate
„ & dignatione conceſſit, ut poſt unionem
„ Græcorum in ſacro œcumenico Concilio
„ Florentino, qui cum Romana Eccleſia in
„ quibuſdam articulis diſcrepare videbantur,
„ ac poſt reductionem Armenorum, & Jaco-
„ bitarum, qui variis opinionibus involuti,
„ omni tandem diſſenſione relicta, in unam
„ rectam veritatis ſemitam convenerunt. Ec-
„ ce nunc iterum, Ipſo cooperante Domino,
„ aliæ nationes de longinquo convenerunt,
„ inter Tigrim & Euphratē Meſopotamiam
„ habitantes, quæ de proceſſione Spiritus
„ Sancti, & aliis quibuſdam articulis non re-
„ ctæ ſentiebant. Multa igitur nobis, & om-
„ nibus Chriſtifidelibus eſt cauſa lætandi,
„ quia jam, annuente Domino, Romanæ Ec-
„ cleſiæ ſplendidiſſima de fidei veritate aſſer-
„ tio, quæ munda ſemper fuit ab omni ma-
„ cula falſitatis, etiam apud Orientem ultra
„ Euphratis terminos, novis coruſcationi-
„ bus micat, adeout Venerabilem fratrem
„ noſtrum Abdalam Archiepiſcopum Edeſſæ,
„ Venerabilis fratris noſtri Ignatii Patriar-
„ chæ Syrorum, atque totius nationis ſuæ
„ Legatum ad hanc uſque Almam Urbem ad
„ præſentiam noſtram, & ſacrum hoc Late-
„ ranenſe Concilium traxerit, & vocarit, hu-
„ militer & devotè poſtulantem, ut eam fidei
„ regulam, quam Sacroſancta Romana pro-
„ fitetur Eccleſia, eiſdem traderemus.

1118

Digitized by Google

1118 ,, Nos autem inter cunctas Sanctæ
,, Sedis Apoſtolicæ ſolicitudines hanc pri-
,, mam & præcipuam curam gerimus, prout
,, ſemper geſſimus, Evangelii ſcilicet defen-
,, dere veritatem, & orthodoxam fidem, ex-
,, terminatis hæreſibus, longè, latèque diffun-
,, dere, & propagare, quoſdam ex Venerabi-
,, libus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Ec-
,, cleſiæ Cardinalibus delegimus, qui accer-
,, ſitis in hoc ſacro Concilio aliquibus ex ſa-
,, cra pagina Magiſtris, cum prædicto Archi-
,, epiſcopo de difficultatibus, dubiis, & erro-
,, ribus illius nationis conferrent, illumque
,, ipſum examinarent, ac ei catholicæ verita-
,, tis diſciplinam aperirent, & tandem de in-
,, tegritate fidei Eccleſiæ Romanæ plenè il-
,, lum inſtruerent, & docerent. Quem cùm
,, per omnia de fide & moribus rectè ſentien-
,, tem inveniſſent, tribus dumtaxat exceptis
,, Articulis, de proceſſione ſcilicet Spiritus
,, Sancti, de duabus in Chriſto Jeſu Salva-
,, tore noſtro naturis; ac tandem in illo vo-
,, luntatibus, & operationibus, veritatem illi
,, fidei orthodoxæ patefecerunt, aperuerunt
,, ſacrarum literarum intellectus, attulerunt
,, Sanctorum Doctorum teſtimonia; & quæ
,, materiæ congruebant, rationes veriſſimas
,, induxerunt. Quorum intellecta doctrina,
,, Archiepiſcopus ipſe dubitationibus ſuis
,, omnibus plenè ſatisfactum eſſe conteſtans,
,, tam de Spiritus Sancti proceſſione, quàm
,, de duabus naturis, & voluntatibus, & ope-
,, rationibus in Chriſto Jeſu Domino noſtro,
,, talia ſentire profeſſus eſt, ut veritatem Fi-
,, dei plenè intelligere videretur, profitere-
,, turque ſe nomine præfati Patriarchæ, to-
,, tiuſque nationis, & ſuo, omnem fidem, om-
,, nemque doctrinam ſuſcepturum, quam ei-
,, dem, hoc ſacro approbante Concilio tra-
,, deremus.

1119 ,, Propter quæ omni in Chriſto
,, exultatione perfuſi, gratias immenſas Deo
,, noſtro effudimus, quia votum noſtrum in
,, ſalutem nationis illius videmus adimple-
,, tum. Diligenti itaque cum fratribus no-
,, ſtris, & ſancto Concilio tractatu præhabi-
,, to, fidem & doctrinam, quam Sacroſancta
,, Romana tenet Mater Eccleſia, eodem ſacro
,, approbante Concilio, eidem Archiepiſco-
,, po præfatis nominibus recipienti tradere,
,, & aſſignare decrevimus.

1120 ,, Hæc eſt igitur fides, quam ſem-
,, per Sacroſancta Romana tenuit, prædica-
,, vit, & docuit Mater Eccleſia, quamque ad
,, præſens tenet, prædicat, profitetur, & do-
,, cet. Hanc dictum Abdelam Archiepiſco-
,, pum vice, & nomine præfati Patriarchæ
,, Syrorum totius nationis illius, atque ſuo,
,, in iis tribus Articulis ſuſcipere, & perpe-
,, tuis in futurum temporibus cuſtodire, &
,, obſervare decrevimus.

1121 ,, In primis, quòd Spiritus Sanctus
,, ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſen-
,, tiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet
,, ex Patre ſimul & Filio, & ex utroq; æter-
,, naliter, tanquam ab uno principio, & uni-
,, ca ſpiratione procedit. Tenet inſuper, pro-
,, fitetur, & docet, unum, eundemque Dei,
,, & hominis Filium Dominum noſtrum Je-
,, ſum Chriſtum eſſe perfectum in Deitate,
,, & perfectum in humanitate, Deum verum
,, & hominem verum, ex anima rationali, &
,, corpore, conſubſtantialem Patri ſecundùm
,, Deitatem. In noviſſimis autem diebus,
,, eundem propter nos, & propter ſalu-
,, tem noſtram ex Maria Virgine Dei Geni-
,, trice ſecundum humanitatem natum, unum,
,, eundemque Chriſtum verum Dei Filium
,, Filium Unigenitum, in duabus naturis in-
,, confusè, incommutabiliter, indivisè, in-
,, ſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſu-
,, blata differentia naturarum propter uni-
,, tionem, magiſque ſalva proprietate utriuſ-
,, que naturæ, & in unam perſonam atque
,, ſubſiſtentiam concurrente, non in duas per-
,, ſonas partitum, ſive diviſum, ſed unum &
,, eundem Dei, & hominis Filium Dominum
,, noſtrum Jeſum Chriſtum.

1122 ,, Credit inſuper, profitetur, & do-
,, cet in uno Domino Jeſu Chriſto duas na-
,, turales operationes, indivisè, inconverti-
,, biliter, inſeparabiliter, inconfusè, ſecun-
,, dùm Sanctorum Patrum doctrinam; duas
,, etiam naturales voluntates, unam Divi-
,, nam, alteram humanam, non contrarias,
,, ſed humanam ejus voluntatem ſubjectam
,, ejus Divinæ, atque omnipotenti voluntati.
,, Et quemadmodum ejus caro animata ſan-
,, ctiſſima deificata eſt, non perempta, ſed in
,, proprio ſui ſtatu & ratione permanſit, ita
,, humana ejus voluntas deificata eſt, non
,, perempta; ſed ſalvata magis, atque perfecta.
,, Hanc fidem eundem Abdalam Archiepiſco-
,, pum nominibus, quibus ſupra, ſuſcipere,
,, corde tenere, & ore profiteri debere de-
,, cernimus.

1123 ,, Ordinamus inſuper, atque de-
,, cernimus, ut eiſdem nominibus recipere,
,, amplecti debeat quæcumque per Sacroſan-
,, ctam Romanam Eccleſiam diffinita, & ſan-
,, cita diverſis temporibus ſunt, præſertim-
,, que decreta Græcorum, Armenorum, at-
,, que Jacobitarum, in ſacro Concilio œcu-
,, menico Florentino edita, quæ cùm in Ara-
,, bico traducta ipſe Abdela Archiepiſcopus
,, accuratè legiſſet, ac laudaſſet, ad uberio-
,, rem & pleniorem omnium eruditionem ſibi
,, nominibus, quibus ſupra recipienti conſi-
,, gnari fecimus. Quoſcumque etiam Do-
,, ctores, & Sanctos Patres, quos Sacroſan-
,, cta approbat, & ſuſcipit Romana Eccleſia,
,, nominibus, quibus ſupra approbare, & ſu-
,, ſcipere debeat; & quaſcumque perſonas,
,, ſeu quidquid aliud ipſa damnat & repro-
,, bat, pro damnatis & reprobatis, nomini-
,, bus, quibus ſupra habere debeat. Promit-

„ tens tanquam verus filius obedientiæ, nominibus, quibus ſupra, ipſius Apoſtolicæ Sedis ordinationibus & juſſionibus, medio juramento, devotè ſemper, & fideliter obedire. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani in publica ſeſſione Synodali, Anno Incarnat. Dominicę MCCCCXLIV. pridie Kal. Octob. Pontificatus noſtri Anno XIV.

1124 Romam cum præfato Legato reverſum Fratrem Antonium Trojanum, licèt acta Conciliaria, nec ipſa Bulla aliquam faciant mentionem, ex alia commiſſione eidem ab Eugenio data, poſt initam Syrorum unionem non obſcurè deduci poteſt. Etenim Eugenius diverſos ex Fratrum Minorum Ordine hoc eodem anno per Orbem delegavit Nuncios, ut Chriſtianis animos adderēt, quatenus exercitibus mittendis adversùs infideles aſſiſterent, opem ferrent, & de recuperanda Terra Sancta diligenter cogitarent: hinc ad Maronitas, Druſillitas, & Surianos, deputavit Fratrem Petrum Ferrarium, tunc Guardianum Conventus Sancti Salvatoris de Baruto. In Partibus Orientalibus Indiæ, Æthyopiæ, Ægypti, & Hieruſalem Commiſſarium inſtituit Fratrem Gandulphum de Sicilia Sacri Montis Sion tunc Guardianum. Et ad Regnum Daciæ, Provinciam Saxoniæ, aliaſque partes Germaniæ, deſtinavit Nuncium antefatum Antonium Trojanum, prout indicant Pontificiæ literæ, quas ex Wadingo ad hunc annum ſub num. 51. exſcriptas, damus.

Dilecto filio Antonio de Troja Ordinis Minorum Profeſſori Nuncio noſtro &c.

1125 „ Pia Mater Eccleſia de fidelium ſalute ſolicita, ſicut in palmitibus Fidei catholicæ dilatandis accenſæ charitatis ardoribus ſolerter invigilat, & fructuoſi operis proſecutione laborat, ſic vias & modos diligenter exquirit, quibus & hoſtium ipſius fidei conatibus obviet, & vias eorum concordet, ut Chriſtifideles à noxiis impugnantium incurſibus juvante Domino, tuti in devotionis fervore & pacis plenitudine conſerventur. Cùm itaque nos pro evidenti Chriſtianæ Religionis utilitate, & fidei catholicæ exaltatione, necnon pro Civitate Conſtantinopolitana, ac Ungariæ, & Cypri Regnorum, necnon Inſulæ Rhodi, quam Soldanus Cypri Dominus, efferata rabie expugnare conatur, aliarumque Provinciarum Chriſtianorum tutela & conſervatione, quamplures ac maximos ſumptus ſubire oporteat, quos ſine Chriſtifidelium ſuffragio tolerare non poſſumus, propterea ad partes Regni Daciæ, ac Provinciæ Saxoniæ, & alias Germaniæ partes, Provincias, Civitates, Diœceſes, Terras, & Loca, Nuncium noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis, te perſonaliter pro hujuſmodi cauſa deſtinamus, omnes alios & ſingulos executores, & Nuncios Apoſtolicos, quo ad facultates inferius annotatas per nos, & Sedem Apoſtolicam in eiſdem partibus ex quovis cauſa eis conceſſas, durante tempore infraſcripto tenore præſentium ſuſpendentes &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicę MCCCCXLIV. pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno XIV. *Hactenus literæ*. Alias quoque eodem tempore datas univerſis Chriſtifidelibus, in favorem dicti Fratris Antonii de Troja Nuntii Apoſtolici, idem Wadingus exhibet. Conſtat ergo jam Romam tunc reverſum, ac proinde nonniſi cum ipſo Legato Syrorum, quo expedito, Eugenius eum deſtinavit ad alias partes.

1126 Anno ſequenti, reductis ad agnitionem fidei orthodoxæ, opera & labore Andreæ Archiepiſcopi Coloſſenſis, Caldeis & Maronitis in Inſula Cypri commorantibus, in eodem Concilio Lateranenſi, Timotheus Epiſcopus & Metropolita Chaldeus perſonaliter, Elias verò Epiſcopus Maronita per ſuū Nuntium profeſſi ſunt eamdem orthodoxam, & catholicam Fidem, nomine ſuo, & ſuę reſpectivè nationis, prout in ſequènti conſtitutione apparet.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

1127 „ Benedictus ſit Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui vota & pia deſideria noſtra, quibus pro debito noſtri Paſtoralis officii, ſalutem & unitatem Chriſtiani populi anhelamus, & continuis, quantùm ex alto nobis permittitur, operibus confovemus, multis, magniſque favoribus in dies proſequitur, & ultra quam mereamur, fœlicibus comitantur effectibus. Sanè poſt celebratam in œcumenico Concilio Florentino Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali unione, poſt Armenorum, Jacobitarum, & Meſopotamiæ populorum reductionem, Venerabilem Fratrem noſtrum Andream Archiepiſcopum Coloſſenſem ad partes Orientis, & Cypri Inſulam deſtinavimus, ut & Græcos, & Armenos, & Jacobitas ibidem degentes prædicationibus ſuis, & Decretorum pro eorum unione & reductione editorum expoſitionibus & declarationibus, in ſuſcepta fide confirmaret, & quos ex aliis ſectis à vera doctrina alienos tàm Neſtorii, quàm Macarii Sectatores inveniret, monitionibus & exhortationi-

bus,

„ bus, ad fidei veritatem reducere conaretur:
„ quod pro ſua ſapientia, aliiſque virtutibus,
„ quibus eum largitor gratiarum Dominus
„ inſignivit, diligentiſſimè proſecutus, poſt
„ diverſas, multipliceſque diſputationes, poſt
„ varios tractatus, eliminata tandem ex eo-
„ rum cordibus primùm omni Neſtorii im-
„ pietate, qui purum hominem Chriſtum eſ-
„ ſe, & Beatiſſimam Virginem non Dei, ſed
„ Chriſti Genitricem aſſeverabat: Deinde
„ Macarii Antiocheni impiiſſimi, qui quam-
„ quam Chriſtum verum Deum & hominem
„ eſſe profitebatur, divinam tamen ſolùm in
„ eo voluntatem & operationem, humanitati
„ ejus parùm tribuens, eſſe aſſerebat: Vene-
„ rabiles Fratres noſtros Thimotheum Metro-
„ politam Châldęorum, quos ad hæc uſque
„ tempora Neſtorianos, eo quod Neſtorium
„ ſequebantur in Cypro, vocaverunt, & Eliam
„ Epiſcopum Maronitarum, qui cum ſua na-
„ tione Macarii dogmatibus in eodem Regno
„ infectus, cum omni multiudine populo-
„ rum & Clericorum in Inſula Cypri ei ſub-
„ jecta, ad veritatem fidei orthoxæ, divino
„ ſibi aſſiſtente Numine converti, fidemque &
„ doctrinam, quam ſemper ſacroſancta coluit
„ & obſervavit Eccleſia, eiſdem Præſulibus,
„ & omnibus ibidem eis ſubjectis tradidit,
„ quamque præfati Præſules in publica &
„ magna Congregatione diverſarum natio-
„ num in eodem Regno exiſtentium in Me-
„ tropolitana Eccleſia Sanctæ Sophiæ habita,
„ ſumma cum veneratione ſuſceperunt. Quo
„ facto, Chaldæi quidem præfatum Timo-
„ theum ſuum Metropolitam, Elias verò Ma-
„ ronitarum Epiſcopus Nuntium, de fide Ro-
„ manæ Eccleſiæ, quæ Domino providente,
„ & Beato Petro Apoſtolo opem ferente, ſem-
„ per immaculata permanſit, ſolemnem pro-
„ feſſionem emiſſuros ad nos uſque miſerunt,
„ & coram nobis in hac ſacra œcumenici La-
„ teranenſis Concilii Generali Congregatio-
„ ne, fidem ipſam atque doctrinam Timo-
„ theus ipſe Metropolita primùm in lingua
„ ſua Chaldæa Græcè interpretatam, & de
„ Græco in Latinum traductam reverenter &
„ devotè, ut ſequitur profeſſus eſt.

1128 „ Ego Timotheus Archiepiſcopus
„ Tarſenſis, Chaldæorum, qui in Cypro ſunt,
„ Metropolita, pro me, meiſque omnibus in
„ Cypro exiſtentibus populis profiteor, vo-
„ veo atque promitto Immortali Deo Patri
„ & Filio & Spiritui Sancto, demùm Tibi
„ Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Patri Eugenio
„ Papæ IV. & huic Sacroſanctæ Apoſtolicæ
„ Sedi, & Sanctæ huic & venerabili Con-
„ gregationi, quod de cætero ſemper mane-
„ bo ſub obedientia tua, & ſucceſſorum tuo-
„ rum, ac Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ,
„ tamquam ſub unica Matre, & Capite om-
„ nium aliarum. Item, quod de cætero ſem-
„ per tenebo, & profitebor, Spiritum San-
„ ctum procedere ex Patre & Filio, ſicut do-
„ cet & tenet Sancta Romana Eccleſia. Item,
„ quod de cætero ſemper tenebo, & appro-
„ babo, duas naturas, duas voluntates, unam
„ hypoſtaſim, & duas operationes in Chriſto.
„ Item, quod de cætero ſemper confitebor &
„ approbabo omnia ſeptem Sacramenta Ec-
„ cleſiæ Romanæ, prout ipſa tenet, docet &
„ prædicat. Item, quod de cætero nunquam
„ in ſacra Euchariſtia oleum apponam. Item,
„ quod de cætero ſemper tenebo, confitebor,
„ prædicabo, & docebo quidquid tenet, con-
„ fitetur, docet & prædicat Sacroſancta Ro-
„ mana Eccleſia, & quidquid ipſa reprobat,
„ anathematizat, & damnat, reprobo, ana-
„ thematizo, & damno, & in futurum ſemper
„ reprobabo, anathematizabo, & damnabo,
„ ſpecialiter impietates, & blaſphemias ne-
„ quiſſimi hæreſiarchæ Neſtorii, & omnem
„ aliam hęreſim extollentem ſe adversùs hanc
„ ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Ec-
„ cleſiam.

1129 „ Hæc eſt fides, Pater ſancte, quam
„ tenere, & obſervare facere ab omnibus ſup-
„ poſitis meis voveo atque promitto, & unũ-
„ quemque illam reſpuentem, & contra eam
„ ſe ſe erigentem privare omnibus bonis, &
„ beneficiis ſuis, eumdemque excommuni-
„ care, & hæreticum & damnatum denun-
„ tiare; & ſi pertinax fuerit, degradatum
„ curiæ ſæculari tradere ſpondeo, polliceor,
„ atque promitto.

1130 „ Deinde ſimilem per omnia pro-
„ feſſionem dilectus in Chriſto Filius Iſaac
„ Nuntius Venerabilis Fratris noſtræ Eliæ
„ Epiſcopi Maronitarum, ipſius vice & no-
„ mine, reprobando Macarii de unica volun-
„ tate in Chriſto hæreſim, cum multa vene-
„ ratione emiſit.

1131 „ Pro quarum quidem profeſſionum
„ religione, & tantarum animarum ſalute,
„ Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui
„ temporibus noſtris tanta fidei incrementa
„ largitur, tot Chriſtianis populis beneficia
„ donat, gratias immenſas agentes, eaſ-
„ dem profeſſiones recipimus & approbamus,
„ ac eoſdem Metropolitam & Epiſcopum in
„ Cypro, & ſubjectos, ad gremium Sanctæ
„ Matris Eccleſiæ ſuſcipimus, ac ipſis ma-
„ nentibus in præfata fide, obedientia &
„ devotione, his gratiis & privilegiis inſi-
„ gnimus.

1132 „ In primis, quod nemo prædictos
„ Chaldæorum Metropolitam, & Maronita-
„ rum Epiſcopum, eorumdem Clericos & po-
„ pulos, neque ex populo & Clero quem-
„ piam de cætero audeat hæreticos appellare,
„ aut Chaldæos de cætero Neſtorianos nomi-
„ nare præſumant. Quod ſi quiſpiam manda-
„ ti hujus contemptor extiterit, jubemus ab
„ ejus Ordinario excõmunicari tamdiù, quã-
„ diù diſtulerit condignè ſatisfacere, aut Or-
„ dinarii arbitrio aliqua alia temporali pœna
„ mulctari.

1133 „ Item, quod præfati Metropolita
„ & Epiſcopua, eorumque ſucceſſores in om-
„ nibus & quibuscumque honoribus, Epiſco-
„ pis à cõmunione Sacroſanctæ Romanæ Ec-
„ cleſiæ ſeparatis continuò præferantur,

1134 „ Item quod poſſint de cætero cen-
„ ſuras in ſuos ſubditos exercere, & quos de
„ cætero ritè excommunicaverint, pro ex-
„ communicatis; & quos abſolverint, pro
„ abſolutis ab omnibus habeantur.

„ 1135 Item, quod præfati Præſules & Sa-
„ cerdotes, & Clerici eorum, liberè poſſint
„ in Eccleſiis Catholicorum divina celebra-
„ re, & Catholici in Eccleſiis eorumdem.

1136 „ Item, quod de cætero præfati
„ Præſules,& Clerici, & Laici eorum utrius-
„ que ſexus, qui unionem & fidem hanc ſu-
„ ſceperint, poſſint in Eccleſiis Catholicorum
„ ſepulturas eligere, & cum catholicis ma-
„ trimonia more Latinorum Catholicorum
„ contrahere, & omnibus beneficiis, immu-
„ nitatibus, & libertatibus gaudere & frui,
„ quibus cæteri homines Catholici, tam Lai-
„ ci, quàm Clerici in dicto Regno potiuntur
„ & gaudent. Nulli ergò omninò hominum
„ liceat hanc paginam noſtræ receptionis,
„ approbationis, ſuſceptionis, inſignitionis,
„ & juſſionis infringere, vel ei auſu temera-
„ rio contraire. Si quis autem hoc attenta-
„ re præſumpſerit, indignationem Omnipo-
„ tentis Dei, ac Beatorũ Petri & Pauli Apo-
„ ſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Da-
„ tum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno
„ Dominicæ Incarnationis MCCCCXLV,
„ VII. Nonas Auguſti, Ponficatus noſtri An-
„ no XV. *Hactenus conſtitutio*. Et hic finis
Actorum Concilii œcumenici ſub Eugenio Papa IV.

DUBIUM INCIDENS.

An Synodus Florentina poſt receſſum Græcorum remanſerit œcumenica.

1137 De hac difficultate fit mentio in actis Concilii Tridentini, ut habetur tom.1. Actorum ejuſdem ſub Paulo III.quæ aſſervantur in Arce Sancti Angeli, prout refertur apud Labæum par.3. Concilii Florent. pag. 1203. ubi habetur; die vigeſimaſexta Februarii MDXLVII. cùm Epiſcopus Clodienſis in Congregatione Generali excitaſſet difficultatem de Bulla unionis Jacobinorum, quaſi ea non pertineret ad Concilium Florentinum, & probaret hoc ipſum ex data Bullæ Anno MCCCCXII. cùm Concilium terminatum ſit Anno MCCCCXXXIX. quo anno conſignata eſt Bulla unionis Græcorum. Cardinalis à Monte dixit, allucinari eos, qui putant finem Concilii Florentini fuiſſe unionem Græcorum, cùm longè per tres ſcilicet ferè annos perduraverit, uſque videlicet ad Annum Domini MCCCCXLII. quo anno, VI Kal. Maii (*lege Martii*) celebrata ſeſſione, Romam translatum fuit. Patère id ex diverſis conſtitutionibus medio illo tempore editis, quæ in actis Concilii habentur, & annotantur in Summario Concilii Baſileenſis per Auguſtinum Patricium Canonicum Senenſem, Bullã Jacobitarum manu Eugenii & Cardinalium ſcriptam ſe propriis oculis vidiſſe, unà cum aliis actis ejuſdem Concilii, quæ in Arce Sancti Angeli aſſervantur. Concilium Florentinũ, quod habetur ſecundo Tomo Conciliorum, translatum fuiſſe ex Græco; Græcos autem, cùm facta unione diſceſſiſſent, ſcriptum non retuliſſe, niſi quo ad illud uſque tempus geſtum fuerat. At Eugenium manſiſſe Florentiæ, & cùm videret Patres ægrè ibi diutiùs commorari, tranſtuliſſe Romam Concilium decima quinta die poſt ejus reditum proſequendũ in Eccleſia Lateranenſi. Die XXIII. Martii cùm eamdem difficultatem attigiſſet Epiſcopus Caſtelli Maris, eadem dixit Cardinalis Sanctæ Crucis, & addidit, Bullam Jacobitarum fuiſſe editam in publica ſeſſione præſentibus in particulari Cardinalibus Beſſarione, & Rutheno. *Hæc in præcitato tom.1. Actorum Concilii Tridentini*.

1138 Ex hoc quidem monumento apparet de mente DD. Cardinalium de Monte, & Sanctæ Crucis, etiam poſt Græcorum receſſum Synodum Florentinam œcumenicam remanſiſſe, & ſubſequentia in ea geſta, recipienda ut ab œcumenica Synodo prodita. Et ſanè ut œcumenicam habitam fuiſſe ab ipſo Eugenio, cæteriſque Patribus ibidem continuantibus, ipſamet Eugenii Decreta demonſtrant. Namque in Decreto pro Armenis, receſſis jam Græcis, ait Eugenius; *Per hoc Decretum, ſacro hoc approbante Florentino Concilio, ipſis Oratoribus ad hoc etiam conſentientibus, traderemus*. Et in fine. *Datum Florentiæ in publica ſeſſione Synodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata*.

1139 At Natalis Alexandri in ſua Hiſtoria Eccleſ. Diſſert. IV. Sæculi XV. & XVI. ſub num.3. fatetur poſt receſſum Græcorum remanſiſſe aliquod Concilium, non tamen ejuſdem auctoritatis cum Concilio œcumenico, ſed veluti Concilium Nationale. Verùm Eugenius in Decreto pro Jacobinis apertè fatetur fuiſſe œcumenicum, cùm dicat in eo; *Hunc, quæ ſequitur, veram, neceſſariamque doctrinam hodie in hac ſolemni ſeſſione, ſacro approbante œcumenico Concilio Florentino, in nomine Domini tradimus*. Et in fine. *Datum Florentiæ in publica ſeſſione Synodali ſolemniter celebrata in Eccleſia S. Mariæ Novellæ*. Pro œcumenica pariter agnitam & receptam fuiſſe à Jacobinorum Legato Andrea Abbate S. Antonii, ejus verba relata erga finem Decreti probant, cum dicat: *Beatiſſime Pater Domine Eugenii &c. & ſanctiſſima Univerſalis Florentina Synode, totum hoc ſanctum Decretum &c.* Patet ergo de mente Eugenii, imò &

Ora-

Oratoris præfati, Concilium etiam poſt receſſum Græcorum fuiſſe œcumenicum.

1140 Attamen prædictus Natalis palam contradicit, apertiſque verbis ait: ,, *Si verò* ,, Eugenius, & poſtea Cardinalis de Monte, ,, & alii ſenſerint, aut dixerint Synodum ,, Florentinã, tum œcumenicam adhùc perſeveraſſe, cùm hujuſmodi Decreta edita ſunt, ,, Eugenii ſententiam non ſequimur, quod ,, ipſa pugnantia loquatur cum natione generalis Concilii, à ſeipſo tradita. Et Cardinalis de Monte, vel aliorum privatorum ,, Theologorum auctoritas firmiſſimis rationibus, quibus noſtram confirmavimus ſententiam prævalere non debet. *Hæc ille*. In quo porrò pugnantia loquatur Eugenius, oſtendit ſub num.1. ubi ait: Eugenium cùm eſſet Ferrariæ poſt Græcorum adventum, dixiſſe: prout acta Concilii ferunt: *Ubi ego ſum cum Imperatore & Patriarcha, ibi eſt univerſa Chriſtianorum Synodus, præſertim cùm adſunt Patriarchæ omnes, & Cardinales noſtri*. Ex quo vult inferre Natalis, de mente Eugenii fuiſſe, ad Synodum œcumenicam ſaltem, neceſſariam eſſe præſentiam Pontificis, Imperatoris, & Patriarcharum; quæ præſentia cùm defuiſſet poſt diſceſſum Græcorum, non potuit manſiſſe œcumenica, & velle eſſe œcumenicam, eſt pugnantia ſibi loqui.

1141 Cæterùm non eo ſenſu Eugenii verba accipienda ſunt, quo Natalis exponit, quaſi de mente Eugenii eſſet, ut ad Synodum œcumenicam neceſſaria eſſet præſentia prædictarum perſonarum; etenim cùm diù expectati Baſileenſes, ut venirent ad Synodum, quorum præſentia optabatur à Græcis, & venire diſtuliſſent, Pontifex, ut initium cum Græcis daret actis Conciliariis, illorum præſentiam non neceſſariam ad habendam œcumenicam Synodum innuere voluit per illa verba: *Ubi ſum ego cum Imperatore, & Patriarcha, ibi eſt univerſa Chriſtianorum Synodus, cùm præſertim adſint Patriarchæ omnes, & Cardinales noſtri*: & dicere voluit, ſatis eſſe ad habendam œcumenicam Synodum, antedictorum præſentia, etiam abſentibus Baſileenſibus, non tamen quod eſſet neceſſaria, adeout ſine præſentia Imperatoris & omnium Patriarcharum haberi non poſſit Synodus œcumenica, aliàs plura Concilia generalia eſſent eradenda à numero œcumenicorum, in quibus nec Imperator aliquis adfuit, nec ad eas convenerunt omnes Patriarchæ, maximè Orientales.

1142 Porrò, quibus rationibus firmiſſimis ſuam probet Natalis ſententiam, attendamus. Primò namque probat ratione ſupradicta, nimirum ad œcumenicam Synodum habendam neceſſariam eſſe omnium Patriarcharum, aut per ſe, aut per ſuos Legatos præſentiam, cùm ſunt Catholici, quod aſſerere ait etiam Bellarminus lib.1. de Conciliis cap.17. Et probat ex actis VIII. Synodi act. IX. ubi cùm Joſeph Monachus & Archidiaconus Legatus Patriarchæ Alexandrini adveniſſet, ſancta Synodus dixit: *Glorificamus Deum, qui quod decerat univerſali Synodo, ſupplevit*. Et VII. Synodum Conſtantinopolitanam Iconomachorum, ſub Conſtantino Copronymo œcumenicam non fuiſſe probat ipſa Synodus VIII. quia: *Conſentientes ſibi non habuit Patriarchas Orientis, Alexandriæ ſcilicet, Antiochiæ, & ſanctæ Civitatis, vel Comminiſtros, & Summos Sacerdotes, qui cum ipſis exiſtunt*.

1143 Deinde probat ex inſcriptione Decreti, nam in Decreto unionis Græcorum dicitur: *Definitio ſanctæ œcumenicæ Florentinæ Synodi*. In Decreto pro Armenis, *Decretum Eugenii Papæ Quarti*. Decretum unionis Græcorum incipit: *Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Conſentiente ad infraſcripta chariſſimo in Chriſto filio &c.* Decretum verò pro Armenis incipit: *Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam*; nulla facta mentione Orientalis Eccleſiæ. Et ex hoc concludere intendit, Decretum unionis Græcorum emanatum à Concilio œcumenico, non ita Decretum pro Armenis, nec pro Jacobinis.

1144 Denique probat ex eo quod Græci ſi adfuiſſent, non conſenſiſſent, aut ſubſcripſiſſent Decreto pro Armenis, quod Sacramentorum ritus, & materias etiam quaſdam, formaſque in ipſa Eccleſia Græca non uſurpatas, nec receptas, tradit. Concludit denique hanc eſſe ſententiam Facultatis Pariſienſis docentis, Decretum pro Armenis ad Florentinam œcumenicam Synodum non pertinere, eſſeque dumtaxat Pontificis Eugenii IV. Decretum, & ſic illam vocare. Hæc ſunt firmiſſimæ Natalis Alexandri, ut ipſe ait, rationes.

1145 Cæterùm non ſunt adeo firmæ, ut ipſe fatetur; & prima ratio circa præſentiam Patriarcharum, multùm claudicat; nam illorum præſentia, ut ipſe Bellarminus loco à Natali relato, ſubjungit, eſt tantùm ad benè eſſe, non tamen fuit à Patribus judicata neceſſaria; & probat exemplo tertiæ Synodi, quæ ſine Patriarcha Antiocheno damnavit Neſtorium Conſtantinopolitanum: Et Synodus Chalcedonenſis ferè omnia concluſit ſine Patriarcha Alexandrino. Ex praxi etiã Conciliorum deducitur; nam in Conciliis Generalibus celebratis in Oriente, ex Occidente, aut nulli, aut pauci Epiſcopi convenerunt. Et quidem in ſecunda Synodo Conſtantinopolitana I. & in III. Synodo, ſcilicet Epheſina, nemo ex Occidentalibus interfuit Epiſcopus; & in Concilio Chalcedonenſi ſolùm Legati Pontificis Leonis adfuerunt, Econverſò ad Concilium Generale Lateranenſe ſub Innocentio III. ad Viennenſe ſub Clemente V. aut nulli, aut pauci, quemadmodum ad Concilium Generale Lugdunenſe ſub Gregorio X. convenerunt Epiſcopi Orientales. Hæc ergo conditio, ut œcumenico Concilio adſint omnes

Pa-

Digitized by Google

Patriarchæ per ſe, vel per ſuos Legatos, eſt ad benè eſſe, non ad ſimpliciter eſſe. Et æquè benè ſtat, ut Concilium œcumenicum ſit, ſi adſint in eo omnes Patriarchæ, ſive ſi abſint.

1146 Nullius momenti mihi videtur ſecunda ratio deprompta ex ipſa Decretorum Inſcriptione. illa namque differentia non facit, ut decretum pro Græcis habeatur, prout à Concilio œcumenico, ſecus verò decretum pro Armenis. Conſtat enim ex aliorum Conciliorum generalium conſtitutionibus, ubi præſentes fuerunt Romani Pontifices, editis ſine inſcriptione præpoſita decreto pro Græcorum unione, benè verò cum ea, quæ in Concilio Florentino appoſita fuit decretis pro Armenis, & pro Jacobinis; nam decretum Concilii Generalis Lugdunenſis ſub Gregorio X. in quo facta eſt etiam Græcorum unio, hanc habet inſcriptionem: *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Univerſis Chriſtifidelibus &c.* incipit verò: *Infraſcriptas conſtitutiones nuper in generali Concilio Lugdunenſi &c.* Decretum editum contra Templarios à Clemente V. licèt in generali Concilio Viennenſi, non habet aliam inſcriptionem, quam: *Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam*, & incipit: *Ad omnium ferè notitiam.* Et in decreto pro eorundem extinctione in eodem Concilio edito, ſola inſcriptio appoſita eſt: *Ad perpetuam rei memoriam*; incipit verò: *Ad providam Chriſti Vicarii*; & in corpore dicitur: *Sacro approbante Concilio*, nec aliquid plùs: Ferè univerſa Concilii Lateranenſis decreta ſub Leone X. hanc inſcriptionem habent: *Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei*, & in corpore indicatur approbatio Concilii. Et frequentiùs præfigitur hæc inſcriptio: *Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.* Quod verò approbatio Concilii exprimatur in initio, vel in corpore poſt proœmium Bullæ, non minuit, nec addit decreto auctoritatem. Satis eſt; ut explicet decretum eſſe editum cum approbatione Concilii. Eugenius ergo in decreto Græcorum, quoniam præſentes fuerant Imperator, Patriarchæ, & multi Græci Præſules, voluit eorum honorare præſentiam cum tali inſcriptione, & quoniam decretum deferendum erat in Græciam, ibidemque publicandum, voluit ab initio exprimere Imperatoris, cæterorumque Græcorum conſenſum, nè Græci, quibus publicandum erat, exiſtimarent decretum editum, ſi dixiſſet tantùm, *Sacro approbante Concilio*, à majori parte Concilii, licèt Imperatore, Patriarchis, vel majori parte Græcorum diſſentientibus. Quod in nullo alio fidei decreto in Conciliis generalibus edito, etiam ubi Imperatores, & Patriarchæ fuerunt præſentes, factum legimus. In Decreto Armenorum, nec in alio decreto Jacobinorum talis non fuit neceſſitas, quoniam illarum nationum tantùm Legati præſentes fuerunt; unde ſatis viſum fuit exprimere approbationem Concilii per illa verba, *Sacro approbante Concilio*, ante definitionem appoſita, & ipſorum Legatorum receptione, ſive acceptatione, ſuo, & ſuarum nationum, juxta mandatum, nomine, ut habetur in fine eorundem decretorum.

1147 Argumentum quoque deſumptum ex Rituum Sacramentorum deſcriptione, eandem patitur debilitatem; nam ſi Græci adfuiſſent, nec rationabiliter obſtitiſſent præfato decreto, quoniam tales ritus ſervandi non erat eis præſcriptum, ſed Armenis, & Jacobinis. Habet unaquæque Eccleſia ſuos ritus, horum diverſitas non ſcindit unionem, quoties in eadem fide conveniunt. Et ſi una natio vult ſequi ritus Eccleſiæ Romanæ, annuente Pontifice, vel generali Concilio, non eſt quis id prohiberi poſſit. Ratio verò, cùr Pontifex ritus ſervandos Armenis præſcripſerit, hæc fuit, quia in adminiſtratione Sacramentorum corruptiſſimos habebant ritus, à nullo ex antiquis Patribus conſtitutos, ac ideo neceſſe fuit eos inſtruere, nedùm in cauſa fidei, verùm & in ritibus ſervandis circa adminiſtrationem Sacramentorum. Ad quod Legati aſſenſum præſtiterunt; nec ſi adfuiſſent, neceſſarius fuiſſet Græcorum aſſenſus, quoniam non Eccleſiæ univerſali præſcribebantur, ſed particulari Eccleſiæ Armenorum, quorum tantùm exquirebatur conſenſus.

1148 Ad illud, quod in extremo addit de opinione Facultatis Pariſienſis, quidquid ſit de tali opinione, certum eſt, quòd Facultas Pariſienſis non præbet regulam Eccleſiæ univerſali, nec fideles tenentur illius opinionem ſequi, benè verò tenentur ſtare definitionibus Romani Pontificis, ac illius declarationibus, in rebus præcipuè ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis. Eidem tamen Facultati oppono Congregationem Patrum Concilii Florentini, in qua, ut præfati ſumus, bis propoſita fuit hæc eadem difficultas, & Patres aſſenſerunt, primùm opinioni Cardinalis de Monte, inde & Cardinalis S.Angeli; nec eſt conſideranda opinio horum Cardinalium, ut unius, vel alterius Doctoris, ſed ut communis Patrum Concilii ab eis in præfatis Congregationibus recepta propter rationes à prædictis Cardinalibus allegatas, ut ſupra dictum eſt.

1149 Itaque concludendum eſt, decretum Armenorum in Concilio Florentino editum, decretum eſſe œcumenici Concilii, quemadmodùm & aliud pro Jacobinis; non minùs ac fuit decretum editum pro Græcorum unione; quoniam per receſſum Græcorum non fuit diſſolutum Concilium, nec aſſignari poteſt actus aliquis poſitivus hujus diſſolutionis, nec teſtimonium alicujus gravis Doctoris ſcribentis, Papam diſſoluiſſe Concilium, im-

mò

mò potiùs apparet contrarium; nam Andreas à Sancta Cruce oculatus teſtis, fatetur Eugenium, nedùm non diſſoluiſſe, ſed magis continuaſſe Acta Concilii, ſicut etiam tradit Auguſtinus Patricius, qui ſerunt, neque omninò poſt Jacobinorum unionem fuiſſe diſſolutum, ſed translatum in Lateranum. Tota ergò ratio refunditur in mero receſſu Græcorum; quaſi Concilium illud non fuiſſet œcumenicum, niſi attenta præſentia Græcorum. Si hac ratione amiſit naturam œcumenici, ergò Concilium Baſileenſe, ad quem Græci non convenerunt, nunquam fuit œcumenicum; & tamen omnes concedunt, ante diſſolutionem factam ab Eugenio fuiſſe œcumenicum, & nonnulli etiam id fatentur poſt diſſolutionem, & præcipuè hoc aſſerunt Sectatores huic noſtræ contrariæ ſententiæ. Concilium Florentinum pro cauſa fidei, & moribus congregatum fuit generaliter, licèt etiam pro unione Græcorum, prout conſtat ex Eugenii literis, & convocatum fuit ab habente auctoritatem convocandi generalia Concilia, & vocati ſunt ferè totius Orbis Epiſcopi. Si autem non acceſſiſſent Græci, non proinde non fuiſſet œcumenicum, cùm conſtet, plura Concilia generalia in Occidente celebrata ſine ullo Græcorum, vel Orientalium interventu; ſicut ergo fuiſſet œcumenicum, ſecluſo illorum adventu, ita æquè benè manſit œcumenicum poſt illorum receſſum.

1150 Si ergo aliqua ratio congrua aſſignari poſſet diſſolutionis præfati Concilii per merum receſſum Græcorum, vel eſſet, quia per dictum receſſum ceſſavit finis principalis ſuæ convocationis, vel quia pauci numero remanſerunt, verùm ex neutro Capite dici potuit diſſolutum: Et quidem non ratione finis, qui ſi ſpectetur radicaliter, id fuit, per quem congregatum fuerat Baſileenſe Concilium: Illud namque Eugenius tranſtulit Ferrariam, Finis porrò Baſileenſis Concilii colligitur ex literis præſidentiæ datæ à Martino V, Juliano Cardinali Sancti Angeli, nimirum, *ad reformandum ſtatum Eccleſiaſticum, ad hæreſes extirpandas, ad pacem inter Catholicos Principes componendam*. Si ſpectetur finis magis proximus, hic exprimitur in Bulla Eugenii Translationis Concilii Baſileenſis Ferrariam ad ſeſiſtendum conatibus, & Baſileenſium attentatis, & ad præſtanda ea omnia, propter quæ Concilium Baſileenſe fuerat congregatum: „ Et quidem mirum, „ *inquit*, ſi illi minùs obtemperent honeſta „ poſtulanti contra Sanctorum Canonum in„ ſtituta, qui excuſſo de ſubjugo divini timo„ ris collo, tam liberè, tam licenter eunt in „ Paſtorem Pontificem ſuum? Quorum co„ natibus, niſi opportunus provideatur, rem „ hanc ſanctæ unionis Orientalis, & Occiden„ talis Eccleſiæ, ex qua diebus noſtris pro„ pagari Chriſtianitatis terminos ſperamus, „ & ſub hujus ſpecie, & expectatione Chri„ ſtianorum multitudo ab Infidelibus oppreſ„ ſa reſpirat, intercipi, & deſtitui, Eccleſiæ„ que reformationem, & pacem chriſtiani „ populi, quam jam annis ſex Mundus præ„ ſtolatur, in deformationem potius, inte„ ſtinumque bellum converti, *Et paulò infra*. „ Cùm igitur ad hujuſmodi pericula, ſcan„ dalaque, & detrimenta ab univerſali Eccle„ ſia, & à populo chriſtiano, ſicut ex debito „ adſtringimur Paſtoralis officii propulſanda, „ & longiùs arcenda, nihil æquè expediens „ occurrat, quàm ſi in unum conveniamus „ omnes, charitatis, pacis, & concordiæ „ vinculo adſtricti, & ſemotis privatis affe„ ctionibus, ad memoratæ unionis Eccleſiæ „ utriuſque, ſanctorumque reliquorum ope„ rum proſecutionem, quorum gratia Con„ cilium Baſileenſe ab initio fuerat inſtitu„ tum, ſtudia, & vota noſtra convertamus. *Hæc Eugenius*, qui & in declaratione ejuſdem translationis pariter ſe explicat, ad quem finem hujuſmodi fecerit translationem: *ad omnes*, inquit, *& ſingulos effectus, pro quibus Baſileæ fuerat congregatum*. In literis inſuper ſalvi conductus datis univerſis, ultra unionem Græcorum alteram translationis cauſam aſſignat, reformationem ſcilicet univerſalis Eccleſiæ: *Pro tractanda in eo*, ait, *Occidentalis, & Orientalis Eccleſiarum unitate, pro reformatione univerſalis Eccleſiæ*. Et denique in literis datis Univerſitati Pariſienſi, aliiſque Studiis, eaſdem aſſignat translationis cauſas, inquiens; *tam propter Occidentalis, & Orientalis Eccleſiarum unitatem, quàm reformationem Eccleſiæ, & pacem chriſtiani populi, & aliis rationabilibus cauſis*. Cùm itaque exiſtentibus Græcis actum fuiſſet de ſola unione illorum, prout acta demonſtrant, ipſa peracta & conſummata, aliæ etiam ſupererunt cauſæ juſtiſſimæ continuandi œcumenicum Concilium, ad quarum finem fuerat convocatum, licèt receſſis Græcis. Non ergò poſt unionem, & receſſum Græcorum ceſſavit finis totalis, ad quem, aut propter quem Concilium Ferrarienſe, & Florentinum fuerat convocatum; ac proinde manentibus aliis cauſis juſtis, propter quas generalia, ſive œcumenica Concilia convocantur, etiam poſt diſceſſum Græcorum, remanere potuit, & remanſit œcumenicum.

1151 Nec paucitas Prælatorum, qui remanſerant, abſtulit à Concilio auctoritatem Concilii œcumenici; quoniam in primis duæ Patrum partes ad minùs remanſerunt ex toto conflato cum Græcis Concilio, ipſis Græcis receſſis, ut ex ſubſcriptionibus conſtare poteſt. Deinde major, vel minor auctoritas Conciliorum non pendet à majori, vel minori numero Patrum, æqualis namque auctoritatis fuerunt priora quatuor Concilia, licèt non in omnibus fuerit idem numerus Patrum, nec ſecunda generalis Synodus, Conſtantinopolitana prima, eſt minoris auctoritatis, ac

ſit

Digitized by Google

ſit Chalcedonenſis, cui ſubſcripſerunt 630. Patres. Nec in eodem Concilio una ſeſſio celebrata cum minori numero Patrum eſt majoris auctoritatis, quæ ſit altera celebrata cum majori numero. Poſſunt aliquandò & ipſa Concilia nationalia habere majorem numerum Patrum, ut conſtat de Concilio nationali celebrato in Africa tempore Sancti Auguſtini; cui interfuerunt, ut ait Proſper in Chronico, ſub Anno CCCCXX. Patres numero CCXVII. non tamen proinde tantæ ſunt, vel erant auctoritatis; quantæ eſt Concilium œcumenicum celebratum cum minori numero Patrum, ac per hoc Concilium illud Africanum non fuit tantæ auctoritatis, quantæ fuit ſecũda generalis Synodus, prima Conſtantinopolitana, cui tantùm interfuerunt CL. Patres. Nec hactenus quiſpiam auſus eſt augere, vel minuere auctoritatem Conciliorum generalium, à majori, vel minori Patrum numero; nec in antiquis Conciliis à quopiam fuit unquam obſervatum.

1152 Nec præſentia Imperatoris reddit Concilium œcumenicum, nec præſentia omnium primorum Præſulum Eccleſiæ, ut ſunt Patriarchæ; non quidem Imperatoris præſentia, quoniam aliàs Concilia œcumenica, quibus non interfuerunt Imperatores, non eſſent œcumenica, ſatis eſt, ut ſit vocatus, ſive poſtea nolit intereſſe, nec per ſe, nec per ſuum Legatum, non amittit Concilium actoritatem Concilii œcumenici: Immò eſt opinio graviſſimorum Doctorum, aſſerentium, quòd quandò Concilia generalia congregantur pro rebus merè ſpiritualibus, Imperatores, & Reges non ſunt neceſſariò vocandi, ſed ſolùm invitandi, non ut ſuffragium ferant, ſed ut conſulant, ut advertit Jacobatius *lib. 2. de Concil. de iis, qui vocandi ſunt ad Concil.* Nec porrò neceſſaria eſt præſentia primarum Sedium Epiſcoporum, & quia, ut præfati ſumus, conſtat, plura celebrata eſſe œcumenica Concilia ſine omnium illorum præſentia, immò aliqua nullo ex Orientalibus intereſſente; & etiam, quia docet nos exemplum Synodi Apoſtolorum, cujus mentio ſit Actor. cap. 15. In qua actum eſt de cauſa fidei, nimirùm de ceſſatione Legalium, cui tamen non interfuerunt omnes Apoſtoli, ſed ſeniores, Petrus, & Jacobus, qui erat Epiſcopus Civitatis, Paulus, & Barnabas, nec legitur alios Apoſtolos interfuiſſe, immò nec abſentes vocatos, & tamen erant primi Eccleſiæ Epiſcopi, h[illegible]entes in eadem Eccleſia majorem auctoritatem, quàm cuncti Patriarchæ ſimul.

1153 Suppoſita ergò debita convocatione Concilii œcumenici, exiſtente juſta cauſa illud celebrandi, & quòd convocatio facta ſit à Papa, cujus eſt congregare œcumenica Concilia, etiam in adverſariorum ſententia, vel de mandato Papæ, aut ipſo conſentiente, ſive poſtea plures, ſive pauciores ex Epiſcopis vocatis accedant, ſive veniant ad illud Patriarchæ, ſive non veniant, adſint Imperator, & Reges, vel non adſint, vim habet & auctoritatem Concilii œcumenici; quoniam non ſunt Epiſcopi, nec Patriarchæ, nec Reges, qui præſtant Conciliis œcumenicis auctoritatem, ſed ſolus Papa: Cujus rei cauſa Concilia generalia, celebrata abſente Papa, vim recipiunt ab ipſius Papæ confirmatione; quæ enim Papa confirmat, remanent approbata; habentque vim ſuam, quæ verò non confirmat, & reprobat, reprobata manent, nullamque vim habent, etiamſi interfuiſſent in illorum celebratione ſinguli, ut ita dicam, totius Orbis Epiſcopi. Manſit ergo Florent. Synodus poſt receſſũ Græcorum œcumenica, quia cum Patribus Latinis manſit Papa, cui præfuit, & à quo etiam cum Græcis auctoritatem œcuminici acceperat. Sed hæc quæſtio pendet ab illa controverſia, an Papa ſit ſupra Concilium œcumenicum, an Concilium ſupra Papam: Et quoniam Eugenius poſt receſſum Græcorum edidit in publica ſeſſione Conſtitutionem illam incipientem, *Moyſes*; qua damnavit Baſileenſium doctrinam de poteſtate Concilii ſupra Papam; hac de cauſa, ut vim auferant præfatæ Conſtitutioni, qui ſuſtinent, Concilium eſſe ſupra Papam, nè cogantur, doctrinam Eugenii contrariam recipere, veluti ab œcumenica Synodo pronunciatam, in hanc deſcenderunt ſententiam, aſſerentes, decreta Concilii Florentini poſt receſſum Græcorum non eſſe decreta Concilii œcumenici, ſed ſolius Eugenii Papæ. Sed de his ſatis.

CAP. XXI. & ULTIMUM.

De publicatione Decretorum Unionis in partibus Orientis, & illorum Contradictoribus.

1154 PRo totius Operis concluſione reſtat videre, an in Oriente facta poſt tot labores & impenſas unio in præfato Concilio Florentino optatum ſortita ſit effectum: Et quidem, ut ab Æthyopibus initium ſumamus, contradictores ab initio non habuit, licèt proceſſu temporis & ipſi iterùm defeciſſent: Reverſis namque Legatis ferentibus Decretis, ſive Bullã unionis in Æthyopiam, habito coràm Imperatore omnium Patriarcharum, ac Præſulum, necnon Procerum conſeſſu, lecta & publicata, ſummo omnium conſenſu, & animi alacritate recepta fuit. Hoc idem conſtat ex relatione, quam Eugenio miſerat Frater Gandolphus ex Minorum Ordine, tunc Sacri Montis Sion Guardianus, ipſi Eugenio Papæ, datis ſequentibus literis, quas exhibet Wadingus ad Annum Domini MCCCCXIV. ſub num. 54. videlicet.

Pa-

Pater Beatiſſime, & Sanctiſſime Domine.

1155 „ Poſt Pedum oſcula beatorum, &
„ omnem in Chriſto Jeſu gloriæ ſplendorem:
„ Hora eſt jam, ut ſicut ego toties meis lite-
„ ris contriſtavi Sanctitatem veſtram, ex
„ meo, & eorum, qui mecum ſunt Fratres in
„ Terra Sancta, aſſiduo perſecutionis relatu,
„ eiſdem literis eandem Sanctitatem læti-
„ ficem, & relatu meo gaudio ſpirituali
„ repleam. Gaudeat igitur Beatitudo Ve-
„ ſtra, Pater Sanctiſſime, gaudeat & exultet
„ Mater Eccleſia, quoniam filii ſui tempore
„ digniſſimi veſtri Pontificatus de longe ve-
„ nerunt ad eam. Iterum gaudeat, & læte-
„ tur in Domino, Paſtor optime, vera &
„ ſolicitudo veſtra, quoniam oves meridio-
„ nalis plagæ aberrantes per devia, intra-
„ verunt ovile. Si enim illa, quæ ſuper nos
„ eſt, triumphans Hieruſalem, tantum gau-
„ det, & exultat, *uno peccatore pænitentiam*
„ *agente*, meritò noſtra militans Syon pœni-
„ tenti innumerabili multitudine immensè
„ gaudere, & exultare debet: & ubi minor
„ erat ſpes lætitiæ, major debet eſſe materia
„ gaudii.

1156 „ Sed, nè diù ſuſpenſam congreſ-
„ ſione mea teneam veſtram Sanctitatem,
„ Pater Vigilantiſſime; Cùm enim penitùs
„ decidiſſem ab ea, quam conceperam, ſpe
„ unionis Eccleſiæ Romanæ, cum lato illo,
„ diffuſoque Imperio Æthyopiæ, eò quod in-
„ de venientes percunctati mihi nemo juxta
„ votũ reſponderet, ex inſperato inſonuit fa-
„ ma, quod Ambaſſiatores Principis Æthyopũ
„ ad Soldanũ veniſſent, pro Eccleſiarũ anno
„ proximè elapſo in Ægypto, & Terra San-
„ cta tempore illius perſecutionis validè de-
„ ſtructarum reædificatione, & oppreſſorum
„ Chriſtianorum ſublevatione: quo lætanter
„ audito, revixit, quam parùm antea ſepe-
„ lieram, ſpes mea; & maxime cùm percepi,
„ quod eſſent in Hieruſalem venturi. Sicque
„ divina ordinatione actum eſt, ut in feſto
„ Epiphaniæ Domini intraverunt Bethleem:
„ Ibidemque ſicut quondam tres Magi ve-
„ nerunt adorare Dominum; qui mox juxta
„ præceptum veſtræ Sanctitatis per quod-
„ dam ejus Breve, aliàs mihi factum, à fra-
„ tribus meis cum omni charitate, humani-
„ tate, gaudio, & honore in domum noſtram
„ fuerunt recepti, & de omnibus, prout
„ tunc frigida & pluvioſa nox, penuria deſer-
„ ti, & viæ laſſitudo expoſcebant, per gra-
„ tiam Dei fuerunt peroptimè recreati. Ve-
„ nientes autem in Hieruſalem, quidquid
„ honoris, charitatis, gratitudinis, libera-
„ litatis, humanitatis, obſequii, & fami-
„ liaritatis mihi poſſibile fuit, intuitu & no-
„ mine veſtræ Sanctatis illis impendi.

1157 „ Cùm autem ipſis ſecretò expone-
„ rem ea, quæ per Beatitudinem veſtram
„ mihi fuerant injuncta, eos efficaciter exo-
„ rans, quod vellent pro hujuſmodi facto
„ ſacræ unionis, & pro nonnullis aliis ho-
„ norem Dei, & Principis ſui concernentibus,
„ Sanctitatem veſtram adire, aut ſaltem hic
„ expectare, quouſque ego intimarem eorum
„ adventum Beatitudini veſtræ, & reſponſum
„ ejus acciperem: reſponderunt, in ſe hoc fa-
„ cere non poſſe, cùm non haberent id in cõ-
„ miſſione, dicentes non fore neceſſarium pro
„ facto unionis eos illùc ire, aut hic pręſtolari
„ debere: quoniam Thomas, & Georgius
„ jam applicuiſſent ad Imperatorem ſuum
„ cum Bulla unionis, & quod univerſi Pa-
„ triarchæ Epiſcopi, & Prælati, ac Princi-
„ pes, & Domini ſtatus utriuſque, fuerunt
„ edicto Imperatoris ad hoc ſimul congre-
„ gati. Et quod ab omnibus unanimiter, ne-
„ mine diſcrepante, præfata unio cum ſummo
„ gaudio, & devotione fuerat acceptata ſu-
„ peraddentes, quod Georgius, & Thomas
„ præfati, cum quibuſdam aliis, remittendi
„ erant per Principem eorum ad veſtram
„ Sanctitatem cum prædictæ unionis aſſenſu,
„ & receptione, arbitrantes eos in proximum
„ Paſcha debere hic nobiſcum eſſe. In quo-
„ rum aſſertionem, & confirmationem dixe-
„ runt, ſe velle ſequenti die Miſſam noſtram
„ audire, quam in Eccleſia Sancti Sepulchri
„ gratias immenſas divinæ Miſericordiæ de
„ hoc referentes, gaudio ingenti cum illis
„ ſolemniter celebravimus. Quod ego Bea-
„ titudini veſtrę pro ejus conſolatione ſingu-
„ lari, & Eccleſię univerſalis exultatione duxi
„ ſignificandum &c. Ex Sacro Conventu
„ Montis Sion, prima die Februarii, Anno
„ Domini MCCCCXLIV. *Hæc Gandulphus*,
qui plura alia addit in eiſdem literis, & præ-
cipuè de peractis cùm Soldano pro reædifica-
tione Eccleſiarum, & illatis minis, ſi detre-
ctaret: de pompa quoque, qua inceſſerant
prædicti Oratores in eadem Civitate, ac
honore eis præſtito tum à Chriſtianis, tum
à cunctis Sarracenis eandem Civitatem in-
colentibus, quæ nos omiſimus brevitati con-
ſulentes.

1158 Poſt hæc reperio apud Volaterra-
num in ſuis Diariis ſub Sixto Papa VI. Anno
Domini MCCCCLXXXI. poſt Annos circi-
ter XL. ab hac inita unione, Æthyopum Im-
peratorem miſiſſe Legatos, ſive Oratores ad
eundem Pontificem pro eadem inſtauranda
unione: „ Indiæ Regis, *inquit*, Oratores
„ per hos dies Urbem ingreſſi ſunt, habitu,
„ & pallio toti Orbi novitatem conſpicuo.
„ Ei comes erat Joannes Baptiſta Imolenſis,
„ magna populo ante apud Pontificem, &
„ Comitem & auctoritate, nunc nulla. Hos
„ ego non ab eorum Rege deſtinatos audio,
„ ſed ab ipſius Secretario, viro primario
„ Regni illius, cui deſiderium eſt fœdus, &
„ amicitiam inire cum Pontifice, & ritibus
„ Latinorum Chriſtianorum: at veri Chri-

Digitized by Google

,, ſtiani, tamen ſunt, quibus Rex ille impe- ,, ritat, quem nos Preſto Joannem (*lege Pre-* ,, *sbyterum Joannem*) vulgò dicimus, ſed ,, eorum ritus à noſtris admodum differunt, ,, Id ſuit præcipuum petitionum ſuarum, ut ,, cum eis Latinæ Legis, & Linguæ Epiſco- ,, pus mitteretur, qui, & ſacra noſtra illis ,, oſtenderet, & Chriſtanam Doctrinam in ,, eorum terris ſeminaret. *Hæc Volaterranus*. Ex quo liquet ſpatio quadraginta annorum jam defeciſſe à receptis in Synodo Florentina ab Eccleſia Romana inſtitutis.

1159 Anno inde Domini MDXXXIII. altera Legatio Regis Æthyopiæ miſſa eſt ad Clementem VII. fungẽte Legatione prædicta Franciſco Alvarez Cappellano Joannis Regis Luſitaniȩ cum literis credentialibus ejuſdem Regis Luſitaniæ, mandato & literis prædicti Æthyopiæ Regis, quæ omnia in publico Conſiſtorio habito à Pontifice Bononiæ die xxix. menſis Januar. exhibita ſunt, ut teſtatur Damianus Goez, inquiens: xxix. Januar. &c. ,, Duo Oratores Portugalliæ, & Æthyopiæ ,, magno comitatu in Conſiſtoriũ venerunt, ,, amboque venerabundi, & genuflexo. Pri- ,, mò Orator Portugalliæ literas ſui Regis ,, unà cum exemplis literarum dicti Regis ,, Æthyopiæ ad ſe, & claræ memoriæ Emma- ,, nuelem Patrem ſuum ſcriptarum, deinde ,, Æthyopicus Orator binas ſui Regis literas ,, eidem Sanctiſſimo Domino noſtro reddidit, ,, munuſculumque aureæ Crucis libræ ſer- ,, mè ponderis nomine ſui Regis obtulit, ,, Primò pedem deinde manum Sanctitatis ſuȩ ,, oſculatus, demùmque ad oris oſculum de ,, more receptus, Literæ hujus Æthyopica ,, conſcriptæ Lingua, in Luſitanam primò, ,, indeque in Latinam translatæ fuerunt, ,, Quæ literæ omnes per Secretarium dome- ,, ſticum ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri, ,, eo, quo infra ſcribentur ordine, lectæ, & ,, pronuntiatæ coram omnibus ſuerunt. *Hæc ille*; qui & alia ſubnectit, & inde præſatarum literarum tenorem recitat: inter quas & Epiſtola Eugenii IV. ſcripta Regi Æthyopiæ, cum hac inſcriptione: *Eugenius Romanus Pontifex, Dilecto filio noſtro Regi ex ſemine Jacob, Regi Regum in univerſa Æthyopia maximè metuenda &c.* Quam Rex Æthyopiæ ad ipſum Clementem remiſit, in ſignum receptæ unionis ſub præfato Eugenio Quarto, videri poſſunt hæc omnia apud præſatum Damianũ Goes tom. ſecundo Hiſpaniæ Illuſtratȩ pag. 1287. & ex eo apud Raynaldum ad hunc annum ſub num. 20. Extant inſuper ante Clementem VII. literæ Leonis Papæ X. eidem Regi datæ Anno MDXIV. ſub hac inſcriptione: *Davidi Regi Abiſſinorum*, miſſæ per Andream Corſalum Civem Florentinum, quibus laudat pro ſua erga Romanum Pontificem obſervantia, hortatuſque eſt eum, ut pro poſſe Chriſtianam Religionem propagare intendat. Cæterùm progreſſu temporis antiquis reaſſumptis erroribus, Æthyopes penitùs à veritate fidei, & ab unione Catholicæ Eccleſiæ receſſerunt. Eorum errores refert Thomas à Jeſu lib. 7. de converſione omnium Gentium, cap. 6.

1160 Armenis verò per aliquod tempus poſt publicatum unionis Decretum in ea permanſerunt, poſtea & ipſi receſſerunt, priſtinos reaſſumentes errores: ſub Paulo tamen III. eorum Patriareha iterum ſe univit, præſentialiter Romam venit, & ſuæ in Patriarcham electionis confirmationem expetivit Ann. Domini MDXLIX. ab eodem Pontifice, ut Acta Conciſtorialia ſub ipſo Paulo III. ferunt, ubi hæc habentur: ,, Romæ xxi. ,, Auguſti MDXLIX. ſuit Conſiſtorium, in ,, quo Reverendiſſimus Dominus Marcellus ,, tituli S. Crucis in Hieruſalem Presbyter ,, Cardinalis fecit verbum de quodã Patriar- ,, cha Armeno, qui ſuperioribus diebus ad ,, Urbem venerat, & qui ſe offerebat præſtare ,, obedientiã Sanctitati ſuæ, & Romanæ Ec- ,, cleſiȩ, petens electionem de perſona ſua in ,, Patriarcham Armeniæ à Populo celebra- ,, tam, per Sanctitatem ſuam approbari, & ,, fuit commiſſum negotium eidem Reveren- ,, diſſimo Marcello Cardinali, necnon Reve- ,, rendiſſimis de Creſcentiis, & Sfondrato. *Hæc ibi*. Anno poſtea MDLXI. in Conſiſtorio habito ſub Pio IV. die xxvi. menſis Februarii collatum fuit ab ipſo Pontifice Pallium Archiepiſcopo Maxeamanau in Armenia, id quod indicat Armenos adhùc fuiſſe unitos. Et ſub eodem Pontifice ad Urbem venit Anno MDLXII. Abdiſu olim Archiepiſcopus Geziræ in Inſula Tigris, quem Pontiſex Primatem, & Patriarcham Armenorum conſtituit, prout tradunt Pontificiæ literæ datæ Archiepiſcopo Nachiſivanenſi, apud S. Pertum die xxiii. Julii ejuſdem anni. Et Anno MDLXIV. Michael Armeniorum Patriarcha miſit Oratores ad Pontificem Piũ IV. eumdem pro inſtauranda unione, qui Orator nomine ſuo, ſuæque nationis, & Patriarchæ fidei profeſſionem emiſit Catholicæ fidei conſonam. Extant hujus Patriarchæ literæ, & fidei profeſſio apud Raynaldum ad hunc annum ſub num. 51. ſed poſtea iterum & iſti defecerunt, & in priores ac alios lapſi ſunt errores; Idem Thomas à Jeſu lib. 7. cit. cap. 23. communes recenſet Jacobitarum, Cophtorum, Abyſſinorum, & Armenorum errores.

1161 De Jacobitis verò, eos quoque lapſu temporis à recepta in Synodo Florentina fide Catholica receſſiſſe tradit Pius IV. qui ſcribens Heemæ illorum Patriarchæ, ipſum ſolicitans ad inſtaurandam cum Eccleſia Romana initam in Synodo Florentina unionem, inter alia ait: ,, Optaremus admodum ,, nationem iſtam Jacobitarum in ea unione ,, manſiſſe cum Sancta Romana Eccleſia, quæ ,, conciliata ſuit, ut ſcire te credimus, ſa- ,, croſanctæ Synodi Florentinæ tempore,

Digitized by Google

„ quæ à fœlicis recordationis Eugenio Pa- „ pa IV. prædeceſſore noſtro congregata fuit, „ ſed quia propter magnam mutationem re- „ rum, & temporum varietate interrupta „ fuit, fraternitatem tuam in Domino horta- „ mur, & monemus, ut eam excolere poſtea „ ſtudeas &c. *Data ſunt literæ Romæ apud S. Marcum die* XXIII. *Julii, Anno MDLXII.* Sed ſine fructu, ut puto, quoniam mihi non conſtat præfatam nationem iterum reunitam eſſe, quæ in ſuis erroribus adhùc inſordeſcit.

1162 Denique per id, quod ſpectat ad Græcos, in primis Marcus Epheſius, qui in ipſa Synodo Florentina plures habuit diſputationes, & ad extremum ultimis ſeſſionibus intereſſe noluit, ſtatim contradixit initæ unioni, ac libellum contra Synodum Florentinã ſolis refertum calumniis, in Græciam & Orientem univerſum evulgavit, hac utens arte, nè Græci Orientales, qui Synodo non interfuerant, Decretum unionis reciperent. Et licèt Joſeph Epiſcopus Methonenſis, & Gregorius Protoſyncellus, & Patriarcha Apologeticum ſcripſerint contra calumnias Marci Epheſii, & poſtea Gennadius Scholarius, qui fuit Patriarcha, tomum compoſuerit in defenſionem Concilii Florentini, prævaluit tamen unus Epheſius apud Græcos inveterato odio Latinos moleſtè ferentes. Joannes porrò Palæologus Imperator, cujus curæ erat, nèdum tantùm motivo Religionis, verùm & ſui honoris cauſa, qui perſonaliter interfuerat, Actiſque, & Decreto ſubſcripſerat, agere ut in univerſa Græcia, & Oriente tam ſalubre Decretum executioni demandaretur, neglexit, & admodum tepidè ſe geſſit, de cujus negligentia ac tepiditate conqueſtus eſt Eugenius cum Conſtantino Deſpota Joannis fratre, qui in hac re majorem fratre ſuo prędicto oſtendebat pietatem, datis eidem ſequentibus literis.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio & excellenti Conſtantino Deſpoto Palæologo, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

1163 „ Quanto deſiderio, & animi fer- „ vore ob Dei reverentiam, zeloque catho- „ licæ Fidei cupiat devotio tua, ut ſancta „ hæc Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ „ unio, Domini, & Salvatoris noſtri Jeſu „ Chriſti gratia nuper tam ſolemniter, ritè, „ & concorditer celebrata, debitum iſtic „ in Conſtantinopoli, & in cæteris Græciæ „ partibus ſortiatur complementum, literæ „ Venerabilis Fratris Chriſtopori Epiſcopi „ Coronenſis Oratoris noſtri, & plurimo- „ rum Orthodoxorum virorum relationis „ nobis, & Apoſtolicæ Sedi nunciaverunt. „ Nam in ea cauſa, licèt per chariſſimum in „ Chriſto Filium noſtrum Palæologum Ro- „ mæorum Imperatorem hactenus ſatis tenuę „ & tepidè ſit proceſſum, tua tamen Celſitu- „ do rem ipſam locum, & perfectionem ſuam, „ quantùm in ſe fieri poteſt, habere vult, „ & intendit. Idcirco in manus præfati Epi- „ ſcopi Oratoris, noſtro & Apoſtolicæ Sedis „ nomine recipientis, ſupra pectus tuum „ pollicitus ea, teipſum in futurum omnem „ operam daturum, quo prædicta unio ſic, „ ut præfertur, & omnia, quæ illius perfe- „ ctionem poſtulant, impleantur, completa- „ que, in ſuo robore & firmitate permaneant. „ Quorum omnium gratia, dilecte fili, nos „ & Apoſtolica Sedes primùm bonitati divi- „ næ, quæ illa pectori tuo inſinuavit; tum „ filiali tuæ devotioni, quæ inſinuata reti- „ nuit, & retinet, plurimùm congratulamur, „ ſimulque cupimus quouſque res devotioni „ tuæ gratas efficere, & operari: volumuſque „ propterea in præſentiarum aliquas facere „ ſaltem tibi pro gratitudinis memoria.

1164 „ Igitur, favente Deo, cujus cau- „ ſam in hac Sanctiſſima re proſequeris, & „ proſequi, ut præfertur, intendis, ſi te in „ futurum quandoque in Romæorum Im- „ perio hujuſmodi ſuccedere, aut quovis „ modo præſidere, & Imperatorem creari „ contigerit, & ſtabilimento præfatæ unio- „ nis, cum publicatione, & lectione Decreti „ dederis debitum, ut præfertur, comple- „ mentum, Devotioni tuæ per præſentes „ noſtro, & Apoſtolicæ Sedis nomine polli- „ cemur auxilia illa, ſubventiones, & ſubſi- „ dia, quæ Chariſſimo in Chriſto filio Im- „ peratori præfato pro tuitione, & defenſio- „ ne Civitatis Conſtantinopolis polliciti „ ſumus, quæque illius culpa, & tepeditate „ impleri non potuerunt, in teipſum, & per- „ ſonam tuam, tunc in prædicto tempore prę- „ ſidentem, & ut prædiximus, unionem hu- „ juſmodi jam prius per te perfectam, & „ illic in ſua firmitate manutenere, ac de- „ bitis proviſionibus adimplere. Illud etiam „ addentes, ut nunquam Romanam Eccle- „ ſiam, & Apoſtolicam Sedem tibi defutu- „ ram eſſe dubites, eidem debitam & devo- „ tam reverentiam exhibendo, dum etiam „ per ſemitam juſtitiæ inceſſeris, atque „ unionis hujuſmodi ſacroſanctę neceſſarium „ complementum tam fideliter, quàm poten- „ ter adhibueris. Datum Florentiæ Anno „ Incarnationis Dominicę MCCCCXLI. XI. „ Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno XI. *Hæc Eugenius.* Joanni porrò Palæologo per quemdam Oratorem ad ipſum Pontificem deſtinatum petenti auxilium contra Turcas, reſpondit, ut infra.

Digitized by Google

Chariſſimo in Chriſto Filio Joanni Palæologo Imperatori Romæorum Illuſtri, ſalutem.

1165 „ Acceſſit ad præſentiam noſtram
„ dilectus filius nobilis vir Andromen Taga-
„ ris Orator Serenitatis tuæ, quem hilari
„ vultu & libenti animo accepimus. Idem
„ autem ex his, quæ nobis retulit præcipuè
„ charum habuimus, quod pro tua ſolita
„ corporis qualitate benè valere aſſeveravit,
„ Quantùm autem ad apparatum Claſſis pro
„ explicatione adversùs Turcas pertinet, de
„ quo nos idem Orator tui ex parte requiſi-
„ vit, diligentem ei rei operam dedimus,
„ continuòque damus, prout Orator ipſe ple-
„ nè informatus à nobis tuæ, Celſitudini la-
„ tiùs reſerabit; hodieque à nobis hinc receſſit
„ dilectus filius noſter Franciſcus tituli San-
„ cti Clementis Presbyter Cardinalis Sanctæ
„ Romanæ Eccleſiæ Vice Camerarius, quem
„ ob hanc dumtaxat cauſam, ad partea Græ-
„ ciæ Legatum noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis
„ transmittimus, à quo cùm eamdem Sere-
„ nitatem ipſum convenire continget, eris
„ de occurrentibus ſingulis pleniſſimè infor-
„ matus. Reliquũ eſt, ut Jeſum Chriſtum Do-
„ minum noſtrum ſincero corde exoremus, ut
„ opus iſtud pro ſui ſacratiſſimi nominis ho-
„ nore incœptum proſpero eventu ſecundare
„ dignetur. Quo autem vota noſtra magis
„ æquis & propritiis auribus exaudiat Om-
„ nipotens Deus, curavè omni ope & diligen-
„ tia velit Excellentia tua, quod negotium
„ unionis, quam tantis laboribus & expenſis
„ partam fuiſſe noſti, fœlicioribus in dies ſuc-
„ ceſſionibus amplictur. *Datum Senis* III.
„ *Idus Junii, Anno XIII.* Verùm Palæologus
monita Pontificis parùm attendit, nihilo in-
tenſiùs agens ac pridem, non ſolùm parùm
curans, ut Synodalia Decreta executioni de-
mandarentur, ſed etiam diſtulens illorum pu-
blicationem: ac interea Græci imbuti falſiia
ab Epheſio evulgatis calumniis, incœperunt
iterum accuſare Romanam Eccleſiam, quaſi
duo principia Spiritua Sancti crederet, ex eo
quod à Patre & Filio procedere decreviſſet,
prout ex literis ejusdem Eugenii datis Pa-
triarchis, Archiepiſcopia, Abbatibus, Docto-
ribus, & Magiſtris per Orientem conſtitutis,
apparet, ſcribens, ut infrà.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabilibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Abbatibus, Doctoribus, & Magiſtris per Orientem conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

1166 „ Et ſi Chriſtus Salvator noſter
„ continuò immenſa ſuæ benignitatis & Cle-
„ mentiæ dona erga populum Chriſtianum
„ oſtenderit, in hac tamen ſacroſancta œcu-
„ menica & Deo amabili Synodo Florentina
„ præcipuè pietatis & charitatia dudùm lu-
„ men refulſit. Inter Occidentalem & Orien-
„ talem Eccleſiam miro & ineffabili ipſius
„ Salvatoris noſtri munere unionem ſecutam
„ fuiſſe conſpeximus. In qua Synodo nobis,
„ auctore Domino, præſidentibus, cum ſæ-
„ pius ex utraque parte doctiſſimorũ & gra-
„ viſſimorum tàm Venerabilium Fratrum no-
„ ſtrorum Sanctæ Ramanæ Eccleſiæ Cardi-
„ nalium, quàm aliorum Prælatorum, ac Ma-
„ giſtrorum adeſſet multitudo copioſa ad in-
„ vicem diſputantium, omnis tandem opi-
„ nionum differentia, omnisque diſſenſio præ-
„ cipuè & ſingulariter de proceſſione Spiri-
„ tus Sancti, quæ quadringentos circa an-
„ nos, colluctatore generis humani procu-
„ rante, permanſerat, ipſo Spiritu Sancto
„ illuminatore ſublata, atque ſopita extitit,
„ prout in Synodali Decreto ſuperinde con-
„ fecto clariſſimè continetur. Et quamquam
„ fides, quam Romana Eccleſia de proceſſio-
„ ne Spiritus Sancti ſemper tenuit, ex eia,
„ quæ in prædicta Synodo diffinita ſunt, lu-
„ ce meridiana clarior ſplendeat; tamen quia
„ adhùc nonnullos eſſe in Oriente intellexi-
„ mus, qui ex hoc, quod Romana Eccleſia
„ ex Patre, Filioque procedere Spiritum San-
„ ctum profitetur, eam tenère & credere opi-
„ nantur Patrem & Filium duo eſſe principia
„ Spiritus Sancti. Quorum vanam & impiam
„ opinionem tam vehementiùs admirati ſu-
„ mus, quantò lucidiùs omnis Chriſti Eccle-
„ ſia cognoſcit, à præſata Romana Eccleſia
„ illud alienum ſemper fuiſſe, & tamquam
„ erroneum ac impium extitiſſe ſemper da-
„ mnatum. Hanc pravam & impiam opinio-
„ nem extinguere cupientes, univerſos vos
„ exhortamur, atque requirimus, ut veram
„ Eccleſiæ Romanæ doctrinam illis aperire
„ & prædicare velitis. Præfata namque Ro-
„ mana Eccleſia omnium fidelium Mater at-
„ que Magiſtra, tàm ex veritatis ſententia,
„ & auctoritatibus Sanctorum Doctorum,
„ quàm ex Canonibus per ipſam editis tàm
„ in œcumenico Florentino, quàm Lugdu-
„ nenſi, aliisque pluribus Conciliis promul-
„ gatis, fideli ac devota confeſſione ſemper
„ prædicavit, & docuit, docet & prædicat,
„ quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre
„ & Filio, non tamquam ex duobus princi-
„ piis, ſed tamquam ex uno principio; non
„ duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione
„ procedit. Hæc eſt, Venerabilea Fratres,
„ pura, ſimplex, & Catholica fidea, quam
„ prædicta Sacroſancta Romana Eccleſia, quæ
„ sẽper Beatiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo
„ protectoribus immaculata permanſit, con-
„ tinuò prædicavit & docuit. Contrarium
„ hujus veritatis & fidei tenentes & aſſeren-
„ tes damnavit, & nos de Venerabilium Fra-
„ trum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Car-

„ Cardinalium conſilio & aſſenſu, de novo
„ Apoſtolica auctoritate damnamus, repro-
„ bamus, & excommunicamus & anathema-
„ tizamus, ac pro damnatis, reprobatis, ex-
„ communicatis & anathematizatis habemus,
„ tenemus & reputamus, ab omnibus teneri,
„ haberi, & reputari decernimus, & decla-
„ ramus, ac eos cũ execrabilis memorię Ario,
„ Manicheo, & Marcione, certiſque aliis
„ divinam veritatem pervertere conantibus
„ annumeramus. Datum Romæ apud San-
„ ctum Petrum Anno Incarnationis Domini-
„ cæ MCCCCXLIV. quarto Nonas Martii,
„ Pontificatus noſtri Anno XIII. *Hactenus Eugenii literæ*.

1167 Poſt hæc, & alia egregiè geſta, ad ſuperos evocatus Eugenius, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt Anno Dñi MCCCCXLVII. die XXIII. menſis Februarii, Indictione X. Friderici III. Romanorum Regis Anno VIII. Joannis verò VII. Palæologi Anno XXIV. ſepultus eſt in Eccleſia Sancti Petri, inde translatus ad Eccleſiam S. Salvatoris in Lauro. Vixit in Pontificatu Annos XV. menſes XI. diem verò unum. Cujus funebribus abſolutis, Domini Cardinales Conclave ingreſſi apud S. Mariam ſuper Minervam, nulla ferè interpoſita mora, non ſine Divino nutu, decima die ab Eugenii obitu univerſi Patres conſenſerunt in D. Thomam tituli Sanctæ Suſannæ Presbyterum Cardinalem, Patria Bononienſem, nuncupatum Cardinalem Firmanum. Creatus eſt die VI. Martii, coronatus verò die XVIII. ejuſdem, nomenque ſibi indidit Nicolai V. Hic in exordio ſui Pontificatus, inter plura, cùm accepiſſet in Inſula Cypri, ac in aliis partibus, ad labefactandum ſacroſancti Concilii Florentini Decretũ unionis Græcorum, Dœmonis aſtutia, à ſeductoribus evulgatum fuiſſe, Græcos in præfato Concilio nullo pacto confeſſos fuiſſe illos Articulos, ſuper quibus erat vetus diſcordia, ſcripſit Andreæ Epiſcopo Nicoſienſi Apoſtolicæ Sedis Legato, ut reprimeret ſeductorum audaciam, infraſcriptas literas.

Venerabili Fratri Andreæ Archiepiſcopo Nicoſienſi Apoſtolicæ Sedis Legato miſſo, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

1168 „ Cùm te ad Regnum Cypri, in
„ Inſulam Rhodi, ac nonnullas alias Inſulas,
„ & loca pro nonnullis arduis Dei honorem,
„ catholicæ Fidei incrementum, ſtatum etiam
„ noſtrum, & Romanæ Eccleſiæ, ac tranquil-
„ litatem & bonum ſtatum partium illarum
„ concernentibus exequendis negotiis Apoſt.
„ Sedis Legatũ miſſum cum poteſtate Legati
„ de latere, tamquam pacis Angelum præſen-
„ tialiter deſtinemus, & ſicut accepimus in
„ partibus illis ſint plerique Chriſti ſanguine
„ mercati, tenebrarum Principis aſtutiis ſe-
„ ducti, auſu temerario dicentes, & pertina-
„ citer tenentes, Græcos in Concilio Flo-
„ rentino non confeſſos fuiſſe articulos, ſuper
„ quibus erat vetus diſcordia inter dictos
„ Græcos, & Latinos, immo è contrario affir-
„ mantes, ut Latini ſcilicet annuerint Græ-
„ corum erroribus, nonnulli etiam alii ſint
„ pertinaciter tenentes Latinos nuper à Græ-
„ cis didiciſſe, quod in Chriſto ſunt duæ vo-
„ luntates, & duæ operationes; inſuper qui-
„ dam alii pertinaciter contendentes, dicen-
„ tes Capitula cõtenta & concordata in præ-
„ fato Concilio Florentino inter Latinos, &
„ Armenos, eſſe contraria Catholicæ fidei, &
„ nullo modo recipienda in animarum ſuarũ
„ periculum, Chriſtianæ fidei confuſionem,
„ ac pernicioſum exemplum plurimorum: nos
„ attendentes, quod noſtra præcipuè intereſt
„ ſuper hoc de opportuno remedio providere,
„ fraternitati tuæ, de qua in iis, & aliis ſpe-
„ cialem in Domino fiduciam obtinemus, tua
„ Legatione durante, de & ſuper præmiſſis
„ omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis
„ univerſis auctoritate Apoſtolica inquiren-
„ di, ac contra omnes & ſingulos ſupradictos
„ talia præſumentes, cujuſcumque dignita-
„ tis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis,
„ & præeminentiæ fuerint, tanquam contra
„ hæreticos ſummariè, ſimpliciter, & de pla-
„ no ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti
„ veritate inſpecta, procedendi, necnon illos
„ capi faciendi, examinandi, & ſi eorum ex-
„ ceſſuum, qualitates exegerint, carceribus
„ mancipandi, pœnis debitis juxta Canoni-
„ cas ſanctiones puniendi & corrigendi, con-
„ tradicentes quoslibet & rebelles per cen-
„ ſuram Eccleſiaſticam, & alia opportuna ju-
„ ris remedia, invocato ad hoc, ſi opus fuerit,
„ auxilio brachii ſæcularis, compeſcendi,
„ necnon omnia alia & ſingula, quæ in præ-
„ miſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria
„ vel opportuna fuerint, faciendi & exequen-
„ di, plenam & liberam, auctoritate præfata,
„ tenore præſentium concedimus facultatem,
„ non obſtantibus quibuslibet privilegiis &c.
„ *Datum Romæ apud S. Petrum Anno &c.*
„ III. *Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo*.

1169 Anſam hujuſmodi impiis ſermocinationibus præbuit Imperatoris negligentia, non curantis, nec operam dantis, ut Decretum unionis publicaretur in Oriente; eo namque patefacto & publicato, conſtitiſſet ſatis cunctis, an Græci conſenſiſſent Latinorum Fidei orthodoxæ, num verò Latini adhæſiſſent erroribus Græcorum. Hoc enim fuit ſummum malorum, quod Epheſius ſceleſtiſſimus, & qui ei favebant, non ceſſabant in dies novas evulgare calumnias contra acta præfatæ Synodi, quæ in occulto latebant, ſive in Patriarchio, ſive in ſcrinio Imperiali, Orientalibus, qui Concilio non interfuerant, prorsùs ignota. Obiit tandem Imperator nondùm evulgato

De--

Digitized by Google

Decreto, de cujus obitu sit Frantzes lib.2. cap.19. in fine: *Trigeſimo primo Octobris 6957. Chriſti* 1449. *Imperator Joannes vitæ curſum explevit, annos natus ſeptem & quinguaginta, menſes decem, dies quindecim, primoque Novembris in Monaſterio Pantocratoris funeratus eſt, poſtquam imperavit annos viginti tres, menſes totidem, dies decem*, computans annos à Patris obitu. Cujus loco Imperium adeptus eſt Conſtantinus Deſpota Joannis Frater, & hujus nominis X. Qui nec perfecit, quæ ſponderat Eugenio, ſed Fratris veſtigia ſecutus, remiſſius egit factus Imperator, quam antea. Accidit primo ſui Imperii anno Amurathis obitus propè Crojam in Epiro, qui cùm eſſet, & Græcis, & cunctis Chriſtianis formidoſiſſimus ob bellandi artis peritiam, ejus obitus cunctis lætitiam attulit, Græcis maximè exiſtimantibus ſe jam ab omni exemptos periculo, unde quaſi non ampliùs indigerent Latinorum auxilio, initam unionem prorsùs contempſerunt.

1170 Itaque Anno Domini MCCCCL. vita jam functo Joanne Palæologo, imperante Conſtantino Dracoſe, ſui Imperii Anno Primo congregata eſt Conſtantinopolis Pſeudoſynodus in Templo S. Sophiæ, ut refert Leo Allatius lib.3. de perpetua Eccleſiæ Occidētalis, & Orientalis conſenſione, contra œcumenicam Florentinam Synodum, quam Pſeudoſynodum ſchiſmatici appellabant, cui interfuerunt Patriarcha Conſtantinopolitanus, alter Alexandrinus, Antiochenus quoque, & Hieroſolymitanus, ac complures Epiſcopi, inter quos ille Marcus Epheſius, qui ſemper contradixit Florentino Concilio. Quatuor congreſſibus abſoluta eſt hæc Pſeudoſynodus. In primo tertiò vocatus Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus (nam bis antea vocatus fuerat, & noluit accedere) accerſitus eſt, & quoniam approbat dogma Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, lata in eum ſententia, ſolio exturbatus eſt, ſubſtituto Athanaſio, qui actis Synodi Florentinæ unà cū Marco Epheſio, & Heracleenſi ſubſcribere noluit. In ſecundo congreſſu plura dicta ſunt contra Latinos, deinde Patriarcha, & alii Epiſcopi faſſi ſunt ſe coactos ab Imperatore, & ſpe auxilii deceptos, & nè expenſis redeundi in Patriam privarentur, ſubſcripſiſſe. In tertio congreſſu propoſita ſunt Latinorum argumenta de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio, quæ, quantùm in eis erat, ſolvere conati ſunt, concludentes denique Patriarchæ, ſe habere fidem ex Sanctis Patribus, & ſeptem œcumenicis Conciliis ſufficientem, ac eam non eſſe immutandam. Denique in quarto congreſſu diſputatum eſt de auctoritate Papæ in Orientales, & in alias Eccleſias univerſas, de igne Purgatorio, de fruitione Sanctorum, & de verbis conſecrationis, & reaſſumentes priſtinos errores, cuncta in Synodo Florentino conſtituta irrita fecerunt: & inde ſchiſmaticorum more, multa contra Latinos effutierunt quaſi violatores ſacrorum & Eccleſiaſticorum Canonum.

I. Quia non pingunt Imagines Archetypis ſimiles.

II. Quia ſæculares cantus, & modulos Eccleſiaſticis Pſalmodiis accomodant.

III. Quia in Eccleſiis maſculos, & fœminas ſimul confundunt, nec ſine ſcandalo.

IV. Quia Eccleſiaſticis nuptias prohibent.

V. Quia non orant ad Orientem.

VI. Quia in azimo Sacrificium conficiunt.

VII. Quia quidquid Deo ineſt ſubſtantiam eſſe aſſerunt, & lumen, quod in Taborio Monte apparuit, creaturam eſſe ſuſpicantur.

VIII. Quia Papa Crucem ſupra pedem effigiat, quam Chriſtus ſuper humeros tulit.

IX. Quia cubantem Myſteriorum participem faciunt, nec debita reverentia circa ea utuntur.

X. Quia mercedem à Meretricibus accipiunt.

XI. Quia Sabbato jejunant, carneſq; comedunt feria quarta.

XII. Quia contra decreta ſeptimæ Synodi Deum Patrem coloribus exprimunt.

XIII. Quia dum ſe Cruce ſignant, initium faciunt à parte ſiniſtra.

XIV. Quia Papa ſæcularem poteſtatem ſibi uſurpat, cùm, ſucceſſione à Chriſto nullam ipſe habeat.

XV. Quia, ſi exhibeantur pecuniæ, Papa à jejunio Chriſtianos abſolvit.

XVI. Quia contra Sacræ Scripturæ ſancita, concedunt parentibus primogenitum tantùm hæredem facere.

XVII. Quia cultum Latriæ exhibent Imagini Chriſti, & Cruci, qui ſoli tradi Verbo Dei, & homini debet.

XVIII. Quia adorant ſculptilia.

XIX. Quia Sacerdoti ſcortatori permittunt, ut Miſſam celebret.

XX. Quia gradus nuptiarum conſervant.

XXI. Quis non ſtatim Chriſmate caput inungunt baptizati, ut eſt divina traditio.

XXII. Quis non orant ſtantes Sabbato, & Dominica.

XXIII. Quia comedunt ſuffocata.

XXIV. Quia pœnis temporalibus puniunt eos, qui circa fidem delinquunt.

XXV. Quia non præcipiunt iis, qui injuriam faciunt, veniam petere ab eo, qui accipit, ſed manere in illis odium perpetuum ſinunt.

1171 Hæc ſunt calumniæ in Latinos pronunciatæ in præfata pſeudoſynodo, ad quas ſecuta eſt definitio, his verbis concepta:
,, Athanaſius, miſeratione divina, Epiſcopus
,, Conſtantinopolitanus novæ Romæ, & œcumen-

,, menicus Patriarcha &c. (*Et ſequuntur alio-*
,, *rum Patriarcharum, & Epiſcoporum nomi-*
,, *na.*) Omnes unam confitemur ſupervaca-
,, neam eſſe additionem in Symbolo, neque
,, enim indiget correctione ſeptem Synodo-
,, rum Symbolum, nec deficiens eſſe ad ſalu-
,, tem; Spiritum procedere ex Patre, & non
,, ex Filio, ſolamque cauſam eſſe Patrem ſub-
,, ſiſtentiæ Filii, & Spiritus; Papam, ſi or-
,, thodoxus fuerit, cum aliis quatuor Patriar-
,, chis Synodum conſtituere, & præcedere
,, alios ordine, & non dignitate, quaſi illius
,, legibus illi ſubiicerentur; ſolam autem Sy-
,, nodum univerſalem conficere, & non Pa-
,, pam, veluti Monarcham; Sanctos intueri
,, Deum, ſed non perfectè ante judicium,
,, liberationem fieri in Inferno, & non in igne
,, purgatorio extra Infernum; ſecundùm eſ-
,, ſentiam tranſmutationem fieri à Triade,
,, & Dominicis verbis poſt preces Sacerdotis
,, conducentis, & illius velut organi ad ſa-
,, cram actionem. *Hæc in Decreto.* Ac ita
renovatum eſt in univerſa Græcia antiquum
ſchiſma. At cùm Græci, licèt defuncto Amu-
rathe Turcharum Principe, ſub Mahomete II,
illius ſucceſſore, & in crudelitate, & in Re-
gno pari pondere premerentur, Conſtantinus
Græcorum Imperator, diſſimulans antefatæ
Pſeudoſynodi geſta, miſſo ad Nicolaum Pa-
pam Oratore, datiſque literis, primò cona-
tus eſt excuſationes quaſdam exponere pro
nondùm publicato unionis decreto, ac deinde
auxilia Latinorum contra irruentes Turcos
imploravit, cui præfatus Nicolaus hanc fecit
reſponſionem, videlicet,

Nicolaus Epiſcopus &c. Chariſſimo in Chriſto filio Conſtantino Romæorum Imperatori Illuſtri, ſalutem.

1172 ,, Oratorem tuum nobilem virum
,, Andronicum Brienium Leonardum, quem
,, ad nos Serenitas tua miſit, gratiſſimè re-
,, cepimus, & lectis literis tuis, ipſum gratiùs
,, audivimus, nam gratiſſimè & prudentiſſi-
,, mè omnia ſibi à tua Serenitate commiſſa
,, ſerioſiùs explicavit. Intelleximus tum ex
,, verbis ſuis, tùm ex literis, quas animi tui
,, teſtes, ac deſiderii miſit ad promulgandum
,, decretū unionis in univerſali Synodo Flo-
,, rentina promulgatum. Intelleximus præ-
,, terea, quibus impediaris, nè hoc tuum de-
,, ſiderium compleretur. Cogitavimus, &
,, cum Venerabilibus fratribus noſtris Sanctę
,, Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſæpè con-
,, ſultavimus, utrum impedimenta illa tantæ
,, retardationis veriſimilia eſſe viderentur, &
,, niſi novitas exaltationis tuæ ad Imperium
,, moram illam veriſimilem effeciſſet, credi-
,, diſſemus tam per Oratorem tuum, quàm
,, per literas magis verbis, quàm rebus ſatiſ-
,, factum iri. Accipe igitur, chariſſime fili,
,, quæ dicturi ſumus, tanquam ab amantiſſi-
,, mo animo, quàm verè, & liberè te alloquen-
,, tem deputa.

1173 ,, Nam nos minimè verſamur in du-
,, bio, Joannem Palæologum tibi in Imperio
,, prædeceſſorem, fratrem, & germanum tuū,
,, ſi voluiſſet pro data ſibi à Deo prudentia
,, hanc rem ad felicem conſummationem per-
,, ducere potuiſſe; Verumtamen cùm illa ni-
,, mis cogitat hanc rem temporali ſtatui ſuo
,, coaptare, de medio ſublatus eſt. Voluit
,, divina providentia te ſucceſſorem ſuum ſibi
,, in Imperio ſubrogare; Serenitati nunc tuæ
,, providendum eſt, nè rem diutiùs protra-
,, hendo efficiaris conſors reatus, & pœnæ.
,, Neſcimus, ſi religioſè de Chriſtiana Reli-
,, gione cogitamus, in Regno Cœlorum lo-
,, cum dari poſſe iis, qui à chriſtiana unitate
,, diſſentiunt, nam de facto primariò quod-
,, dam exordium Chriſtianæ Religionis eſt
,, Symbolum profiteri, in quo unam San-
,, ctam, & Catholicam confitemur Eccleſiam,
,, quæ profectò una eſſe nòn poterit, niſi
,, unius Capiti omnia ejus membra reſpon-
,, deant, quo dirigente, & vicem illius æter-
,, ni Pontificis obtinente, qui regnat in Cœ-
,, lis, neceſſe eſt illius myſtici corporis mem-
,, bra ad ſua miniſteria moveantur, ut ſi rectè
,, cogitare velimus, quòd duos Principatus
,, ſimili forma viventes, tamen propriis Re-
,, gibus etiam Imperatoribus ſervientes, unū
,, non eſſe permittetur Imperium; intellexi-
,, mus enim diverſi ſtatus Imperii inde pro-
,, dire rationem, quòd diviſa Capita ſibi non
,, ſubordinata, ſed quaſi de poteſtate con-
,, tendentia unum eſſe non patiuntur Im-
,, perium.

1174 ,, Ex quo facillimè datur intelligi,
,, unam non poſſe Eccleſiam confici ex iis,
,, qui uni Capiti ſubeſſe recuſant; nec aliquid
,, eſt, quòd ita evidenter, vel politicè, vel
,, Imperii arguat unitatē, quàm unitas Prin-
,, cipatus; nec unica forma, vel finis unio-
,, nis diverſis Principatibus poſſunt eſſe com-
,, munia; unionis autem motor efficiens, vel
,, ductor ſupremus ex neceſſitate unum ar-
,, guit Principatum: Ergò omnis, qui unam
,, confitetur Eccleſiam, quæ in toto Orbe
,, diffuſa eſt, oportet, ut unum agnoſcat Ca-
,, put totìus militantis Eccleſiæ, cui parère,
,, & obedire teneatur, illum recognoſcens
,, etiam Pontificis Jeſu Chriſti Domini no-
,, ſtri vicem tenère io terris, & cui parère
,, neceſſe ſit. Ergò, qui vult verè Symbolum,
,, & unam Sanctam Eccleſiam Catholicam
,, profiteri, teneat unum eſſe Caput Eccle-
,, ſiæ militantis, cui obedire neceſſet ſit; nec
,, unquam in Dei Eccleſia ſchiſmata ſurre-
,, xerunt, niſi ex his, qui huic Capiti ſub-
,, eſſe noluerunt. Extra Eccleſiam non eſt ſa-
,, lus: qui non fuit in Arca Noe, diluvio in-
,, teriit, & graviùs punita ſunt ſchiſmata,
,, quàm alia quæcumque peccata, nam in
,, Core, Dathan, & Abiron, qui ſchiſma in

Dei

Digitized by Google

„ Dei populo moliti ſunt graviùs, & ſeveriùs legimus vindicatum, quàm cum iis, qui Idololatriam commiſerunt.

1175 „ Nunc ergo, Sereniſſime Princeps, intuere ſtatum præſentium temporum, & animadverte diligenter, quo pacto fieri potuit, ut divina providentia tantam nationem ſub uno Imperatore tam effuſum habente Imperium, quæ olim abundavit innumerabilibus ſanctiſſimis, & doctiſſimis Viris, inpræſentiarum ad id miſeriæ devenire permiſerit, ut ſit miſerrima omnium gentium, quod profectò tam evidens eſt, quòd negari non poſſit. Intelligemus profectò magnum eſſe hoc ſacrilegii genus, quod divinam clementiam in tantam iram, indignationemque concitavit. Et quia vehementer angimur Græciam omnem eo perveniſſe, ut ferè totam inimicis Crucis Chriſti parère neceſſe ſit, credimus ea, quæ dicimus Serenitati tuæ eſſe nota, ut notiora fieri non poſſint, magnum eſt hoc, & valdè magnum demeritum, quod divino judicio tantæ nationi, tam præclaræ, tam glorioſæ, tam diuturna, tamque gravis captivitas injecta ſit.

1176 „ Ergò aliquandò cogitandum eſt, quænam potuerit eſſe cauſa digna horum malorum; propter duo enim maxima peccata gens Hæbrea, quæ erat populus à Deo electus, ſibique peculiaris, gravi captivitate punita eſt. Primò, propter Idololatriam à Regibus Aſſyriorum decem Tribus in Mediam translatæ ſunt, deinde Regem Juda cum duabus reſiduis Tribubus Reges Chaldæorum in Babylonem deduxere, quæ uſque ad ſeptuaginta annos in captivitate manſerunt. Secundò, propter ſacrilegium, quod in Dei Filium incarnatum commiſerunt, cùm à Principibus Romanis Veſpaſiano, & Tito Hieroſolyma ſubverſa eſt, & omnis regio Judæa in Romanorum ditionem translata eſt, Itaut nationi illi univerſi Orbis uſq; in hanc diem exilium concedatur. Credimus Græcos, poſtquam Fidem catholicam ſuſcepère, nec ad Idololatriam declinaſſe, nec in Dei Filium ea piacula commiſiſſe, quibus in Turcharum captivitatem divina ultione pervenerint. Ergò ſubeſt aliud ſacrilegii genus, quod divina juſtitia impunitum eſſe non ſinit, diligenter inquirentibus, quantùm cordis humani valeat infirmitas intueri, licèt intelligere hanc captivitatem nõ aliundè profectam, quàm ex reatu ſchiſmatis, quod, auctore Photio, tempore Nicolai I. ſumpſit exordium, & eò uſque inveteratum eſt, ut uſque ad tempora iſta pervenerit. Dolenter & anxiè iſta proferimus, & vellemus æterno damnare ſilentio: verùm ſi opera medicantis expectas, oportet, ut vulnus tuum detegas.

1177 „ Ecce jàm ferè quingenti anni tranſiere, ex quo Sathan princeps, & actor omnium peccatorum, & maximè ſchiſmatis, & diviſionis inductor, ab obedientia Romani Pontificis, qui Petri ſucceſſor eſt, & Jeſu Chriſti Domini noſtri Vicarius, Conſtantinopolitanam ſeduxit Eccleſiam. Infiniti tractatus intervenère, plurima ſunt celebrata Concilia, innumerabiles Legati in hanc rem deſtinati, ut tam atrox vulnus in Dei Eccleſia ſanaretur. Noviſſimè autem, Deo ita providente, in Ferrarienſi, & Florentino Concilio Joannes Palæologus Romæorum Imperator cum magna Procerum, & Nobilium comitiva, & Joſephus Cõſtantinopolitanus Patriarcha cum multa Metropolitanorum Epiſcoporum, Abbatum, cæterorumque Prælatorum numeroſitate convenientes unà cum Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro, & Venerabilibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Prælatorum Occidentalis Eccleſiæ numeroſiſſimo comitatu, ad extirpandum inveteratum ſchiſma omnem operam, atque diligentiam tribuere, & tandem, Deo inſpirante, eſt perventum, ut difficultatibus è medio ſublatis, decretum hujuſmodi unionis concorditer publicaretur.

1178 „ Facta ſunt iſta teſte toto Orbe terrarum, & decretum unionis hujuſmodi, & Græcis, & Latinis literis editum cum ſubſcriptione manuali eorum, qui interfuere, terrarum ubique tranſmiſſum; teſtis eſt Hiſpania, quatuor chriſtianis Regnis ornata, Caſtella, Aragonia, Portugallia, & Navarra; teſtis eſt Britannia major Anglicorum Regis ſubjecta ditioni; teſtis Hibernia, & Scotia Inſulæ maximæ extra continentem poſitæ; teſtis Germania numeroſiſſimis populis culta, & longiſſimo terrarum tractu diſtenta; teſtis Danorum regio; teſtis Norvergia; teſtis Svetia extremi populi ad Aquilonem; teſtis Poloniæ inclytum Regnum; teſtis Ungaria, & Pannonia; teſtis omnis Gallia ab occiduo Germanis, Hiſpaniſque concordat. Hic omnis Orbis habet decreti hujuſmodi exemplaria, quibus inſtanter ſchiſma illud inveteratum de medio ſublatum eſt, teſte Joanne Palæologo Romæorum Imperatore; teſte Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano, cæteriſq; qui de Græcia in Florentina Synodo convenère, quorum ſubſcriptiones per omnia adnotatæ ſunt.

1179 „ Omittimus commemorare omnem Italiam, quæ nulli Provinciarum ſecunda eſt, & hujus Decreti exemplaria per Urbes, & ecce jam tot anni tranſiere, ex quo iſta facta ſunt, & tamen apud Græcos unionis hujuſmodi decretum ſilentio tegitur, nec ulla ſpes elucet animorum, qui ad hanc unionem amplectendam diſpoſiti eſſe videantur, dantur quotidie dilationes, & eædem excuſationes penitùs in-

du-

„ ducuntur, ut credant Græci, Romanum
„ Pontificem, & omnem Occidentalem Ec-
„ cleſiam (ita enim intelligimua) lumine eſſe
„ privatos, quod non intelligant, quod in
„ hac dilatione reſponſionum ſuarum verba
„ pertendant. Intelligunt, ſed tolerant, in-
„ tuentes Dominum Jeſum Chriſtum æter-
„ num Pontificem, qui ficulneam inſructuo-
„ ſam arborem uſque in tertium annum ſer-
„ vari juſſit, cùm cultor illius propter ſteri-
„ litatem cuperet amputari.

1180 „ Ergo Serenitati tuæ hoc volumus
„ eſſe reſponſum, nos etiam diſſimulaturos
„ quouſque his literis à te intelligemus eſſe
„ reſponſum, & ſi ſaniore uſus conſilio cum
„ Proceribus tuis, & populo Conſtantinopo-
„ litano Decretum unionis amplexaberis, ha-
„ bebis nos, & Venerabiles Fratres noſtros
„ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales cum
„ univerſa Occidentali Eccleſia honori tuo,
„ & ſtatui ſemper intentos: ſin autem unionis
„ Decretum cum populo ſuſcipere recuſave-
„ ris, compelles nos ad ea providentia, qui-
„ bus & ſaluti veſtræ, & honori noſtro pariter
„ conſulatur. Et, ut huic rei tale exordium
„ dones, quod cætera ſecutura credamus,
„ volumus, ut Patriarcham Conſtantinopoli-
„ tanum ad Sedem ſuam revoces, faciasque
„ ſibi ab omnibus talem, & tãtam reverentiã,
„ & obedientiam exhiberi, quæ meritò ſuæ
„ Pontificali auctoritati debet impendi, itaut
„ non abjectus Sacerdos, ſed verus Eccleſiæ
„ Conſtantinopolitanæ Patriarcha teneatur,
„ nec in ſpiritualibus ſine ejus conſenſu, &
„ auctoritate quisquam quacumque præful-
„ geat dignitate, quidquam attentare præ-
„ ſumat: ipſe Clericos & ordinet, aut ordinari
„ faciat: ipſe omnia miniſterii Pontificalis
„ officia in Civitate & Diœceſi ſibi vindicet,
„ nullusque ordinationibus, quas juxta Ca-
„ nonicas ſanctiones ſemper prodire confidi-
„ mus, contraire præſumat, nomen Romani
„ Pontificis recitetur in Diptychis, & pro
„ ipſo nominatim expreſsè ab univerſa Græ-
„ corum oretur Eccleſia, ſicut hi, qui Deo
„ placuere, & Conſtantinopolitani Patriarchæ
„ & Imperatoris hactenus ſervavere; ſi qui
„ verò ſunt, qui in Decreto unionis nonnulla
„ poſita minus intelligant, procures illos ad
„ nos proficiſci: ſatisfaciemus, Deo conce-
„ dente, eorum dubitationibus, honorabun-
„ tur à nobis, & gaudebunt ſe apud nos non
„ fuiſſe deſpectos. Hæc ſunt, chariſſime fili,
„ quæ in præſentiarum, & literis tuis, & Ora-
„ tori ad nos tranſmiſſo reſponderi poſſe cen-
„ ſemus. Tu pro data tibi ſapientia, ita rebus
„ conſultare contende, ut Deo ſimul & ho-
„ minibus officium ſapientiſſimi Principis ad-
„ implere videaris. Datum Romæ apud San-
„ ctum Petrum, Anno Incarnationis Domi-
„ nicæ MCCCCLI. quinto Idus Octobris,
„ Pontificatus noſtri Anno V. *Hactenus Ni-
colaus ad Conſtantinum.*

1181 Nihilo tamen proficiente Nicolao, fortaſſe jam conſummata Græcorum malitia, factum eſt, ut expectato triennio, quemadmodum ficus inſructifera, de qua per ſimilitudinem locutus fuerat Dominus, & eadem in caſu uſus fuerat Nicolaus in præfatis literis, tempus advenit, ut ſucciderettur: Mahometes ergo Turcharum Imperator, Anno Domini MCCCCLIII. collecta multitudine copioſa militum ad numerum trecenta millium, ac comparata claſſe, terra, marique Regiam Conſtantinopolis obſedit, firmata obſidione die ſecunda menſis Aprilis; cùmque Græci propriis viribus reſiſtere haud valerent, fruſtrà à Latinis auxilia poſtulantes, ſuccubuere tandem, capta à Barbaris Urbe die XXIX. menſis Maii, ſic Deo permittente; capto quoque ipſo Imperatore in ipſa porta Civitatis fugam attentante, atque à victoribus trucidato, cujus inde reciſum Caput, ſuper haſtam impoſitum, per eorumdem Barbarorum Caſtra circumlatum eſt. Caſum Urbis, immò & Imperii, excidiumque Græcorum lacrymabundus deplorat Gennadius Scholarius Patriarcha Conſtantinopolitanus tantorum malorum ſpectator, in expoſit. Concilii Florentini ad cap. v. Sect. XV. & cauſam quærens, ait: „ Quamo-
„ brem ergo hæc? Vel vos mihi dicite per
„ Dominum, ſi dixeritis, ut dicere conſuetis,
„ ob noſtra delicta hæc eveniſſe, non ita ſe
„ res habet, ego dicam, quoniam non magis
„ nos, quàm cæteræ Chriſtianorum gentes
„ noſtris criminibus Deum irritamus. Sunt
„ enim & aliæ nationes magis ſceleribus &
„ peccatis obnoxiæ: quomodo non affligun-
„ tur, ut noſtra infœliciſſima & miſeranda
„ natio? *Et infrà*. Nonnè reliquum eſt plo-
„ rare & lamentari, ac diſquirere cauſam, &
„ videre, propter quæ patimur hæc? Ego verò
„ aliam non poſſum invenire (neque enim
„ virtute noſtra natio cæteris gentibus pejor
„ eſt, imò verò melior; nam dictum eſt, ve-
„ rèque dictum, nationem noſtram omnes
„ nationes virtute & moribus antecellere(niſi
